Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 "16"
C 87 j
322364
399871

P 5-3

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amstelodami ao. ... circa Aurifabr.

ANTI-BECANUS,

Id est,

CONTROVERSIARUM COMMUNIUM,

Quas

MARTINUS BECANUS CATHOLICIS, LUTHERI AC CALVINI NOMINE PERPERAM DISCRETIS, IN MANUALI, Ex Scholastica Theologia Aliisque variis opusculis confiato, movit,

EXAMEN

Ex

SCRIPTURA SACRA ET Antiquitate institutum

A

JOHANNE CROCIO, S. THEOLOgiæ Doctore ac in Academia Cassellana Professore.

TOMUS I.

Ex Bibliotheca Pontificia de Comillas Madrid

CASSELLIS

Typis Jacobi Gentschii, impensis Johannis Schützen/Anno MDCXLIII.

142413

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERENISSIMÆ AVGVSTÆQVE
Principi,

CHRISTINÆ,

SVECORUM, GOTHORUM AC VANdalorum Reginæ, Magnæ Finlandiæ Principi, Esthoniæ & Careliæ Duci, Ingriæ Dominæ &c.

ET
ILLVSTRISSIMO CELSISSImoque Principi,

GVILIELMO SEXTO,

HASSORUM LANDGRAVIO, COMIti Cattimeliboci, Deciæ, Ziegenhaynæ ac Niddæ &c.

Serenissima Regina,

Illustrissime Princeps,

VEritati cũ mendacio bellum est variũ, perpetuũ irreconciliabile. Testis Scriptura divina & omniũ temporum experientia. Vix erat homini cœlitus manifestata, cùm pater men-

mendacii bellum ei moveret. In ipso Paradiso jacta est alea; nec finis erit, prius quàm cœlum veritatis milites excipiat coronandos. In primo conflictu rem fraude gerebat hostis; successu inflatus deinceps fraude ac vi gessit. Vim testatur sanguis justus effusus super terram à sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ: Fraudem, corruptela multiplex, quâ lucem veritatis radiantem obscurare, ac cultus divini puritatem contaminare à mundo condito usque ad Messiam fategit. Quo tempore veritas quidem caput subinde extulit jucundo spectaculo, interdum tamen in summas angustias redacta vix apparuit. Nunquam ejus hæredi, Ecclesiæ, tortores, nunquam mendacio interpolatores defuerunt. Postquàm ferè quater mille annis variè pugnatum esset, vim patienti veritati subsidio venit è cœlo, qui est ipsa veritas. Venit accinctus gladio, venit cum verbo veritatis. Cum patre mendacii congressus vicit eum, victum contrivit, contritum armis exuit, vindicato sibi populo, qui victrici veritati adhæreret. In cœlum reversus misit Spiritum illum veritatis, qui tenebras mẽdacii obscuras, quibus orbis totus immersus jacebat, fortiter discuteret, sparso de se claro intemeratæ veritatis jubare. Misit in mundum universum è nostro genere, qui animos ad tantum thesaurum dignè suscipiendum fideliter pararent, excitarẽt, stimularent. Nec illi segniter officium fecerunt. Quinimò ut φωσῆρες lucem profundis tenebris ubique admirabilem intulerũt, ut generosi milites animo imperterrito eam propugnârunt, ut veri martyres sanguine suo gloriosè obsignârunt. Inde Pharisæorum, & Sadducæorum hinc, hinc Gentilium superstitionũ cæcâ discussâ caligine, lux aurea cœlestis veritatis, quâcunque orbis patet, pulcherrimè resplenduit, diabolo invito atq; magnificè triumphato.

Etsi verò tum in seipso, tum in suo milite, lethalibus vulneribus cõfectus, turpiter succumberet, nunquam tamen animo victus est, nunquam tamen mentem mutavit, sed propositi sui semper tenax, cùm hac non successit, aliam viam institit; Januâ exclusus per posticum subrepsit: Ubi vis frustrà fuit, ibi fraudem machinatus; Ubi fraus patuit, ibi vim molitus. Non solùm insanis paganismi ac pseudojudaismi defensoribus occultè inspiravit, unde simplicis veritatis castra periculosè oppugnarent, sed & in medio Ecclesiæ sinu funestas excitavit hæreses, quæ instar hydræ

hydræ adversùs nudam veritatem linguis feralibus sibilarent, quæ virus lethale in Christianos innocuos jacerent, quæ mulctatæ capitibus, infelici germine, repullulascerent. Ut enim hydram, capitibus quondam resectis, numerosiùs renascentem per sua damna crevisse, fingunt Poëtæ, ut novo miraculo, multiplicato mortibus suis monstro, luori genus esset amissio, sic sinuosus ille serpens sua damna facilè reparat, dum, uno hæreseos capite præciso, fœcunditas prodigiosa plura atque majora germinat. Ecclesiæ historia testis locuples.

Inprimis spectaculũ triste videas in Hildebrandino Papatu. Quàm enim multa, quàm monstrosa vetervm errorum capita, quæ pia Antiquitas gladio Spiritus armata secuerat, in illo revixerunt! Vadiani carnali cogitatione Deum fingebant ad similitudinem corruptibilis hominis; Marcellina è Carpocratis Schola imagines Christi & Pauli adorabat; Angelici in Angelorum cultum erant inclinati; Collyridiani adorabant Mariam virginem; Eustathiani detrahebant nuptiis; Manichæi à carnibus abstinebant; Osseniani orabant in lingua incognita; Pelagiani clamabant, legem in hac vita perfectè impleri posse. Mentiar, si hæc capita in Papatu non sunt renata. Alia nunc lubens omitto. De Pseudojudaismo cogito. Ille traditiones non scriptas verbo scripto exæquabat, ille illarum magis quàm istius observationem intentus, ille in Ecclesiæ titulo ac personali successione spem causæ præcipuam collocabat, ille opera supererogatoria jactabat, ille, ut alia involvam silentio, mercaturam in templo exercebat. Christus præcidit; nos videmus hydræ capita renata in Papatu. Jam unde is habet purgatorium? A Paganis, è quibus Virgilius, Platonem secutus, de animabus defunctorum canit;

..... aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Unde habet, quòd inter Sanctos distribuit provincias & functiones? A Paganis. Unde canonizationem Sanctorum? A Paganis. Unde ornatũ idolorum, adorationem cineris, sanguinis, sepulchrorum Martyrum? Flagellationes & arvales processiones unde habet? A Paganis. De cere-

 moniis

moniis Baronius ultro fatetur, & Bellarminus in purgatorii negocio consensum illorum laudare non erubescit.

Plinius de hydris scribit, omnium serpentium pulcherrimum genus esse, nullis veneno inferiores. Idem de Papatu verè dixeris. Nulla enim unquam fuit secta, quam ille externo ceremoniarum apparatu & hierarchico splendore non longè vincat, quo uno multos in sui amorem, multos rapit in sui admirationem. Veneno nulla est inferior. Quicquid enim violentiæ, quicquid fraudis ad veritatem opprimendam hæreses singulæ contulerunt, id ille solus confert. Ingenio refert ortum & partum. Fraus eum concepit. Fraus & vis peperit. Fraude ac vi succrevit: vi & fraude fovetur, defenditur, propagatur. In vi & fraude spes omnis collocata. Ut non immeritò in illo impletum censeas, quod Augustinus de regno Antichristi, persecutione ejus cum aliis comparatâ, suo tempore pronunciabat, *Prima*, inquiens, *persecutio Ecclesiæ violenta fuit, cùm præscriptionibus, tormentis, cædibus Christiani ad sacrificandum cogerentur. Altera persecutio fraudulenta est, quæ nunc per hæreticos & falsos fratres agitur. Tertia superest, per Antichristum ventura, qua nihil est periculosius, quoniam & violenta & fraudulenta erit; vim habebit in Imperio, dolum in miraculis.* Non ingrediar prisca secula. Patrum & nostrâ ætate quodnam regnum, quæ provincia vim non sensit? Gallia non sine horrore lanienæ Bartholomæanæ recordatur, quâ animis semel immanitate efferatis, in utrumque sexum tamdiu sævitum est, donec publica & nobilissima flumina cadaveribus repleta & atrata sanguine conspicerentur. Anglia Marianæ tempestatis & pulverariæ conjurationis non citra horrorem recordatur. Vim ab uno Albano religionis causâ factam Belgium adhuc execratur. Pontificis affectum erga Germaniam Magno Imperatori Carolo V. Bononiensis congressus satis prodebat. Quem non solùm postea sensit, sed & adhuc hodie sentit ingenti cum dolore; Sensit Scotia, Hibernia, Bohemia, & quæ provincia non sensit? Per Romanam sedem nemini impunè licet profiteri veritatem. *Eò enim*, inquit Spalatensis Archiepiscopus, *nostris temporibus redactares est, ut Ecclesiasticæ controversiæ, non theologis ampliùs, non conciliis, sed tortoribus, sed carnificibus, sed sicariis, sed sanguinariis, sed parricidis defendendæ Romæ, aut Româ, committantur.* Dolum Papatus habet in miraculis. Sæpe detectus. Nõ solùm

solùm in miraculis, sed & in revelationibus habet; non in his solùm, sed & in reliquiis; non solùm in reliquiis, sed etiam in subornandis Sanctis, in falsandis auctoribus, in nectendis sophismatum griphis.

His pugnare non cessat, aliis atque aliis in occumbentium locum succedentibus, qui aciem inclinatam erigant, qui ordines turbatos restituant, qui copias dilapsas ad signa revocent, qui pugnam instaurent, qui cladem acceptam reparent. Res est in aprico. Lutherus, Melanchthon, Zuinglius, Oecolampadius, alii veritatis Promachi seculo superiori divinitus excitati, protriverant Prieriates, Emseros, Eccios, Fabros, Sophistas Parisienses, Lovanienses, alios, præcisis eorum germinibus, velut totidem hydræ capitibus. Nova succrescunt Tridenti, quibus orbis Christianus terreri posse videbatur. Calvinus & Chemnicius gladio Spiritus accincti obtruncant. Non tamen cessat infausta parturitio. In Bellarmino, Stapletono, Valentiano aliisq; plurimis nova, quamvis non impunè emerserunt. Proculcata enim à Witakeris, Juniis, Rainholdis, Sutliviis, Sibrandis, Pareis, Chamieris. Nec tamen sic pax est. Novella subnata in Becanis, Bailiis, Valerianis aliisque non paucis. Quid igitur? Num veritatis defensores bello diuturno fatigati hastam abjiciant, & coalescant cũ castris mendacii? Hæc esset manifesta proditio. Qui enim veritatem non defendit, cùm possit, censetur prodidisse. Non ad proditionem, sed ad defensionem sumus vocati. Nec licet pedem referre, postquàm nomen illi semel dedimus. Ut magna, ut speciosa succrescant capita, non retrahenda est manus, sed stringendus in ea gladius Spiritus, idque spe certâ victoriæ. Nam veritas, quæ semper vicit, non vincetur deinceps.

Hæc causa me, in veritatis castris omniũ minimum, ad pugnam capessendã impulit. Videbã, Martinum Becanum vulneribus Bestiæ sanandis medicam manũ adhibere tanto artificio, ut Papistica Germania, Gallia, Britannia & Polonia eum, velut Aesculapium, aut Machaonem redivivum, publico plausu exciperet, ejusque opuscula & inprimis Manuale, tanquam panacéam cœlo delapsam, exoscularetur. Et sanè si quisquam speciosi conaminis laudem adeptus est, ille adeptus jure possit videri. Tã solerti studio in id omnes ingenii, eruditionis ac disertitudinis vires cõgulit, ut epithemate vulneri quàm speciosissimè applicato, ictus veritatis

suis

suis faceret ridiculos. Nec studium omni successu caruit. Et tamen si diligentiùs inspiciam, nihil aliud est, quàm novum hydræ caput. Hîc minimè quiescendum ratus, exspectabam, an aliquis è nostratibus impostori larvam detraheret, varias jactatæ panaceæ fraudes detegeret, atque adeò novum hydræ caput ferret, ne halitu maligno animas innocuas porrò inficeret, præsertim, quòd ab hoc uno interitum Ecclesiæ nostræ imminere, Encomiastæ plenis cantarent tibiis.

Nemine prodeunte, ego adversùs hominis fallacias coram studiosa juventute disserere, atq; inprimis Manuale, formosissimum illud hydræ caput, tentare cœpi. Nec aliud mihi propositum erat ab initio, quàm ut auditorio nostro labor inserviret. Cùm autem postea non obscurè intelligerem, multos pios, ad quos fama emanaverat, optare, ut quicquid cómentatus essem, in publicum ederetur, ita meæ tenuitatis conscientia me retrahebat, ut tum utilitatis publicæ pro virili promovendæ studium, tum amicorum hortatus tandem prævalerent. Neque obstare mihi sum passus, quòd de meo pauca conferam, sed ea ferè dicã, quæ alii iíque summi viri ante me dixerunt Postquàm enim Jesuita professus esset, nihil suum esse præter ordinem, brevitatem & perspicuitatem, non erat, cur profiteri me puderet, in meis nihil, præter illa, meum esse.

Dum verò, typographicis operis ad finem decurrentibus, cogito, quodnam potissimùm nomen libro præscribam, inde Suecia me trahit; hinc tenet Hassia. In illa T. Majestas, Regina Serenissima, in hac, Illustrissime Princeps, tua occurrit Celsitudo. Tandem utrique conjunctim inscribendi ratio animum subit, eaque nec levis, nec vulgaris, sed gravis, sed pulcherrima. Cùm opus inchoarem, Hassia, cum magna Germaniæ parte, armis Ligistarum pressa gemebat; tristis ubique apparebat omnium rerum facies. Hinc audiebantur de libertate periclitante mœstæ querelæ, inde atroces jactabantur minæ: Multa libertati ac religioni Evangelicæ verè Catholicæ exilium videbantur minari. Nec certum erat, an nobis dandum esset his locis spacium laborem affectum absolvendi, cùm R. T.M. Pater gloriosissimæ recordationis, Rex verè Augustus, GUSTAVUS ADOLPHUS, ille à Deo missus libertatis ac religionis vindex, cum exercitu Germaniam ingrederetur, suoque adventu, tanquam classico, lauda-

laudatissimos Imperii ordines ad civilis & Ecclesiasticæ libertatis defensionem excitaret. Illo feliciter progrediente, illo cum Principibus arma strenuè conjungente, illo post Lipsensem victoriam sui terrorem longè lateque spargente, labor noster utcunque procedebat, & ferè ad umbilicum erat perductus, cùm suum erga Germaniam & Principes socios affectum regii sui sanguinis effusione gloriosè obsignaret. Quod restabat, vestris armis florentibus, absolutum est. Unde quod sub Gloriosissimi Patris clypeo penè confectum, id augustæ Filiæ in gratam paternorum meritorum recordationem judicavi offerendum esse, idque tanto lætiori animo, quòd, dum hoc quicquid est ad editionem paro, tota patria in pacis universalis magnam spem erecta, optatum diuturni belli exitum & post tot tantasque privatas & publicas clades, post tot calamitates, post tot incendia & ruinas tranquillitatem exspectat R.T.M. auspiciis reddendam. Omnibus innotuit, quanto studio ac labore per tuos effeceris, ut dies & locus paci universali tractandæ tandem diceretur. Omnes spe bonâ pleni, fore, ut tractatio felicem exitum sortiatur.

De quo quicquid fiat, consilia pacis tanto majorem quàm arma tibi, apud posteritatem, parient gloriam, quãto graviora sunt belli damna, quanto ampliora pacis emolumenta. Summum atque immortale decus nomini tuo inde constabit, quòd res eò usque sint perductæ. Quam felicitatem hoc publico alloquio lætabundus volui gratulari.

Ut enim justum sit bellum, ut summi duces justitiæ & disciplinæ severioris amantes innoxiis vim fieri nolint, res tamen ipsa tristibus exemplis confirmat, quantis calamitatibus Rempublicam & Ecclesiam involvat. Agri passim vastantur, segetes proteruntur, pecudes abiguntur, subditi expilantur, spoliantur, fortunis omnibus exuuntur; nihil est tam reconditum, quod prædo sagax non eruat, nihil defossum tam altè, quod non effodiat; si quid fortè à raptoris manu reliquum est, id inexorabilis exactor aufert. Nec intra privatos damna consistunt. Villæ, pagi, arces flammis exuruntur, deformantur oppida; templa, scholæ, gerontotrophéa, nosocomia diripiuntur, personæ miserabiles alimonia publica privantur, & fame enecantur: terra marique infestantur homines innocentes, capiuntur, capti vinciuntur, vincti modis infandis torquentur, torti

afficiuntur mille mortibus, nullo ætatis, sexus, conditionis nullo discrimine; matronis ac virginibus vis infertur; artes bonæ jacent contemptæ, humanæ ac divinæ sapientiæ Professores, quique juventutem moribus & literis imbuere debebant, prorsus deseruntur, & ne inaniarum pleni omni præmio fraudentur, fœdè divexantur, scenarumque traducuntur ostentatione. Quin & juventus, quam ad usum Reipublicæ & Ecclesiæ formari oportebat, ñ sine irreparabili posteritatis damno, turpiter negligitur, cùm assuescere à teneris tantum sit, ut ab hoc fonte fluant laudes & labes, quibus publica salus stat & cadit. Imò nec justus honor habetur sacrorum ministris; & ipsa vis imperii resolvitur; Denique educationis domesticæ nervo periculosè luxato, ætas tenera malis exemplis corrupta pleno gradu ad infernum grassatur, dum leges ubiq; silent, dum cessant pietatis exercitia, dum regnat mera barbaries, summa injustitia & horrenda impietas, quâ, ut uno verbo multa complectar, omnia divina & humana jura violantur. Quæ omnia tanto sunt tristiora, cùm civili bello in consanguineos populos, in propinquos, in fratres, adeoque in mutua sævitur viscera. Ut non sine causa magnum illud Galliæ decus, *Caspar Colinius*, Amiralius, bellum civile *malorum iliadem* vocaverit, & testatus sit, se minutim concidi malle, quàm ei animum denuò applicare. Nempe videbat vir summus, Rempublicam & Ecclesiam bellis assiduis implicitam, non aliter, atque generosa vitis brassicæ copulata tandem in asperum rubum degenerat, tam horribilem squalorem situmque contrahere, ut pristinam formam non agnoscas. Contrà innumera sunt pacis commoda; Ibi sedet quisque sub vite ac ficu sua, ibi leges, ibi jura vigent, ibi virtus colitur, ibi flagitia justis pœnis coërcentur, ibi florent artes, ibi familiæ crescunt, ibi juventus feliciter educatur, ibi Respublica augetur, ibi ædificatur Ecclesia & fert multum suavemque fructum, sicut olea viti (quarum illa pacis, hæc Ecclesiæ est imago) insita & olivas & uvas progignit.

Accedit, quòd optabam, ad regnorum tuorum homines aliquem ex hoc laboremeo fructum redire; quamobrem opera fuit danda, ut qui me non nôssent, sanctâ Reginæ suæ auctoritate præparati ad legendum venirent æquiores. Denique hac occasione R. T. M. obtestari volui, ut porrò

porrò pacem bello præferre ac per Illustrissimos sapientissimosque tutores, Regentes ac Senatores omnibus modis in id incumbere pergat, ut cruentum illud sanguinis diluvium, quo Germania tot jam annis undat, tandem cesset, atq; religione, libertate ac cujusque jure salvo, pax aurea, *pax optima rerũ, quas homini novisse datũ est*, pax tuta, pax firma tandẽ appareat, & ad optatũ ejus portũ patria civili bello fessa provehatur universa. Quod meum votum, quin æquis auribus R. T. M. acceptura sit, dubitare me non sinunt summæ dotes ingenii ac regiæ tuæ virtutes cum vera pietate conjunctæ, quas tum publica fama, tum tuus consiliarius ac Legatus ad Hassiacam aulam, Illustr. ac Excellentissimus vir, Dn. Hermannus Wolffius, fautor & amicus meus singularis, tantis apud nos effert laudibus, ut ego pictoris exemplo, qui obũbrâsse velo dicitur, quod penicillo exæquare desperabat, eas religioso silentio venerari malim, quàm dicendo non dignè exprimere.

Quòd autem, inclyte Princeps, illustrissimum tuum nomen præscribam, æquè multæ mihi sunt causæ. Hic meus fœtus cõceptus est in schola, quam GUILIELMUS Constans T. C. Pater B. M. Princeps Celsissimus, in hac urbe maturo consilio, inter arma aperuit, apertam ut Pater benignus, liberaliter dotavit, dotatam clementer fovit, quam ad extremum usque spiritum gessit in oculis, quam deinceps fovendam, augendam locupletandamque suis testamento prolixè commendavit. Hinc tibi debetur ut ditionis & virtutis ita benevolentiæ paternæ erga scholam unico hæredi. Quam tum aliâs crebrò, tum superiori anno nobis omnibus jucundo specimine declarâsti, cùm Academiæ novellæ, quæ multis sudes est in oculis, sceptra gerere non dedignareris. Non tantùm conceptus est in tua schola, Domino Patre eam fortiter tuente, sed & incomparabili Heroinâ, Hassiæ nostræ Deborâ, matre Illustrissimâ, Dominâ ÆMYLIA ELISABETHA Patriam feliciter regente, à pulvere assertus in lucem prodit. Ita duplici nomine debetur. Præterea me movet tua singularis erga me benevolentia, ex qua spem bonam concipio, unicum meum filium, ubi paternis monitis obsecutus, studiorum cursum, quem cœpit, in Dei timore absolverit, operæ, quam ab anno hujus seculi duodecimo in Aula avita, itemque Ecclesia & Academia tum Marpurgensi, tum Cas-

sellana fide summâ præstiti Hassiæ, fructum aliquem, post meum obitum, à tua Clementia percepturum esse.

Denique cùm & eximiam pietatem & ardentem religionis sinceriorisamorem pulcherrimis indicinis in hac ætate, Dei & patriæ amanti, bus egregiè demonstres, non solùm eâ mentem tibi cœlitus inspiratam gratulari, sed & strenuè currentem hâc publicâ compellatione hortari volui, quam pietatis doctrinam à primis incunabulis imbibisti, quam nuper in solenni confirmatione inter devotas piissimæ matris lacrymas & læta totius auditorii gratantis vota, spectaculo Deo & Angelis grato, promptè ac judiciosè confessus es, quamque ego contra Jesuitam defendo, ut eam animo porrò pleniùs complecti, eâ quà cœpisti alacritate, pergas, ut tanquam inæstimabilem margaritam omnibus terrenis suavitatibus longè anteferas, ut in Scholis ac Ecclesiis puram illibatamque conserves, atque ad posteritatem, si quæ futura est, exemplo majorum, Τῶν μακαρίτων, aliquando strenuè propages, certissimè persuasus, te ad pretiosi hujus depositi custodiam accuratam divinitus vocatum esse, nec Deum defuturum sancto instituto.

Cæterùm Augusta Regina, Princeps inclytissime, cur nobilissima vestra nomina compaginem, nonnulli fortassè mirabuntur. Mirentur, qui nec præteritorum tenent memoriam, nec præsentia intuentur. Illam qui tenent, & hæc propiùs inspiciunt, non multum mirabuntur. Jesuita fidem vobis & subditis vestris communem impugnat; ego defendo. Ille Evangelico-Catholicos, *Lutheri* & *Calvini* nomine perperam discretos, ut ejusdem causæ socios, adoritur, lacessit, persequitur, in neutram partem mitior, in utramque æquè duriter diriterque torquens venenata tela. Quidni igitur ego utriusque partis illustres animas in patrocinii societatem vocem? Itum quidem est, fateor, jam olim in partes. Nec defuerunt, proh dolor, qui contumeliosis sermonibus, qui acerbis scriptionibus, qui invectivis immanibus, qui odiosis criminationibus commilitones suos lacerando, castra Dei hosti communi opposita turbarent, distraherent, & pro virili separarent. Sed illos malè consultos, & malos aut saltem improvidos consultores fuisse, res ipsa docet luculenter. Quàm enim tristibus exemplis distractio lætum Evangelii progressum sufflaminavit?

Quan-

Quantis periculis Ecclesiam objecit? Quantis difficultatibus causam communem implicavit? Quid in contemptum adduxit Protestantium vires? Discordia. Quid Papæ animum addidit? Quid ejus consilia promovit? Nostra discordia. Unde tot provinciarum eversio, tot Rerumpublicarum interitus, tot Ecclesiarum florentissimarum ruinæ? Unde Germaniæ squalor & vastitas? A nostra discordia. Nec in his omnibus quicquam evenit, quod viri sapientes non metuerint, non prævideriint, non prædixerint. Ea propter distractionem glisscentem impedire, rupturam jam factam consolidare & animos ad sanctam concordiam reducere impensè studuerunt, causam non esse existimantes, cur partes adversis castris inter se concurrant; esse potiùs, cur lites internas sopiant, ac consilia socient in salute communi tuenda.

Plenam dictis fidem faciunt tũ Imperialium, tum aliorum Comitiorum acta & historiæ rerum in Germania, Gallia, aliisque locis gestarum. Longum esset, Regum, Electorum & Principum eam in rem dicta & facta memorare. Alibi memoro. Intra Sueciam & Hassiam hâc vice me cõtinebo. CAROLUS, postea Rex, Gustavi Regis laudatissimi filius, R. T. M avus, quâ erat judicii acrimoniâ, rem probè expendit, sensumque suum, anno superioris seculi nonagesimo nono, exemplo memorabili renudavit. Cùm enim præpotentibus Belgii Ordinibus suam amicitiam offerret per Legatos & rogaret, ne malè consultum Sigismundum Regem opibus suis aut navibus juvarent, prolixè ostendebat, bellum in Suecia pro *communi* causa, hoc est, pro *religione*, quam conjunctis consiliis Hispaniæ Rex & Pontifex impugnent, & pro regni *libertate* susceptum esse. Nec consilium caruit fructu. Hoc enim argumento efficiebat, ut juberetur ab Ordinibus mutuam amicitiam & fidam consiliorum in *communi* causa communicationem sibi polliceri. Neque ea erat repentina aliqua voluntas, & subitaneus impetus, quali, rebus impeditis, animus interdum quasi vento incitatur, sed maturo consilio deliberata sententia, in qua perseveravit tam firmiter, ut anno hujus seculi quarto agenda regiæ suæ aulicæ Ecclesiæ revidenda Heydelbergam miserit, nunquam, credo, missurus, si Ecclesiam Palatinam reformatam fidei suæ sociam & corporis Christi membrum non agnovisset.

Jam quanta solicitudine, quanto studio, labore ac zelo Hassiæ Landgravius PHILIPPUS magnanimus, T. C. abavus in omnibus tum Imperii, tum aliis Principum conventibus & colloquiis in id incubuerit, ut omisis mutuis condemnationibus, communis causa communi animo consilioque ageretur, ex instructionibus, legationibus, actis publicis ac historiarum monumentis est notissimum. GUILIELMUS, proavus, eo quòd ejus prudentiæ Europa tota plurimum deferret, *Sapientis* nomen meritus, paternis vestigiis alacriter insistens, non minori affectu & immenso labore dies noctesque tum aliàs, tum eo potissimùm tempore, hoc saxum volvit, quo nonnulli, sub amabili concordiæ titulo, majori distractioni occasionem videbantur præbituri. Nullus ferè Rex, nullus Princeps alicujus nominis, erat, quem non de imminenti periculo diligenter moneret, quem non gravibus rationibus à distractione seriò dehortaretur, quem non in causa communi ad animorum consiliorumque consociationem fideliter solicitaret. Explorate fidei testes sunt tum profectiones ab ipso susceptæ, tum legationes, tum literæ ad alios scriptæ & ab aliis acceptæ, ad quas tanto confidentiùs provoco, quanto propiùs eas ipse inspexi, legi, expendi. Piũ illius studium approbâsse Illustrissimos fratres LUDOVICUM & GEORGIUM, à multis documẽtis, nominatim à mãdato Legatis ad Comitia Anno 1576. dato, manifestè constat. In quod non tam reverentiâ fratris primogeniti, quem meritò colebant, consensisse sunt putandi, quàm quòd rem ipsam & Ecclesiæ salutem id postulare, judicarent. Illo enim rebus humanis exempto, cum nepote suo, illo Imperii ocello, MAURITIO collatis rationibus, idem mandatum Anno 1598. suis ad Comitia iturris inculcârunt, disertè testantes, *quemadmodum parentes & maiores sui in condemnationes consentire noluerint, ita nec se consentire velle.* His tantis exemplis confirmatus GUILIELMUS Constans T. C. Pater νυνὶ ἐν ἁγίοις nihil habebat prius, nihil antiquius, quàm ut infelix Ecclesiæ ruptura bene sarciretur, ac veritas adversùs communes hostes deinceps unis castris defenderetur. Quæ causa, erat, quòd ipso approbante, Brandeburgicus & Hassi in Saxonicorum theologorum congressum & colloquium Anno 1631. Lipsiæ venirent, ac Ecclesiasticæ concordiæ reparandæ viam tentarent pro virili.

virili. Quam nõ prorsus infeliciter à collocutoribus patefactã esse, theologi Germani, Angli, Scoti censuerunt.

Præterea Sereniss. Regibus Sueciæ cum Illustrissima domo Hassiaca jam à multis annis magna necessitudo ac amicitia singularis mutuis officiis fuit constituta, ad quam accessionem magnam attulit fedus inter T. T. M. & C. Sereniss. & Illustriss. parentes initum, atque in vos, unicos illorum hæredes, jure quasi hæreditario transmissum. Quod cùm Ecclesiasticæ & civilis libertatis tuendæ causâ pactum sit, nominum vestrorum compagem à fronte libri, qui communem religionem defendit, non alienam esse, æqui rerum æstimatores, me tacente, ultro pronunciabunt.

Ego insuper eam ad omnem posteritatem esse testem volo mei de Ecclesiæ Evangelico-Catholicæ distractione sensus atque voti. Non debebat distrahi. Non satis gravis causa fuit tantæ distractionis. Non debebat tam diu durare. Cum Jeremia sæpe ingemisco, sæpe dico; *Propter contritionem filiæ populi mei contereor; atratus incedo, stupor corripit me. An opobalsami nihil est in Gilhade? an medicus nullus est ibi? Nam cur non convaluit filia populi mei? O si quis daret, caput meum esse aquam, & oculum meum scaturiginem lacrymarum, ut deplorem interdiu ac noctu confossos filiæ populi mei.* Certè si falsæ criminationes, si alienarum sententiarum interpretationes sinistræ, si iniqua præjudicia conticescant, si pravæ facessant suspiciones, si quisque sit verborum suorum interpres, si phrases incommodæ à dogmatibus, si quæ in disputationis æstu huic, illi, isti exciderunt, ab iis, quæ animi sedati tenent, si opiniones privatæ à sententiis publico totius Ecclesiæ consensu comprobatis secernantur, si denique quæstionum verè controversarum momenta, sine contendendi libidine, sine personarum odio, sine privati compendii, aut vanæ gloriolæ aucupio, æquâ lance librentur, causa erit manifesta, cur coalescere debeant animi, cur Ecclesiæ malè distractæ coire, cur Spiritus unitatem servare debeant. Sunt unum corpus, una est fides, quoad fundamentum, una spes vocationis, unum baptisma, unus Spiritus, unus Dominus, unus Deus. Qui sive scotomate, sive affectu præpediti justam unionis rationem nondum assequuntur, eos saltem distractionis acerbi fru-

fructus & hostes communes debebant excitare. Illos omnes sentimus cum dolore. Nemo facilè negabit. Isti cùm in omnibus controversiis, & nominatim iis, ex quibus Ecclesiæ Lutheranæ unitatē celeberrimi istius partis theologi concludunt, publicè nos conjungant, iisdemque petant telis, quæ nobis causa justa esse possit vires distrahendi, quæ unitæ semper sunt fortiores.

Idcirco animitus voveo, ut amarulentæ invectivæ, intempestivæ condemnationes, malignæ sententiarum alienarum interpretationes deinceps sileant, ut odia mutua tandem aliquando deponantur, ut concordiæ ratio sancta, justa & æqua ineatur, ut ad eam utrinq; à moderatioribus parentur omnium animi, ut consensus capita, in quibus consistit fidei substantia, citra contentionem teneantur, & pari studio vindicentur, ut denique quæstionum, de quibus verè dissentimus, in Dei timore, expendatur momentum; quo cognito, patebit, omnes Protestantes, magnates, medioxumos, infimos, iis non obstantibus, in conscientia teneri servare inter se unitatem Spiritus, atque suo quemque loco, in id auctoritatem, consilia, curas, cogitationes atque preces conferre, ut schismate sublato, conjunctis animis & armis divinitus validis veritas divina protegatur adversùs castra Antichristiana. Quem meum sensum, quod votum tum aliorum, tum inprimis vestro ac Illustrissimorum nobilissimorumque Tutorum & Consiliariorum, per quos rem geritis, suffragio approbatum iri, æquitate causæ nixus penitùs confido.

Quapropter accipite, Augusta Regina & Illustrissime Princeps, serenâ fronte à me hunc meum qualemcunque laborem, quem ex causis tam gravibus tam pulchris patrocinio vestro committo. Laudatissimorum vestrorum parentum & majorum exemplo in communi fide state, crescite, augescite, perstate in uno Spiritu, uno pariter animo decertantes per fidem Evangelii, atque Ecclesiæ Evangelico-Catholicæ, *Lutheri* & *Calvini* nomine perperam discretæ concordiam, tum per vestros sapientissimos Tutores ac Senatores, tum aliquando per vos ipsos cum Electoribus, Principibus, cæterisque Ordinibus collato consilio, promovete.

Ita Deus vos diu florentes conservet, omni benedictionum genere locuple-

locupletet, Spiritu suo sancto regat, & confecto cursu, seris annis, ad cœleste regnum migrantes coronâ justitiæ & immortalitatis redimitos æternùm beet.

Dabam Cassellis XXVII. d. Augusti, Anno æræ Christianæ nobis usitatæ CIↃ IↃC XLIII.

Regiæ Tuæ Majestatis

ET

Illustr. Tuæ Celsitudinis

Humillimus servus

JOHANNES CROCIUS D.

¶¶¶

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

Consideratur Præludium primum de varia dispositione Adversariorum, & quomodo cum singulis agendum sit.

BEcano causam Papisticam contra Protestantes verè Catholicos acturo placuit præludere. Imitatur ea in re citharœdos & comœdos; illi præcentione suavi, isti prologo auditorum favorem & attentionem captant atque sibi conciliant. Audiemus, idque tanto lubentiùs, quòd ex præcentione de secuturo cantu & ex prologo de fabula, quam agendam suscepit, mediocriter constare possit.

II. Duæ autem potissimùm sunt præludionis strophæ. In priori de varia adversariorum dispositione canit, & quomodo cum singulis sit agendum. Per adversarios intelligit tum Lutheranos, tum Calvinistas, tum quosvis alterius sectæ homines, quos non omnes eodem modo affectos & dispositos pronunciat. Nam aliquos esse in suo errore *pertinaces*, alios *zelosos*, alios *frigidos*, alios *dubios*, ac *fluctuantes*. Num. 1. Ita est, hæc hominum genera inveniuntur in sectariis. Error est in eo, quòd Protestantes inter hæreticos numerat. Nondum sunt convicti. Hæc tolle nomina & substitue Papistas. Sic omnia benè fluent. Quæ in suos adversarios dicit, in Papistas benè quadrant. Ut præludii loco nobis esse queant adversùs illos causam acturis.

III. *Pertinaces*, inquit, *sunt, qui quidem agnoscunt, se recedere à communi sensu Ecclesiæ & antiquorum Patrum, sed tamen ex superbia & obdurationè mentis, ne videantur à veritate convicti, obstinatè persistunt in sua opinione. Hos propriè hæreticos dici*, censet, *Augustino teste, Epist. 162. & lib. 18. de civ. D. c. 51.* Si Papisticam Ecclesiam & illius Patres intelligat, nimiopere fallitur. Non pertinax est censendus, qui agnoscit, se à communi consensu illius recedere & tamen in sententia persistit. Adde sacram Scripturam infallibilem illam credendi regulam, & intellige Ecclesiæ Apostolicæ Catholicæ & universalem Patrum consensum in Scriptura fundatum: Id, spero, nemo gravabitur. Ecclesia enim superstructa est super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Ita nihil verius dici potest. Talium ferax est o-

mnis sectariorum tellus. Etiam Papistarum. Verè de illis dictum, quòd similes sint Pharisæis & propter cordis duritiem rarò convertantur, juxta Christi sententiam, Matth. 13.

IV. *Zelosos* vocat, qui *nonex superbiæ & obstinatione, sed ex quadam ignorantia falsò persuasi sunt, suam sectam veritati & Evangelio consentaneam esse, atque tanto studio eam defendunt, ut videantur parati vitam potiùs quàm sectam deserere.* Num. 3. Hos rectè comparat Paulo nondum converso, qui suum zelum describit, Gal. 1, 13. 1. Tim. 1, 13. Et res ipsa testatur, tales sæpè à Deo converti. Multa luculenta exempla exstant eorum, qui cùm antea magno zelo papatum defenderent, à Deo conversi in Evangelii confessione ad mortem usque perstitere. Becanus zelosos alibi quærit. Sunt in veritate, sunt in errore zelosi. In veritate zelosos apud nos esse, nobis certum. Nec negem, esse alibi in errore. Domi enim habet in omni ordine.

V. *Frigidos* appellat, *qui neque ex superbia, neque ex ignorantia, sed ex aliis causis, quas frigidè prætendunt, manent in suo errore. Et quando monentur de Catholica fide capessenda, solent cunctari, tergiversari & frivolas excusationes adferre. Et* alii *quidem prætendunt, se in ea religione, quam prætendunt, natos & educatos esse.* Alii *iuramento se obstrinxisse, quòd velint in ea persistere.* Alii, *non audere palàm profiteri fidem Catholicam, propter amicos & consanguineos, qui omnes alterius sectæ sint.* Alii, *non posse se id facere, ne offendant suum Principem, qui à Catholica alienus sit.* Alii denique, *tametsi nihil horum apertè dicant, revera tamen ex una parte manent in hæresi propter allatas prætensiones: Ex altera parte simulant, se propendere ad nostram religionem, ut hac ratione vel Imperatoris, vel alterius Principis Catholici favorem aucupentur; aut certè ad officia & dignitates apud Catholicos promoveantur: Vel si illa iam antea obtinuerunt, ne amittant. Nec desunt, qui ex eventu & rerum successu statuant de sua fide. Nempe mansuros se in Lutherana, aut Calviniana, si videbunt, Catholicos affligi, aut bello succumbere. Sin cõtrà, Catholicam amplexuros.* Hos omnes iis comparat, de quibus Elias Propheta ait, 1. Reg. 18, 21. *Usquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Si autem Baal, sequimini illum.* Et in eos quadrare pronunciat illud Ecclesiastici 3, 28. *Cor ingrediens duas vias, non habebit successum.* Num. 4.

VI. In thesi hoc totum benè habet. Res vertitur in hypothesi. Sunt frigidi in *errore*, sunt in *veritate*. Non negabit Jesuita, nisi inter suos non deprehendit unquam frigidos, quos, nìsi vehementer fallor, non in errore, sed in veritate frigere, dicet. Si igitur permutes doctrinæ & personarum nomina, verum tenebis. Sunt, & quidem, proh dolor (quid negem?) nimis multi inter nostros satis frigidi; quod tanto tristius est, quanto periculosius, in veritate frigere, quàm in errore. Quotquot enim frigent in doctrina communi Protestantium Catholicorum contra Papistas, non in errore, sed in veritate frigent. Qui sectam tenent, non tam quia veritas est, quàm quia cum lacte materno imbiberunt, vel quia Princeps tenet, parati ab eadem potiùs resilire, quàm quicquam suorum perdere. Sunt, qui veritatem intelligant, & tamen remissiùs agant, ut Imperatoris, aut Regis, aut Principis Pontificii favorem, vel sibi conciliент, vel semel conciliatum conservent. Sunt denique, qui ex eventu de veritatis professione statuere malunt, quàm in utraque tenere sorte. Hos haud inviti permittimus comparari Israëlitis in utrãque partem claudicantibus. Non quòd in errore frigeant, sed quòd in veritate.

VII. Frigidi Papistæ, in errore sunt frigidi. Hos si horteris ad fidem verè catholicam, ab Apostolis & Prophetis in Scriptura veteris ac novi Testamenti traditam, cunctantur, tergiversantur, eas ipsas, quas Jesuita describit, id est, verè frivolas afferunt excusationes. Hìc audias, qui prætendant, se in Papismo natos & educatos. Audias, qui voti & juramenti vincula, qui majorum imagines, qui periculum exheredationis, qui offensam propinquorum, qui Principum gratiam obtendant, qua nollent excidere. Quidam sic maneat in Papismo, prætextu ratiuncularum rancidarum, ut interim simulent qualemcunque amorem veritatis, quam nos tuemur, idque hac una de causa, ut vel Regis, vel alterius Principis nobis addicti favorem venentur, vel lucrosa officia & amplas dignitates adipiscantur, vel adeptis non excidant. Britannia testis esse possit locuples. Fortasse etiam inter Papistas non desunt, qui ex eventu de sua fide velint statuere.

VIII. *Dubij* dicuntur, *qui simplici ac recto corde quærunt veritatem. Et quia per se seu suopte ingenio ac industria non possunt eam invenire, petunt, ab aliis se doctioribus juvari ac restitui. Hi non malè comparantur Nicodemo & Eunucho*, Johan. 3. Act. 8. *Et si incidant in viros bonos, a quibus doceantur, facilè iuvari possunt, quo pacto Nicodemus à Christo & Eunuchus à Philippo instructus & adiutus est.* Num. 4. 5. Nihil muto. Tales inveniuntur in omni secta.

IX. Jam non unus agendi modus convenit omnibus. Ingeniorum & conditionis diversitas postulat diversum agendi modum, ut in moribus, sic in doctrina. Multi in eo sunt Patres. Res clara. Non opus est verbis. Ille ante omnia pertinaces ad disputationem de fide ac religione non facilè admittendos esse, censet, qua in re haud gravatim ei suffragor, suffulto quippe justâ ratione, quòd cùm sint superbi ac contumaces, non velint resipiscere, etsi apertè convincantur. Præluserunt Pharisæi, qui, si dicendum, quod res est, reviviscunt in Jesuitis, quos si primo loces ordine, omnia mediocriter quadrabunt.

X. Si cum pertinacibus propter aliorum utilitatem agendum sit, tria vult servari. Primò, *ut coërceantur intra limites certa materiæ, ne ex una in aliam dilabantur.* Secundò, *ut restringantur ad formam syllogisticam, ut vis argumenti appareat, nec permittatur, ut sine ordine, sine methodo, sine connexione, quasi concionabundi, multa effutiant.* Tertiò, *ut palàm confundantur & increpentur, sicut Sadducæi, Scribæ & Pharisæi à Christo, Stephano & Paulo fuerunt confusi ac increpati*, Matth. 22, 29. 23, 15. Act. 7, 51. 9, 22. Num. 6.

XI. Non multum refragamur. Vaga disputatio parùm utilis. Ratum igitur esto primum. Pertinaces, cujuscunque sint

sectæ, coerceantur intra certæ materiæ limites, nec fiat potestas evagandi. Inducias enim ferè quærunt causæ laboranti, cùm sumptâ licentiâ ex una quæstione ad aliam desiliunt. Alterum per nos quoque ratum esto, modò fraus absit. Gretserus, Hungerus, Tannerus in colloquio Ratisbonensi ad ravim usque clamabant, *ad formam, ad formam:* Non ut eis appareret vis argumenti, sed regnum Sophistica teneret. Hæc fraus Protestantibus maturè suboluit. Hæc facessat, & è nostris nemo erit, qui aversetur leges rectas disputandi. Quamvis nec Christus, nec Apostoli, nec vel Græci, vel Latini Patres adversarios veritatis pertinaces ad formam ullo unquam tempore adstrinxerint. Qui in schola versamur, scholasticam disputandi rationem nobis imponi, facilè patimur, approbantes illud illustris Scaligeri, Exerc.307.q.20. *Rationibus agendum est viro veritatis studioso, non Tullianis Platonicisque pigmentis. Declamationes enim ambitiosorum opera, otiosorum cibi sunt. Naturæ divinitatisque negotijs impedito animo studendum est ei brevitati, quæ res æquet verbis; Demonstrationes certas habeat, pro nectare.* Declarationes, quas nostris familiares esse, non nego, à disputatione nemo rectè excluserit, quas si tu concionum titulo traducas, & vitio deputes, nimiopere falleris. Revincunt te Patrum exempla. Vide disputationem, quæ cum Ario Nicææ habita dicitur, & Athanasio inscribitur, biduanâ Augustini disputationem contra Felicem Manichæum, triduanam ejusdem collationem cum Donatistis. Futilis declamatio à justa rei declaratione plurimum differt. Illam non tuemur; Istam nemo jure prohibet improbatvè. Jam nec obstamus, quominùs confundantur & increpentur pertinaces. Habet enim res suum usum, modò confusio sit rationabilis, quæ non fiat per cõvitia & maledicta, sed per justam reprehensionem, aut apertam victoriam. Quã legem justam & æquam si Jesuitæ à Becano acceptam deinceps servent, nemo nostrûm erit, qui contradicat. Quomodo hucusque servaverint, pleni testes sunt eorum libri, quippe conviciorum & maledictorum pleni.

XII. *Cum zelosis contrario modo, id est, modestè ac benevolè agendum esse*, decernit. Non abnuimus. Non tamen tam rationibus & argumentis obruendos, quàm Deo precibus commendandos judicat. Nec id improbamus. Sæpe enim plus valet devota oratio, quàm disputatio vehemens & acuta.

XIII. *Frigidos*, dicit, *propter suas prætensiones, à quibus ægrè abstrahantur, rarò ad frugem pervenire. Ideo cum illis seriò & severè agendum esse. Quod dupliciter fieri possit.* Primò *ostendendo prætensiones & excusationes ipsorum esse frivolas.* Secundò *identidem inculcando, ut saluti suæ consulant; neque propter humanos respectus, favores & secularia negocia, patiantur, se ab æterna & cœlesti gloria excludi, memores parabolæ* Luc.14.16 & seqq. Num.8. Iterum hoc totum approbamus. Ita est: Frigidi rarò convalescunt. Sunt excitandi, sunt urgẽdi acribus subjectis stimulis; Eripiendum illis, quicquid obtendunt. Demonstranda hujus seculi brevitas, rerum secularium levitas, vilitas. Veritatis dignitas, excellentia, utilitas. Comparanda ingentia pericula & damna, quibus se objiciunt, cum tenuibus gaudiis & commodis, quorum captandorum causâ tantam negligunt felicitatem. Inculcanda illis Domini sententia, *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Quæ utut dura, justissima tamen. Magnus enim immensæ felicitatis contemptus magnam pœnam meretur. Qui hîc nauseat cœli delicias, non immeritò æterna mulctatur fame.

XIV. In *dubios* desinit, qui sincerè quærunt veritatem. *Hos fraternè & ad cujusque captum accommodatè tractandos censet. Et quidem aliter doctos & ingeniosos, aliter rudes & idiotas tractandos.* Num.9. Nec hîc quicquam dissentimus. Christi exemplum habemus, quod Apostolos summâ fide imitatos esse, nulli dubitamus. Sic igitur agamus cum dubiis, sive teneantur errore, sive profiteantur veritatem. Dubitant enim non solùm, qui sunt in errore, sed & interdum, qui tenent veritatem. Illi informandi sunt in veritate & ab errore revocandi; isti fulciendi, discussâ dubitandi ratione.

XV. Exposito vario errantium statu, tandem declarat, *ea si omnibus prodesse, omnesque ad viam veritatis reducere cupiat, tamen se in posteriorum gratiam potissimum has controversias conscripsisse, quippe qui facilius convertantur ex duplici causâ.* Primò quia *cùm cupiant iuvari, libenter admittant instructionem.* Secundò quia *Deus propter rectam eorum intentionem paratus sit eis assistere. Duo siquidem in hoc negotio requiri, nempe prædicationem Evangelij, seu humanam instructionem, & gratiam Dei, sine qua instructio nihil prosit.* Num.10. Esto. Hoc consilio scripserit. De animo solus judicare potest, qui audit scrutator cordis. Quòd aliquos ab aliquibus erroribus revocare conatus sit, ultrò agnosco. Quòd in iis, quæ in universum omnes Protestantes verè Catholici, aut etiam inter eos reformati communi consensu tenent, ab errore ad veritatem ullos conetur reducere, non agnosco. Res aliud loquitur. A veritate cœlesti catholica ad errores Papisticos minimè catholicos studet traducere. Ubi successus non est gratiæ, sed justo Dei judicio deputandus. Prædicta est fraus injustitiæ, quæ exseret se in iis, qui pereunt, pro eo, quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Deus minatus est efficaciam deceptionis, ut credant mendacio, ut damnẽtur omnes, qui ñ credidêrũt veritati, sed acquieverunt in injustitia. Hîc inanis est spes gratiæ. Promissa est instructioni, nõ deceptioni. Qui ad veritatẽ scriptis Prophetarum & Apostolorum expressam errantes revocat, is sperare potest Dei gratiam; modò in Dei nomine suscipiat laborem. Si sua quærat, non ea, quæ sunt Christi, non habet, quod speret, ut maximè doceat veritatem. Nobis verè propositum, quod de se scribit Jesuita. Cupimus omnibus servire, imprimis infirmos in fide confirmare & stabilire, discendi cupidos instruere, sophismatum nexibus innodatos extricare, denique thrasonicas eorum voces comprimere, qui æternam Becano succlamant victoriam.

SECT.

Universidad de Deusto Biblioteca

SECTIO II.

SECUNDUM PRÆLUDIUM.

De causis, quæ multos impediunt, ne ad fidem Papisticam convertantur.

ARTICULUS I.

Prima causa à malitia prædicantium petita confutatur.

EX dictis quatuor causas colligit, quæ multorum conversionem impediant, quarum duæ ex adversariorum culpa, totidem ex Papistarum incuria ortum trahant. *Pertinaces*, dicit, *propter superbiam Deo inimicam, frigidos ob inanes excusationes, quas obtendant, sibi ipsis præcidere aditum, ut ad veram Christi Ecclesiam venire nequeant. E contrario si zelosi & dubij non veniant, socordiæ Papistarum tribuendum esse. Sæpe in utroque deficere. In* priori, *quia vel raro, vel languidè & cum tædio orent pro illorum conversione. In* posteriori, *quia ad instruendos dubios in fide, præsertim qui simplici corde veritatem quærunt, opus sit magnis talentis & quidem excellenti doctrina, ut rectè instituas, Spiritu mansuetudinis, longanimitatis, & patientiæ, ut ab opere non desistas, denique discretione & prudentia, ut ad captum cujusque nôris te accommodare.* Num. 1.

II. Ita est, in omni secta, non solùm in Papistica pertinaces tenet superbia, frigidos frivolæ excusationes, ne transeant ad veram Apostolicam, Catholicam Ecclesiam & cœlestem veritatem, quam nos in ea profitemur. Quâ parte Papistæ deficiant in traducendis sive zelosis & frigidis Anabaptistis, Socinianis, aliisque sectariis ab errore, sive nostratibus à veritate ad Papismum, ille optimè noverit. Nos defectus nostros nolumus negare. Non dubito, quin & aliquâ nostrâ culpâ nonnulli perseverent in suo errore, qui precibus ardentibus, qui prudentiâ solidâque institutione in veritatis castra erant transferendi. Nobis omnibus meritò est curæ, ut defectus corrigamus, ut tanto plures Christo lucrifaciamus.

III. Præter causas allegatas, dicit, esse alias plures, quarum tres velit insinuare. Primam ponit in *improbitate prædicantium, qui soleant odiosè ac mendaciter traducere doctrinam Catholicorum*, (Sic vir bonus solos Papistas vocat) *ut populum ab ea absterreant.* Secundam, in *subtractione calicis.* Tertiam, in *onere confessionis.* Num. 2. Verus est in eo, quòd sint aliæ plures.

Est

Est gravis idololatria, est impostura multiplex, est contemptus sacræ Scripturæ, est Dominatus Hildebrandinus, est sævitia horrenda, quæ exercetur contra confessores veritatis. Verus utcunque est in secunda & tertia causa. In prima falsus. Improbitas, quam prædicantibus, quo nomine ministros verbi traducit, impingit, est hominis inane commentum. Sic statuo, donec contrarium de Catholicis probetur. Non omnium suscipio defensionem. Si qui præter meritum doctrinam Papisticam suis ad populum sermonibus gravent, iis minimè patrocinor. Præstet quisque suum. Non licet cuiquam hîc mendaciis certare. Nemo gravandus cõvitiis. Nullius torquenda sententia. Impugnanda, qualis est, non qualis fingitur. Certè nulla nobis causa est mendaciter traducendi Papistarum doctrinam. Tot scatet erroribus, iisq; gravissimis, ut non sit, cur à nobis fingantur. Si proponatur, qualis est, verè pii eam ultrò fugient, Deo gratiam illis suam fœnerante.

IV. Vult nostros convincere, idque inde, quòd soleant hæc & similia clamare in cathedris, compitis, hospitiis. 1. *Papistas pluris facere traditiones hominũ, quàm verbum Dei.* 2. *Verbum Dei ab ipsis corrumpi & adulterari.* 3. *Eidem negligi; sola opera commendari.* 4. *Eos docere, peccatorem suis operibus mereri gratiam & remissionem peccatorum.* 5. *Non minùs sanctos quàm Christum ab eis coli.* 6. *Imò sanctos pro diis haberi & adorari.* 7. *Solenne apud ipsos esse, ut in festis sanctorum nulla suscipiatur cogitatio de Christo, sed eo tantisper excluso, soli Mariæ, vel Petro, vel Nicolao, cultus ac reverentia deferatur.* 8. *Cum moriendum est, ipsos non confidere in meritis & passione Christi, sed partim in suis operibus, partim in patrocinio sanctorum.* 9. *In consecratione uti magicis incantationibus. Sic impiè vocare verba illa Christi*, Hoc est corpus meum. 10. *Eos asserere, Pontificem dispensare posse contra vetus & novum Testamentum. Et alia eiusdem generis mendacia.* Num. 2.

V. Non convincit nostros. Jam pridem ab aliis hâc parte sunt defensi. Ea de causa strictissimè, ad singula ἐγκλήματα respondebo. Ad *primum*. Vel oris professio, vel factum spectatur. Si *illa*, nostri non agunt adversùs Papistas: Si *illud*, agere agnosco. Nec causam dico, quin mẽdacii condemnentur, si Papistæ non deprehendantur alicubi verbo Dei scripto traditiones hominum anteferre. Nomino cultum imaginum, invocationem sanctorum, indulgentias, cœlibatum sacerdotum, usum linguæ plebi ignotæ in sacris, communionem sub una specie, missas privatas, Papæ potestatem utramque. In his & similibus reipsâ pluris faciunt traditiones hominum, quàm Scripturæ. Ab illis habent; ab ista non habent. Quid? Scripturas, nisi ab Ecclesia accepto veritatis testimonio, nullam ex seipsis, aut suis auctoribus apud nos auctoritatem habere, docet Pighius lib. 1. Hierarch. Eccles. c. 2. Nec veritus est Hosius Cardinalis illud, nescio à quo dictum, tueri, *Scripturas valere quantum fabulæ Æsopi, si destituantur auctoritate Ecclesiæ.* Nota est vox Bailii Jesuitæ in catechis. tract. 1. q. 2. *Sine Ecclesiæ auctoritate, non plus fidei adhiberem Matthæo, quàm Tito Livio.* Auctoritas Ecclesiæ humana est, non divina. Ipsi Papistæ inter jus divinum

&

& Ecclesiasticum distinguunt.

VI. Audi Cassandrum. In consult. art. 15. scribit: *Non desiere, qui præposterâ æstimatione has traditiones præceptis divinis non modo æquare sed præferre sunt ausi, ita ut propter eas graviora legis præcepta, ut charitatis, & misericordiæ neglexerint, & earum quacunque de causâ transgressionem violatione divinorum mandatorum graviorem judicârint, quæ cerè traditiones hoc modo servatæ mandata hominum dici possunt, & in eos rectè torqueri, quod Christus inquit Pharisæis,* Fruſtrà me colunt docentes præcepta & mandata hominum. Exemplum si petis, do. Trãsgressio jejunii graviùs mulctatur, quàm violatio divinæ legis. Nam fornicanti imperatur pœnitentia decem dierum in pane & aqua: At nõ observanti jejunium, dictatur pœnitentia viginti dierum, imò quadraginta, si quis jejunium quatuor temporum violaverit. Habet Burchardus lib. 19. Decret. c. 5. fol. 192. 194.

VII. Ad *secundum*. Becanus in tract. de Eccles. Reform. concl. 12. num. 138. cõtendit, *Scripturam potissimùm quatuor modis corrumpi & depravari. 1. adiectione. 2. detractione. 3 mutatione. 4. falsâ interpretatione.* His omnibus modis Papistæ Scripturam corrumpunt. Vide editionem latinam vulgatam, quam solam authenticam esse, jactant. In ea occurrunt. Vis nominari? E multis pauca annotata sunt tom. 1. controv. 1. q. 6. num. 29. 31. 32. 34. 36. 37. Ibi vide sis. Multo plura notârunt nostrates. Pravæ interpretationis exempla lõgè plura Manuale passim exhibet, quàm vellemus.

VIII. Ad *tertium*. Fidem negligere dicitur, qui nec veram fidem inculcat, & remissiùs de fide agit, quàm par est. Id factũ in Papatu. Idem dicere voluerunt nostri, quod Erasmus dixit, qui alicubi conqueritur, idque fortassis non immeritò, *totam ferè religionem hactenus redactam fuisse ad ceremonias & vigorem Evangelicum propemodum per eas fuisse antiquatum.* Sunt verba Cassandri in consult. ad Imperatorem art. 15.

IX. Ad *quartum*. Num mendacium? Durandus 2. sent. dist. 12. q. 2. *Secundùm omnes doctores peccator carens gratia pœnitendo de congruo meretur gratiam iustificãtem. Congruum enim est, ut bene utentibus donis naturæ propter Deum det Deus bona gratiæ.* Bellarminus l. 5. de just. c. 22. *Potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentia impetrare & mereri ex congruo gratiam iustificationis.* Eadem mens Pererii disp. 16. in Rom. c. 3. Alii his consentiunt, aut dissentiunt. Si dissentiunt, damnent; si consentiunt, quid queritur Jesuita? Quicquid fiat de aliis, aut hi non fuerunt Papistæ, aut nostri non mentiuntur.

X. Ad *quintum*. Agit homo perinde, ac si vel Chemnicianum Concilii Tridentini examen, vel alios nostrates nunquam legisset, qui repressêrunt querelam. Adhuc vide Papatum. Nonne Sancti invocantur, ut mediatores; Sæpe etiam, ut datores bonorum? Nonne illorum meritis nituntur? Nonne coram eorum imaginibus procumbunt? Qui psalterium Mariæ vidit, vix dubitabit, Papistas non minùs Mariam colere, quàm ipsum Christum. Qui vidit Papatum & in eo mortuus est, Cassander in consult. art. 21. scribit; *Alter error est, quòd homines etiam non nisi certos sibi sanctos, tanquam patronos & tutores delegerunt, in eorum meritis atque intercessione plus quàm in Christi merito fiduciam posuerunt, atque adeò unico illo advocationis Christi officio obscurato, sanctos atque inprimis Virginem Mariam in illius locum substituerunt: Imò non defuerunt, viri etiam celebres, qui assererent, id quod Esther Assuerus promisit petenti, dimidium regni daturum, in Mariæ complexum esse, in quam Deus regni sui, quod iudicio & misericordiâ constat, dimidium, hoc est, misericordiam transtulerit, alterâ regni parte sibi retentâ.* Hinc illi tituli passim Virgini tributi, *Regina cœli, Regina & mater misericordiæ, vita, spes nostra, lux Ecclesiæ, advocata & mediatrix.* Num adhuc nostrates mentiuntur?

XI. Ad *sextum*. Lipsius in Virgine Aspricolli cap. 30. Virginem Mariam vocat Deam. Vocat Antoninus par. 4. tit. 15. c. 14. Vocat Leo X. in Epistola ad Recanatenses, quæ est apud Bembum lib. 8. Epist. decima septima. Etsi verò nemo unquam Deam vocâsset, an non Deam factam agnoscunt, qui juxta Psalterium Marianum eam orant? Qui cultum invocationis soli Deo debitum ad sanctos transferunt, quâ fronte negent, se sanctos pro diis habere & adorare? An non religiosè invocat & adorat Mariam, qui Psalmos Davidicos ad Mariam dirigit, pro Domino Dominam ubique substituens?

XII. Ad *septimum*. Dubito, an homo nominare possit ministros nostrates, qui in cathedris, compitis & hospitiis clamaverint. Si qui clamaverunt, præstent ipsi. Nec nos tenemur, nec nostra Ecclesia. Interim si praxin vulgarem inspicias, videntur Papistæ in sanctorum festis minùs de Christo cogitare, quàm de sanctis. Cur enim tam operosè sanctos colunt atque invocant, si memoriâ tenent Christi officium & beneficia? Quid opus est sanctorum cultu? An unus Christus non sufficit? Cassander fatetur peccatum, dum scribit; *Hæc falsa & perniciosa opinio, quantum in vulgus invaluerit, nimis compertum est; existimârunt enim homines improbi & in sceleribus suis perdurantes, solâ Sanctorum (quos sibi patronos delegerunt, & frigidis ne dicam profanis ceremoniis coluerunt) intercessione & patrocinio veniam sibi & gratiam apud Deum esse paratam; quæ pernicioſa opinio, quantum etiam fieri potuit, commentis miraculorum confirmatur.* Certè Papistæ non suscipiunt cogitationem de Christo, quam debent. Hoc est nullam suscipere. Si reluctêris, malè Prophetæ arguerint populum, quòd Jehovæ Dei sui obliviscatur. Quæ enim exceptio Papistis parata, eadem erat populo. Nomen Jehovæ in ore ferebant, invocabant; Sacrificia etiam offerebant; Prophetæ nihilominùs accusant oblivionis. Quis dicat, injustè accusâsse? Si justè: Ergo oblivisci dicitur, qui mẽtionem Jehovæ facit non fideliter, neq; justè, Jes. 48. 5.

XIII. Ad *octavum*. An non confidunt in patrocinio Sanctorum? annon in suis meritis? Num renunciant suis meritis? Hoc qui faciunt, Papismo magna ex parte renunciant. Scimus, non deesse inter Papistas, qui suadeant, solius Dei gratia niti debere homines, non suis meritis. Extant elegantes formulæ, quæ morientibus proponi solebant. Qui illas formulas dictant, qui proponunt, qui se-

quuntur, eos laudamus magnopere. Non accusamus. qui negligunt, qui rejiciunt, qui suis meritis nituntur, eos culpamus, nec intelligimus, quomodo nitantur meritis Christi. Quantum enim suis tribuunt, tantum Christi meritis derogant. Non placent, qui propriis & alienis meritis nituntur. Christi meritis qui solidè confidit, non indiget propriis; tantum abest, ut iis juste confidat. Ut solum Christi meritum sufficit, sic in eo solo fiducia collocanda. In alio qui collocat, in illo non rectè collocat.

XIV. Ad *nonum*. Vide mihi Jesuitam. Accusare nō potest alios calumniæ, quin ipse calumniam struat. Ubi nostrates magicas incantationes vocant illa verba Christi, *Hoc est corpus meum*? Nominentur viri & libri. Si non possunt, Becanus calumniæ damnâs esto. Cæterùm non negamus, quòd nostri Papistas aliquando accusent magicarum incantationum; nō quòd apertam & simpliciter diabolicam magiam eis tribuant, sed quòd tribuant occultam & diabolicam mixtam, quam ipsi solent à priori distinctam describere, quòd media aliqua sive verba, sive actiones per modum signorum & ceremoniarum, sive res permanētes adhibeat ad effectum aliquem producendum, quæ neque sint causæ naturales, neque instrumenta Dei, quia Deus non promiserit se tale facturum per illa. Hac positâ definitione, non possunt Papistæ se tueri à magica incantatione. Contendunt, sacerdotem pronunciatione verborum, *Hoc enim est corpus meum*; conficere corpus & sanguinem Christi. Quæ conversio secundùm Bielem lect. 4. in can. Miss. tria dicit, scilicet *substantiæ panis & vini desitionem*; *Accidentium dictarum substantiarum conservationem: & corporis & sanguinis Christi sub conservatis speciebus & accidentibus præsentialem inceptionem.*

XV. Jam dicitur aliquid ab alio fieri tripliciter, nempe vel naturali potestate, vel meritoria operatione, vel assistente virtute. Qui tertius modus sic à Biele describitur: *Tertio modo aliquid dicitur ab alio fieri aliquâ occultâ virtute, non insistente ei à quo fieri dicitur, sed assistente, secundùm quem modum malefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur, & extrahere lac vaccarum de sedibus vel mammbriis securium; quod fit non aliquâ naturali virtute maleficorum, neque ex eorum merito, sed virtute occultâ sive bonâ, sive malâ assistente.* Priores duos modos à sacerdote removet. Tertium tribuit. Hîc probent Papistæ bonam virtutem assistentem, quæ sit trium illorum effectuum causa. *Hæc virtus*, inquit Biel, *est virtus creatoris, ipsa dicitur Dei voluntas. Determinavit enim Deus se ad efficiendum prædicta omnia, cùm sacerdos intentione debitâ proferat verba super materiam debitam ad hunc effectum à se Domino instituta.* Hîc Papistæ figant pedem. Hanc voluntatem Dei monstrent. Ubi Deus se determinavit ad efficiendum, ut substantia panis & vini esse desinat, accidentia panis & vini conserventur, & corpus ac sanguis sub accidentibus secundùm indistantiam loci existere incipiat, cùm sacerdos illa verba pronunciat? Si demonstrent, nos agnoscemus calumniā; Sin minùs, quid tergiversantur?

XVI. Ad *decimum*. Etiam illud inter mendacia referendum? Atqui verbis & factis

factis probatur. Verba jam sunt tum pridem in catalogo testium veritatis, tum nuper ab aliis alibi annotata. Ego paucissima inde repeto. Petrus Ancharanus cō-sil. 373. ex professo disputat, quòd *Papa ex causa possit contra ius divinum sive prohibitionem novi & vet. Testamenti dispensare.* Verba sunt; *Pro huius quæstionis (an filius fratris possit patrui viduam ducere) declaratione, circa latissimam Papæ potestatem credo affirmativam, videlicet quod ex causa potest contra ius divinum sive prohibitionem novi ac veteris Test. dispensare.* Item infrà: *Quòd igitur potest Papa supra ius naturale disponere per generalem constitutionem, hoc similiter videtur posse per suam dispensationem jus divinum modificare & mutare, sicut & Christus plura Dei Patris præcepta mutavit in novo Testamento.* Idem repetit Purpuratus consil. 314. num. 7. & seqq. Similiter Abbas in C. *Non est.* De voto. statuit, *Papam posse cum causa in iure divino dispensare.* Idem notat Felinus in c. Ecclesiarum De constitut. num. 19. Decius Cōsil. 122. post alios Ferdinandus Loazes in tract. de matrim. 2 dub. arg. 2. pro parte affirmativa. Dicit & hanc opinionem *communem* Hieronymus Gratus, Consil. 11 in 2. vol. num. 31. apud Covarruviam secundæ par. c. 6. tom. 1. fol 83.

XVII. Latissimè deducit Sigismundus Lofredus consil. 50. et quidem n. 49. sic concludit: *Ex quib⁹ videmus, quòd ad bonū patriæ regniq; aut provinciæ licitū est Papæ cōtra legē divinam subnixè dispensare.* Nū. 53. refert, quòd Abbas in C. Proposuit. De cōcess. præbend. dicat, quòd *Papa possit dispensare contra Apostolum, citra tamen læsionem fidei.* Num. 54. ex Ancharano tradit, quòd *Papa possit contra legem divinam dispensare, ubi non nutritur peccatum mortale evidenter, & ubi non est ei prohibitum dispensare.* Num. 56. ex Innocentio in c. *post translationem*, producit, quòd *Papa dispenset contra quatuor concilia, de quibus 15. Dist. c. 1 & sequenti contra Apostolum & contra verba Evangelij, licet non contra mentem.* Num. 71. ex Thoma in 2. 2. q. 88. art. 10. laudat illud. *Papa dispensando facit, ut id, quod cadebat sub præcepto, non cadat sub eo, & quod in illo casu erat lex, non sit lex, nec sub ea includatur.* Nec solus Lofredus hæc disputat, sed allegationes ejus viderunt & approbārunt suâ manu Jureconsulti complures, nominatim Johannes Sunnier, Cæsareus Vice Cancellarius, Hieronymus de Colle, Cicecus Lofredus, Hieronymus de Fran. Johannes Martialis, Antonius Capice, Nicolaus Majorana, Johannes Thomas de Minodois, Bernhardinus Calcota, Bernhardus Sanctus, Thomas Grammaticus, omnes Regii Consiliarii, Nicolaus Mariconda, Franciscus Brancia, Galeatius de S. Severino, Marius Saxus, Gentilis Albertinus J. DD. & Advocati. Unū Marianum Socinum addo, de cujus consiliis lego in titulo, *Hæc consilia Delphica responsa appellari possunt.* In inscriptione speciali primi voluminis sic; *Responsa non Delphica, sed cœlestia.* Ille Vol. 1 consil. 13. num. 12. *Auctoritas*, inquit, *prædicta potest non solum dispensare contra legem canonicam, sed etiam* circa *dispositionem V. & N. Testamenti, & præcepta moralia & affirmativa, qualia sunt de sanctificatione Sabbathi C licet, de feriis.* Pro voce *circa*, alii legunt *contra* quē sensum esse, patet à toto contextu, & sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet gloſſa marginalis, editionem Franciſco Pepio, JCto primario Florentino, procurante, *Papa dispenſat etiam contra diſpoſitionem novi & veteris Teſtamenti.*

XVIII. Ne mihi dicas, alios contradicere. Scio. Covarruvias, Epiſcopus Segobienſis, contradicit, contradicunt alii. Sed alii illos apertè confutant. Utra ſententia Pontifici placeat, patet à luce factorum. Non nunc dicam, quòd contra vetus & novum Teſtamentum ſibi permittat mutationem dogmatum. Dispenſationis unum aut alterum exemplum addo. Antoninus, Archiepiſcopus Florentinus, teſtis eſt, quòd Martinus V. dispenſaverit, ut frater in uxorem duceret germanam ſuam. Ancharanus l. l. memorat, Romanam curiam dispensâſſe, ut filius fratris duceret patrui ſui viduam. Fuit Rex Angliæ. Emanuel Sà in Aphor. Voc. fœmin. ſcribit, *fœminam poſſe ex licentia Papæ publicè docere.* Non poteſt ex ſententia Apoſtoli.

XIX. Ita nondum patet, noſtros mentiendo impedire progreſſum Papatus. Non ſuscipio defenſionem omnium, quæ à quovis fortaſſe dicta ſunt in Papiſtas. Nec opus eſt fingere, quibus graventur. Sat multis falſis, abſurdis & impiis dogmatibus ſcatet Papatus, quæ candidè, modeſtè & citra acerbitatem propoſita, pios & cordatos ab eo deterrere poſſunt. Argumenta, quibus oppugnamus Papatum, Scriptura nobis ſuppeditat, non eſt cur à pravo affectu petamus. Narratiuncula de Barone ex Lutherano Papiſta facto fides penes auctorem eſto. Eſto vera. Apoſtata narraverit, qui eſt oſor ſui ordinis. Quantum fidei habeatur illi tutò, qui fidem Deo datam turpi defectione violavit? Probandum eſt, audiviſſe. Nudè affirmanti fides non habetur. Miſer eo deceptus eſt, quòd credidit Jeſuitis ſtrenuè negantibus, quæ à Papiſtis palàm ſunt aſſerta.

XX. Nos optimo jure poſſemus retorquere Becani crimination̄em. Revera enim Jeſuitarum aliorumque Stentorum Papiſticorum improbitas multos impedit, ne ad fidem veram convertātur. Traducunt enim tum doctrinam noſtram verè Catholicam, tum doctores odiosè ac mendaciter. Clamant, 1. *Nos ubique eorrumpere & depravare Scripturam, idque adiectione, detractione, mutatione, falſa interpretatione.* 2. *Quicquid Papiſtæ nunc docent de purgatorio, de invocatione Sanctorum, de ſacrificio Miſſæ, de tranſubſtantiatione, de libero arbitrio, de merito bonorum operum, de traditionibus, hoc antiquos Patres docuiſſe*; Et viciſſim, *quicquid Lutherani & Calviniſtæ nunc de iisdem aut ſimilibus articulis tenent, antiquos Patres deteſtatos eſſe.* 3. *Nos Deum facere auctorem peccati.* 4. *Nos prædicare inanem ab omni pietate fiduciam.* 5 Secundùm noſtros, *opera bona eſſe libera, non neceſſaria, imò perniciosa.* 6. Secundùm nos, *Eccleſiam ante Lutherum totam periiſſe.* 7. *Noſtram Eccleſiam in Luthero cœpiſſe.* 8. *Sanctos omni honore à nobis privari & convitiis proſcindi.* 9. Nos *carnem & ſanguinem Chriſti tollere è ſacramento.* 10. *Doctrinam noſtram ex veteribus hæreticis conflatam eſſe.* 11. Noſtros *hominem omni libero arbitrio exutum in beluarum ſortem traducere conari.* 12. Ex noſtra ſententia, *ſolo illo fidei actu, quo ſtatuimus, peccata nobis eſſe remiſſa, nos juſtificari.* 13. Secundùm nos, *juſtificatos eſſe ſimiles fatuis virginibus, quæ non habent oleum juſtitiæ in lampadibus ſuis, ac ſimiles hœdis fœtentibus, qui ovium numero à paſtore cenſentur, ſimilesque lupis, qui veniunt in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces.* 14. *Nos eſſe hoſtes ieiuniorum.* 15. *Quosdam Lutheranos à Luthero de abſoluta omnium rerum neceſſitate perſuaſos, orationem, tanquā rem inutilem, penitùs rejicere.* 16. *Unum ex neceſſarijs Epiſcopi requiſitis eſſe, habere uxorem.* 17. *Vota in novo Teſtamento ſimpliciter eſſe prohibita.* 18. Nos *obedientiam Principibus ſecularibus & Imperatoribus derogare.* 19. Nos omnes *auſos eſſe ab Evangeliſtis deſcriptam Euchariſtiæ deſcriptionem repudiare, & ſupponere quidvis aliud.* 20. *De Chriſto & Maria impiè loqui.* 21. Lutheranos ſtatuere, *quòd tum verè ac plenè utantur libertate Chriſtiana, ſi carnem nunquam affligant, ſi nunquam jejunent, ſi ſeſe ſupra modum & ſupra naturæ vires omnis generis cibis infarciant, & ventrem distendant.* 22. *Caſtitatem apud nos probro eſſe.* 23. *Libidines ſtabiliri.* 24 *Malas artes dominari.* 25. *Inter Lutheri Theologiam & Epicuri Philoſophiam miram eſſe harmoniam, ac eam quidem analogiam, ut Epicureiſmus haud videatur eſſe aliud, quàm imperfectus Lutheraniſmus; Lutheraniſmus verò haud aliud, quam perfectus Epicureiſmus.*

XIX. De miniſtris verbi clamant, quòd *multi ſint, qui ſint ſolliciti, non, quomodo placeant Deo, ſed quomodo placeant uxoribus*: quòd *præcipuam felicitatem ponant in uxoribus*; quòd Lutherus fateatur, *ſe contemnere doctrinam antiquorum Patrū*: quòd *duo præcipui Eccleſiæ reformatæ miniſtri Lutherus & Calvinus fuerint infames*: quòd *ſeipſos intruſerint non legitimè miſſi*: quòd *magnam cum damone habuerint cōmunionem*: quòd *omnia illis conveniant, quæ de falſis Prophetis ſcripta ſunt*: quòd *fictis miraculis putēt, ſe doctrinam ſuam confirmare poſſe*: quòd *fictis viſionibus & revelationibus ſe tueantur*: quòd *utantur æquivocationibus ad ſectam ſuam ſtabiliendam*: quòd *ut plurimum fraudibus & impoſturis rem gerant.* Deniq;, ut alia multa præteream, quòd *Lutherus ex incubo progenitus, deſperatione & furijs dæmonis actus ſibi laqueo iniecto necem intulerit.* His clamoribus multos impediri, ne convertantur ad veritatem cœleſtem, quis dubitet? Præſertim cùm laicis nec noſtros libros, nec Scripturam ſacram legere liceat, unde cognoſcere poterant doctrinæ noſtræ veritatem.

ARTICULUS II.

Altera cauſa expenditur, qua Becanus dicit, multos à converſione ad papiſmum impediri.

I. ALteram cauſam, quæ multos à converſione ad papiſmum impediat, dicit, *fumi ex calicii ſubtractione.* Multos *enim Lutheranos & Huſſitas aſſerere, non aliam ob cauſam abhorrere à Papiſtarum fide & religione, quàm quod*

Universidad de Deusto
Biblioteca

laicos excludant à communione sub utraque specie. Reliqua, quæ apud ipsos fiant, tolerari posse; hoc unum non posse; Extra hoc Catholicos (Papistas) *se esse. In hoc à Catholicis* (Papistis) *dissentire*, Num. 4. De Hussitis, qui cùm bello fuissent invicti, arte Concilii Basileēsis victi & à puritate verbi Dei, quod Hussus docuerat, ad servandos omnes Papistarum ritus & ceremonias inducti sunt, facilè concesserim. Illi viderint; nihil ad nos. Thaboritas & unionem fratrum, quos invidiosè Waldenses & Piccardos vocant, longè aliter sentire, testis est Bohemica confessio. Quos Lutheranos homo notat, ipse noverit. Certi namque sumus, nullos sinceros Lutheranos asserere. Nunquam ἀρτολατρείαν, nunquam sacrificationem corporis & sanguinis, nunquam transsubstantiationem sub credendi necessitate propositam approbabunt. Apostasiam molientium vox est, quam Becanus memorat, non τῶν γνησίων Lutheranorum. Nec verosimile, ullum audivisse, qui diceret, *extra hoc se esse Papistam. In hoc tantùm dissentire.* Totum igitur, quod ad animum lectoris præoccupandum, hac de re alieno loco declamitat, poteramus securè negligere. Ne tamen videamur ante pugnam fugere, breviter excutiemus declamationem.

II. Dicit igitur, *istorum Lutheranorum & Hussitarum persuasionem plausibilis quidem, sed falsò nitis fundamento*; idque conatur demonstrare. Ratiocinationem hanc illis tribuit: *Christus in ultima cœna, cùm sciret, se morti proximum esse, condidit solenne testamentum, quo omnibus fidelibus, tunquam filiis Dei adoptionis, legavit suam carnem & sanguinem sub specie panis & vini per modum hæreditatis*, Luc. 22. *Jam verò Catholici privant laicos altera parte huius hæreditatis, quia suffurantur illis sanguinem, & iubent solâ carne contentos esse. Et sic faciunt magnam iniuriam non modo laicis, quos privant, sed etiam Christo, cuius violant testamentum.* Quorum illa sit argumentatio, noverit Jesuita. Lutherani, quod sciam, non disputant hac de re contra Catholicos, sed contra Papistas. Nec accusant eos, quòd suffurentur laicis sanguinem Christi, sed quòd calicem denegent. Sanguinem suffurari non possunt fidelibus, ut maximè vellent. Non est in eorum manu. Nec unquam fuit disputatio de sanguine: de poculo fuit, cujus privationem Lutherani & Hussitæ hoc argumento redarguunt: Nulla pars testamēti morte Christi Testatoris cōfirmata, sine sacrilegio, abrogari potest. Usurpatio calicis est Testamēti morte Christi cōfirmati certa & definita pars, quia Christus eodem tempore, iisdem verbis, ac pari omnino oratione usurpationem panis & vini Eucharistici instituit. Ergo sine sacrilegio abrogari nequit. Ita D. Gerhardus, cui omnes, credo, Lutherani lubentes adstipulantur.

III. Vult ostendere falsum argumentationis fundamentum. Audiamus. Dicit, *nomen* Testamenti *propriè sumi duobus modis in Scriptura.* Primò *pro quovis fœdere, pacto, vel promissione*, Ps. 88, 29. 105, 43. Ps. 131, 12. Secundò *pro fœdere, pacto, vel promissione testamentaria, seu ultima Testatoris dispositione, ut* Hebr. 9, 16. *Quo sensu distinguatur duplex Testamentum solenne*, vetus *cum Hebræis*, & novum *cum Christianis.* Addit, *in utroque spectari posse hæc quinque*, 1. *Promissionem ex parte Dei.* 2. *Hæreditatem*

tatem à Deo promissam. 3. *Conditionem, sub qua promittatur.* 4. *Id, quo roboretur & sanciatur promissio.* 5. *Instrumentum authenticum, in quo scribatur & consignetur. Et quidem in veteri Testamento Deum promisisse Hebræis terram Chanaan, per modum hæreditatis, sub conditione, si servarent legem Mosis, quam cùm nemo præter Josuam & Calcb servaverit, nemo præter eosdem sit terram ingressus; Consignatam esse conditionem in libris Mosaicis & sancitam sanguine vitulorum*, Ps. 104. (105.) 11. Lev. 20, 24. Exod. 23, 22. Num. 14, 22 32, 10. Exod. 24, 4. *In novo promisisse Deum Christianis vitam æternam, per modum hæreditatis*, Tit. 3, 7. Heb. 9, 19. *sub conditione, si credant in Christum & mandata eius observent*, Joh. 3, 16. Matth. 19, 17. *qua in Evangelio consignata sit & Christi sanguine sancita*, Matth. 26, 28. Num. 5. 6. 7. 8.

IV. Nondum sic ostenditur falsum argumentationis Luthericæ fundamentum. Ita est, vox *Testamenti* duobus modis capitur. Nec contendo de locis citatis. Imò in una Epistola ad Hebræos utramque significationem nostrates notant. Illud quoque controversia caret, quòd duplex describatur fœdus, seu Testamētum, vetus & novum, quorum illud cum Hebræis, hoc cum Christianis initum. De reliquis pauca noto. *Primò.* In veteri fœdere terra Cananæa, vel tota & unica hæreditas, vel pars hæreditatis dicitur. Si tota & unica unde probas? Si pars, bene est. Promisit sanè Deus Hebræis terram Cananæam: Non eam solùm, sed & vitam æternam promisit. Illam, ut typum æternæ vitæ; hanc, ut illius antitypum. Promissionem Deus apertè edidit sub conditione implendæ legis, tectè verò sub conditione resipiscentiæ ac fidei in Messiam ceremoniarum umbris præsignificatum.

V. *Secundò.* Illam apertam conditionem nemo eorum, qui ex Ægypto egressi sunt, implevit. Nemo enim inter omnes fuit, qui non peccaret. Peccatum est legis transgressio. Ubi transgressio, ibi non est impletio. Josua & Caleb terram promissam ingressi sunt, quòd à legatione reduces facti benè de terra judicarent, judicioque suo populi animos adversùs sinistros comitum sermones confirmarent, non sunt ingressi, quòd totam legem servassent. Nisi novas Scripturas Jesuitæ invenerint, in quibus legant. In veteribus, quas cùm ipsis communes habemus, nihil ejusmodi legemus. Quòd enim illis promittitur ingressus hoc nomine, quòd plenè sint secuti Jehovam, id factum secundo anno post exitum, nec ad absolutam totius legis observationem, sed ad particulares actus pertinet, quòd scilicet prompto animo non tantùm alios sint hortati, sed constanter & infracto animo perrexerint, nec retenti fuerint ullis obstaculis. Totus cœtus murmurabat contra Jehovam vocibus exploratorum perturbatus. Ex omnibus Josua & Caleb soli resistebant. Sæpè murmuraverat populus. Ideo debebant omnes viginti annis majores occumbere in deserto. Nemo ex omnibus terram ingredi. Si ad totius legis observationem pertinuisset, ne quidem filii ingredi debuissent. Non enim magis quam patres servabant fœdus. Illos enim & nominatim filios Gad & Ruben arguit Moses, tanquam paternæ malitiæ hære-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæredes. Num.32,6 7.8.9.14. Imò nec Josua & Caleb ingredi debuissent. An enim quadraginta annorum spacio non peccârunt? *Tertiò* Matth.19,17. Christus non fert conditionem evangelicam, sed legalem. Quia adolescens ex lege sperabat salutem, ad perfectam illius impletionem eum remittit.

VI. Ille *ex dictis apparere*, scribit, *vetus Testamentum in multis differre à novo*. Primò *quia in veteri promissa fuerit terra Cananæa per modum hæreditatis; In novo, æterna vita. Ex Augustino in* Psal.73. Secundò *in veteri facta sit promissio Hebræis, qui erant servi; In novo Christianis, qui sint filij*, Gal. 4,22. Tertiò *in veteri facta sub hac conditione, si servarent legem Mosaicam, quæ erat servatu difficilima; & ideo ab Apostolo vocetur iugum importabile*, Act.15. *In novo sub hac conditione, si servent legem evangelicam, quæ servatu facilima*, Matth.11,30. 1. Joh.5,3. Quartò *vetus sanctum sit sanguine hircorum & vitulorum; Novum sanguine filij Dei.* Denique *vetus consignatum sit in libris Mosis & Prophetarum; Novum in libris Apostolorum & Evangelistarum.* Num.9.

VII. Si quidem per fœdus vetus intelligatur particulare illud fœdus corporalis gratiæ, non abnuo discrimina recensita. Verùm fingere, Hebræos non aliud fœdus cum Deo iniisse, nimis alienum. An porcorum instar saginati sunt meris temporalibus promissionibus? An non spiritualis gratiæ promissionem acceperunt? an non æternæ vitæ? Hæc promissio fuit primaria, prior accessoria. Fœdus quippe gratiæ, quoad substantiam, semper unum idemque fuit; diversum, id est, vetus & novum, quoad administrationem; *Vetus* dictum respectu veteris, *novum* respectu novi populi. Unus utrobique Deus: Una causa προηγουμένη, Dei misericordia, utriusque; Unum fundamentum, unus mediator Christus, per quem omnes Deo uniuntur, quicunque uniuntur, Eph.4.5. 6. Hebr.13,8 Apoc.13,8. Una promissio primaria, Romanor.11,12. Testis Petrus, *Credimus*, inquiens, *per gratiam Domini Iesu Christi, nos servatum iri, sicut & illi*, Act.15,11. 1. Pet.1,10. confer Act.10,43. 26,22. Utrobique fœderati sunt regeniti & justificati per unum Christum, extra quem non est salus, Act.4,12. In Christo omnes vivificamur, 1. Cor.15,22. Ille etiam pro peccatis, quæ fuerant sub priori Testamento mortuus est, Hebr.9.ℵ.15. *Nam absque effusione sanguinis non fit remissio*, ib.22. Unus utrobique Spiritus, qui & veteribus fuit & nobis est arrhabo hæreditatis, Eph.1,14. Inde una fides veteris & novi populi, una Ecclesia, unum corpus, una communio sanctorum, Eph.4. 4.5.

VIII. Interim inter fœdus gratiæ vetus & novum varia sunt discrimina, & facilè conceduntur ea ipsa quatuor, quæ Jesuita proponit, modò rectè intelligantur. Vetus enim unum ferè populum ordinariè & apertè spectabat: Novum omnes populos spectat. In veteri apertè ferebatur conditio implendæ legis; tectè conditio resipiscentiæ & fidei in Messiam, ad quem sub legis involucris pædagogicâ severitate ducebat. In novo apertè fit stipulatio resipiscentiæ ac fidei. Ubique illa vox sonat, *Resipiscite ac credite Evangelio*, Marc.1,15. Luc.24,46. Act.2,38.19. 4.26.

18. Ibi erat jugum importabile: Hîc jugum leve & onus suave. Ibi sanguis hircorum & vitulorum: hîc Christi. Ibi umbra erat futurorum bonorum: hîc est viva imago rerum præstitarum, Hebr.10,1. Nam ibi Christus exhibendus adumbratur: hîc exhibitus prædicatur. *Tempora variata sunt, non fides: quia & ipsa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur. Alium sonum habet*, venturus est, *alium sonum habet*, venit. *Mutatus est sonus*, venturus est, *&*, venit: *Eadem tamen fides utrosque coniungit, & eos qui venturum esse: & eos, qui eum venisse, crediderunt: diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum fidei ostium, hoc est, per Christum videmus ingressos. Nos credimus, Dominum Iesum Christum natum ex virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cœlum adscendisse; totum hoc, sicut verba audistis, præteriti temporis, impletum iam esse credimus. In eius sunt fidei societate nobiscum & illi Patres, qui crediderunt de virgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlum adscensurum*, inquit Augustinus tract.45. in Joh. Deniq; ibi ordinariè circumcisio & agnus paschalis erant signacula: hîc baptismus & S. Eucharistia. De quibus illud Augustini rectè tenetur; *Sacramenta illa fuerunt in signis diversa, sed in re, quæ significatur, paria sunt.* Tract.26. in Joh.

IX. Jesuita ulteriùs infert, *vetus novo esse imperfectius, quòd vetus differat à novo, sicut terra Cananæa à vita æterna: Sicut sanguis hircorum & vitulorum à sanguine Christi, ex dictis, sicut umbra imaginis ab ipsa imagine*, Hebr.10,1. *Sicut externa littera ab interno Spiritu & mors à vita*, 2. Corinth.3,6. *Sicut servitus à libertate, ancilla à Domina, Agar à Sara*, Gal.4,22. *Sicut timor ab amore*, Rom.8,11. *Sicut mysterium occultum à patefacto, Aug.lib.16.de civ.D. c.26. Denique sicut inchoatum à perfecto, semen ab arbore, spica à frumento, D.Thom. in 1.2.q.107.art.3.* Num.10. Cui bono hoc totum proponitur? Num Lutherani erât docendi, vetus testamentum novo esse imperfectius? Si demas primam & secundam rationem, aut saltem rectè interpreteris, nihil eorum abnuunt. Nos certè nihil abnuimus. Vetus fœdus non habuit, ut dixi, nudam terræ promissionem. Per promissiones corporales ad spirituales ducebat: novum, inversâ methodo, spirituales primò offert, illisque velut auctarium corporales adjicit, Matth.6,33. Inde veteres non hæserunt in bonis temporalibus; Habuerunt promissionem remissionis peccatorum, Act.10,43. Gal.3,8.9. Illam amplexi cum Davide, ad æternam beatitudinem anhelârunt cum Abrahamo, Hebr.11,9.10. Quomodo anhelarent, si non fuit promissa? Pharisæis æternæ vitæ promissionē cognitam fuisse, patet à verbis Christi, Joh.5,39. Nũ illis cognita, veteribus non cognita fuisset? Quòd vetus Testamentum non habuerit sanguinem Christi actu exstantem, apertum est. Quòd nulla in eo communio fuerit sanguinis Christi, non constat? Imò constat, quòd fuerit. Alioqui actum esset de omnium salute. Qui enim non edit carnem Christi, & non bibit sanguinem ejus, non habet vitam, Joh.6,53. Aut igitur fide perceperunt sanguinem Christi, aut omnes perierunt. Quis hoc dicere non perhorrescat? Illud igitur verum. Cæterùm quoad circumstantias, exterio-

rem administrationem, & œconomiam legalem, vetus testamentum fuit umbratile, obscurum, servile, plenum timoris, & quoad lucem cognitionis inchoatum. Hoc verò totum quid ad rem? Quid tandem hinc concludet?

X. Concludit, *falsum esse fundamentum, quo nitantur Lutherani & Hussitæ, cùm asserunt, Christum in novo Testamento reliquisse nobis suam carnem sub specie panis, & sanguinem suum sub specie vini, per modum hæreditatis, ideoque Catholicos, qui una specie jubent laicos contentos esse, fraudare illos altera parte hæreditatis sibi debita & testamenti Christi violatores esse.* Negat, ita esse. Fatetur quidem, *Christum reliquisse nobis carnem & sanguinem per modum cibi & potus, quia expresse affirmat ipse in Evangelio,* Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: comedite, bibite. Sed negat, *reliquisse nobis per modum hæreditatis testamentariæ.* Num. 11.

XI. Noverit Becanus, noverint Jesuitæ, qui sive Hussitæ sive Lutherani, & ubi hoc nitantur fundamento. Cum illis transigant; per nos licet. Chemnicius, felix ille Tridentinorum decretorum expugnator, argumentum petit à jure testamentorum, quibus nihil derogare, nihil supperaddere liceat. Totam cœnam vocat proprium novi Testamenti sacramentum, calicem autem Christi novum Testamẽtum, quòd Christus in illo testamento, quod sui sanguinis effusione obsignavit, non terrena, sed cœlestia & æterna bona legaverit. Concludit, cùm hujus testamenti calicem Christus in S. cœna dispensandum & bibendum omnibus instituerit, horrendam esse audaciam, usum testamentarii hujus calicis majori parti Ecclesiæ eripere ac prohibere. NON vocat corpus & sanguinem hæreditatem. Si qui sic tamen vocârunt, illi se tuebuntur auctoritate Jesuitarum Coryphæi, cui Becanus se plurimum debere, non negabit. Bellarminum nomino, qui lib. 4. de sacr. Euchar. c. 27. ad rationem à testamento petitam sic respondet; *Hæreditas nobis relicta non est panis & vinum, sed corpus & sanguis Domini, quæ duo dantur tam sub una quàm sub duplici specie; hoc solùm interest, quòd qui bibunt ex calice, accipiunt hæreditatem in duabus tabulis: qui non bibunt, accipiunt illud idem in una tabula. Sed hæc differentia nullius momenti est, quod attinet ad participandam hæreditatem.* His paucis verbis corpus & sanguinem Christi ter vocat hæreditatem. Is Jesuita, is Cardinalis fuit, & quidem non Julii simia, sed de Romana sede & universa Papistica Ecclesia optimè meritus.

XII. Becanus sex argumentis contrà nititur. Non est, ut Lutherani eorum solutione fatigentur. Habet Italia, habet Gallia, habet Germania Bellarmini discipulos, fautores, admiratores Jesuitas. Illi non deserent Magistrum primi nominis. In illius amorem facilè diluent, quicquid hic noster tricatur. Nisi charius illis cœperit esse nomen Becani, quàm Bellarmini. De quo quicquid fiat, nos hoc totum minimè tangit. Primò enim non de communione carnis & sanguinis, sed de panis & poculi dispensatione disputamus. Sanguinem enim non possunt missifices eripere populo; poculum possunt. Deinde inter hæreditatem & legatum distinguimus. Corpus & sanguinem non hæreditatem, sed legatum testamentarium appellamus; Similiter panem & poculum. Hac unâ distinctione in nihilum rediguntur omnes argutiolæ, quibus tam insolenter præludit Jesuita.

XIII. Si nemo Bellarmini partes velit suscipere tuendas, ipse audiendus erit, & admittendus ad sententiæ defensionem, ne inauditus cadat socii manu. Nos ratiunculas videamus. Clamat, *vitam æternam hæreditatem esse, non Eucharistiam: nusquam à Scriptura nos dici hæredes Eucharistiæ. Lutheranos jugulare seipsos;* vocat eos *ad veteris testamenti figuram,* vocat ad Scripturam, *in qua Papistæ habeant clarissima testimonia, vitam æternam esse hæreditatem;* Clamat, *Lutheranos ne quidem obscuro testimonio de Eucharistia probare posse: Supponere, non solum sanguinem, sed & carnem esse hæreditatem novi test:, & proinde sicut de sanguine dictum,* Hic calix est novum testamentum in meo sanguine, *sic de carne dici posse,* Hæc caro mea novum testamentum, *quod sit falsum.* Denique *hæreditatem, quæ testamento relinquitur, non solere tradi hæredibus, nisi post mortem Testatoris, quia tunc incipiat testamentum esse validum. At Christum dedisse Apostolis suam carnem & sanguinem ante mortem & consequenter antequàm testamentum esset validum & morte Testatoris confirmatum.* Num. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

XIV. Hæc est magna illa sapientia, quâ Hussitas & Lutheranos, priusquàm ad disputationem veniatur, coram orbe toto confundere conatur, sed non animadvertit homo sui plenus, quod suum impugnet figmentum. Scimus, vitam æternam esse hæreditatem; non Eucharistiam. Nec unquam legimus in Scriptura, nos dici hæredes Eucharistiæ. Num ideo panis, qui est corpus Domini, & poculum, quod est sanguis DOMINI, non sit legitum testamentarium? Non pars aliqua testamenti? Manna non erat Patrum hæreditas, sed Cananæa & quæ per illam figurabatur, æterna vita. Cùm tamen Deus instituisset Manna omni populo: nemo ausus fuisset quenquam ejus usu prohibere. Sic neque licet cuiquam mortalium prohibere Christianum populum usu integræ Eucharistiæ.

XV. Quid verò si seipsos jugulent Lutherani in hoc puncto? Nam ex una parte contendunt, *Eucharistiam sub utraque specie absolutè præceptam esse à Christo:* Ex altera, *Eucharistiam sub utraque specie esse hæreditatem novo testamento nobis à Christo relictam. At hæc duo non cohærent. Nam hæredibus non solet dari præceptum, ut adeant hæreditatem, sed offertur illis hæreditas sub hac conditione, ut, si velint suâ sponte adire, præstent conditionem, quæ à Testatore exigitur.* Num. 12. Non video, Lutheranos se jugulare. Jesuita fingit & gaudet domunculam cum pueris evertere, quam ipse construxit. Non confutat Lutheranorum & nostram sententiam, sed suum figmentum. Prius tenent nobiscum Lutherani. Ubi alterum tradunt? Quis eorum unquam dixit, *Eucharistiam sub utraque specie esse hæreditatem novo testamento nobis à Christo relictam?* Papistæ consentiunt, Eucharistiam esse testamentum. Becanus ipse urget in Theol. Schol. part. 3. tract. 2. cap. 17. q. 5. Annon datur hæredibus mandatum, ut testamentum integrum servent, & instrumentum integrum sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

commune omnibus hæredibus?

XVI. Ad Testamentum vetus frustrà nos vocat. Imus ipsi lubentes. Si illuc imus, quid obtinet? *Illud*, inquit, *est figura novi. E. hæreditas veteri Testamento relicta fuit figura hæreditatis N.T. relictæ. At terra Canaan, quæ erat hæreditas V.T. non fuit figura Eucharistiæ, sed vitæ æternæ.* Num. 13. Adhuc nugatur. Quis dixit, Eucharistiam esse N.T. hæreditatem? luctatur cum umbra. Quòd lex habuerit umbram futurorum bonorum, habemus ab Apostolo, Hebr. 10, 1. ubi inter futura bona non tãtùm vita æterna, sed & sacrificium Christi in cruce peragendum censetur. Illius enim umbra fuerunt sacrificia, de quibus eo loco est sermo. Nec abnuimus, q̃n Testamentũ vetus secundùm aliquid sui dicatur umbra novi. Quod secundùm totũ sui sit umbra novi, probandum est. Habet promissionem corporalem & spiritualem, temporalem & æternam. Ratione *corporalis & temporalis* umbram esse, damus; ratione *spiritualis & æternæ*, negamus. Homo hîc iterum supponit, terram Cananæam, q̃ umbrã fuisse vitæ æternæ, nemo dubitat, totam veteris Testamenti hereditatem fuisse. Quòd umbra fuerit æternæ vitæ, agnoscimus: Docet Apostolus. Nõ docet, totam fuisse hæreditatem. Homo idem suprà contẽdebat, non obtinebat. Opus igitur est confirmatione.

XVII. Nobis nimis alienum videtur, magnas illas animas in Deum erectas, quæ mundi fastum calcârunt, quæ tam multa, tam gravia sunt perpessæ, quibus mundus erat indignus, Hebr. 11. meris temporalibus promissis, porcorum instar, saginatas fuisse. Serveti & Socianorum commentum est, non Scripturæ dogma. Si omnes periodos percurramus, oculis se offerunt remissionis peccatorum & benedictionis spiritualis promissiones. Statim à lapsu editum protevangelium, quod æternæ vitæ promissionem continet, Gen. 3, 15. Promissio Abrahæ in hæc verba facta, *Ero Deus tuus & seminis tui post te*, Gen. 17, 7. Non illi soli facta; ante illum Semo applicata, Gen. 9, 26. sed & propalam repetita, Lev. 26, 12. Nec persuademur, cujus Deus est Deus, quòd illi tantùm corporalia & temporalia bona promiserit. Certè Apostolus ad novum Testamentum applicat 2. Cor. 6, 16. 17. 18. Et Christus inde concludit, Abrahamũ, Isaacum & Jacobum vivere & ratione corporis resuscitatum iri, ut secundùm utramque sui partem æterna vita potiantur, cùm Deus non sit mortuorum, sed viventium Deus, Matth. 22, 23. Luc. 20, 37. Promittitur Abrahæ benedictio omnium gentium in semine ejus, Gen. 22, 18. Num illi benedictio non promittitur? At *qui sunt ex fide, benedicentur cum fideli illo Abraham*, Gal. 3, 9. Benedictio justificationem complectitur. Moses de Christo testatus est, Joh. 5, 39. 46. In illius Scripturis Judæi putabant, se habere æternam vitam. Quomodo, si non iis promissa? Præterea cogitamus, quòd Apostolus scribat, *pietatem esse ad omnia utilem, & promissionem habere præsentis & futuræ vitæ*, 1. Tim. 4, 9. Illa sententia non cœpit esse vera in novo Testamento: Semper fuit. Ut pietas suprà omnia terrêa elevatur, sic terrenis bonis contenta non est. Æterna quærit. Unde fatendum, veteres Patres non tantùm terrenæ hæreditatis promissione

fione lactatos, sed æternis bonis beatos fuisse, aut pios non fuisse. Pietatem nemo pius negaverit. Æterna igitur bona illis obtigerunt. Habuit igitur vetus Testamentum etiam æterna bona. Horum ratione non fuit umbra novi. Vetus populus Hebræorum nusquam dicitur figura fuisse populi Christiani. Apostolus non supponit, sed Jesuita ei affingit: Populus vetus non minùs fuit hæres æternæ vitæ, quàm novus. *Abraham per fidem commoratus est in terra promissa, ut aliena: Commoratus in tabernaculis cum Isaac & Jacob cohæredibus ejusdem promissionis. Exspectabat enim urbem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus*, Hebr. 11, 9. 10. Magna & heroica fides, quam hîc Cornelius à Lapide egregiè commẽdat, quinque argumentis, inter quæ postremum est, quòd totâ vitâ voluerit peregrinari, credens & sperans domum æternam in cœlis. Quomodo credebat, si non erat promissa veteri fedeře? Ille credentium pater. Quis dubitet, eandem filiorum fuisse exspectationem, quæ patris? nominatim Isaac & Jacob, quos Apostolus ei conjungit? Melioris igitur boni, quàm Cananæa.

XVIII. Habeat Jesuita clarissima Scripturæ testimonia, quibus adstruat, vitã æternã esse hæreditatẽ, & urgeat contra quosvis contradicentes. Utetur nobis faventibus. Non solus habet. Nos pariter habemus & pariter urgemus. Non quærimus sive clarum, sive obscurum Scripturæ testimonium, quo probemus, Eucharistiam esse novi Test. hæreditatem. Nostra tuemur. Cur pro figmento Jesuitæ testimonia conquireremus? Inopiam gratis igitur objicit. Gratis vexat dictum Christi, Luc. 22, 20. 1. Cor. 11, 25. *Hic calix est novum Testamentum in meo sanguine.* Vexet eos, qui dicunt, calicem esse hæreditatem novi Testamenti. Vexet præceptorem suum Cardinalem, qui dicit, sanguinem Christi esse hæreditatem. Illi objiciat, *ergo sanguinem hircorum fuisse hæreditatem vet. Testamenti.* Nostris frustrà insultat. Christus non dixit, *hic est sanguis novi Testamenti*, sed *hoc*, id est, *hoc poculum est sanguis meus novi Testamenti*, ut patet à Luca, id est, signum, sigillum & medium repræsentandi, obsignandi & communicandi sanguinis mei, quo sancitur novum Testamentum.

XIX. Secundùm nos non ita dicendum est, *hæc caro mea est novum Testamentum*, id est, *hæc caro mea est altera pars hæreditatis testamentariæ.* Christo placuit de poculo dicere, *hoc poculum est novum Testamentum in meo sanguine*; id retinemus & intelligimus juxta Scripturam & sacramenti rationem. Alterum non dixit: ideo nec nos dicimus. Curiosi & ociosi in umbra disputent. Glossam, quam fingit, nostri minimè agnoscunt, convincat ergo falsitatis. Sed convincat solidis argumentis. Quæ movet, cujus sint momenti, à suis audiat. Qualis sequela, *Nemo hactenus ita locutus est. Ergo falsum est.* Ita baptista Johannes, ita Apostoli potuissent convinci falsitatis. Imò Christus potuisset convinci. Nemo ita locutus erat, ut ipse docebat.

XX. Ultimus impetus cæteris similis. Ubique conclusio laborat, quia nobis non opposita. Interim dolemus, hominẽ tam infirmis tibicinibus fulcire veritatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem. Negat, Christum carnem & sanguinem dedisse per modum hæreditatis. Damus Major non est firma. Probatio inconsequens. Apostolus dicit, *testamentum non esse validum, dum vivit, qui testatus est*, Heb. 9, 17. Non dicit, *hæreditatem, quæ testamento relinquitur, non dari hæredibus, nisi post mortem Testatoris*. Num sequitur? Non sequitur. Valor testamenti esse potest à morte testatoris, quamvis hæreditas ante ejus mortem detur. Non nego, inter homines hoc ferè obtinere. Dè testamento facto à Christo apertè falsum. Non opponimus terram Cananæam Israëlitis datam, ante Testatoris mortem, cujus objectionis solutione se ostentat, num. 17. Opponimus formam novi fœderis. *Illa sic* habet: *Nam hoc illud est fœdus, quod pangam cum domo Israëlis post dies hos, dictum Jehovæ; indam legem meam menti eorum & cordi eorum inscribam eam: & ero eis Deus & ipsi erunt mihi populus. Non autem docebunt amplius quisque amicum suum & quisque fratrem suum, dicendo; cognoscite Iehovam, nam quotquot erunt, cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum eorum, dictum Iehovæ, me condonare iniquitatem ipsorum & peccati ipsorum non recordari amplius*, Jerem. 31, 33, 34. Hic habemus novum fœdus, novum testamentum, ut vetus latinus interpres vocat, Hebr. 10, 16. In hoc Deus bona magna & æterna promittit fœderatis. Hoc ratum fit morte Testatoris. An nihil eorum datum est hæredibus ante Testatoris mortem? Non lex indita ullorum menti? Deus nullorum Deus fuit? Nemo cognovit Jehovam? Nemo ante mortem Christi à Deo fuit doctus? Nemo remissionem peccatorum consecutus? Hîc aut perfrictâ fronte tum omnibus veteribus Patriarchis & Prophetis, tum Apostolis tanta dona sunt præcisè neganda, aut fatendum est, id, q. divino testamẽto relinquitur, aliquibus hæredibus ante Testatoris mortẽ tradi. Si legata hæredibus dari possunt ante mortem Testatoris, cur non hæreditas? Unum testamentum omnia comprehendit. Nec repugnat Apostolus. Docet enim, Testamentum non nisi in morte Testatoris ratum fuisse, scilicet *complemento:* Non negat, ratum fuisse *acceptatione*. Testator tã bonꝰ esse potest, ut adhuc superstes legata & hæreditatem hæredibus tradat: Sic Deus, Christo nondum mortuo, Patribus dedit tum legata, tum hæreditatem testamẽtariam, sperati, ut loquimur, i. e. futuræ satisfactionis per mortem præstandæ intuitu. Si veteribus dare Deus potuit legata ante Christi mortem, cur nobis nequeat in novo Testamento? In his legatis est tum corpus & sanguis Christi, tum externa symbola ad usum mysticum consecrata.

XXI. Inde concidit magnus ille sapientiæ apparatus de veteris Testamenti confirmatione. Dicit, *quatenus proximè, immediatè & expresè promittebat terram Cananæam, morte Testatoris non in se sed in figura indiguisse. Ideo Christum mactatum esse in figura, non in se. Quatenus verò remotè, implicitè & mediatè promittebat vitam æternam, cujus figura erat terra Cananæa, indiguisse omni morte Testatoris non in figura, sed in se. Nam vitam æternam nulli datam esse, nisi post mortem Christi, quam in se passiu est.* Num. 17.

XXII. Si

XXII. Si vetus pactum remotè, implicitè & mediatè vitam æternam promittebat, ergo vita æterna erat hæreditas veteris Testamenti. Nec obstat, quòd sub typo terreno promitteret. Id enim erat de ipsius ratione. Sic homo evertit seipsum, qui suprà veteri Testamento terram Cananæam, novo æternam vitam assignabat, quasi Patribus non promissa fuerit æterna hæreditas. Jam ita est; Testamentum vetus, ratione vitæ æternæ, indigebat morte Christi in se. Nisi aliquando Testator mortuus fuisset, irritæ fuissent omnes promissiones, & in nihilum recidisset hæreditas. Quòd autem nulli data sit æternæ vitæ hæreditas ante Christi mortem, unde probat? Scio, id multis veteribus placere. At ego desidero probationem. Non magis legata sunt rata, quàm hæreditas, nisi moriatur Testator. Si id non obstat, quo minùs ante Testatoris mortem hæredibus legata dentur, quid obstet, quo minùs hæreditas detur iisdem? Apostolus conjungit vocationem ad redemptionem earum prævaricationum, quæ fuerant sub priori Testamento, cum acceptione promissionis æternæ hæreditatis, Hebr. 9. 15. Non magis poterant accipere veteres prævaricationum remissionem, quàm vitam, nisi interveniente morte Testatoris; poterant tamen ante mortem, intuitu futuræ expiationis: Sic quoque vitam æternam accipiebant, vi mortis secuturæ, quam Deus non minùs ad vitam, quàm ad remissionẽ peccatorum conferendam acceptabat.

XXIII. Ita breviter retexuimus telam, quam ille sacrilegio Eucharistico ornando voluit prætexere. Tam variâ rerum alienarum mixturâ & longâ disputatione perspicuè demonstrare voluit, totam illam argumentationem, quâ Hussitæ & Lutherani tantopere glorientur, mero figmento subnixam esse. Demonstravit, fateor; sed nullo eorum incommodo, quos impugnare cœpit. Non est illorum argumentatio. Est Jesuitæ figmentum. Illi homines non dicunt, *Eucharistiam sub utraque specie esse hæreditatem novi Testamenti.* Non est causa secessionis à Papatu factæ, quòd ille neget, *Eucharistiam esse hæreditatem novi Testamenti.* Sunt aliæ plurimæ, quas nostri passim exponunt, Papistæ nondum refutárunt. Inter alias causas improbati Papatus omnino hæc est, quòd Romanus Pontifex infando sacrilegio testamentum Domini nostri violat, & legati partem populo Christiano intervertit, intercipit, eripit. Christus cõmunionem utriusque speciei non minùs populo, quàm ministris legavit, & his districtè præcepit, ut omnibus dispensent, neminem fraudent. Missifices consecrantes non parent mandato. Panem dant, si qui petant. Poculum, quod non minùs ad legatum pertinet, non præbent petentibus, injurii in Christum, in Testamentum, in populum Christianum, cui se permittere gloriantur, quod nec dare, nec eripere queunt: quod dare possunt? Debent, eripiunt. Ingrata gratia, benignitas maligna!

ARTIC.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS III.

TERTIA CAUSA

Ex onere confessionis consideratur.

I. TErtiam causam vocat, quòd *multi durum ac molestum onus putent, quòd Catholici debeant sua peccata, etiam occultissima sigillatim recensere coram sacerdote.* Tres rationes illis assignat. Respondet primò in genere, deinde in specie. In *genere* contendit, *hanc causam tanti momenti non esse, ut propter eam aut deserenda, aut culpanda sit Ecclesia Catholica; quin potius ex hoc capite laudandam esse. Nam in negotio confessionis non debere attendi molestiam & difficultatem, quæ peccatori subeunda est, sed utilitatem & tranquillitatem conscientiæ, quæ ex confessione percipi solet.* Fatetur igitur, *durum esse ac molestum, confiteri propria peccata, præsertim occulta, enormia, abominanda*; sed addit, *nisi facias, te salvari non posse. Nec unquam animo fore pacato, nisi peccata, quæ conscientiam onerant, per sinceram confessionem expiaveris.* Num. 19. 20.

II. Ita est, multi, durum ac molestum onus confessionis esse, statuũt, qualis quidem & quomodo in Papatu imperatur & exigitur. Nec diffitear, animas pudicas & sanctitatis amantes, imprimis matronas honestas subtili examine confessariorum à Papismo alienatas esse. Non accusamus, non culpamus, non deserimus Ecclesiam Catholicam; Ea innocens. Neminem unquam gravavit isto onere, quo posterioribus seculis Papa conscientias affligere cœpit. Ejus communionem amamus, servamus nunquam violaturi. Papisticam hierarchicam Ecclesiam, de cujus tyrannide populus Christianus & jam olim questus est, & adhuc passim queritur, accusamus, culpamus, redarguimus. Nec tamen præcipuè ob hoc onus ab ea fecimus secessionem; nec fortasse facturi, si nihil aliud esset, quod nos ab ea alienâsset. Laudare & ex hoc capite in pretio habere nõ possumus. Prohibet auctoritas Scripturæ, quæ non hominis, sed Dei est; Prohibet Ecclesiæ Apostolicæ reverentia; Prohibet publica & privata fidelium utilitas atque conscientiarum tranquillitas.

III. In negotio confessionis non debet, fateor, attendi molestia & difficultas, quæ peccatori subeunda est, sed potiùs utilitas & tranquillitas conscientiæ, quæ ex confessione percipi solet; sed ex ea, quam Deus præcepit, aut approbavit. Fit confessio Deo, Ecclesiæ, pastori, proximo. Nulla caret sua molestia. Durum erat Davidi & molestum, sua peccata *Deo* confiteri; tergiversabatur, cupiebat premere, ægrè promebat. Nulla animo quies erat, ossa ejus inveterascebant in rugitu toto die:

die: Manus Dei super eum erat dies noctesque; humor ipsius præstantissimus convertebatur in æstivas siccitates, donec seipsum vinceret, ac Deo peccata commissa confiteretur. Inde levabatur magno onere conscientia, inde mentis tranquillitas redibat. Si in silentio perstitisset, nunquam sensisset levamẽ, nunquam pacatus fuisset animus. Peccatum neganti venia non est parata: Peccatum retinetur, salus negatur. Esto durum igitur ac molestum, peccata Deo confiteri. Non attendendum. Vincenda est omnis difficultas. Durior & molestior est silentii pœna. Fructus sinceræ confessionis suâ dulcedine, quicquid acerbum, vincit. Consolatio longè superat, quicquid molestum possit videri.

IV. Durum est & molestum, *proximo* confiteri peccata: Non ideo non confitenda. Christus præcepit tum immediatè, tum per Jacobum. Immediatè præcepit confessionem, quæ fit proximo offenso, ad ipsum placandum, Matth. 5, 23. Mediatè præcepit per Jacobum. Verba clara; *Confitemini alij aliis offensas, & orate alij pro alijs.* Non dixit, *confitemini aliis*, sed, *alij alijs*, ut mutuam, quæ fit consolationis capiendæ causâ, confessionem intelligamus. Aliqui Papistæ sacramentalem inde velient stabilire. Irritus conatus. Sicut non pro solis pastoribus, sed alii pro aliis orare, sic non solis pastoribus, sed alii aliis confiteri jubentur. Id quod Cajetanus in h. l. dubens agnoscit. Nec in diversum abit Guillaudus.

V. Confessionem criminum publicorum, quæ fit *Ecclesiæ*, etsi per se non est cuivis credenti ac resipiscenti ad salutem necessaria, nos adeò tamen non improbamus, ut maximè utilem judicemus, in occasione commendemus, atque optemus seriò, ubi prorsus in desuetudinem abiit, debita cum moderatione, non ad destructionem, sed ædificationem conscientiarum, restitui. Ita enim Ecclesia fortasse faciliùs tueretur suam puritatem, meliùs corrigeret lapsos, salutariter confusos, qui publicâ pœnitentiâ Ecclesiæ pro scandalo satisfaciunt, & multos absterreret, ne in similia crimina prolaberentur. Denique extrancorum ora obstrueret, quippe quibus hoc disciplinæ exercitio demonstraret, se esse domum Dei, non impuritatis, sed sanctimoniæ scholam, pietatis, non impietatis gymnasium, honestatis, non profanæ licentiæ receptaculum.

VI. Nec denique improbamus, nec prohibemus, si qui *pastorem* suum consulant, & animi sui secretum vulnus aperiant, & ab eo consolationem Evangelii exspectent. Imò laudamus, si, quos conscientia peccati mordet, pastori suo se sistant, ut vel consolationem, vel institutionem, vel monelam sibi privatim accommodatam accipiant, quâ erigantur & dirigantur. Neque dubitamus, hujus confessionis magnam esse utilitatem. Videri possunt ea de re confessiones Helveticarum Ecclesiarum cap. 14. & quatuor civitatum cap. 20. itemque Doctores nostrates, nominatim Calvinus lib. 4. Instit. c. 11 §. 22. P. Martyr Loc. com. class. 3. c. 8. § 28. R. Gualtherus Homil. 24. in Matth. Polanus lib. 6. Syntag. theol. 37. Perkinsus l. 1. de cas. conscien. c. 1. Bucanus loco 30. q. 22. P. Molinæus in Nov. Pap. lib. 7. contr.

6.c.1.D.Rivetus in Catholico orthodoxo tract.3.q.12. D. Spanhemius dub. Evang. part.3.dub.26.Præterea constat,in multis Evangelicis Ecclesiis confessionem secretam liberam adhuc ordinariè vigere.

VII. Ad hanc confessionem rectè applicatur simile à morbo corporis petitum.Quando æger es,sumenda est amara potio, quæ nauseam provocat, interdum etiam tolerandæ ustiones,sectiones,& alia dolorifica remedia, quæ si respuas, miserè vivendum,aut moriendum est. Sicut igitur adis medicum, & multas molestias sustines,ita non dubitabis Deo,vero medico,revelare morbum, aut pro ratione mali, vel Ecclesiæ toti, vel amico, vel pastori ordinario.Nulla hîc te debet abstterrere molestia,præsertim cùm major molestia sit in sanando corpore, quàm anima.*Si enim corporis curandi causâ magnos fers & interdum multo tempore cruciatus; ut anima sanetur , vix momento opus est. Tantùm ingemisce & confitere peccata tua : Iam salva res est,* inquit Becanus: quod de confessione,quæ Deo fit,optimè dictum. Præterea tollit humanarum satisfactionum commenta.

VIII. Ad confessionem Papisticam malè transfertur. Medicina enim in carnificinam mutata est.Absque eo nulla esset controversia. Fortasse mihi non credis; crede igitur viro Pontificio,Georgio Cassandro in consult.art.11.ad Imperatorem ita scribenti; *Credo,de hac re controversiam nullam fuisse futuram , si non salutaris hæc confitendi medicina ab imperiti & importunis medicis multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata fuisset, quibus conscientiis,quas extricare & levare debebant,laqueos injecerunt,& tanquam tormentis quibusdam excarnificârunt.* Hoc testimonium verum,& suffragium meretur multorum Papistarum.

IX. Becanus tres difficultates sibi objicit, ac tollere conatur. Multo plures sunt,quas non tangit. Videamus, an solidè tollat,quas tangit. Objicit igitur sibi, quòd sæpè non occurrant homini peccata omnia,quæ commisit, quid tunc agendum? Respondet, *examinandam esse diligenter conscientiam de peccatis mortalibus, dolendum de omnibus tam iis, quæ memoriæ occurrunt,quam quæ non occurrunt. Priora confitenda coram sacerdote; de posterioribus dicendum cum Davide* , Ab occultis meis munda me Domine. *Non opus esse tortura conscientiæ & aculeo. Aliquem laborem esse adhibendum , sed non majorem, quàm qui à mercatoribus adhiberi soleat in examine expẽsarum;multo minorem, quàm in morbis corporis. Esse rem facilem , & eo faciliorem,quo quis sapiùs confitetur. Tunc enim habere pauciora peccata & facilius occurrere. Quod nôrint,qui vel octavo vel decimo quarto quoque die confiteri soleant. Eos non facere cum molestia,sed cum gaudio; sentire consolationem,non tædium.* Claudit voto, *ut omnes capiant verbum hoc.* Numer.22.

X. Nec integram difficultatem movet,nec solidè solvit.*Non movet integram:* Nam *primo* restringitur cõfessio ad mortalia peccata. Quomodo rudes è populo discernant inter mortalia & quæ fingunter ex se venialia? *Secundo* requiritur numerus peccatorum ejusdem speciei definitè expressus. *Tertiò* explicatio omnium circumstantiarum,quæ speciem mutant, vel aggravant,vel minuunt. *Quartò* ille confitendi modus dicitur esse juris divini. *Quintò* jactatur, quòd nullum peccatum dimitti possit sine absolutione sacerdotis.Inde carnificina mentis.Becanus enim disertè dicit,quòd homo *sine confessione salvari non possit.Non solidè solvit.* Nam si sufficit, te confiteri peccata, quæ post diligens examen menti occurrunt, quomodo non dimittuntur peccata mortalia,sine absolutione? Certum enim,multa non occurrere.Si nulla dimittuntur sine sacerdotis absolutione, quomodo diligens examen sufficit?

XI. Res non tam facilis.Nullum enim peccatum naturâ suâ veniale. Omnia morte digna. Qua cum molestia multi confiteantur, nimis patet. Quàm facilis res sit,exponit B.Rhenanus in præfat. in Tertullianum, scribens: *Thomas & Scotus homines nimiùm arguti,confessionem talem reddiderunt, ut Iohannes ille Geilerius (Kaiserbergius) gravis & sanctus theologus testatus sit, iuxta illorum deuteroseis impossibile esse confiteri &c. Erat Carthusianus quidam , qui propter confessionem , quæ ei semper ob inexplicabilem circumstantiarum vim imperfecta videbatur,sed ipse perfectissimam esse, frustrà contendebat , huc miseriarum venerat,ut omnem salutem desponderet & apocartereſin cogitaret.* Non unus ille torquebatur.Multi torquebantur. Audiebat Geilerius à Carthusianis peregrè venientibus , quibus tormentis quorundam piæ mentes affligerentur ob confessiones. Audiebat eas à Sãctimonialibus querelas,quæ movebant virum,ut publicè de *morbo confessionis* scriberet. Si

qui putent, se confitendo expiare posse peccata,cum gaudio confiteantur; quid ad verè pios? Hi sciunt, cõfessione auriculari peccata nulla expiari.Nulla eam in rem promissio,nullum exemplum exstat, nedum mandatum.Votum Jesuitæ facilè condonamus. Si enim omnes caperent hoc verbum , plura arcana penetrarent Jesuitæ,& culinæ, quamvis satis nunc caleant,magis calerent.

XII. Alteram difficultatem in eo ponit, quòd pudeat hominem aperire sacerdoti peccata sua, præsertim fornicationes,adulteria, sodomias & similia. Respondet, *sæpe obtendi pudorem, ubi nullus sit.Nullum esse in plerisque fornicariis, adulteris,sodomitis. 1.Quia non pudeat illos in conspectu Dei malè agere. 2.Nec pudeat apud alios palàm gloriari de suis sceleribus. 3. Quid facturi sint in die judicij , quando omnia ipsorum flagitia toti mundo fient manifesta. 4.Si tantopere refugiunt pudorem, refugiant peccata , quæ sint causa pudoris.* Num.23.

XIII. Non negem , sæpe obtendi pudorem,ubi nullus est , ex iis ipsis causis, quas Jesuita memorat. Neque tamen sic cessat omnis difficultas. Obstinati scortatores,adulteri, sodomitæ, pudorem mẽtiuntur. Non omnes mentiuntur. Multi ex infirmitate non ex malitia, multi quidem ex malitia,magis tamen ex infirmitate,quàm malitia labuntur. Peccant opere,peccant animo. Agnoscunt,se mortis reatum incurrisse. Ut si virgo animo concepit fornicationem. An non pudeat illam fateri? Dubium non est,multos pudore teneri , ne confiteantur homini secretum vulnus.Præsertim cùm Deus non

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceperit. Quòd fidelium piorum peccata sint toti mundo manifestanda in extremo die, non habemus à Scriptura. Nobiles Papistæ disertè negant, nominatim Thomas, Bonaventura, Richardus, Sotus 4. sent. dist. 43. & 47. apud Fr. Suaretz tom. 2. in 3. p. Thom. art. 6. disp. 57. sect. 9. Bonum est consilium, ut omnes peccata fugiant; quæ sunt causa pudoris, optandum, ut omnes amplecterentur! Non autem inde sequitur, neminem pudore & quidem justo absterreri à papistica confessione. Prætextu scrutandæ & excitandæ conscientiæ tam impudicæ quæstiones moventur à confessariis, ut eas audire non immeritò mentem castam pudeat. Et certum est, hac ex causa matronas graves à confessione abhorruisse. Qui dubitat, legat Casuistas.

XIV. Unus Buchardus nobis esto instar omnium. Ex illo patet, annon agantur in confessione, quæ sine pudore non possunt audiri à mente pudica. Lib. 19. Decretorum fol. 197. 199. 200. leguntur quæstiones tam viris quàm mulieribus proponendæ, de criminibus tam obscœnis, ut obscæniora vix instillare hominis animo queat diabolus. Me pudet memorare. Si quæstionibus illis non atrocia & pudenda scelera docentur magis quàm corriguntur, laudabo papisticum institutum. Imprimis Jesuitæ in suis instructionibus tam horrenda impuritatis artificia proponunt, ut vix animus tam sceleratus esse queat, quem non eorum auditio graviter percellat. Tyardæus, Episcopus Cabilensis, de fratribus Jes. apud Thom. Mortonum in dissertat contra Bellarm. de officio pii Principis c. 1. sect. 2. scribit; *Sunt quædam confessionum formulæ, quibus Sancti illi Pneumatici (Iesuitæ) circa peccatorum differentias obscœnæ quædam & impudica exquirunt, quæ sine interrogati, cujus auribus inaudita turpitudines & lasciviæ instillantur, rubore & interrogantis inhonesti appetitus titillatione, vix ullis verbis aut ne vix quidem enunciari possunt.* Id sensit Præsul Olmucensis, qui cùm Jesuitæ, libello sub ejus nomine edito, catalogum peccatorum cum discretione mortalium & venialium recensuissent, de ejus abominanda spurcitie monitus, pòst aliquanto re diligentiùs expensâ, pudore victus, eundem, ut Christianæ confessioni minimè ferendum, omniq; luce indignum opprobrium, pretio plusquàm decuplo redimere & supprimere conatus est, referente auctore Deliberationis de compescendo Jesuitarum conatu ex polonico in latinum translatæ, apud Gerhardum confess. cathol. lib. 2. spec. part. 3. art. 16. c. 4.

XV. Tertia difficultas, quam movet, est, quòd confessarius manifestet peccata, quæ in secreta confessione audivit. Respondet, *nihil hoc esse 1. Quia confessarius arctissimè obligatus sit ad servandum secretum 2. Si non servat, suspectus sit. Nemo prudens illi credat. 3. Nec obsit confitenti, etiamsi peccata ipsius à confessario detegantur, quia ejus testimonium in hoc negotio nullum sit. 4. Qui metuunt, ne à confessariis prodantur, metuant potiùs, ne prodantur ab iis, cum quibus peccârunt. Hoc frequentius fieri, quàm illud.* Num. 24.

XVI. Sanè etiam per nos magis metuant eos, cum quibus peccârunt, quàm quibus confitentur. Sæpe enim ab illis produntur. Prodantur sæpiùs, quàm ab ipsis. Non tamen non imminet ab istis periculum. Solet quidem confessariis lex silentii dictari & commendari, ratione honestatis, necessitatis & utilitatis. *Honestatis*; quòd honestum sit, secreta tegi, q̃ debent tegi. *Necessitatis*; quòd ad silentium cõfessarius obligetur. *Utilitatis*; quòd hac ratione promptiores homines reddantur ad confitendum. Ita præter alios habet summula Raymundi fol. 185. Eadem docet, *si quis confitetur, se velle evertere castrum, claustrum, vel Ecclesiam, vel civitatem tradere, non debere detegi.* Jesuitæ extendunt ad parricidia Regum & internecionem Parlamenti. Inde Casaubonus memorat, ex Bineto Jesuita se audivisse, *præstare, ut Reges omnes intereant, quam sigillum confessionis vel semel violetur.* Idque facto ipso comprobârunt in Gallia & Anglia. Ravaillacus enim paulò ante cædem Henrici IV. confessus est Patri Aubigny. Garnetum conscium fuisse conjurationis pulverariæ, ex actis constat. Subticuit tamen, idq; multum laudante Eudæmono-Johanne in Apologia.

XVII. Quid? *sive factum tam horrendum ex confessione, sive vel ante, vel post cognitum sit, tegi debere*, dicunt, *quamvis mediante juramento confessarius à magistratu examinetur.* Et negant, *committi periurium, si juret, se nihil tale scire aut audivisse in confessione, scilicet ut revelet*, ut habet Emanuel Sà vel, *si juret, se nihil scire, sc. in quantum homo, licet sciat, in quantum vicarius Dei*, ut habet Raymundus. Hîc jactent honestatem, necessitatem, utilitatem. Utilitatem non nego. Confessio magnum vectigal. Quod augetur confitentium multitudine. Factorum lux testis. Quàm amplam rem inde fecerunt? Plurimas opes debent confessionario artificio. Venerationis Jesuiticæ præcipuum instrumentum & rete perquàm commodum vocat, non sine causa, auctor Deliberationis de compescendo Jesuitarum conatu. Penetrant in Principum arcana; ipse Pontifex hoc medio suam auctoritatem in Reges magnopere confirmavit. Quæ honestas, prodere Regem & Rempublicam? Qui enim proditorem Regis & Reipub. tegit, prodit ipse. Parricida est, qui silet, cùm parricidam detegendo vitam Regis potest tueri. Quæ necessitas? Ubi Ecclesia fidem dedit silentii in quocunque scelere, quod homo molitur cõtra Regem & patriam? Nonne omnes obligati sunt ad tuendam Regis vitam & patriæ salutem? Hoc ipsum igitur, unde Jesuita confessionem commendare conatur, eam suspectam reddit.

XVIII. Interim tam sanctum Confessionis sigillum non est, quin aliquo casu refigi possit, si Jesuitis credas. Navarrus apertè docet, multos videri esse casus, in quibus confessario auditam confessionem revelare liceat. Plerique consentiunt de hæresi, juxta illud tritum: *Hæresis est crimen, quod nec confessio celat.* De Christo ex Jesuita se Lutetiæ audivisse, scribit Casaubonus: De Pontifice & Concilio nondum audivimus. Dixerat Jesuita, *si Christus mortalis in his terris versaretur, & aliquis sibi confessus esset, se mortem illi machinari, se malle pati, ut Christus occidatur, quam confessionis sigillum refigere.* Num idem dicent de Pontifice? Num de Concilio universali? Nondum dixerunt sen-

ten-

tentiam Casuistæ. Videtur res pendere ab hominum istorum arbitrio. Quod volunt, tegunt; quod nolunt, aperiunt. Cùm Regi Galliæ & Angliæ mors intentaretur, silebant. Cùm Hispaniæ Regi Philippo periculum à filio Carolo de profectione in Belgium suspecto imminere videretur, & is confiteretur, se decrevisse homicidium committere, tam sanctum non erat confessionis sigillum, quin eo resignato filius Regi à confessario proderetur: apud Thuanum Hist. lib. 43. Num ille erat obligatus ad servandum secretum? Num suspectus, quòd proderet? An nemo prudens ei credebat? An Carolo non nocebat, qui paulò pòst ex Inquisitionis sententia venenum haurire jussus in custodia vitam miserè finiebat?

XIX. De eo viderint Jesuitæ. Ex dictis patet, Becanum pessimè prælusisse. Hunc tamen fructum inde capit lector, quòd ex præludio agnoscitur, qualem in scena se sit præbitur⁹. Dixit, *tres causas esse, quæ multos impediant, ne ad Catholicam Ecclesiam accedant.* Sunt sanè plures, ob quas multi ad Ecclesiam verè Catholicam non accedant. Aliquas suprà indicavi. Causas, quæ multos impediant, ne ad Papatum transeant, recensuit Jesuiticè. Primam dixit, quia *prædicantes suis mendaciis faciant illam coram populo exosam.* Mētitur. Væ illi! Alteram, quòd *privet laicos altera parte hæreditaria.* Nostri non loquuntur de altera parte hæreditaria, sed de calice, id est, parte legati testamentarii Illa Papam privare laicos, minimè falsum. Res est in propatulo. Dixit, *tertiam*, quòd urgeat *confessionem, quæ sit onus importabile.* Negat, ita esse. Ait, *non esse onus, sed medicinam, sine qua salvus esse non possit, qui peccaverit.* Esse onus importabile, non esse medicinam, à dictis patet. *Confessio esse poterat medicina, nisi ab imperitis & importunis medicis multis inutilibus traditiunculis infecta esset & contaminata.* Est vox magni Papistæ. Quis Evangelista, quis Apostolus, quis Auctor Canonicus enumerationem specialem singulorum peccatorum cum circumstantiis à Christo institutam dicit? Quis ad eam salutem adstrinxit? Quis ex omnibus dixit, sine ea salvum esse non posse, qui peccaverit? Est commentum sacræ Scripturæ & primæ Ecclesiæ incognitum. Adhuc Lombardi tempore nō publicè erat necessitatis opinio recepta. Diversas sententias Doctorum recitat 4. sent. dist 17. Similiter Gratianus scribit, utramque sententiam fautores habere sapientes & religiosos viros. c. *Quamvis.* Distinct. 1. de *Pœnit.* Innocentius III. in Lateranensi Concilio anno Christi 1225. inevitabilem necessitatem omnia peccata saltem semel quotannis coram sacerdote cōfitendi primus Christianis imposuit, cap. 21. Huic jam adde, quòd Tridentini Patres sess. 7. can. 11. eos anathematis fulmine percellunt, qui dicunt, in ministris, dum sacramenta conferunt, non requiri intentionem, illud saltem faciendi, quod Ecclesia facit. An non onus importabile & horrendum cōscientiæ tormentum? Quis certus esse potest de sacerdotum intentione? Quis non horreat, salutem resipiscentis ab intentione impii confessarii suspendi? Quid opus est verbis? Carnificinam esse conscientiarum, non medicinam, testes publicæ Papistarum querelæ ante Lutherum passim auditæ. Quàm perniciosa sit Regū & Principum securitati, quàm periculosa secretis aularum, consiliorum, familiarum, constat rerum testimoniis. Quàm pudori & honestati inimica, nefandæ Casuitarum commentationes, cum æterna Romanæ sedis ignominia, manifestè produnt.

SECTIO III.

Distributio & recensio controversiarum consideratur.

I. MArtinus Becanus Manuale controversiarum hujus temporis ea de causa in quinque libros distribuit, quòd putet, controversias de fide & religione, quæ hoc tempore inter Papistas & adversarios vigent, ad quinque potissimùm genera revocari posse. Inde alias vocat *communes Lutheranorum & Calvinistarum.* Alias *Lutheranorum.* Alias *Calvinistarum.* Alias *Anabaptistarum.* Alias *Politicorum.* Per *Politicos* intelligit partim *eos, qui pluris politiam æstimant, quam fidem & religionem*; Partim, *qui disputant quæstiones, ad politiam aliquo modo pertinentes.*

II. Est ipsius Manuale: Potest dispescere, in quot vult partes. Quis contradicat? Penes ipsum est, deligere adversarios impugnandos, quos vult: Non tenetur omnes impugnare: Nec hos præ illis. Potest inducias dare, quibus vult: Quos vult, potest lacessere. Fortass. tamen in mentem veniet lectori, quid sit, quòd Photinianorum familiam negligat? An illi indigni confutatione? At dignati sunt Wiekus, Smiglerius, alii Jesuitæ. An quia illi jam adversùs eos scripserunt? Centuplo plures scripserunt adversùs nostros. An controversiæ tam leves? An leviores controversiis Politicorum? Si non leviores, cur omittat?

III. Si leviores habendæ, jam patebit omnibus, graviores controversias Papistis esse cum Papistis, quàm cum manifestis hæreticis, quorum hæreses Oecumenicorum Conciliorum sententiâ jam olim sunt condemnatæ. Non minùs enim inter Papistas, quàm alibi Politicos quærit adversarios. Ubi nemo pius facilè carpet, quòd Politicos vocat, qui majoris politiam æstimant, quàm fidem & religionem. Nos certè eos in adversariis lubenter censemus. In sensu res tota vertitur. *Quid sit politiam majoris æstimare, quàm fidem & religionem?* De quo alibi. Cur eos in adversariis numeret, qui disputant quæstiones ad Politiam aliquo modo pertinentes, ego non video. Num illi omnes Papistarum adversarii, quamvis Papistæ? Hoc affirmandum, aut nominis interpretatio est aliena. Si prior notio sola obtineat, facilè permittimus, ut in eos incurrat hostilibus armis, sive sint

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint Papistæ, sive inter nostros latebant.

IV. Anabaptistarum causa nobis nihil negocii facessit. Meritò impugnantur: Non potest esse justa eorum defensio. Nostri nunquam eis sunt patrocinati, sed priores & quidem multo solidiùs, quàm Papistæ, confutârunt. Nostris armis uti debent Papistæ, & alicubi utuntur. Cùm suis utuntur, non ubique feliciter pugnat. Patet exemplo Becani, qui in Calvinum ingratus, Ex illo didicit, *Libertinos asserere psychopannychiam, & quibus argumentis confutetur.* Interim hanc scabiem ei vellet affricare. Cæterùm in controversiis contra universam Anabaptistarum familiam habet nos pugnæ socios.

V. Quæ libro secundo adversùs Lutheranos disputat, ea partim non sunt omnibus Lutheranis communia, partim non propria. Ubiquetatis dogma non omnes suum faciunt, Brunsvicenses & aliæ inferioris Saxoniæ Ecclesiæ diu ñ fecerunt suum. Tilemannus Heshusius, magni nominis theologus in colloquio Quedlinburgensi Anno 1583. 12. d. Januarii dicebat; *Hoc scimus, multa pia corda esse in Germania, quæ retinent Augustanam Confessionem & doctrinam Lutheri, & fatentur, se nolle cum ubiquetate quicquam habere commercij* Infantibus non soli Lutherani fidem tribuunt, quamvis non omnes eodem sensu, nec ii soli. Transsubstantiatio à Lutheranis impugnatur & rejicitur. Nostri æquè impugnant ac rejiciunt. Hæc sanè controversia ad omnes pertinet, adeóque ad primum librum erat referenda. Cur secundo contra solos Lutheranos tractare voluerit, ipse noverit. Decreveram loco monere. Omisi tamen. Quod hîc omissum, cum Deo suum alibi habebit locum.

VI. In eum etiam reservatur liber tertius Calvino magis quàm Calvinistis in genere oppositus, in quo, si aliâs unquam, egregiè Sophistam agit. Alienas enim innocentibus affingit sententias, corrũpit & torquet horribilibus exemplis verba, duriùs & ambiguè dicta nimis malignè interpretatur, controversias privatas facit publicas & communes. Calvinistis opponit librum, non ubique contra Calvinistas, sed alicubi adversùs unum disputat. Primum caput testatur. In eo disquirit, an *Deus secundùm essentiam sit infinitus?* An *secundùm substantiam ubique?* An *in Deo sint accidentia realiter distincta ab ipsius substantia?* An *æternitas Dei sit indivisibilis & tota simul?* In his omnibus unum Vorstium impugnat, à nostris apertè improbatum, confutatum & publicâ Synodi Dordracenæ sententiâ rejectum. Nostros habet pugnæ socios contra hominem è nobis egressum, non nostrum.

VII. Capite secundo disputat, an *Christus pro omnibus sit mortuus?* Est quidem hæc controversia non levis. At homo probè novit, multos è nostris non tantùm agnoscere, sed & multis probare argumentis, Christum pro omnibus esse mortuum, nec Ecclesias nostras in Germania, Gallia, Anglia, Scotia, simpliciter negare. Disputat, *Christum in cruce non desperâsse.* Omnes applaudimus. Nemo Calvinistarum, quos vocat, unquã affirmavit. Neminem potuit nominare. Calvino impingit. Primò is non est Calvinistæ.

stæ. Deinde vim patitur. Non dixit. Vivus contra calumniam se defendit lib. 2. Inst. c. 16. §. 12. Jesuita mentitur. Dicit, *Calvinistas reipsà negare descensum Christi ad infernum.* Falsum est. Non negant articuli veritatem, sed negãt sensum Papisticum. Quærit, an *imago Christi sit toleranda?* Negativam nostris tribuit. Non est nostrorum rita crudè posita. Testatur praxis. Tolerant enim multis locis imaginem Christi.

VIII. Capite tertio in doctrina de prædestinatione in Calvino impugnat, quòd docet, *Deum elegisse aliquos ad vitam æternam ex nullo ipsorum merito, & æterno & immutabili decreto quosdam ad mortem & damnationem prædestinâsse, sine respectu aut prævisione peccati originalis, aut actualis.* Atqui sententia de electione non est unius Calvini, aut Calvinistarum, quos homo vocat, sed Lutheri & omnium Lutheranorum communis, quam in Scriptura solidè fundatam primi nominis Papistæ ante ac post Calvinum asseruerunt. Alteram sententiam, ut à Becano proponitur, suam faciant, quicunque volent; nec ego facio meam, nec invenio locis ex Calvino citatis expressam, nec ille unquam probabit, communi Ecclesiæ reformatæ consensu receptam esse: Synodus Dordracena eam in conclusione canonum synodicorum perspicuè improbat, rejicit atque toto pectore detestatur. Et ipse Calvinus proximam reprobationis causam in homine hærere, monet com. in Rom. c. 9.

IX. Jesuita fingit, *in schola Calvini, decretum prædestinationis omnem arbitrij libertatem tollere.* Verè fingit. Non tollit. Vocat dilemma Calvinisticum, *Aut sum prædestinatus, aut reprobatus: Si prædestinatus, nihil refert, bene an malè vixero, quia necessariò salvabor; Si reprobatus, certo pereundum mihi est, quantumvis cupiam esse bonus & virtutis studiosus.* Non est Calvinisticum sed diabolicum dilemma. Doctores, quos ille Calvinistas vocat, refutant. Nisi Calvinisticum dicatur, quia Calvini nomine pressis objicitur. Quidni igitur eodem jure dicatur Papisticum? Becanus enim suis Papistis objicit, qui prædestinationem ad gloriam ex operibus factam esse negant, in Schol. Theol. part. 1. tract. 1 c. 14 q. 4.

X. Capite quarto & quinto fingit, in schola Calvini, & secundùm Calvinistas, *Deum nulli prædestinato dare gratiam habitualem & sanctificantem: per gratiam actualem tolli arbitrii libertatem; Deum efficaciter voluisse & prædestinâsse, ut Adamus peccaret. Similiter voluisse & prædestinâsse, ut alia peccata fierent. Deum quotidiè mandare, urgere & impellere Satanam, ut maleficia concipiat, & homines ad peccandum inducat. Non hoc contentum, etiam per se occultâ vi incitare, movere ac necessitare miseros mortales ad omnia flagitiorum genera perpetranda: Imò ipsum nobiscum peccata nostra operari, eoq; magis ipsum quam nos, quòd ipse sit principale agens & operans, nos mera duntaxat instrumenta. Dicendum simpliciter, Deum esse causam & auctorem omnium peccatorum.* Hæc olent officinam calumniæ. Putida sunt mendacia. Aliud sonant nostræ confessiones, suggestus, cathedræ, scripta. Dogma, quòd *Deus sit auctor omnium peccatorum*, quòd *peccata nostra operetur*, quòd *nos tantùm simus instrumentales causæ peccatorum*, *Deus causã*

Universidad de Deusto
Biblioteca

principalis, nõ solùm ab aliis nostratibus, sed & ab ipso Calvino confutatum. Si duriores phrases sive Calvino, sive Luthero, à quo ille hausisse videtur, sive aliis excidérunt, ex illis non est de Ecclesiæ sententia judicandum. Phrases & opiniones privatæ ab Ecclesiæ confessione sunt discernendæ.

XI. Capite sexto fingit, *à nostris negari præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.* Negamus præsentiam per transsubstantiationem, consubstantiationem, inexistentiam, secundùm indistãtiam loci: non negamus præsentiæ veritatem, non veram perceptionem veri corporis & sanguinis Christi, sed contra Anabaptistas, Photinianos & quosvis alios contradicentes tuemur.

XII. Capite septimo fingit, ex Calvinistarum sententia, *omnes filios fidelium, vi promissionis Abrahamo factæ, esse sanctos & hæredes æternæ vitæ, nec posse unquam perire: baptismum nihil aliud esse, quàm publicum sigillum, quo Ecclesia testetur, filios fidelium sanctos esse; Sicut olim non circumcidebantur filii infidelium, eo quòd in fœdere promissionis non continerentur, ita nunc filios infidelium non debere admitti ad baptismum, quia à promissione fœderis excluſi sint.* Fingit, *spurios, sive sint fidelium, sive infidelium liberi, æternæ damnationi obnoxios, nec ad baptismum admittendos esse.* Probare conatur ex articulis quibusdam reformationis Calvinisticæ sparsis in Palatinatu anno 87. Vide conscientiam! Sciebat, à nostris rejici, tanquam supposititios. Fatetur enim. Malignum impostorem confutat publica praxis Ecclesiæ.

XIII. Capite octavo denique litem movet Calvino de *Exorcismo.* Atqui non ille solus, non nostri soli eum improbant, sed & plurimi Lutherani. Ipse Jesuita nominat Ægidium Hunnium, ejusque rationes solvere conatur. Illi addo Ordines Protestantes, qui in causis, cur ad Concilium à Pio IV. institutum non veniant, inter ea referunt, de quibus Christus dixit, *Frustrà me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum*, Matth. 15, 9. Addo superioris Germaniæ Ecclesias, quæ facto testatæ sunt, se improbare. Abrogârunt enim. Hoc esto specimen fidei Jesuiticæ, libro tertio editum. Plena tum harum, tum reliquarum corruptelarum, depravationum, calumniarum, mendaciorum confutatio in suum locum reservatur. Hic aliquam indicinam exstare, erat operæ pretium.

XIV. Communes controversias, in quibus Lutherani & Calvinistæ à Papistis dissentiant, has potissimùm esse pronunciat.

1. De *Scriptura.*
2. De *Traditionibus.*
3. De *Ecclesia.*
4. De *Capite Ecclesiæ.*
5. De *Judice controversiarum.*
6. De *Antichristo.*
7. De *Invocatione sanctorum.*
8. De *Purgatorio.*
9. De *Communione sub utraq; specie.*
10. De *Sacrificio Missæ.*
11. De *Sacramentis in communi.*
12. De *Vocatione ministrorum.*
13. De *Cœlibatu sacerdotum.*
14. De *Peccato originali, mortali, veniali.*
15. De *Libero arbitrio.*
16. De *Justificatione.*
17. De *Observatione legis.*
18. De *Merito bonorum operum.*

XV. Reliquas controversias omittit, quòd minoris sint momenti. Huc pertinent, quæ de satisfactionibus propriis & alienis, de Conciliis, de operibus supererogatoriis, de indulgentiis, de votis monasticis, consiliis Evangelicis, de libertate Christiana, de matrimonio & divortiis, de ciborum delectu, de cultu reliquiarum disputantur. Sunto illę primariæ, quas hîc tractat: Sunto istæ minoris momenti. Non contendam. Nec nunc alias movebo, quàm quas ipse proposuit. Ex illis mediocriter constabit, quid de reliquis sit sentiendum.

SECTIO IV.

An ex decisione controversiæ de Ecclesia, Iudice controversiarum, & Vocatione ministrorum omnes reliquæ ita dependeant, ut ex unius decisione de tota religione statui possit?

I. PRiusquàm ad singularum controversiarum tractationem se accingat, in antecessum notat, *tres esse præcipuas, à quibus reliquæ omnes dependeant.* 1. De *Ecclesia.* 2. De *Iudice controversiarum.* 3. De *Vocatione ministrorum. Ex singulis definiri posse reliquas omnes saltem aliquo modo.* Id notare viro placuit propter eos, quibus non vacat, singulas controversias scrutari & examinare. *Hos enim posse* judicat *ex unius decisione de tota fide ac religione statuere.* De duabus agnosco; De tertia non agnosco. Ita est, ut dicit. Si Ecclesia Christi errare non potest in fide, nec alibi ea reperitur, quàm apud Papistas, omnino omnes articuli fidei, quos Ecclesia Pontificia profitetur, erunt veri, nulli erronei, quos rejicit, falsi & erronei. Papistæ igitur causa erunt superiores: nos cadimus. Attendant ergo Papistæ & quicunque alii probè, num utrumque solidè probet Becanus. Memineris autem probè, cùm infallibilitatem tribuit Ecclesiæ, non auditorum, non Episcoporum, sed capitis ratione tribuere. A capite tota pẽdet. Si sit absque Pontifice, possunt errare Episcopi non solùm singuli, sed in universali concilio congregati. Ut *Ecclesiam errare non posse*, idem sit, ac si dicas, *Pontificem Romanum errare non posse.* Hoc si demonstraverit Jesuita, illi vicerint. Nos cedemus.

II. Quid verò si nos demonstremus, Pontificem & Ecclesiam Pontificiam errâsse? Tum Papistæ cadunt suo gladio jugulati. Si enim vera Christi Ecclesia errare non potest, & Papistica erroris à nobis convincitur, patebit, eam non esse veram Christi Ecclesiam, cujus titulos Becanus proponit. Si bene sibi sunt Papistæ conscii, hanc insistant viam. Demonstrent, se nec errare, nec errare posse: Ita credemus, ipsorum Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, quam nobis describunt. Quòd jactant, se esse Ecclesiam Christi, eamque errare non posse, & hinc concludunt, se non errare, id nimis alienum, & ridiculum, postquàm in errore manifesto sunt deprehensi. Similes scilicet adulteræ, quæ in adulterio deprehensa, cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

accusatur, omissâ accusatione, clamat, se castam & pudicam matronam, idq; quòd viro casto nupserit virgo immaculata, qui fidem ipsi dederit stabilis connubii. Repeto, quod dixi; Probent, Ecclesiam, id est, Romanum Pontificem errare non posse. Et vicerint.

III. Idem dico de altera controversia. Si Ecclesia Papistica, adeoque Papa Romanus solus est summus & œcumenicus omnium controversiarum judex, quod in Ratisbonensi colloquio Jesuitæ sonorâ voce contendebant, Papistæ ubique causam obtinent. Nos ubique succumbimus. Nemo ægrè ferat, me ita repetere. Becanus quidem nominat Ecclesiam, *sive per Pontificem, sive per Concilia à Pontifice approbata pronunciet.* Sed revera res ad solum Pontificem redit. Clarum, cùm per Pontificem pronunciat. Nec obscurum, cùm pronunciat per Concilia à Pontifice approbata. Omnis enim auctoritas in uno Pontifice residet. Si ille approbet, ratum est decretum. Si improbet, irritum est, etsi totum Concilium consenserit. Ergo sub amabili Ecclesiæ nomine unus homuncio nobis judex datur. Ille pars, ille hostis noster. Ille si est summus & absolutus judex, nos manifestè erramus.

IV. At, ô boni, si Scriptura est norma controversiarum plenaria, si Deus in Scriptura loquens summus judex, nos vicimus, Papistæ cadunt causa. Hoc non obscurè concedit nobis Jesuita. Magnum sanè rei gerendæ compendium! Quod nobis cum Optato Milevitano, cum Basilio Magno, cum Augustino & aliis sanctis Patribus est commune. Omnes facilè intelligunt, utra pars verior. Papistæ clamant, *Iudicet Papa, an rectè sentiamus sequentes ipsius ductum & dictata.* Nos dicimus cum Augustino, lib. de Grat. & lib. arb. c. 18. *Sedeant inter nos judices Apostoli, Christus iudicet.* Nos dicimus cum Optato, lib. 5. contra Parmen. *De cœlo quærendus est iudex. Sed ut quid pulsamus cœlum, cùm habeamus hîc in Evangelio testamentum? Is, cuius testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas eius velut in testamento, sic in Evangelio inquiratur.* Dicimus cum Basilio M. ex ep. 80. *Stemus arbitratu Scripturæ inspiratæ à Deo, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino adjudicetur sententia.* Hîc obtestor omnes bonos, quibus non vacat legere omnes controversias. Legant & judicent, an veri simus cum Augustino, Basilio & Optato. Si veri, Deus in Scriptura loquês auctoritatem summi judicis, Scriptura dignitatem normæ plenariæ tuetur. Quæ si Deus & Scriptura obtinent, nos totam causam obtinemus. Becanus fatetur, dum auctor est, ut ex *unius huius* quæstionis decisiõe de *tota fide ac religione* statuatur.

V. Dixi, de tertia controversia me nõ agnoscere. Id repeto. Jactat, *si constet, ministros Lutheranæ, aut Calviniana religionis non esse legitimè vocatos ad ministerium, sicut hactenus suam vocationem probare non potuerint, iterum sequi, ab illis neque Evangelium legitimè prædicari, neque sacramenta ritè administrari posse; ac proinde ad Catholicam Ecclesiam confugiendum, in qua sit constans, legitima & nunquam interrupta Pontificum & Episcoporum successio, quæ alibi non reperiatur.* Hoc totum falsum, calumnioſum, & plenum inanis jactantiæ. Jactat, *ministros Lutheranæ & Calviniana Ecclesia hactenus probare non potuisse suam vocationem.* Fœda calumnia. Probârunt multoties. Papistæ evertere non potuerunt. Videat lector æquus controversiam duodecimam, & judicet. Legitima prædicatio verbi & administratio sacramenti, vel de *iure & auctoritate*, vel de *veritate* intelligitur. *Priori* sensu concedo, qui non legitimè est vocatus, cum nec legitimè verbum prædicare, nec rectè administrare sacramenta posse. *Posteriori* apertè falsum est, quod vel ipsi Papistæ nobis probant. Simoniacos & intrusos vix palàm dicent legitimè vocatos; Canones certè damnant. An nulli sunt, nulli unquam fuerunt inter Papistas? An illi non potuerunt veram doctrinam docere ac administrare sacramenta? Num omnes legitimè vocati vera docent? Aliud testantur, qui post vocationem legitimam in hæresin prolabuntur. Nempe quemadmodũ medicus legitimè vocatus potest venenum ægro propinare, ac intrusus salutarem medicinam parare, sic legitimè vocatus falsa, & illegitimè vocatus vera docere potest. Etsi igitur constaret, nostros destitui vocatione legitima, nõ tamen caderemus causa in omnibus cõtroversiis.

VI. Plenum est vanissimæ jactantiæ, quod de nunquam interrupta successione deblaterat, oblitus successionis *doctrinæ*, sine qua successionem *cathedræ* jactare, est Pharisæorum, non Christianorum. *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* inquit Tertullianus lib. de Præscript. adversùs Hæret. *Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorũ*, inquit Hieronymus C. *Non est facile*, Distinct. 40. τὸ γὰρ ὁμόγνωμον, καὶ ὁμόδοξον, ἑνότητος, τὸ δὲ ἀντίδοξον, ἀντιθέσεως, inquit Nazianzenus orat. in laudem Athanasii, id est, *Qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoque throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius quoque in throno censeri debet.* Deus nusquam promisit Ecclesiæ successionem personalem, ut Pontifices & Episcopi nõ interruptâ serie ab Apostolorum ætate in nostrum tempus & usque ad consummationem seculi, de capite in caput ita succedant, ut ista successio de momento in momentum explicitè & distinctè necessariò & semper cognosci debeat, & omnibus demonstrari queat. Ideo neque mandato, neque exemplo ad eam scrutandam nos amandat, ubi quæstio de doctrina movetur. Nec est ad doctrinæ successionem absolutè necessaria, nec necessariò credenda. Multominùs principium fidei. Inter motiva fortè quis referat: non esse absolutè necessarium, omnes intelligunt. Alioqui enim sine eo veram doctrinam nemo esset amplexus.

VII. Si ex defectu vocationis de tota religione statui potest & in nostris defectus ille deprehenditur, primi illi Reformatorum nostrorum Antagonistæ cæci fuerint, aut causæ propriæ proditores. *Cæci*, si non viderunt defectum. *Proditores*, si viderunt & non exprobrârunt. Potuissent Lutherum & alios nostrates hoc uno telo confodere. Nec ullo Scripturæ testimonio, nec catholico Antiquitatis consensu constat, personalem successionem esse notam veræ, defectum, notam falsæ religionis essentialem. Certè non sunt termini convertibiles. Ecclesia enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christiana Apostolorum tempore vera docebat citra personalem successionem: Judaica hanc habebat, nec tamen vera docebat. Nec deerat Arianis, Nestorianis, Donatistis, Macedonianis. Non ideo veritatem docebant. Hodie Ecclesia Syriaca & Græca Antiochiæ, Alexandriæ, Constantinopoli habet. Num ideo verâ doctrinam docet? At Pontificem non agnoscit caput, & inde Pontificiis improbatur. Præterea Bellarminus lib. 4. de Notis Eccl c. 8. fatetur, *non necessariò colligi, ibi esse Ecclesiam veram, ubi est successio.*

VIII. Jam successionem Pontificum & Episcoporum nunquam interruptam vel de omnibus Ecclesiis Pontificiis, vel de una Romana asserit. Si de omnibus, unde demonstrabit? Non volet. Alibi enim solent ad Romanam restringere. Ubi dispiciendum, num ad urbem, an gentem, an orbem Romanum restringatur. Si de gente ac orbe Romano, non præcisè de urbe Roma asseratur, quid juvabit Pontificiam causam? Ejus n. salus in urbanæ Ecclesiæ successione collocatur. Quocûque verò sensu loquaris, quæro, num ista successio in Ecclesia Romana, sit de fide? Quis definivit? Ad Scripturam nemo provocabit. Est enim quæstio facti. Num Cõcilium ullum oecumenicum definivit? an Pontifex Romanus? Atqui primò nusquam exstat definitio. Deinde Pontifex esset judex in propria causa, & quidem fallibilis. Agnoscunt enim Papistæ communiter, errare posse in quæstione facti. Nemo igitur prudens illi fidem adhibebit, & hoc nomine ad Ecclesiam Papisticam transibit, quòd pronunciet, sese Petri esse propaginem eique non interruptâ serie succedere, quod non potest pronũciare, nisi definiat successionis principiũ, i.e. œcumenicum Petri papatum in Romana sede, jubente Domino, institutum, & eodẽ jubente constitutum, qui in munere, quo functus est, pari auctoritate succederet. Num fortasse Scriptura promisit? Non invenio magis Romæ, quàm Alexandriæ, quàm Antiochiæ, quàm Cõstantinopoli promissum.

IX. Rem si propiùs inspicias, palàm erit, laudari legitimam & nusquam interruptam Pontificum successionem, non probari. Numerantur, fateor, longo ordine Pontifices. Non sic successio, qualis describitur, obtinetur. Tolle doctrinæ successionem, quid est personalis successio? Bellarminus l.l. contendit, quòd *omnes Ecclesiæ Patriarchales habuerint per longa tẽpora Episcopos manifestos hæreticos, & proinde interrupta sit veterum pastorum successio.* Hæresis igitur interrumpit successionem. Num quàtalis, an quatenus longo tempore durat in una sede? Durationi longæ vix potest tribui. Æstimanda res ex natura & principio. Agnoscit Jansenius Voëtii Antagonista scribens: *Si qui in hæresin lapsi sunt, hoc ipso, ut Ecclesia, ita & omni papali dignitate exciderunt.* Hæresis igitur per se, non tantùm longa ejus duratio abrumpit successionis filum.

X. Jam res ferè confecta est. Negent Papistæ, si possunt, sedem Romanam unquam tenuisse hæreticos, aut agnoscant, interruptam esse successionem. Zepherinum Montani prophetias agnovisse, auctor est Tertullianus. Marcellinus idolis sacrificavit, fatente Bellarmino lib. 4. d. P. R. c. 8. Liberium perfidè Arianorum factioni

ctioni se adjunxisse, Athanasius, Hilarius, Hieronymus scribunt: è Papistis Alphonsus à Castro fatetur. Felix ab Arianis factus Episcopus fuit Arianus, si credas Hieronymo de Scriptor. Eccles. Etsi verò aliis aliud placuisse videatur, res tamen tam suspecta, ut dubitatum fuerit Romę anno 1582. an ejus nomen in novo Martyrologio esset consignandum, apud Bellarminum l.l. c. 9. Honorium Monotheletam fuisse, constat tum Conciliorũ, tum Agathonis Papæ testimonio. Gregorius XII. & Benedictus XIII. ann. 1411. à Concilio Pisano, & Johannes XXIII. à Constantiensi hæretici sunt declarati.

XI. Legitimam successionẽ tollit sacrilega intrusio. Sic ipsi Papistæ ex lege Nicolai II. qui *non apostolicum, sed apostaticum habendum declaravit, quisquis non canonicâ electione in thronum Petri adscenderit,* referente Platinâ. Cum hac conferat, qui volet, qui per simoniam, qui artibus magicis & operâ diaboli irrepserunt, qui à meretricibus & aliis intrusi sunt. Quàm horribilibus exemplis graffata sit intrusio in Romana sede, notum omnibus: non est, cur ego hîc deducam. Unus Baronius clarè monstrat magno cum dolore. Nominat monstra, quæ sedem invaserunt. Nec malum brevis temporis memorat, sed integri seculi, & quod excurrit. Non tangam ordinis Pontificii singulare decus atque ornamentum, Johannem VIII. qui postquàm successionem fortè firmaturus, ex servo concepisset ac aliquamdiu occultè ventrem tulisset, in via publica dum ad Lateranẽsem Basilicã proficisceretur, inter theatrũ Colossenum & S. Clementẽ doloribus circumventus peperit.

XII. Vox est Papistæ: *Schismata tollere omnem successionem.* Negẽt igitur Schismata triginta, ab Onuphrio nobis memorata, quorum unum annos quinquaginta duravit, aut fateantur, interruptam esse legitimã successionem, aut certis rerũ documentis demonstrent, quinã ex Anti-Papis fuerint legitimi. Diuturni Schismatis tempore, alios agnovit legitimos & coluit curia Romana, alios Gallia. Quis hujus controversiæ judex futurus, qui eam ita decidat, ut fides hominum in tuto collocetur, & satisfiat conscientiis?

XIII. Sanè qui lectores occupatos ad unam quæstionem successionis legitimæ atq; non interruptæ, tanquam compendium, vocat, ut ex ejus decisione de tota fide ac religione statuant, is nimiopere fallit ac fallitur. Quantæ enim molis est veritatis hujus vestigatio? Quantis difficultatibus impedita? Quibus mediis demonstrabitur, *ab Apostolorum tempore usque in hanc ætatem, perpetuâ serie, Pontifices & Episcopos in caput successisse, qui eandem doctrinam tenuerint & propagaverint in Ecclesia Catholica, quam hodie Pontificia tenet ac defendit?* Quis nobis dabit historiam certam, integram, incorruptam sedecim seculorum? Baronius & Onuphrius Scriptorum & monumentorum defectum passim deplorant. Quanta Scriptorum superstitum multitudo & varietas! Quanta traditionum impermeabilis infinitudo! Quantæ fraudes in supponendis, aut subornandis auctoribus Ecclesiasticis! Quis sive Argus, sive Aristarchus omnes spurios fœtus à genuinis discernet? Quis corruptos restituet suæ integritati? Quis nos docebit, correctionẽ & mutatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionē Patrum, quā aliquando Papistæ à se factam profitentur, non esse corruptionem? Augustini editores Veneti anno 158. in titulo testantur, *se removisse ea omnia, quæ sidelium mentes hæretica pravitate possent inficere, aut à catholica & orthodoxa fide deviare.* Parisienses anno 1571. idem fatentur. Quis dubitet, idem fecisse Lovanienses? Sixtus Senensis Pium V. laudat, quòd *expurgari & emaculari curaverit omnium Catholicorum & præcipuè veterum Patrum scripta hæreticorum ætatis nostræ fecibus contaminata & infecta.* Ipsi Papistæ fidem historicorum, per quos in successionis plenariam notitiam deducēdi eramus, quoties usus postulat, mirè elevant. Unum Bellarminum vide. Illi Eusebius est Arianus, Socrates & Sozomenus, Novatiani; Alii indocti & simplices sunt, alii nimis creduli, nonnulli affectui suo indulgent, aut partibus nimium studēt. Papistæ fidem eis habent, cùm volūt, & quantū volunt, derogāt, cùm ex usu est.

XIV. Quid hic facturus est lector occupatus? Quo cortice vectus emerget ex hac abyssō? Præsertim cùm nondum definitus sit unquam Auctorum numerus, ex quibus suam successionem volunt demonstrare. Si definiant; aut declarabunt eos omni exceptione majores, & omni adversus eos exceptioni renunciabunt, aut examini & exceptioni obnoxios declarabunt. Si *prioris* notæ Auctores dabunt, audiet lector, at ipsi tenebuntur exceptionibus, quibus multorum fidem hucusque solicitārunt, mittere nuncium. Si *posteriotis*, quid faciendum? Num homo multùm occupatus inter partes litigantes ac tot tam varios testes, sedebit judex ac pronunciabit, quid & cui Auctoritati sit credendum, quid & cui non credendum? Suone, an alieno judicio nitetur? Illud onus Ætna gravius. Hoc apud quos quæret? Num Jesuitas? Nec tutum, nec æquum. Pars sunt. An Roma petet? Non magis æquum. Nam & ipsa pars.

XV. Ita Becanus in ipso limine deprehenditur malè consulere lectori occupato. Si tamen ex hac de vocatione quæstione placeat de totius rei summa statuere, age, lector cordatus hanc viam insistat. Inquirat in vocationem Pontificis œcumenici solitarii, & Cardinalitū, universalium Principum Ecclesiæ Catholicæ. Sic vocari amant. Probet Romanus Episcopus, se legitimè vocatum esse ad Pontificatum Ecclesiæ Catholicæ Oecumenicum solitarium ac potestatem in eo spiritualem & temporalem exercendam ex Christi instituto. Probent Cardinales suum ordinem, qualis hodie est in Romana Ecclesia, à Deo institutum, & divinam ad eum dari vocationem. Audiemus, & probantibus applaudemus. Interim examen singularum controversiarū eo ordine, quo Jesuita proposuit, in Dei nomine aggrediemur, universâ tractatione in duos tomos divisâ.

Prior tomus sequentes controversias exhibet.

I. De *Scriptura.*
II. De *Traditionibus.*
III. De *Ecclesia.*
IV. De *Ecclesiæ capite.*
V. De *Judice controversiarum.*
VI. De *Antichristo.*

CON-

CONTROVERSIA PRIMA DE SACRA SCRIPTVRA.

MARTINUS Becanus in primo disputationis limine monet, in scripturâ tria spectari posse, in quibus nos à Papistis discrepemus, unde inquirendum sit, utri sentiant rectiùs. Sunt autem ista 1. *Canon, seu catalogus librorum scripturæ.* 2. *Versio, seu translatio ex Hebræo & Græco textu in Latinum, Germanicum, Gallicum, aut quemvis alium.* 3. *Sensus literalis & mysticus.* Tria illa in Sacrâ Scripturâ spectari posse, & in illis nos dissidere à Papistis, certum; sed nec spectantur sola, nec in illis tantùm est sententiarum discrepantia. Etiam spectatur auctoritas, *αὐθεντία*, perfectio, lectio, in quibus omnibus non minùs, quàm in tribus Becano nominatis capitibus diversum sentimus à Papistis. Nos auctoritatem Scripturæ majorem agnoscimus, quàm Ecclesiæ; illi majorem Ecclesiæ, quàm Scripturæ. Nos in veteri testamento Hebræam, in novo Græcam editionem authenticam prædicamus; Illi soli latinæ vulgatæ honorem istum deferunt. Nos affirmamus, scripturam continere omnia ad salutem scitu necessaria dogmata; illi negant. Nos denique plebi Christianæ lectionem scripturæ in linguâ vernaculâ permittimus, suademus, vindicamus; Isti prohibent multis modis. Quorum omnium mentionem cur in ingressu nullam fecerit, non excutio. Certè in progressu non potuit omnia silentio involvere, ut patebit loco suo. Hîc in canone, versione, & sensu Scripturæ dissensionē nostris exprobrat, ac eo nomine disquirendum proponit. 1. *Qui libri Scripturæ sint canonici?* 2. *Quæ sit legitima Scripturæ versio?* 3. *Quis sensus literalis, & quis mysticus?* 4. *An sensus Scripturæ sit obscurus?* 5. *Quæ sit causa hujus obscuritatis?* 6. *An nos habeamus veram Scripturam? Et an ex eâ contra Papistas disputare possimus?* Nos dissensionem ultrò profitemur. Utri sentiant rectiùs, à disputatione patebit. In illam animū pius lector intendat, & in vero timore Dei ex re judicet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QUÆSTIO PRIMA.

Qui libri Scripturæ sint canonici?

SECT. I.

Controversiæ status formatur, & Becani probatio confutatur.

I. BEcanus de canone disputaturus ante omnia vocis significationē præmittit & applicat, indè quæstionem formatˌ sensum Papisticum promit & pingit, nostrum traducit, pro eo sibi objicit, quæ vult, & objecta confutat, ut potest. Nostrum est, expendere singula. Canon illi duo significat. 1. Normam, seu regulam, quam sequimur. 2. Catalogum, seu numerum aliquarum rerum. Plura significat; sed cùm illa materiam præsentem non spectent, intra duo expressa significata sermonem contineri, facilè patimur.

II. In applicatione contendit, utroq; sensu libros Scripturæ vocari canonicos. Priori quidem, quia contineant normam, seu regulam, quam in fide & moribus sequi debemus. Posteriori, quia in catalogum librorum canonicorum sint relati. Non abnuimus; sed ambiguitatis fraudem jubemus ab utroque facessere. *Apriori*, ne regulam *partialem* & *imperfectam* pro *totali*, *perfectâ*, *unicâ* & *solitariâ* nobis obtrudat more suo. A *posteriori*; Dicit, canonicos appellari, quia in catalogum librorum canonicorum sint relati; non dicit, à quo relati, nec expedit homonymiam appellationis. Intelliguntur enim libri in canonem vel à Deo, vel ab Ecclesiâ relati. Et canon intelligitur vel divinus, vel Ecclesiasticus. Ab utroque libri canonici dici consueverunt, sed non eodem sensu. Prior canon à Deo ipso designatus, & Ecclesiæ publicè commendatus est; Alter ab Ecclesia humanâ consecratus est auctoritate. Qui in illo sunt, omnino sunt infallibilis canon fidei vitæque; Divinitus enim inspirati, & in id Ecclesiæ publicè commendati. Qui in isto continentur, non mox omnes sunt canon fidei & morum, sed omnes judicati ab Ecclesiâ utiles lectu. Indè prior presse, exquisitè ac propriè, alter latè, minùs exquisitè ac impropriè canon dicitur. In priorem solus Deus refert libros, ipse solus auctor canonis, Ecclesia non refert, sed à Deo relatos testatur & declarat; quæ declaratio nec prima, nec præcipua est ratio canonici nominis, sed potiùs divina consignatio & commendatio. Jam manifestum est, sicut duplex est canonis notio, sic libros dupliciter canonicos appellari, nempe quòd sint vel in propriè & presse dicto, seu divino, vel latè ac impropriè dicto, seu Ecclesiastico canone. Quod hîc in antecessum annotandum fuit, tum ut quæstionis sensus tanto planior fiat, & concessa à controversis separentur, tum ut appareat, cur veteres nonnulli plures, alii pauciores libros canonicos numeraverint.

III. Quæstionem Becanus sic formatˌ *Quinam libri veteris & novi testamenti sint canonici, hoc posteriori sensu?* Id est, quinam relati sint in canonem, seu catalogum librorum scripturæ, tanquam divini, seu à Deo inspirati. In Manual. lib. 1. c. 1.

1. c. 1. q. 1. num. 2. in Schol. Theol. part. 2. tom. 2. cap 3. quæst. 1. num. 2. Cur ad posteriorem sensum quæstio restringatur, causam idoneam non video. Certè prior excludi non potest. Omnino enim quæritur, Quibus libris ex auctoritate divinâ competat, ut sint fidei vitæque canon infallibilis? Jam, si Papistis credas, sunt hi libri veteris testamenti: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomiū, Josua, Judices, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus, quatuor majores Prophetæ, duodecim minores, duo libri Maccabæorum. Item hi libri novi testamenti: quatuor Evangelia, Actûs Apostolorum, quatuordecim Epistolæ Pauli, tres Johannis, duæ Petri, una Jacobi, una Judæ, Apocalypsis Johannis. Sic Becanus l. l. qui Novi Testamenti canonem divinum rectè expressit, at veteris Papisticum canonem expressit, divinum non expressit purum ac incontaminatum. Infarcit n. integros libros complures, qui in veteri canone divino nunquam fuerunt. An sub canonicorum, i. e. Esther, Jeremiæ & Danielis nomine appendices additicias, & obelis verubusque jugulantibus, tam in Græcis quàm in Latinis codicibus, transfixas comprehēdat, non satis liquet. Nos nec istas appendicum lacinias, nec integros libros, quos Papistæ ingerunt, humanâ auctoritate in canonem divinum referri, patimur.

IV. Hinc ille clamat l. l. num. 4. in hôc canone non paucos libros expunxisse suos adversarios, & quidem Calvinistas in veteris, at Lutheranos in novi Testamenti canone. Calvinistæ, quos homo improbè vocat, ex divino veteris testamenti canone nullos unquam expunxerunt, quamvis Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Maccabæos, appendices Danielis de hymno trium puerorum, Susannæ, Belis & Draconis historiâ, item septem posteriora capita Esther & Baruchum, inter verè proprieque canonicos non suscipiant. Non suscipiunt, absque omni dispunctione. In divino enim canone, de quo solo hîc sermo est, & cui soli omnis pius intellectus necessariò subjicitur, nunquam fuerunt; in Papistico & fuerunt aliquamdiu & adhuc sunt, non sunt à nostris expuncti. Sed canon ille non divinus, non catholicus, sed Papisticus, sed humanus est, proinde non est canon quæstionis. Supponit enim nobiscum Becanus, in eo non esse nisi divinos & à Deo inspiratos libros, quales controversi non sunt. Lutheranos accusat, quòd tum eosdem, quos nostri, è Veteris Testamenti canone, tum ex canone Novi Testamenti epistolā ad Hebræos, epistolam Jacobi, epistolam Judæ & Apocalypsin Johannis expunxerint. Jam quidem nonnulli Lutherani, Lutherum secuti, librorum è Novo Testamento laudatorum auctoritatem in dubium vocarunt, non tamen omnes. Imò hodie plerique verè apostolicos nobiscum agnoscunt, ac dubitationem superioris temporis non ad *auctoritatem*, sed ad *auctorem* referunt. A quibus si alii morosiùs dissentire pergant, nec nostrum est culpam præstare, nec Evangelicæ Ecclesiæ; à quâ universa quin Papistis facilè

pax ſit futura in novi teſtamenti canone, ego non dubito, modò ab his pax illi eſſet in canone veteris teſtamenti. Totius enim rei cardo verſatur in eo, quòd Papiſtæ veteris teſtamenti canoni libros infarciunt, quos γνησίους, ſeu propriè canonicos nos non agnoſcimus. Illos ſi *divino* canoni ingerere ceſſent, contenti numerare in *Eccleſiaſtico*, jam pax facta eſt. Inter canonem Eccleſiaſticum & Papiſticum hoc intereſt, quòd hic omnes libros, quos continet, pares facit; ille non facit. Ideo dico, ſi libros controverſos non in divino, ſed Eccleſiaſtico canone numerent, pacem jam factam eſſe. Sin pugnare porrò lubet, non detrectamus pugnam. Multi ante Becanum pugnarunt nullo ſucceſſu; veritas ubique palmam obtinuit, quam ſi Becanus ei eripiat, ipſius deinceps ſequemur ſigna.

V. Probatio Jeſuitæ ſic habet; *Hic canon habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. Et patres illius Cõcilii acceperunt illum per traditionem ab Eugenio Papa in concilio Florentino, ut videre eſt apud Bartholomæũ Carranzam in ſumma Conciliorum. Rurſum Eugenius illum accepit à Gelaſio Papa, in Concilio Romano, ut patet ex 2. tomo conciliorum, in decretis Gelaſii circa finem. Iterũ Gelaſius ab Auguſtino lib. 2. de Doctr. Chriſtiana c. 8. Et Auguſtinus à Concilio Carthaginenſi tertio, quod alii quintum, alii ſextum vocant. Denique patres hujus concilii ab Innocentio I. epiſt. 3. ad Exuperium c. 7. vixit autem Innocentius anno Chriſti 402. Igitur ab illo tempore primitiva Eccleſia ad nos uſque, per continuam traditionem perſeverat idem ille ſcripturæ canon, quem nos catholici nunc tenemus & amplectimur.* In Manual. & Schol. Theol. l. 1. num. 3.

VI. Non ſic palmam eripit veritati, cui militamus. Nam primò non concludit quæſtionem propoſitam. Non quærebatur, an canon ab Innocentio I. uſque ad hæc tempora perſeveraverit, quem Papiſtæ jactant, ſed, quinam libri verè ac propriè ſint canonici? Illud concludit, nullo ſuo commodo. Hoc non concludit. Error manifeſtus. Secundò. Ultra Innocentium aſſurgere non audet, Andradium non obſcurè damnans audaciæ, qui continuatam traditionis ſeriem uſque ad Apoſtolorum tempora extendere non verebatur. Magnum cauſæ Papiſticæ præjudicium, quòd intra primos à Chriſto quadringentos annos teſtis idoneus Papiſtici canonis nominari non poteſt. Si enim poteſt, cur non nominabat Becanus, cùm in traditione ſpem omnẽ collocaret? Non poſſe nominare, haud obſcurè fatetur, dum primum, qui legitimè definiverit, Innocentium fuiſſe, ſcribit, Num. 6. Tertiò. Sed nec ab Innocentio uſque ad nos eſt abſque interruptione continuata ſeries. Nam inter Innocentium & Gelaſium ſunt anni ferè octoginta: At à Gelaſio ad Tridentinum Concilium interceſſerunt decem ferè ſecula integra, quo tempore alios aliter ſenſiſſe, manifeſtè conſtat. Quartò. Omnia teſtimonia producta ſunt particularia, nullum univerſalis Eccleſiæ. Nam Innocentius, Gelaſius, Auguſtinus fuerunt Epiſcopi particularium Eccleſiarum, illi Romanæ, iſte Hipponenſis. Eadem conciliorum citatorum ratio. Ideo ferre non potuerunt ſententiam, cui obnoxia

obnoxia eſſet tota Eccleſia catholica.

VII. Hîc poteramus quieſcere. Jeſuita enim & concludendo aberravit à janua, & probando defecit manifeſtè. Ut tamen æquus lector, quàm infirmis tibicinibus Papiſtica nitatur cauſa, tanto clariùs intelligat, ſingula momenta expendam. Primò concedo, canonem papiſticum haberi in concilio Tridentino; ſed illius nulla in hac cauſa eſt auctoritas. Tulit enim ſententiam, reo non ſatis audito; idem fuit accuſator & judex, & quidem rei hoſtis capitalis: omnes interlocutores & deliberatores fuerunt uni parti addicti, alterius adverſarii; Vox libera ferri non potuit; quod Antonii Marinari Carmelitæ, cùm de verbo Dei ſcripto & non ſcripto liberiùs diſſeruiſſet, à Cardinali Polo aſperè reprehenſi exemplo conſtat. Præterea quinque Cardinales & quadraginta octo Epiſcopi decretum condiderunt; E Germania ne unus quidem adfuit Epiſcopus, unicúsve theologus. Unus Auguſtanus Cardinalis procuratorem miſerat, cumque non Germanum, ſed Allobrogem. Num verò Germaniæ præſcriberent canonem homines externi pendentes ab uno Pontifice, idque ſub anathemate?

IX. Secundò. Non juvaret cauſam, ſi Tridentinum Concilium accepiſſet canonem ab Eugenio Papa in concilio Florentino. Hoc enim non tantùm non fuit œcumenicum, ſed & ſolius Eugenii malitiâ & vafricie anno 1438. coactum, in fraudem concilii Baſileenſis, à quo ille pridie Cal. Auguſti an. 1437. peremptoriè citatus, Cal. Octobr. contumax declaratus, Cal. Febr. an. 1438. ſuſpenſus & anno ſequente depoſitus eſt ſolenni decreto. Sed nec Florentini Concilii, quod ex hiſtoria conſtet, ulla Trideuti, in hac quæſtione, facta eſt mentio, nec in Florentinis actionibus & decretis canon ille uſquam legitur. Edidit conciliorum tomos Petrus Crab Franciſcanus, poſt illum Laurentius Surius Carmelita, poſt utrumque Dominicus Nicolinus Venetus. In nulla editione decretum legitur. Quomodo igitur Tridentini ab Eugenio in Florentino Concilio acceperint? Bellarminus inſtitutionem Armenorum nominat. Ibi non legitur in tomis conciliorum. Summam Carranzæ fruſtrà tum ille, tum Becanus laudat. Quin enim Carranza crimen falſi commiſerit, non eſt dubium, cùm nihil ejuſmodi in tomis conciliorum reperiatur. Crab primò edidit tomos ante Carranzam; ſed hujus ſummam ſecuta eſt illius editio ſecunda. Surius & Nicolinus poſt Carranzæ ſummam ediderunt tomos. Similiter Joverius, theologus Pariſienſis, compendium conciliorum & Pontificum decreta publici juris fecit poſt Carranzam, quem laudat in præfatione; at decretum illud non memorat; ut perſpicuè intelligamus, ab iſtis omnibus hominem criminis falſi damnari gravi præjudicio. De hoc vide omnis eruditionis promum, condum, Johannem Reinholdum in cenſura librorum Apocryphorum part. 1. lect. 41. Et quæſo, ſi Florentini canonem illum definiiſſent, num putabimus, Antoninũ Florentinum Archiepiſcopum, qui concilio interfuit, aliter fuiſſe ſenſurum? Ille part. 3. tit. 13. c. 6. tradit, librorum illorum auctoritatem, ad ea, quæ dubia ſunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

probanda non esse idoneam. Sed nec probabile est, Tridentinos theologos in quatuor de canone partes ire potuisse, si res definita fuisset ab Eugenio in concilio Florentino. De hac discrepantia vide Petri Suavis historiam concilii Trid. lib. 2. pag. 167. & seqq. Tantum abest, ut constet, Eugenium accepisse à Gelasio.

X. Tertiò. Magnum intervallum inter Tridentinos & Gelasium, nec appareat, quomodo illi ab isto, continuâ traditionis serie, per manus acceperint. Fuerunt enim interea multi, qui aliter sentirent. Ne procul eam, in ipsa Romana sede fuit Gregorius I. qui libr. 19. moral. in Job. cap. 13. cùm Maccabæorum testimonio uti vellet, sic præfatur, *de qua renõ inordinatè agimus, si ex libris licet non canonicis, sed tamen ad ædificationem ecclesiæ editis, testimonium proferamus*: Quam distinctionem ab Hieronymo factam, pro regula, & norma Ecclesiæ ad canonem Scripturarum constituendum receptam, ad id Cardinalem Cajetanum citans, affirmabat Aloisius Cataneus Dominicanus in concilio Tridentino. Præterea Gelasius libros controversos non nominat libros canonicos, sed libros *veteris testamenti*; quod nomen illis permitti potest, quia sic facti sunt, ut non possint nisi ad vetus testamentum referri. Quòd recipiantur non tantùm ut ecclesiastici, sed ut propriè presséque dicti canonici, id ex Gelasii recensione non liquet. Titulus enim sic habet, *ordo librorum veteris testamenti, quem sancta & catholica Romana suscipit & veneratur ecclesia, digestº à Gelasio Papa & septuaginta Episcopis.* Si verò ex receptione concludas, verè proprieque canonicos esse declaratos, quantus erit canonicorum numerus? Accensentur enim scripta patrum, & nominatim epistola Leonis ad Flavianum sic recipitur, ut si quis unum jota in illa disputet, anathemate dignus pronuncietur. Si urgeas, appellari *scripturas propheticas*, fateor, sic sonare literam in tomis conciliorum; an Gelasii vox sit, ignoro. Sit autem. Parum juvat Papistas Gelasii auctoritas. Nam unum Maccabæorum librum, reliquis exclusis, nominat; qua in re manifestè sententiam Innocentio attributam deserit, nec tenetur à Papistis; qui si tum hîc, tum in libri canonum apostolicorum rejectione, absque culpa Gelasium deserunt, Protestantibus, verè catholicis, vitio verti non debet, quòd eum non teneant in omnibus.

XI. Quartò. Augustinus non eodem semper sensu canonicos libros nominat. Interdum *strictiùs* eos, qui sunt infallibilis auctoritatis, & ab omnibus admittebantur, ut Epistolâ 19. ad Hieronymum, ubi agit de epistola ad Galatas, & libr. 2. de Bapt. contra Donatistas, ubi loquitur de libris, quos nemo judicare audeat. Aliquando *latiùs*, ut eos complectatur, qui in Ecclesia utiliter leguntur, etsi non habeant infallibilem auctoritatem. Id indè patet, partim quia Apocryphos nominat impios, & ab impiis editos Apostolorum nomine præfixo, lib. 22. contra Faustum c. 79. & super Numeros quæst. 42. partim quia in specie de Ecclesiastico, & Maccabæis sic loquitur, ut omnes intelligant, eum agnóvisse varios canonicorum ordines. De Ecclesiastico vide lib.

lib. 2. Retractat. cap. 10. De Maccabæis lib. 18. de civ. Dei cap. 36. ait, *Quorum supputatio temporum, non in scripturis sanctis, quæ canonicæ appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt & Maccabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones vehementes atq; mirabiles.* Et lib. 1. contra Gaudent. cap. 31. *Et hanc quidem scripturam, qua appellatur Maccabæorum, non habent Judæi, sicut legem, & prophetas, & psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam suis testibus, dicens*, oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & prophetis, & psalmis de me; *sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur, vel audiatur, maximè propter illos Maccabæos, qui pro lege Dei sicut veri martyres, à persecutoribus tam indigna atque horrenda perpessi sunt.* Hæc sufficiunt; modò notes, quòd dicat, 1. non esse in canone Hebræorum, sed tamen receptos ab Ecclesia. 2. Non vocari absolutè canonicos, sed κατὰ τι sc. propter quasdam historias. 3. Utiliter receptos cum exceptione, *si sobriè legantur*, quod de propriè dictis canonicis, citra injuriam affirmari nequit. 4. Christum non perhibuisse illis testimonium, tanquam suis testibus. Cæterùm Becanus malè opponit testimonium ex lib. 2. de Doctr. Christ. c. 8. cùm in aliis, quos postea scripsit, mentem expresserit disertiùs. Librum enim primum, & secundum de doctrina Christiana scripsit nondum Episcopus factus, ut ipse refert libr. 2. Retract. cap. 4. at libros de civitate Dei, & contra Gaudentium scripsit, cùm jam diu fuisset Episcopus, lib. 2. Retract. cap. 43. 59. Interim ipsa etiam verba lib. 2. de Doctr. Christ. satis ostendunt, eum canonicas scripturas laxiori significatu appellare, ut complectatur propriè dictas canonicas, & Ecclesiasticas. Vide Rivetum in summa controv. tract. 1. q. 13. & Chamierum tom. 1. panstr. theol. lib. 4. cap. 3.

XII. Quintò. Augustinum à Concilio Carthaginensi tertio habere canonem, Becanus dicere potuit, non probat. Si tamen indè habet, eodem sensu declaratio Concilii accipienda fuerit, quem ex Augustino eruimus. Aliter si explicare velint Papistæ, meminerint, fuisse particulare, quod tantùm legem dederit Episcopis Africæ, si credas Bellarmino. Papistæ nolunt ejus teneri auctoritate, cùm can. 26. decernit, *ne primæ sedis Episcopus appelletur Princeps sacerdotum*; Et eâ nos hîc constringant? Si dicant, approbatum esse à Constantinopolitano sexto, proinde auctoritatem generalem habere; ego regeram, si in canone habet, cur non in quæstione de principe sacerdotum? In hac si non habet, cur habeat in canone? Idem Constantinopolitanũ sextum Concilium approbavit concilium Laodicenum, cujus canon quinquagesimus nonus libros controversos inter divinos non recenset. Quid? Baronius Constantinopolitanum illud concilium acriter impugnat, tanquam non congregatum in Spiritu Sancto, tom 8. ad Ann. Chr. 692. Præterea Ecclesia nõ agnoscit quinque libros Salomonis, quod Carthaginensis canon præ se fert. Denique Baruchum Tridentini nominant, Carthaginenses non nominant; ut non satis utrisque convenire, palàm sit omnibus.

XIII. Sex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

XIII. Sextò. Quomodo Carthaginenſe concilium tertium acceperit ab Innocentio prætenſum canonem, ego non video, cùm celebratum dicatur circa tempora Siricii an. 397. tom.1. concil. pag.749. Quod eo confirmatur, quòd can.48.de Donatiſtis placuit,ut conſulatur Siricius,&Simplicianus Mediolanenſis. Siricius enim anno ſequente, id eſt, 398.8.Cal.Mart.mortuus eſt,Simplicianus ante nonageſimum ſeptimum non cœpit ſedere,annotante Baronio ad An. 397.num.46. At Innocentius ſedit poſt Siricium, & quidem non proximè, ſed poſtquàm defunctus eſſet Anaſtaſius inter utrumque medius,juxta Onuphrium anno 401.Scripſit verò hac de re ad Exuperium 10.Cal.Mart.Stilicone ſecundò, & Anthemio Coſſ.A.C.405. Non igitur ab Innocentio accepit canonem concilium Carthaginenſe tertium, quod Becanus affirmat.Imò ſi ab hoc concilio verus canon legitimè definitus eſt, quod Becano placet, ergo non primus legitimè eum definivit Innocentius, quod eidem placet Becano. Eſt enim concilio poſterior.Si dicas,*tertium* vulgò dictum, quod Baronius l.l.n.45.*ſecundum* nominat, alii quintum vocant,eſſe *ſextum*,ſub Bonifacio habitum, primò cur Becanus appellat tertium? Et quæ confuſio, in tertio legi, quod poſt multos annos demum in ſexto decretum fingitur? Num tertium, quintum &ſextum ſint unum concilium? Secundò ſub Bonifacio non eſſe habitum,patet à Conſulibus,Cæſario,& Attico,qui non Bonifacii,ſed Siricii tempore geſſerunt conſulatum anno 397. ex Aurelii Caſſiodori,Mariani Scoti, & Cuſpiniani annotatione.

XIV. Dices fortaſſe, *te illud omittere, habeantne Carthaginenſes ab Innocentio,an non habeant; ſatis eſſe, quòd Innocentius legitimè definiverit eundem canonem, quem concilium Tridentinum tuetur.* R. Primò Innocentius privatam ſuam ſententiam expoſuit interrogatus,non edidit generale univerſalis Eccleſiæ decretum, multo minùs ſub anathemate promulgavit omnibus amplectendum.Patet ab epiſtolæ exordio. Scribit enim; *Conſulenti tibi,frater chariſſime, quid de propoſita ſpecie unaquaque ſentirem,pro captu intelligentiæ meæ,quæ ſunt, viſa,reſpondi,quid ſequendum, vel docilis ratio perſuaderet,vel auctoritas lectionis oſtenderet, vel cuſtodita ſeries temporum demonſtraret.* Item; *Mihi quoque ipſi de collatione docilitas accedit, dum perſcrutatis rationibus,ad propoſita reſpondere compellor,eoq; fit,ut ſemper aliquid addiſcat,qui poſtulatur,ut doceat.* Deinde canonis vocem videtur aliquanto generaliùs capere,quia canonicis libris opponit eos,qui non ſolùm improbandi ſunt, ſed etiam damnandi. Præterea an Innocentii definitionem ſecutus ſit Auguſtinus in concilio Carthaginenſi,incertum. Si tertio concilio canonem aſſeras, non ſecutum eſſe,certum; quia,ut dixi,Innocentius epiſtolam *hanc* ſcripſit anno Chriſti 405. ſi credas Baronio ad illum annum,num.62.*Illud* autem habitum anno 397. Imò Baronius l.l.num.63.ſcribit, Auguſtinum antea ſeriem librorum canonicorum texuiſſe,itemque Ruffinum. Si eandem, quomodo Innocentius ſcripſit primus? Si diverſam,utrius major ſit auctoritas,Baronius & Becanus inter ſe

tranſigant.Sed jam ponamus, Auguſtinum poſt Innocentium recenſuiſſe libros.Nullo id Papiſtarum bono factum fuiſſet, ſed magno ſedis,imò totius eccleſiæ Romano-Papiſticæ malo. Receſſiſſet enim ab Innocentio, & declaraſſet tantam ſuo tempore auctoritatem Romani Pontificis non fuiſſe, quantam Papiſtæ jactant. Utrumque manifeſtum. *Prius*; Innocentius enim quinque libros Salomoni tribuit; Auguſtinus non tribuit. *Poſterius*; Nam Auguſtinus in ſcripturis canonicis recipiendis rationem tenendam commendat his verbis; *In canonicis ſcripturis eccleſiarum catholicarum quamplurium auctoritatem* (ſolertiſſimus indagator) *ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ apoſtolicas ſedes habere & epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in ſcripturis canonicis, ut eas,quæ ab omnibus accipiuntur eccleſiis catholicis,præponat eis, quas pauciores minorisq; auctoritatis eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc facile invenire non poſſit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Si Innocentius definiverat canonem,ſi agnoſcebatur Pontifex totius Eccleſiæ oecumenicus, & ſummus omnium fidei controverſiarum judex,isque ἀναπέλθητος, cur non ad unã ſedem apoſtolicam,ad unam RomanamEccleſiam,ad unum ejus Pontificem in hac cauſa nos remittit? Tantúmne canonicarum ſcripturarum indagandarum compendium negligeret? Nemo credet. Nunc addo, etiam Damaſum promulgaſſe canonem in Concilio Romano, ſi credas Baronio. Jam quidem Concilii illius canones non legimus in tomis, legimus tamen epiſtolam Damaſi, & Epiſcoporum nonaginta Romam congregatorum tom.1.pag.715. & Baronius affirmat, interfuiſſe Paulinum, & Epiphanium ex Oriente, itemque Hieronymum, ad Annum 382. Canon ille à Damaſo promulgatus in Concilio [apud Baronium l.l. num.19.] aut idem eſt cum Innocentiano, aut diverſus. Si idem, aut falsò dixit Becanus, Innocentium omnium primum legitimè definiiſſe, aut oſtendat oportet,cur Damaſus illegitimè definiverit.Si diverſus,quis dedit Innocentio poteſtatem recedendi à Damaſi decreto? Et quicquid de eo fiat, aut Innocentius, aut Damaſus erraverit oportet, quo ipſo petitur Papiſmi Romani jugulum.Eligat Papiſta, utrum volet. Denique de Exuperio, & Epiſcopis Galliæ nec teſtatur hiſtoria, nec probat Becanus, quòd ſecuti ſint definitionem Innocentii.Certè conſtat, non omnes omnibus ſeculis ſecutos eſſe. Hic nomino Petrum Abbatem Cluniacenſem in epiſt.contra Petrobruſianos, Hugonem, & Richardum utrumque à Victore nominatum. Sit ſecutus Innocentium Gelaſius, Gregorius hoc antiquior non eſt ſecutus. Totum orbem ad hæc usque tempora eſſe ſecutum,eſt inanis jactatio, quam doctores Itali, Germani, Angli, Galli, Hiſpani infrà recenſendi confutant.

XV. Ita prorſus actum eſt de ſpecioſo Becani apparatu. Alias probationes alii quidem Papiſtæ moliuntur, quòd videlicet libri controverſi citentur in novo teſtamento,quòd à patribus appellentur

Universidad de Deusto
Biblioteca

divini, quòd ad confirmationem ſacrorum myſteriorum adhibeantur, denique quòd legantur ab eccleſia publicè in officiis. Sed Becanus iis parum tribuiſſe videtur. Omiſit enim. Et ſanè non ſunt ſatis ſolidæ. Non *prima*. Neque enim libri citatio in novo teſtamento eſt canonicæ auctoritatis argumentum indubitatum, nec ullus locus ex libris controverſis acceptus allegatur in novo teſtamento. Etſi quædam dicantur ab Apoſtolis, quæ leguntur alibi, non tamen neceſſarium eſt, ea citari. Non *ſecunda*; Sicut enim canonici, ſic quoque divini non ubique uno ſenſu nominantur, ſed vel *proprie & abſolutè*, quia ſunt divinitus inſpirati, vel *ſecundum quid, & comparatè*, quia reſpectu aliorum profanorum propiùs accedunt ad divinorum, canonicorumque ordinem. Jam quòd libri quæſtionis à Patribus inde *divini* appellentur, quòd ſint θεόπνευστοι, non conſtat argumento ſolido. Non *tertia*; Nam primò etiam illi citantur à patribus, quos Papiſtæ nobiscum apocryphos agnoſcunt, nempe tertius Esdræ ab Athanaſio, Cypriano, Clemente Alexandrino, Auguſtino, & Hermetis paſtor à Tertulliano lib. de orat. Irenæo lib. 4. cap. 37. Clemente Alex. libr. 6. ſtrom. Athanaſio libr. de decretis Nicænæ Synodi, quod agnoſcit Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei c. 20. Deinde libri quæſtionis ab illis ipſis citantur, à quibus à canone excluduntur v.g. Eccleſiaſticus ab Athanaſio orat. 1. contra Arrian. & Hilario in Pſ. 135. Item Sapientia ab Hieronymo com. in Jerem. neque tamen iſta ab hoc, neque ille ab illis cenſetur in canone. Quid? non mox ſunt canonici, qui citantur à prophetis, & Apoſtolis, teſte Auguſtino quæſt. 42. in Numer. multo minùs, qui citantur à patribus. Cæterum *qualiscunque* probatio diſtingui debet ab *infallibili*, quæ nulli exceptioni eſt obnoxia. Illam, non hanc petunt ex libris controverſis patres orthodoxi.

XVI. Non *quarta*; Nam primò legebantur etiam publicè nonnulli apocryphi, qui nihil contra fidem continerent. Teſtem laudo Hieronymum præfatione in libros Salomonis dicẽtem, *Legat eccleſia ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Idem ſcribit Ruſinus in expoſitione fidei; & Concilium Carthaginenſe tertium permittit, legi paſſiones martyrum, cùm anniverſarii eorum dies celebrantur. Num Legendas Sanctorum patres ideo intulerunt divino canoni? Abſurdum. Huc pertinet, quòd Pererius lib. 16. in Daniel. ſcribit, *Non ſum neſcius, multa recitari publicè in eccleſiaſticis precationibus, aliisvè ceremoniis, quin etiam in ipſo miſſæ ſacrificio peragendo, quæ ut vera eſſe, exiſtimare convenit, ita liquet, ea ex ſacris, & canonicis ſcripturis non eſſe deſumpta.* Sixtus Senenſis in Biblioth. ſcribit, ex quarto libro Esdræ, quædam in officio Miſſæ legi. Petrus Cluniacenſis ſcribit, cantari canticum de S. Benedicto, in quo minimùm viginti quatuor mendacia reperiantur. Lindanus lib. 3. de opt. genere interp. Script. cap. 3. ſcribit, ex Nicodemi Evangelio apocrypha infarta, & ipſum canonem Miſſæ turpiſſimis mendis contaminatum. Aut igitur Jeſuitæ pro canonico, & divino habeant quartum librum Esdræ

Esdræ, evangelium Nicodemi, & canticum 24. mendaciis ſcatens, aut argumentum futile omittant. Præterea legerint aliquæ eccleſiæ. De omnibus nemo probavit hactenus. Exempla à Bellarmino producta ſunt particularia Romanæ eccleſiæ, & quidem non primæ, ſed citerioris ætatis. Nam in conſtitutionibus Apoſtolicis, quas ſub Clementis nomine Papiſtæ circumferunt, cap. 57. in lectionum publicarum deſcriptione, nulla fit controverſorum librorum mentio, ſed verè canonicorum, quos nobiſcum agnoſcit prima eccleſia. Imò Syras eccleſias non legiſſe publicè eos libros, quos Romani, & Carthaginenſes legebant, patet à Cõcilii Laodiceni can. 59. tom. 1. Conc. pag. 704.

Sectio. II.

Argumenta veritatis producta vindicantur.

I. Becanus duo ſibi, noſtro nomine, objicit, quæ confutet. Noſtri multo plura objiciunt, quæ tangere non eſt auſus. Nec ſolidè confutat, quæ tangit. Primum ſic habet, Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, & Maccabæi, non fuerunt in canone Judæorum. Ergo etiam debent excludi à noſtro canone. Antecedens negari nequit; Habet enim & Judæorum, & Chriſtianorum teſtimonium. Ideo Becanus non illud, ſed conſequentiam negat, idq; *, quia non ſit neceſſe, ut illi ſoli libri habeantur canonici apud nos Chriſtianos, qui tales habiti ſunt apud Judæos* num. 5. At enimverò ſi in Chriſtianorum canonem ſunt recipiendi, erunt divini, i. e. immediatè à Spiritu Sancto profecti; ſi hoc, tum Spiritus Sanctus ut inſpiraſſet, ita effeciſſet, ut pro iis agnoſcerentur, & in canonem reciperentur à fideli Eccleſia Veteri. Quod cùm non effecerit, reſtat, non eſſe divinitus inſpiratos. Non igitur à Chriſtianis in canonem divinum recipiendi. Ignoſce Papiſta ſic argumentanti. Præit Hieronymus epiſt. 109. ſeu præfatione in Esdram ſcribens, *Apud Hebræos Esdræ Nehemiæq; ſermones in unum volumen coarctantur, & quæ non habentur apud illos, neq; de viginti quatuor ſenibus ſunt, procul abjicienda.* Id quod de abjiciendis à canone ego quidem interpretor. Becane, num fortaſſe Eccleſia Chriſtiana majorem habet auctoritatem in diſcernendo canone veteris teſtamenti, quàm Eccleſia Judaica? Si affirmare lubet, firmis opus eſt argumentis. Nos enim nec agnoſcimus, nec videmus argumentum, quo in eam ſententiam pertrahamur. Veteri Eccleſiæ Judaicæ primò commendatus eſt ille canõ, ab ea accepit Chriſtiana. Majorem igitur hæc auctoritatem circa canonem nõ habet, quàm illa.

II. At Auguſtinus lib. 18. de civ. D. c. 36. ait, *Maccabæorum libros non Judæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet. Et ratio manifeſta eſt, quia canon Judæorum conſignatus fuit ab Esdra, vel ſaltem tempore Esdræ, ut pleriq; tradunt, quo tempore nondum ſcripti erant libri Maccabæorum.* Idem *poſt Auguſtinum notavit Iſidorus, addens Tobiam, Judith, Sapientiam, & Eccleſiaſticum.* Sic Becanus In Manuali, & Schol. Theol. l. l. num. 5. Reſp. Primò. Auguſtinus inter *divinum*, & *eccleſiaſticum* canonem diſtin-

stinguit; In *illo* censet libros divinos, & propriè strictiqúe nominis canonicos, quibus Christus testimonium perhibuit, tanquam suis testibus; In *hoc* numerat libros, qui non planè sunt impii, sed non inutiliter recepti sunt ab Ecclesia, & impropriè minusque exquisitè canonici appellantur, ut suprà dictum Sect. 1. num. 11. Sic quoque intelligendus est Isidorus, qui opponit canonicos *late* sic dictos impiis, & supposititiis, quales rejiciuntur Distinct. 16. Patet à verbis, quæ sic habent lib. 6. Etymol. c. 2. *Nam multa, & sub nominibus prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine apocryphorũ ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.* Secundò. Etsi Esdra libros vet. testam. in ordinem redegerit, quod videtur affirmare Isidorus, & Maccabæorum libri isto tempore sint recentiores, num etiam Tobias, Judith, additiones Esther & Danielis, libriqúe cæteri, de quibus contendimus? Ita faterentur adversarii, omnes post Malachiam esse scriptos, unde manifestè constaret, non esse divinos proprieque canonicos. Si dicant, Tobiam, Judith, & dictas appendices esse antiquiores, jam ratio Becani fallit. Cur enim Esdra non allegit in ordinem canonicorum, si exstiterunt, & ut canon essent, à Deo Ecclesiæ fuerunt commendati? Tertiò. Cùm fidelis fuerit Ecclesia etiam post Esdræ tempora, non est dubium, quin recepisset promtè in canonem, si qui ampliùs à Deo fuissent libri inspirati, & in hunc usum propositi. Non igitur ideo Maccabæorum libri non leguntur in hebræo canone, quia Esdræ tempore non exstiterunt, sed potiùs quia à Deo non sunt inspirati, & in hunc usum commendati Ecclesiæ judaicæ.

III. Secundum sic habet; Ecclesia Christiana primis seculis libros controversos excluśit à canone, & numeravit inter apocryphos. Non igitur sunt canonici. Antecedens patet testimonio Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ patrum. In orientali ecclesia, Melito Episcopus Sardensis enumerat canonicos; in iis Tobiam, Judith, Siracidem, Maccabæos non nominat, apud Eusebium lib. 4. histor. c. 25. Origenes canonicos viginti duos nominat, apud eundem lib. 6. cap. 24. Similiter Athanasius in Synopsi, quam Bellarminus libr. 1. de V. D. cap. 4. pro genuina agnoscit, Gregorius Nazianzenus in carmine, Epiphanius de ponderibus, & mensuris, Amphilochius Iconiensis Episcopus ad Seleucum. Cyrillus Hierosol. catech. illum. 4. Concilium Laodicenum can. 59. canonem proponit, in quo nullum controversorum reperias. In occidentali Tertullianus lib. contra Marc. scribit, per viginti quatuor animalia apocalyptica intelligi 24. libros veteris testamenti. Tot enim, teste Hieronymo in prologo, nonnulli numerabant, quòd lamentationes Jeremiæ, & librũ Ruth separatim referrent. Hilarius præfat. in psalmos, Rufinus in explic. Symb. Hieronymus præfat. in lib. Salom. ubi ait, *Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicos non recipit, sic & hæc duo volumina (Sapientiam Salomonis, & Iesus filii Sirach) legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Hìc clarum, non tantùm de Judæorum, sed etiam Christianorum canone Hieronymum loqui. Fatetur Marianus Victorius, Reatinus, Episcopus Amerinus in annot. ad Hieronymi epist. 111. ubi in margine scribit, *qui libri tempore Hieronymi non essent in canone.* Eandem esse reliquis mentem, à textu, & circumstantiis clarescit, nec obscurè concedit tum Bellarminus lib. 1. de Verb. Dei, cap. 20. tum Baronius ad Annum 405. num. 63. Hic quidem, cùm de canone, quem Innocentius inter latinos tenuit, differens, è Græcis Laodicenum Concilium, Athanasium, Nazianzenum, Amphilochium, Cyrillum Hieros. nominat; ille autem, dum in canone exponendo hebræos non græcos codices apertè secutos esse, dicit.

IV. Becanus excipit, *canonem, quo nunc utantur Christiani, nondum fuisse consignatum tempore istorum patrum, nec determinate ab Ecclesia definitum, quinam ex libris vet: & novi testam. pro canonicis habendi essent, qui non essent. Primum, qui hoc legitimè definiverit, fuisse Innocentium Papam. Ejus definitionem secutum esse Augustinum cum aliis Episcopis Africæ in Concilio Carthaginensi, Exuperium cum Episcopis Galliæ, Gelasium in Concilio Romano, totum denique orbem Christianum usque ad hæc nostra tempora. Solos ferè Lutheranos, & Calvinistas sine causa tergiversari, & à consensu tot patrum, ad paucos patres, qui ante definitionem Innocentii de hac re scripserunt, importunè provocare.* l. l. num. 6. Resp. *Primò.* Canonem, quo nunc utuntur Papistæ, nondum fuisse consignatum

tempore istorum patrum, largior; hos enim per Christianos Becanus intelligit. Verum Christianorum canonem nondum fuisse consignatum isto tempore, non largior. Quis credat, Ecclesiam universam quatuor integris seculis ignorasse verum canonem, & quidem nominatim veteris Testamenti, de quo hìc unicè quæritur? Certè nullum auctorem vel profert, vel proferre potuit Becanus, qui significet, ante Innocentium non constitutum fuisse canonem. Nos verò auctorem proferimus Athanasium scribentem in synopsi, scripturam habere οὐκ ἀόριστα, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα, καὶ κεκανονισμένα βιβλία i. e. *non infinita, sed determinata, & in canonem redacta habere volumina.* Ille vixit ante Innocentium. Cæteri quoque canonicos ab apocryphis exsertissimè distinguunt, quod facere non poterant, si certus nondum esset canonicorum numerus. Quid? Nónne aperta est Laodiceni Cõcilii definitio? quot annis ante Innocentium facta? Innocentius ergo non fuit primus, qui definivit. *Secundò.* Num fortè primus fuit, qui legitimè definivit? Id Becano quidem placet, non autem probatur ullâ ratione. Cur legitimè definiverit Innocentius, Laodicenum Concilium non definiverit legitimè? Cur unus Innocentius omnibus Græcis, & Latinis patribus præferatur, quos laudavimus? Bellarminus libr. 1. de verbo Dei cap. 20. scribit, Ecclesiam, quæ post Apostolos fuit, non aliunde didicisse, qui libri sint canonici, & qui non sint, quàm ex traditione Apostolorum. Num illa Innocentio primùm innotuit? Nemini ante illum fuit cognita? Ubi igitur latuit? Unde

Innocentius cognovit? Immediatè à Deo, an per homines? Prius nemo credet, nemo probabit. Si posterius affirmes, quinam quæso tandem Innocentio tradiderunt ab aliis dissentienti? Dum hoc expediatur, iterum quæro, cur unus Innocentius tot patribus sit præferendus? Num quia cum illo facit Augustinus, & Carthaginense Concilium? At si cum Innocentio facit Augustinus, certè Innocentius non facit cum Papistis, quia Augustinus cum illis non facit. Agnoscit enim diversos canonicorum ordines, non facit omnes pares, quod Tridenti monebant, & urgebant diligenter nonnulli theologi. Suprà de eo dixi. Hîc addo, appellasse canonicos, quos non veretur arguere mendacii. Num mendacii argueret veri propriiq́ue nominis canonicos, & divinos libros? Mendacii arguere, constat. Auctor enim Sapientiæ loquitur prorsus, ac si esset Salomo. Augustinus negat, Salomonem esse auctorem lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 8. Siracides dicit, Samuelem apparuisse Sauli cap. 46. 23. Augustinus imaginẽ Samuelis fuisse, dicit l. 2. de doctr. Christ. cap. 23. & lib. de cura pro mortuis cap. 15. Aut igitur Innocentius hos libros pro verè divinis non habuit, aut ab Augustino dissentit. Si non habuit pro verè divinis, non favet Papistis, illi enim verè divinos esse, contendunt æquè ac pentateuchum Mosaicum. Si ab Augustino dissentit, cur illius unius sententia sit legitima definitio, reliquorum omnium non sit legitima?

V. *Tertiò.* De Exuperii, & Gallorum sequela Becanus nullum affert testimonium. Nos verò testem habemus Hilarium, Episcopos Gallos Sapientiam non agnovisse canonicam, atque eo nomine ægrè tulisse, quòd inde sententiam citasset Augustinus. Verba sic habent in epistola, quæ legitur tomo septimo operum Augustini; *Illud etiam testimonium quod posuisti*, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, *tanquam non canonicum, definiunt omittendum.* Ubi *definiendi* verbum non caret emphasi; testatur enim Gallos definitionem ab Innocentio factam non agnoscere. Quomodo enim definirent testimonium omittendum, quod Augustinus ex libro citaverat, quem canonicum agnoscebat Innocentius, si hujus declarationem habuissent pro definitione legitima?

VI. *Quartò.* Quod de totius orbis continua sequela usque ad hæc nostra tempora, Becanus pleno gutture declamat, inanissimam esse gloriationem, jam antè dixi, & patet manifestè. Num enim in orbe Christiano nullus sit locus Gregorio I. Romano Pontifici? nullus Damasceno? Illius sententiam vide suprà sect. 1. num. 10. Iste lib. 4. de Orth. fid. cap. 8. viginti duos veteris testamenti libros esse, exsertè docet. Auctor ordinariæ glossæ libris controversis singulis præfigit, *Incipit liber Tobiæ, qui non est in canone; Iudith, qui non est in canone, Sapientiæ, qui non est in canone*; & sic de reliquis. Jam sive sit Alcuinus, quod placet Antonino par. 2. tit. 4. c. 15. Sive Strabus Fuldensis, quod Sixtus Senensis cõtendit lib. 4. Bibl. locus ei fuit in orbe Christiano, & quidem illustris. Illi quidem circa ann. Christ. 760. Isti autem circa ann. 840. Si sequiora tempora in rationem veniant, num Becanus

canus Petrum Cluniacensem, Hugonem de S. Charo Cardinalem, Hugonem, & Richardum à S. Victore, Radulphum Haviacensem Monachum, Petrum Blesensem, Guilielmum Occam, Johannem Januensem, Agobardum Episcopum Lugdunensem, Alph. Tostatum, Antoninum Florentinum, Dionysium Carthusianum, Johan. Franciscum Picum Mirandulæ Comitem, Franciscum Ximenium, Nicolaum Lyram, excludet ab orbe Christiano? Illi enim omnes Innocentii definitionem non sunt secuti, aut Innocentius mentem Papistarum novellorum non tenuit. Libros enim controversos habent pro apocryphis. Quid? Hieronymi distinctionem Cajetanus Cardinalis, quem Pererius in Genes. c. 1. virum nominat de mysteriis fidei bene sentientem, & de theologia optimè meritum, tanquam normam certissimam ab Ecclesia relictam, commendat ad Clementem VII. scribens, missâ ad eum suâ in libros historicos veteris testamenti expositione, quod Aloisius Catanéus probè considerandum ducit in Concilio Tridentino. Ubi non defuerunt, qui monerent, triplicem librorum sacrorum seriem esse constituendam, nempe *primam* eorum, qui pro divinis semper essent habiti; *Secundam* eorum, qui olim fuissent controversi, sed usu Ecclesiæ canonicam auctoritatem obtinuissent; quo in numero sint sex libri novi testamenti, & particulæ aliquot Evangelistarum: *tertiam* eorum, de quibus nihil certi definitũ esset, cujusmodi sint septem libri veteris test. & capita quædã Danielis, & Esther. Hi libros quæstionis à toto orbe Christiano pro verè canonicis, & divinis esse habitos, non agnoscunt, sed Becanum damnant mendacii.

VII. *Quintò.* Quàm speciosè, tam falsò jactat, *solos fere Lutheranos, & Calvinistas sine causâ tergiversari, & à consensu tot patrum, & Conciliorum, ad paucos patres, qui ante definitionem Innocentii de hac re scripserint, importunè provocare.* Non ad paucos, sed ad omnes patres provocamus, qui ante Innocentii seculum scripserunt: sed non ad illos solos, verùm & ad illos provocamus, qui scripserunt hac de re, seculo Innocentii. Imò in illo seculo multo plures habemus testes, quàm Papistæ pro se citare audent possuntve. Quid? provocamus etiam ad eos, qui post Innocentium scripserunt. A tot patrum, & Conciliorum consensu non provocamus. Vetera enim concilia nulla habent Papistæ, quæ controversis libris eandem cum verè divinis, & canonicis auctoritatem tribuant. Sed nec Florentinum tribuisse, constat. Solum Tridentinum hanc sumpsit audaciam. Num illi nos plus tribuamus, quàm tot veteribus patribus? Num illud veteris testamenti canoni septem libros ingerat, quos Ecclesia tot seculorum inter apocryphos numeravit? Non tergiversamur sine causa, quod est Becani figmentum, sed dissentiendi causam justissimam habemus.

VIII. Si vis, exponam breviter, & quidem duplicem. Una est, quia omnes libri verè canonici Vet. testam. scripti sunt à prophetis. Inde Paulus scripturam veteris testamenti appellat, scripturas propheticas, Rom. 16, 26. Petrus sermonem pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

propheticum 2.Petr.1,19. Deus dicitur olim locutus patribus per prophetas, Heb. 1,1. Per os ſanctorum prophetarum, Luc. 1,70. At libri, de quib' diſputamus, ñ ſunt ſcripti à prophetis. Etſi n. viri excellentes poſt Malachiã fuerunt, nulli tamẽ fuerũt Prophetæ preſsè dicti, teſte è Judæis Joſepho lib.1. contra Appionem, è Chriſtianis Theodoreto ſuper Malachiam ſcribente, *Divus Malachias poſt omnes, qui prophetiam ſcripſerunt, divina oracula ſcriptis mandavit.* Idem ex adverſariis agnoſcit Genebrardus lib.2. Chronol. ad annum 3640. & Janſenius in annot. in Eccleſ. cap.48. At quidam libri controverſi poſt Malachiam ſcripti. De Maccabæis evidentiſſimum. Eccleſiaſtici ætatem præfatio ad Ptolemæi Evergetæ, qui ducentis annis poſt Artaxerxem vixit, tempus refert. Additiones Eſther ſpectant Ptolemæi, & Cleopatræ tempus, ut patet ex capite undecimo.

IX. Altera eſt, quia libri iſti vel impia docent, vel ſunt fabuloſi, & mendaces. Noſtri oſtenderunt de ſingulis prolixè ſolideque; Ego repeto, quàm fieri poteſt, breviſſimè. Liber *Tobiæ* primò tradit aſyſtata. Nam dicit, Saram habitaſſe in Rages civitate Medorum, c.3. ubi habitabat Gabel cap.4,21. Contrà Tobias, cùm in locũ, ubi Sara habitabat, veniſſet, rogat angelum, ut proficiſcatur ad Gabelem in Rages civitatem Medorum, cap. 9,3. Deinde fingit templum exuſtum ante obitum Tobiæ, cap.14,6. Contrà Tobiam tempore Salmanaſſaris in captivitatem abductum eſſe, dicit cap.1,2. quod in ſextum Ezechiæ annum incidit, ex collatione, 2.Reg.17,6. cap.18,1. à quo ad templi exuſtionem fluxerunt anni centum triginta. Auctor verò fingit anno ætatis centeſimo ſecundo diem obiiſſe, c. 14,2. De verſione latina loquor, quam ſolam papiſtæ authenticam agnoſcunt. In græca enim ſunt anni 158. quam Papiſtæ rejiciunt. Secundò. Angelum mentientem introducit, cap.5,15. c.7,47. quod à ſanctis alienum eſt. Peccatum enim. Tertiò miſcet fabulas Thalmudicas, tam magnum piſcem è fluvio proſiliiſſe, ut Tobiam devoraturus videretur, at reſilire non potuiſſe, cùm tamen non eſſet in ſicco; interim puerulum branchiis eum apprehendiſſe, & projeciſſe in terram.

X. Liber *Judith* commendat impia, & ſcatet mendaciis. *Impia* commendat; Judith enim variè mentitur Holoferni, etiam cùm profitetur, ſe non eſſe mentituram, à Deo petit proſperum ſuorum mendaciorum exitum; vanè uſurpat nomen Domini, addito jurejurãdo; in precibus cædem Sichemitarum à Simeone commiſſam, tanquam opus divinum, prædicat, cùm ſcriptura diſertè damnet, Gen.35. & 49. At iſta liber commendat. *Mendaciis* ſcatet; Dicit, populum Judaicum fuiſſe Babyloniis incognitum c.5,2. quod nec de tempore Manaſſis, nec de eo, quod captivitatem ſecutum, verum eſt. Achior ſic deſcribit Holopherni Judæorum ſtatum, ut hanc rem, ſi geſta eſt, poſt reditum populi è captivitate Babylonica geſtam eſſe oporteat. Memorat enim templum dirutum, & reditum à diſperſione c.5. Quis verò Nebucad-Nezar miſit Holophernem poſt ſolutionem captivitatis Babylonicæ in Judæam? Similiter

militer eo tempore non fuit Arphaxad Rex Medorum, quippe qui poſt captivitatem Perſis paruerunt. Et tamen liber iſte hiſtoriam Regis Arphaxad refert.

XI. Liber *Baruch* non caret mendaciis. Tria nominabo. Primò. Dicit, Baruch hunc librum legiſſe Babylone, anno quinto poſt excidium, & conflagrationem Hieruſalem, quæ contigit anno undecimo regni Zidekiæ, 2. Reg.25, 12.2. Chron.36.19. Jerem.52.5.13.14. Contrà cum Jeremia in Ægyptum, poſt cædem Gedaliæ, abductus dicitur, Jerem.43,6. Secundò fingit. Regem & populum oraſſe ſacerdotes, ut offerrent ſacrificia ad aram Domini Dei ſui, cùm nullum eſſet eo tempore templum, nullum altare. Chaldæi enim diruerant, exuſſerantque. Tertiò. Prædicit, Judæos ingreſſos Babylonem ibi futuros eſſe annis plurimis, & temporibus longis, usque ad generationes ſeptem cap.6,2. Contrà Jeremia tantùm numerat annos ſeptuaginta, cap.25, 11.29. Itemque Daniel, cap.9 2. Ideo pro apocrypho eum inter Papiſtas poſt Cõcilium Tridentinum habet Johan. Driedo lib.1. de ſcript. & dogm. eccleſ. apud Bellarminum, & Melchior Canus lib.12. cap 6.

XII. Libri *Sapientiæ* auctor ſic loquitur, ac ſi eſſet Salomo, cap.8. quod eruditis viris impoſuit, ſed falſum agnoſcitur ab Auguſtino lib.2. de doctr. Chriſt. cap. 8. ab Hieronymo autem duobus argumentis confutatur, quia videlicet non ſit hebræus, & ſtylus græcanicam eloquentiam manifeſtè ſapiat. Quę ſi contemnas, res tamen ipſa loquitur capite quarto, ubi ad certamina Græcorum non obſcurè alluditur, quæ certè Salomonis tempore prorſus erant incognita. Mors enim Salomonis in annum mundi 2970. at Olympias prima in annum 3196. ſecundùm Bucholtzerum incidit, ut intervallum ſit annorum 226. Præterea dicit, hoſtes imperare populo Dei, c.15,14. quod Salomonis tempore factum non eſſe, conſtat ex 1.Reg.4,20.21.24.25.

XIII. *Eccleſiaſticus* non omni mendacio ac errore purus. Dicit, verum Samuelem apparuiſſe Sauli, cap.48. Non fuiſſe verum Samuelem, patet ex evocatione, adſcenſione, & ſermone umbræ. Animæ ſanctorum à pythoniſſa evocari non poſſunt. At umbra illa eſt evocata. Verus Samuel deſcendiſſet è cœlo, ſi apparuiſſet; Umbra adſcendit è terra, & dicit, *cur me inquietaſti, ut ſuſcitarer?* Verus Samuel non potuit inquietari. Aut igitur verus Samuel non fuit, aut mentitus eſt Samuel, quod alienum. Præterea docet, Eliam Thesbiten Chriſti fore præcurſorem, cap.48,10. qua in re aut errat graviter, aut Chriſtus nondum venit in carnem, & vicerint improbi Judæi Meſſiæ adventum negantes hoc argumento, quòd Elias Thesbites nondum venerit. Malachias prò mittit quidem Eliam præcurſorem Chriſti, ſed illum jam veniſſe, & eſſe Johannem Baptiſtam, teſtis Chriſtus, Mar.9,11. & Angelus, Luc.1,17.

XIV. Libri *Maccabæorum* primò laudant ἀυλοκλοπίαν Raziæ tanquam piam, 2. Maccab.14,42.43. cùm ſit prohibita præcepto ſexto Exod.20. Secundò multa falſa continent. Quædam noto. I. Epiſtola anno 188. ſcripta tribuitur Judæ Maccabæo, 2.Mac.1,10, At ille anno centeſimo

quinquageſimo ſecundo (ſc. regni Seleucidarum) mortuus dicitur, 1. Mac. 9, 3. 2. Nehemias altare exſtruxiſſe dicitur, 2. Maccab. 1, 18. cum altare ſit ædificatum à Zorobabele, & Joſua, Cyro adhuc vivente, centum annis ante Nehemiæ profectionem, Eſræ 3. quo tempore templum quoque exſtrui cœpit, ſed abſolutum eſt anno ſexto Darii Nothi (Eſræ 6.) adeoque triginta annis ante profectionem Nehemiæ. Profectus enim eſt anno vigeſimo Artaxerxis Mnemõis, Nehem. 2, 1. 3. Ignis dicitur Nehemiæ è cœlo datus, & quidem exſtructo templo, 2. Macc. 1, 20. 21. 22. Circumſtantia fraudem detegit. Nehemias enim templum non exſtruxit, nec ullam ejus rei mentionem facit, haud dubiè facturus, ſi ei hoc contigiſſet. Judæi quoque fatentur, poſteriorem domum deſtitutam fuiſſe quinq; rebus, igne ſc. deſurſum, arca, propitiatorio cum Cherubinis, Urim & Thummim cum pectorali, oleo unctionis. 4. Jeremia dicitur arcam, tabernaculum, & altare ſuffitus in monte occultaſſe, 2. Mac. 2, 4. 5. At id nec fieri potuit ante urbem occupatam, quia in cuſtodia detinebatur, Jerem. 38, 38. nec in ipſa urbis direptione, aut poſtea. Etſi enim magnifieret à Nebucadnezare, vinculis tamen detentus eſt cum reliqua multitudine, donec Ramâ remiſſus ad Gedaliam reverteretur Mitzpam. Interim omnia partim diripiebantur, partim exurebantur, partim alia ratione vaſtabantur, Jerem. 52, 13. 17. & ſeq. Ad Jechoniæ tempora ſi recurras, Ezechiel contrà teſtis, arcam in templo fuiſſe poſtea, cap. 9, 3. cap. 10. 1. & ſeqq. 5. Jeremia prædixiſſe fertur, cùm Dominus congregabit congregationem populi ſui, arcam, tabernaculum, & altare ſuffitus rurſus revelatum iri à Domino, 2. Maccab. 2, 7. At revelatio illa nec ante Chriſtum paſſum, ſi quicquam Judæorum, & Chriſtianorum conſenſus valet, nec poſt Chriſtum paſſum facta eſt, nec deinceps fiet, obſtante ſententiâ Dei, Jerem. 3, 11. Non igitur prædixit Jeremia, qui verus fuit Propheta, & plus apud nos valet, quàm Epiphanius ſuppoſititius de revelatione paulò ante extremum judicium futura, neſcio quid, ſomnians. 6. Aſſerit, Romanorum neminem in duiſſe purpuram, ut eâ ſe magnificè gerat, 1. Maccab. 8, 14. Falſum. Romani enim ſacerdotes geſtarunt purpuram, quâ etiam Senatorum, & equitum veſtes fuerunt ornatæ. 7. Affirmat, Romanos uni ſummum magiſtratum quotannis detuliſſe, 1. Maccab. 8, 16. Cùm quotannis duos delegerint conſules. Ad dictaturam ſi referre velis, jam cõſtat, nec annuum fuiſſe, nec ordinarium magiſtratum. Denique memorant aſyſtata de morte Antiochi, nempe, jam quòd, nuncio in Ecbatana, de ducibus ſuis profligatis, accepto, mortuus ſit in montibus, morte miſerabili, 2. Maccab. 9, 2. 3. 28. mox quòd, in Perſide accepto nuncio, Babylonem reverſus in lecto obierit, 1. Maccab. 6, 5. 8. 16. at aliâs, quòd obrutus ſit lapidibus in templo Nannææ, & membratim diviſus, 2. Macc. 1, 14. 15. 16. Hæc non cohærent.

XV. Additiones Danielis de *Suſanna* & *Bele*, ſuſpectæ ſunt non uno nomine. *Primò* enim Suſannæ hiſtoria Danielem puerum introducit. Jam hiſtoria refertur ad initium regni Cyri Perſarum, c. 13. Fuerit

Fuerit ergo Daniel puer tempore Cyri. At octoginta aut nonaginta annorum puer. Eſt enim puer translatus cum rege Jechonia Daniel. 1. 2. 6. à quo tempore usque ad Cyrum fluxerunt anni ſeptuaginta, Eſræ 1, 1. *Secundò*. Si hiſtoria contigit, Daniele puero, & quidem incognito ac privato, contigerit oportet ante quintum captivitatis annum, cùm aliâs nec puer, nec incognitus dici poſſit Daniel; imò ante tres educationis annos contigerit; vix enim ſuis incognitus eſſe potuit, qui & Regi notus, & inter magos numeratus erat, & quidem cæteros omnes antecellebat, Rege judice, Daniel 2. At obſtat, quòd Jojachin Suſannæ maritus valde dives & amplam domum Babylone habuiſſe dicitur, quod homini captivo vix quiſquam, intra primum captivitatis triennium, tribuerit. *Tertiò*. Judæis ἀυτονομία & magiſtratus annuus tribuitur. Quis credat, illam Judæos, maximè primis annis captivitatis, habuiſſe, cùm adhuc, civitate integrâ, eſſent legitimi magiſtratus in Judæa? Nec uſquam legimus, Judæos habuiſſe magiſtratus annuos. *Quartò*. Daniel γύμνος & unâ nocte fuit in ſpelunca leonum c. 6. 20. nothus dicit, ſe in ea ſex diebus fuiſſe c. 14. 30. Inde Hieronymus præfat. in Daniel. *Hæc*, inquit, *idcirco refero, ut difficultatem vobis Danielis oſtenderem, qui apud Hebræos nec Suſannæ habet hiſtoriam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis & Draconis fabulas, quas nos quia in toto orbe diſperſæ ſunt, verù antepoſito eaſq; jugulante, ſubjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncaſſe.* Eadem mens eſt Johanni Driedoni, papiſtæ, apud Bellarminum lib. 1. de verb. Dei c. 9.

XVI. Denique additiones *Eſther* multis modis cum hiſtoria canonica pugnant & ſcatent falſimoniis. Declarabo paucis. *Primò*. Mardochæus anno ſecundo Artaxerxis tam vegetus, ut præeſſet excubiis, dicitur translatus, cum Jechonia cap. 11. 3. à quo fuerunt anni centum quinquaginta quinque uſque ad Artaxerxem Longimanum, quem Bellarminus intelligit. Hiſtoria canonica non Mardochæum, ſed Kiſchi proavum abductum memorat c. 2. 5. 6. *Secundò*. Eodem anno Artaxerxis Mardochæus dicitur fuiſſe magnus & inter primos aulicos c. 11. 2. ubi papiſtæ cogitent, ſitne Artaxerxes Ahaſverus, quem hiſtoria canonica nominat, an alius. Si eſt Ahaſverus, jam pugnat additio cum Scriptura canonica, à qua manifeſtum eſt, Mardochæum privatum fuiſſe, cùm Eſther regi nuberet, atque etiam cùm proderentur Eunuchorum inſidiæ, anno ſeptimo. Si nõ eſt, ergo rurſus fabula cũ canonica hiſtoria non cohæret. *Tertiò*. Additio affirmat, Mardochæum, ſumpto de Eunuchis ſupplicio, aulicum factum, & accepiſſe donaria c. 12. 5. Contrà nihil cum mercedis accepiſſe, teſtis hiſtoria canonica c. 6. 3. *Quartò*. Illa c. 15. 7. fingit furorem Regis, deliquium Eſther, mutationem Regis: Iſta teſtatur, Reginam à Rege acceptam eſſe ſummâ benevolentiâ, porrecto de more ſceptro c. 5. 2. *Quintò*. Illa fingit c. 16. 13. Hamanem expetiviſſe reginam Eſther, cum tota illius gente, ad interitũ; at iſta teſtis, ignotum fuiſſe aulæ regiæ, atque adeò ipſi Regi & Hamani, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd Eſther ex gente Judæorum eſſet, donec eo die, quo ſuſpenſus eſt Haman, Regi ſignificaret. c. 2. 20. *Sextò.* Illa fingit, Hamanem regnum voluiſſe transferre ad Macedones: Iſta prorſus ſilet, nec veriſimile eſt, cùm aut nullum, aut non magnum, certè tantum non fuerit, eo tempore, Macedonicum regnum, ut Regi Babyloniæ quicquam periculi ab eo metuendum eſſet. *Denique* additio c. 16. 10. fingit, Hamanem fuiſſe Macedonem. Scriptura verè canonica nominat Agagæum, id eſt, de genere Agag, regis Amalecitarum c. 3. 1. Ea de cauſa Lyra, nobilis papiſta, com. in lib. Eſther ſcribit, *cætera, quæ ſequuntur, non intendo exponere, quia non in Hebræo ſunt, nec de ſcriptura canonica; ſed magis videntur à Ioſepho & aliis ſcriptoribus conficta & poſtea editioni vulgatæ inſerta.* Illum plures alii ſecuti ſunt, & quidem ante Concilium Tridentinũ Hugo & Cajetanus Cardinales in com. at poſt Concilium Sixtus Senenſis lib. 1. & 8. biblioth. apud Bellarminum l. 1. de V. D. c. 7.

Quæstio Secunda.

Quæ ſit legitima verſio ſcripturæ.

Sect. I.

Diſſeruntur nonnulla de ſcripturæ editione authentica, & verſione vernacula, quæ Becanus omiſit.

1. BEcanus malè proponit, reſpondet non ſatis aptè, ſua minimè probat. Proponit malè, quia novat ſtatum controverſiæ, iis ſuppreſſis, de quibus partim ſuperiori tempore diſputatum eſt, partim diſputatur adhuc hodie. Quis unquam ſive Papiſta, ſive Evangelicus ante Becanum ſic formavit controverſiæ ſtatum? Quæſitum eſt tum de editione authentica, tum de verſione vernacula. De illa, *quænam ſit, hebræa, græca, an latina?* De verſione vernacula, 1. *an ſit licita, & neceſſaria?* 2. *An ſine permiſſu Pontificis Romani rectè ſuſcipiatur?* 3. *An in publico, & communi uſu eccleſiæ legi, & cani debeat?* Hæc omnia omittit Jeſuita. Num quòd ſint minoris momenti? Sicut in ingreſſu dicit, reliquas controverſias, quæ minoris ſunt momenti, ſe omittere. Ille viderit; plurimi adverſarii, dum operosè tractarunt, cũ vel callidæ omiſſionis, vel ſaltem negligentiæ ſuo damnant præjudicio. Nos de omiſſis dicemus ſententiam breviſſimè, priusquàm ad Jeſuitæ reſponſum convertamur.

2. Noſtri igitur editionem hebræam veteris teſtamenti, & græcam novi authenticam eſſe, affirmant, Papiſtæ negant utrumque, pro vulgata latina depugnantes unicè. Prior pars hinc nobis probatur. Hebræa Veteris Teſtamenti editio primò eſt divinitus inſpirata, ſive vocem vivam Jeſa. 61. 16. Jerem. 1, 9. Ezech. 2, 14. 2. Petr. 1, 21. Sive ſcripturam, Exod. 34. 27. Jerem. 30. 2. 36. 2. Sive utramque ſpectes, Roman. 3. 2. Ubi Paulus dicit, judæis credita eſſe eloquia Dei, quæ, interprete Benedicto Pererio, diſp. 2. in h. l. ſignificant ſcripturam veteris teſtamenti. Quomodo illis credita? nonniſi hebraicè. Ab initio enim tantùm erant libri ſcripturæ divinæ hebraicè ſcripti. Sic igitur divinitus inſpirati. Secundò eſt omnium antiquiſſima atque adeò prima. Dicunt, interiiſſe exuſto templo. Non probant. Dixerunt ſcribæ Esdræ, ut afferret librum legis Moſis, Nehem. 8, 1. non dixerunt, ut afferret librum recẽs compoſitum. Igitur eum, cui populus jam pridem aſſueverat. Nec ſicut arca una, ſic unus erat ſacer codex. An Prophetæ Ezechiel, Jeremias, Haggæus, Zacharias, imprimis Daniel non habuerint codicem ſacrum? Certè hic poſtremus in libris numerum annorum notavit, Dan. 9. Habuit igitur. Iverunt multi ante exuſtionem templi in captivitatem annis decem Manſerunt multi in Judæa. Putabimus, inter eos, qui haberet ſacrum codicem, fuiſſe neminem? Non interiiſſe, aſſentitur Poſſevinus in apparatu ſacro.

3. Tertiò. Eſt verſionum regula, ad quam omnes comparatæ judicentur, corrigantur, quoties opus eſt. Id docent Patres. Auguſtinus apud Gratianum cap. *ut veterum* diſtinct. 9. & l. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 10. Hieronymus com. in cap. 8. Zachariæ, & epiſt. 132. ad Vitalem. Atque hic, quod ſuaſit, ipſo facto comprobavit ſæpius, imprimis à Surria, & Fretela rogatus in epiſtola illis inſcripta, quæ eſt cẽteſima trigeſima quinta, ubi ait, *ſicut autem in novo teſtamento, ſi quando apud latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt inſtrumentum: ita in veteri teſtamento, ſi quãdo inter græcos latinosq; diverſitas eſt, ad hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis.* Idque approbat jus canonicum capitulo citato Diſt. 9. & commendat Arias Montanus in præfatione verſionis ſuæ interlinearis. Fatetur Bellarminus Cardinalis, ad fontes recurrendum eſſe, cùm in codicibus videtur eſſe error librariorum, vel cùm latini codices variant, ut non poſſit certò ſtatui, quæ ſit vera vulgata lectio, vel cùm verba, aut ſententia in latino eſt anceps, vel ut energia, & proprietas vocabulorum intelligatur. Conſilium parùm utile, & minùs tutum, niſi hebræi fontes ſint antheutici.

4. IV. Pro editione novi teſtamenti græca eædem rationes militant. Ut enim Apoſtoli repleti Spiritu Sancto locuti ſunt variis linguis. Actor. 2. Sic ex inſpiratione divina ſcripſerunt. Scripſerunt autem græcè. Fatetur Bellarminus l. 2. de verbo Dei, cap. 7. *Græca*, inquiens, *editio teſtamenti novi univerſa Apoſtolos, & Evangeliſtas auctores habet.* Græca igitur lingua novi teſtamenti eſt divinitus inſpirata. Eadem eſt prima. Quòd enim aliqui Matthæum primò Hebraicè ſcripſiſſe ferunt, id non ſatis certum. Eo tamen poſito non perit græcæ editioni ſua auctoritas. Ab Apoſtolis enim eſſe, conſentiunt Auctores. Athanaſius in Synopſi dicit, Matthæi Evangelium à Jacobo Apoſtolo expoſitum, quod de translatione Bellarminus interpretatur. Johanni Apoſtolo Theophylactus, alii ipſi Matthæo tribuunt, referente Bellarmino l. 1. Quòd reliquarum ſit regula, indubitatum eſt patribus. Dubitas? Ipſi loquantur. Ambroſius lib. 2. de Spiritu Sancto, cap. 6. *Quòd ſiquis de latinorum codicum varie-*

varietate contendit, quorum aliquos perfidi fatigaverunt, græcos inſpiciat codices. Hieronymus in præfat. Evang. ad Damaſum; *Hoc certè* (novum teſtamentum) *cum in noſtro ſermone diſcordat, & in diverſos rivulorum tramites ducit; uno de fonte quærendum eſt.* Auguſtinus l. 2. de doctrina Chriſt: c.15. *Libros novi teſtamenti, ſi quid in latinis varietatibus titubat, græcis cedere oportere, non dubium eſt.* vide lib.15. de civ. Dei c.13. Jus canonicum, Diſt.9.cap.6. *ut veterum librorum fides de hebraïs voluminibus examinanda eſt, ita novorum græci ſermonis normam deſiderat.* Tranſſumptum eſt ex Hieronymi epiſtola 28. Baronius tom. 1. Annal. ad An. 36. num. 5. ubi de Pauli ætate diſputat, & vim vocis græcæ *nario* expendit, ait: *Admonet Auguſtinus, conſulenda interdum eſſe græca exemplaria, unde aliqua ſunt in latinum ſub obſcurè translata, quo certior de divina ſcriptura poſſit ſenſus haberi: actum præſertim cum inter legendum eodem auctore aliqua diverſitas reperitur, ut hîc videmus accidere.* Idque Hieronymus in verſione latina ad exemplum græcum corrigenda reipsâ præſtitit, idque auctoritate Damaſi Papæ. Ipſe ſcribit, ſe novum teſtamentum græcæ auctoritati reddidiſſe ep. 28. ſeu græcæ fidei, in catal. Script. Eccl. Idem evincit ratio. Nam inſtrumentum publicum eſt in ſola lingua originali de ſe authenticum. Scriptura autem eſt publicum inſtrumentum, quo Deus ſuam eccleſiæ voluntatem manifeſtat. Deniq; quæro, an unquam fuerit editio græca novi teſtamenti authentica, nec ne? Si nunquam fuit, quæ igitur fuit authentica editio Apoſtolorum tempore? niſi fortaſſe eccleſia editionem authenticam Apoſtolorum tempore non habuit. Si tum fuit authentica, aut fateantur Papiſtæ, adhuc eſſe, aut oſtendant, quando & quâ ratione authentica eſſe deſierit. Deſiiſſe, ignorat ætas Patrum tum prima, tũ media; ſed & ſuperiori ſeculo Romæ ignorabat Leo decimus, cùm Eraſmi Roterodami laborem, quo novum teſtamentum ad græcum textum emendavit, bullâ præfixâ commendaret.

V. Papiſtæ, ne pro authentica agnoſcere cogantur ſive hebræam veteris, ſive græcam novi teſtamenti editionem, utramque corruptam eſſe, clamant, & quidem Melchior Canus cum ſuis l. 2. loc. theol. cap. 13. hebræam malitiâ judæorum in univerſum eſſe depravatam, ſcribit. Non audet Bellarminus tam ſævæ criminationis patrocinium ſuſcipere, ſed nobiſcum contradicit ſocio ſuo, & refutat; Interim ne in periculum adducatur Tridentinorum patrum auctoritas, neutram omnino integram eſſe, contendit l. 2. de V. D. cap. 1. & 7. Utrumque confutatum, & ad criminationes ſingulas ſolidè reſponſum vide apud Guil. Witakerũ de ſcript. q. 2. c. 9. Sibrandum Luberti l. 2. de princ. dog. Chriſt. c. 2. 3. Fr. Junium in Animadv. Dan. Chamierũ in Panſt. theol. lib. 2. Nos ex illis hîc pro textu hebræo ſic arguimus: Si corruptus eſt à Judæis, corruperint eum vel ante, vel poſt Chriſti adventum in carnem. Non *antè*. Nam Chriſtus, & Apoſtoli vehementer commendant ſcripturas, quales erant in judæorum manibus, & earum lectionem Johan. 5, 39. Matth. 23. 1. 2. Timoth. 3, 16. 2. Petr. 1, 19, corruptelam nusquam accuſant.

ſant. Philo autem ſingularem illorum erga ſcripturas religionem prædicat apud Euſebium l. 8. præpar. evang. c. 2. item Joſephus l. 1. contra Appionem apud Euſebium l. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 10. Non *poſtea*. Vix enim poterant, cùm eſſent multi codices in Chriſtianorum manibus, iique longiſſimè diffuſi, quod eſt Auguſtini argumentum, ex quo repetit Ludovicus Vives. Et ſanè ſi voluiſſent corrumpere, corrupiſſent locos de Chriſto ſuæ perfidiæ infeſtos. Non factum. Accedit, quòd eos purgant patres vetuſti. Origenes lib. 8. in Jeſaiam. Hieronymus Com. in c. 6. Jeſaiæ; *Quod ſi aliquis dixerit, Hebræos libros poſtea à judæis eſſe falſatos, audiat Origenem, quid in Octavo volumine explanationum Jeſaiæ huic reſpondeat. quæſtiunculæ, quòd nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent. Sin autem dixerint, poſt adventum Domini Salvatoris & prædicationem Apoſtolorum, libros hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero; ut Salvator & Evangeliſtæ & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut judæi poſtea falſaturi erant.* Si vis, adde Aug. l. 15. de civ. D. c. 13. Oſtendunt a. docti, adhuc omnia legi hodie, ſicut tempore Hieronymi. Et inter pontificios linguarum peritiſſimi negant corruptionem textus, nominatim Vatablus, Pagninus, Arias Montanus.

VI. De verſione vernacula ſic habet noſtra ſententia: Eam eſſe licitam, & multis modis neceſſariam, atque in publico, & communi eccleſiæ uſu rectè legi, nec eſſe, cur Papæ conſenſus eam adrem vel expetatur, vel exſpectetur. Papiſtis longè alia mens eſt, varia tamen. Aliqui omninò improbant translationem vulgarem, tanquam perniciosam Chriſtianæ fidei, alii, tanquam originem hæreſum, nominatim Johan. Arboreus l. 8. Theoſophiæ cap. 11. Laudant alii edictum Ferdinandi, & Eliſabethæ Hiſpaniæ regum, qui ſub graviſſimis pœnis prohibuerunt, ne quis ſacras literas in linguam vulgarem transferret, aut ab alio trãslatas quoquo pacto retineret. Sic Alphonſus de Caſtro l. 1. contra hæreſ. c. 13. ubi ait; *hæreſum parens, & origo eſt ſacrarum literarum in linguam vulgarem translatio.* Alii deſierunt quidem apertè impugnare verſionem vulgarem, ſeu vernaculam, ejus tamen uſum tot circumſcripſerunt legibus, ut à prioribus verbo potiùs, quàm reipsâ diſſentire comperiantur. Vide indicem librorum prohibitorũ ſub nomine Concilii Tridẽtini editum, & nota, hos poſteriores contendere, nec ſine auctoritate Pontificis Rom: licere cuiquam ſcripturam transferre, nec niſi impetratâ facultate, & quidem ſcriptâ, legere translationem vulgarem. Præſupponunt igitur generalem prohibitionem: & cumprimis in ſacris uſum linguæ incognitæ urgent, vernaculæ uſum non admittunt.

VII. Hodiè pingunt ſuam cauſam Jeſuitæ, & perfrictâ fronte negant, tyrannidem in cauſa vulgaris translationis exercitam. Nota igitur exempla. Avenione conveniunt Epiſcopi, adverſus Merindolienſes bellum decernunt, in tranſitu à mercatore emunt picturas obſcœnas, quantum mulus portaret, librarium verò peregrinum, quòd biblia gallica venderet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret,igni adjudicant, & illuc rapiunt gestantem in signum causæ condemnationis duos bibliorum codices,unum à gutture porrectum ad stomachum, alterum à cervice spectantem ad humeros. (*Pantaleon l.5.pag.128.*) Johan. Borthvichus eques auratus in Scotia condemnatur ob evangelium anno 1540. Inter alia accusationis capita articulo secundo numeratur, quòd novum testamentum vulgariter anglicè impressum habuerit,& illud legerit,& aliis communicaverit. Ne mireris, recensetur illa versio inter libros suspectos de hæresi, & tam papali, quàm regali, & ordinariâ auctoritate damnatos. (*Foxus in hist. martyr. pag.177.*) Johannes Portor, vestiarius juvenis,ob bibliorum duntaxat in æde divi Pauli lectionem,à Bonero Episcopo Londinensi in carcerem Neopylum datus est, ibique fame exstinctus anno 1542. Eodem tempore Johannes Longlandus Episcopus Licolniensis duos eodem die combussit, Thomam Reinardum, & Thomam Mortonum: alterum, quòd orationem Dominicam populari linguâ docuisset, alterum quòd Jacobi epistolam translatam servasset. Denique ut alia præteream, uxor Smythi urbis Coventriensis præfecti, cum sex aliis incendio datur circa annum D.1490. Causa mortis fuisse dicitur,quòd scripturis in suam linguam versis operam dare deprehenderentur, Poterat tamen præfecti uxor ex illo emergere periculo, nisi schedula fortè quædam à ductore per manicata brachii redimicula,quæ orationem Dominicam vernaculo idiomate contineret, perspecta, deinde condemnationem retraxisset.Refert Foxus in hist.pag.116.117. Cæterùm Tugii Helvetiorum sacra biblia publicè exusta esse operâ carnificis Lucernensis anno 1556. annotatum legimus in historia. Nos exhorrescimus toto pectore illam tyrannidem, & probamus nostram sententiam brevissimè.

VIII. Partem priorem sic probamus. Primò.In ecclesia usus linguæ cognitæ,& vulgaris in scripturis proponendis est omnium primus. Moses scripsit idiomate illi populo,cui scribebat, noto: Sic Prophetæ,& Apostoli. Secundò.Quæcunq; continentur in scriptura, prædicari debent omnibus linguis etiam vulgo notis. Ergo fas iisdem scribere, in eas denique linguas transfundere. Tertiò. Scriptura in singulis ecclesiis legi debet, ad instructionem omnium, etiam plebis. Habemus eam in rem tum mandatum in testamento veteri, Deut.31.10.11.12.13. Jer. 36.5,6. in Novo, Col.4,16. 1.Thess.5,27. tum praxin Ecclesiæ non solum veteris judaicæ,2.Reg.23.2.Neh.8,3.4.Actor.13, 27.Sed etiam Christianæ,Actor.15.30.31. Justinus Apologia 2. *Die solis (quam vocant) omnium conventus fit in unum locum,cum in oppidis, tum in agris degentium,leguntur q, Apostolorum monumenta,& Prophetarum scripta quantum licet.* Huc pertinet sanctio Justiniani Novellâ 146. *Nos*,inquientis,hujusmodi discentes,*meliores illos judicavimus esse, & græcam vocem ad sacrorum librorum lectionem tradere volentes*,& vocem omnem simpliciter, *quàm locus aptiorem, & magis cognitam auditoribus facit.* Et infrà; *Sancimus, ut liceat,cùm volent,hebræis in suis Synagogis, ubicunq; locorum sunt, græcè sacros libros lege-*

legere iis qui intelligere poterunt: vel quacunq;patriâ,exempli gratia, italica, vel qualibet alia, mutatâ pro variis locis linguâ,simulq; lectione.Idq; hanc ob causam,ut perspicua sint,quæ dicuntur, æquè omnibus intelligentibus, vivíq; possit juxta eorum præscriptum. Sic Chamierus ex græco reddidit,cùm paulò aliter in latino codice legamus.Si legi debet in lingua cognita, ergo etiam in eam transferri. Nemo enim potest instrui linguâ ignotâ.

IX. Quartò. In ecclesia jam olim pii & docti viri scripturam in linguam vernaculam transtulerunt, piorum nemine contradicente. Chrysostomus transtulit Psalmos & Novum Testamentũ in linguam Armenicam, teste Sixto Senense lib.8.Bibl. Hieronymus utrumque testamentum in Dalmaticam, eodem Sixto teste lib. 6. Bibl. annot. 152. & Alphonso de Castro l. 1. contra hæreses c.13. Ulphilas Gothorum Episcopus in linguam Gothicam, apud Sozomenũ l.6. Histor. cap.37. Socratem l. 4. c.33. Methodius in Slavonicam,(Aventinus l.4.Hist.) Beda, in linguam Anglicam, memorante Juello, Episcopo Sarisburiense art.15. contra Hardingum ex Joh. Trevisano. Chrysostomus Hom.1. in Joh.dicit,Syros, Æthiopes, Ægyptios, Indos, Persas, & innumeras alias Gentes Johannis doctrinã in suam transferentes linguam homines barbaros philosophari didicisse. Theodoretus l. 5. de Græcorum Affect.corrigendis, non tantùm illas linguas & Scythicam, atque adeò Sauromaticam nominat, sed addit,in omnes linguas libros hebraicos conversos esse, quibus ad illum diem omnes nationes utantur. Syriacæ, Chaldaicæ, Æthiopicæ, Arabicæ, Ægyptiacæ versionis adhuc exstant vestigia.Et quidem Syriacæ stylum tam antiquum esse, pronunciat Bonaventura Bertramus in præfatione in comparationem linguæ Hebrææ & Aramicæ, ut ei credibile sit, ejus auctores fuisse primos Christianos, qui Antiochiæ convenerunt. Ne nunc huc afferam,quòd Guido Fabricius Boderianus præfat. in novum testamentum trilingue memorat, Syros constanter affirmare, S.Marcum Evangelium suum linguâ patriâ, hoc est, Syrâ transtulisse, & non modò evangelium suum, sed etiam cæteros omnes novi testamenti libros. Cujus rei fides penes auctorem esto. Ambrosius Theseus apud Sibrandum l.3. c.7. p. 224. sæpè allegat Indorum Psalterium. Apud Franciscum Raphelengium professorem hebræum Leidensem fuit Pentateuchum Mosis linguâ persicâ hebraico charactere descriptum: & in bibliotheca D. Hermanni Comitis Nuenarii novum testamentum antiquâ linguâ Frisonum. Jam suo tempore scribit Augustinus l. 2. de doctrina Christ. c.5. factum esse, ut scriptura ab una lingua profecta per varias interpretum linguas longè lateque diffusa innotesceret gentibus ad salutem. Michaël Adam Judæus conversus in linguam Germanicam,apud Sixtum Senensem l. 4. bibl. itemque alii studiosi illius gentis, tradente Valafrido Strabone de rebus ecclesiasticis c.7. Italicè edidit Jacobus Archiepiscopus Genuensis, teste Stapletono & Sixto. Polonicè, Hieronymus Leopolitanus,eodem Sixto teste: Gallicè prodiit, procurante Carolo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quinto Rege, cognomento Sapiente, qui floruit circa annum 1350. (in Chronico Regum Galliæ.) Moravicè ſcripturam eſſe editam circa annum Chriſti 880. patet ex literis Johannis Papæ octavi ad Stentum comitē de Methodio, apud Baronium tom. 10. Annal. ad annum D. 880. n. 10. Ruſſos in ſua, itemque in ſua Bohemos jampridem habuiſſe, notum eſt. Ne autem dicas, hoc eſſe *facti*, nota hiſtoriā ab Æneа Sylvio, poſtea Pontifice, ſcriptam: Cùm Romæ in conclavi agitaretur quæſtio, de ſacris moravicè peragēdis & ideo ſcriptura in eam linguā vertenda, multique eſſent contradictores, teſtatur, vocem tanquam de cœlo in hæc verba miſſam, *omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei.* In Hiſt. Bohem. cap. 13.

X. Pars altera facilè probatur: Nec enim illa auctoritas pontifici Romano à Chriſto eſt data, nec ab ullo generali Concilio decreta, nec uſu veteris eccleſiæ comprobata. Chaldaicæ, Syriacæ, Armenicæ, Dalmaticæ, Æthiopicæ, Arabicæ, Ægyptiæ, Gothicæ, Anglicæ verſionum fiebat paulò ante mentio: Quenquam auctorum à Romano Papa licentiam vertendi petiiſſe, nullo conſtat argumento. Et conſentiunt docti, aliquas tempore Apoſtolorum, & illi proximo factas eſſe, quo Romanus Epiſcopus non plus habebat auctoritatis, quàm reliqui Epiſcopi. Imò Arabes, Æthiopes, Syri, Ægyptii, etiam ſequentibus ſeculis non agnoverunt Papæ Romani auctoritatem.

XI. Papiſtæ objiciunt primò. *A tempore Eſræ uſq; ad Chriſtum ſcripturam exſtitiſſe in Judaica eccleſia, non niſi in lingua incognita, hebræa nempe.* R. 1. Status Eccleſiæ judaicæ *inclinantis* pro exemplo conſtituendæ Eccleſiæ Chriſtianæ malè ſtatuitur. Ad *integræ* ſtatum potiùs reſpiciatur. 2. Si ab Eſræ tempore hebraica lingua deſiit eſſe vulgaris, quod affirmat Bellarminus; Antea igitur erat vulgaris. Legit ergo populus Scripturam multis ſeculis in lingua vulgari. 3. Hebræa lingua populo non fuit prorſus incognita Eſræ tempore. Haggæus enim Zacharias & Malachias poſt captivitatem concionati ſunt hebraicè, ut patet ex eorum libris. Et populum intellexiſſe verba, patet à Nehemiæ c. 8. Attulit enim Eſra librum coram multitudine virorum, & mulierum, cunctisque, qui poterant intelligere v 3. populus erat attentus ad librum, quod fruſtrà fuiſſet, ſi verba non intellexiſſet, v. 4. Et cur legeretur à manè uſque ad meridiem non intelligentibus? idque per ſeptem dies v. 19. Vulgata verſio habet, *Et legerunt in libro legis, diſtinctè & aptè ad intelligendum, & intellexerunt cùm legeretur.* v. 9. Eſra expoſuit populo ſenſum elucidatione rerum, non translatione vocum v. 10. quemadmodū Chriſtus diſcipulis Emaunticis Luc. 24. 27. & Philippus Eunucho, ſcripturam declaravit, Act. 8. 35.

XII. Objiciunt ſecundò. *Apoſtolos nullâ linguâ præter hebræam, græcam & latinam ſcripſiſſe evangelium: Ergo in alias transfundi non debere.* R. Primò nego ſequelam; quæ ſi firma eſſet, non liceret Vetus teſtamentum ex hebræa lingua in aliam transferre, in alia lingua legere nō liceret. Prophetæ enim non in alia, quàm hebræa ſcripſerunt. Ita improbandum eſſet

eſſet Græcorum inſtitutum, qui libros veteris teſtamenti in linguam græcam transtulerunt, quod omnes Chriſtiani hactenus approbarunt; nemo auditus eſt, qui improbaret. Imò improbandi eſſent, quicunque in latinam linguam vetus teſtamentum transfuderunt. Hi ſi non improbandi, cur improbandi, qui in linguas vulgares transferunt? Secundò argumentum præſupponit tanquam certum, quòd Apoſtoli hebraicè & latinè, non tantùm græcè ſcripſerint Evangelium. Atqui aliquem hebraicè ſcripſiſſe, puta Matthæum, nondum eſt omnino certum. An enim Orientalis Eccleſia nō ſervaſſet exemplum, apud quam ſecundo ſeculo fuit ignotum? At Matthæum hebraicè ſcripſiſſe, dicit Hieronymus & Auguſtinus, idque Pantænus apud Euſebium lib. 5. hiſt. c. 9. apud Indos reperit, atque ſecum Alexandriam retulit, teſte Hieronymo. Euſebius & Hieronymus, fateor, illud affirmant. Recentiores ab his ipſis habent. Agnoſcit Baronius ad an. D. 44, num. 34. Cæterùm in his rebus non ubique teſtis eſt omni exceptione major ſive Euſebius, ſive Hieronymus. De Euſebio ſæpius monet Baronius. Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum Senecam inter Sanctos refert, propter Epiſtolas ad Paulum ſcriptas, quarum etiam mentionem facit Auguſtinus epiſt. 54. An approbas? Baronio ſunt ſuſpectæ tom. 1. ad An. D. 66. num. 11. nec immeritò. Opinio enim illa hauſta eſt ex actis paſſionis Pauli, quæ apocrypha eſſe, fatetur Baronius ibidem num. 13. Quid ſi in hoc quoque cum Euſebio fallatur Hieronymus? Dicit vir magnus, ipſum Hebraicum Matthæi aſſervari in bibliotheca Cæſarienſi à Pamphilo inſtituta, & ſe à Nazaræis deſcripſiſſe. Quæro, num utrumque exemplar ejuſdem fuerit notæ? Si ais, neutrum igitur eſt Matthæi; quia quod Nazaræi habuerunt, à græco, quod eccleſia pro divina veritate ſemper habuit, diſſidere in multis, ipſe teſtis. Exempla vide in Com. Matth. c. 12. & 27. item in catal. ſcriptorum Eccleſ. in vita Jacobi & Ignatii. Com. in Epheſ. c. 5. Ideo Baronius in apocryphorum claſſem refert, tom. 1. ad An. D. 41. num. 19. & abſolutè *Nazarenorum* evangelium nominat, ad An. D. 32. num. 4. Si diverſæ notæ fuiſſe, dicas, primò quæro, unde probes? Secundò nihil proficis, niſi probes, Cæſarienſe præferendum eſſe alteri. At Epiphanius dicit, Nazaræos habere perfectiſſimum hebraicè; apud ipſos enim clarè, quemadmodum ab initio ſcriptum eſt, hebraicis literis adhuc ſervari. Præterea quis credat, Hieronymum in Nazaræorum exemplari in aliam linguam transferendo voluiſſe operam ponere, non in Cæſarienſi, ſi Cæſarienſe majoris erat auctoritatis & fidei? Hieronymus dubium ſolvit, dum dicit, à pleriſque authenticum haberi, è quo refert, quis fuerit, cujus aridam manum Chriſtus ſanavit. Id autem erat Nazaræorum Evangelium. Pantænum quod attinet, retulerit is ſecum ex India Evangelium Matthæi hebraicè ſcriptum; ergone Matthæus primò hebraicè ſcripſit? Nego ſequelam. At Indi dixerunt. Etiamſi Syri conſtanter affirmant, Marcum omnes Novi teſtamenti libros in Syriacam vertiſſe linguam, num

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideo certum? Imò Bellarmino ne quidem ſit probabile lib. 2. de verbo Dei c. 4. Non plus valet Indorum teſtimonium.

XIII. Baronius aliquid certius videri vult inveniſſe, nempe *cum Barnabæ reliquiis refoſſum eſſe in Cypro evangeliũ Matthæi, illius manu propriâ hebraicè ſcriptum, regnante Zenone.* Hiſtoriam enim omniũ aſſertione & conſenſione receptam vocat, ad annum Chriſti 485. num. 4. Verùm primò nondum conſtat, Barnabam in Cyprum reverſum, & ibi poſt martyrium ſepultum eſſe. Baronius ad an. D. 51. num. 54. fatetur, quando Barnabas in Cyprum reverſus ſit, quando vé martyrium conſummaverit, nihil ſe invenire, quod antiquorum ſcriptorum teſtimoniis poſſit aſſerere. Quis igitur primus hiſtoriæ auctor? *Alexander quidam monachus*, inquit Baronius. Quantæ fidei homo? Qui multis mendaciis ſuam de Barnaba narrationem replevit. Unum hîc nomino; Dicit, *Barnabam primum Evangelium prædicaſſe Romæ, poſtquàm Antiochia miſſus eſſet à fratribus.* Lucas refutat mendacium. Imò ipſe Baronius loco laudato num 53. nominat inſulſum commentum, & jubet faceſſere *portentoſa mendacia*, & *inſana deliria*, ex *cœnoſo gurgite* recognitionum, quæ ſint Clemẽtis nomine inſignitæ, hauſta ab Alexandro. Vide egregium Baronii teſtem, quo nititur. Sed nec dicit bonus ille Alexander, inventum eſſe evangelium Matthæi hebraicè ſcriptum. ſed evangelium Matthæi ſcriptum manu propriâ Barnabæ. Denique affirmat, Conſtantinopolin eſſe miſſum, ubi quotannis feriâ quintâ paſchæ in palatii Oratorio ex eo Evangelium fuerit recitatum. Num hebraicè? Nec dicit, nec veriſimile. Cui enim bono? Sic nugæ abeunt in ventos. Theodorus lector, Suidas, Nicephorus firmare eas nequeunt. Non enim teſtes idonei, quia recentiores. Alios græcos & latinos idem dicere, ſcribit quidem Baronius, ſed ego quæro, veterésne, an recentiores? Illud falſum; iſtud non ad rem. Præſultore enim ſuo Alexandro nequaquam meliores.

XIV. Jam ſi mentem ad veteres patres iterum reducas, qui Matthæum hebraicè ſcripſiſſe, ferunt, ego dicam, me veteres non contemnere, quin imò magni facere, ſed non ideo verum, quicquid dixerunt. Exemplum cape ab hac re non planè alienum. Juſtinus in exhortatoria ad Gentes de ſeptuaginta duobus interpretibus veteris teſtamenti ſcribit, ſingulos in ſingulis cellulis incluſos fuiſſe, & à ſingulis ſeorſim totam ſcripturam iisdem verbis redditam; ſe quoque apud Alexandriam veſtigia cellularum vidiſſe. Juſtinum ſecuti ſunt multi, Irenæus lib. 3. cap. 25. Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtromatum. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi. 4. Auguſtinus lib. 18. de civ. Dei cap. 42. Bellarminus fatetur hos ſequi Juſtinum, quamvis non omnes cellularum exſertè meminerint. Certè Auguſtinus expreſsè nominat, & addit, multos non indignos fide id prædicare, libr. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 15. Num igitur verum? Imò Hieronymus epiſt. 104. *neſcio*, inquit, *quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit.* Quid hîc faciundum? An pluris faciemus

mus tot patrum auctoritatem, quàm unius Hieronymi? Sic cenſet Leonhardus Coquæus in Comm. in Auguſtini librum 18. de civ. Dei cap. 42. Ubi Hieronymo opponit Leonem de Caſtro Papiſtam, à quo diſputatione de translationibus ſcripturæ ſacræ cap. 35. refutetur. Contrà Bellarminus vocat Judæorum fabulam, quicquid de cellulis Juſtino perſuaſum fuerit lib. 2. de verbo Dei c. 20. Si tot Patres fabulam pro veritate receperunt, ubi de ſeptuaginta interpretum verſione agitur, annon aliquid illis obrepere potuerit de Matthæi autographo hebraicè ſcripto? Si igitur primâ ætate hebraicè ſcriptum exſtitit, ex translatione id fuiſſe, vero ſimilius; Sicut translatum eſt in hebræam linguam evangelium Johannis & Actus Apoſtolorum referente Epiphanio hæreſi. 30. A Matthæo non hebraicè, ſed græcè ſcriptum eſſe, vel ex eo patet, quòd in contextu græco non ſolùm vocis hebraicæ, ſed etiam integræ hebraicæ ſententiæ interpretatio occurrit, Matth. 1, 23. cap. 27. 46. Nam ſi hebraicè ſcripſit Matthæus Hebræis intelligentibus, defuit interpretatio; ſi verò defuit interpretatio, quâ fide interpres potuit adjicere? Vide Bezam in annotationibus majoribus, imprimis verò D. Franciſcum Gomarum in erudita diſſertatione de evangelio Matthæi hebraicè ſcripto, ubi non ſolùm multiplicem diſcrepantiam à genuino Matthæi evangelio, & additionem variam, ſed etiam tres ineptas impiasque ſententias recitat, quæ in Pſeudo evangelio Hebraico leguntur, in genuino græco non leguntur.

XVI. Porrò. Quis evangelium primò ſcripſit latinè? Marcum Bellarminus, Baronius, alii papiſtæ nominant. Nullum ejus rei apud veteres latinos exſtat veſtigium. Nullus teſtis idoneus. Imò Marcum latinè ſcripſiſſe, eo ipſo negant latini, quòd ſolùm Matthæum hebraicè ſcripſiſſe dicunt, cæteros græcè, nominatim Hieronymus præfat: in quatuor Evangelia, & Auguſtinus, lib. 1. de conſenſu Evangel. cap. 2. Græcos & Syros in alteram ſententiam procliviores fuiſſe videri, objicit Baronius. Non videntur. Nazianzenum nominatim objicit. Miratus ſum. Is enim Auſoniis Marcum ſcripſiſſe dicit, de lingua latina neque γεῦ, neque μῦ. Bellarminus & Baronius Damaſum excitant teſtem, quaſi ludendum ſit in re ſeria. Perſonatus enim eſt Damaſus, non genuinus. Agnoſcit Baronius ad Ann. D. 384. num. 21. Jam addo, eſſe hominem mendacem, quod non alio argumento, quàm quod ipſe ſuppeditat, probo clariſſimè. Fictitius ille Damaſus ſic ait; *poſt omnem quatuor evangeliorum fontem, quæ ad interrogationem & teſtimonium ejus, hoc eſt, Petri firmata ſunt, dum alius latinè, alius græcè & alius Hebraicè conſonant, tamen ejus teſtimonio ſunt firmatæ.* Hîc dicit, quatuor evangelia confirmaſſe Petrum. Mendacium apertum. Nam mortem Petri Euſebius in Chronico, & Hieronymus de ſcriptor. Eccleſ. ad Neronis annum decimum quartum referunt. Epiphanius hæres. 27. ad duodecimum, Baronius ad annum decimum tertium, ad An. D. 69. num. 2. omnes ad Neronis tempus. Atqui omnium conſenſu conſtat, eo tempore nondum ſcriptum fuiſſe Johannis evangelium. Quomodo igi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur confirmavit Petrus? Nisi post mortem id ab eo factum dicas.

XVI. Baronius ad Ann. D. 45. num. 38. arguit, *Si ingratiam Romanorum evangelium scripsit, quænam causa fuberat, ut græcè potiùs quàm latinè scriberet? Cùm præsertim Tiberii Imperatoris auctoritate & exemplo eadem græca lingua Romæ apud optimos jam exolesceret.* Scripserit in Romanorum gratiam. Romæ à fratribus rogatum scripsisse, auctor Hieronymus: in illorum solorum gratiam scripsisse, nõ dicit, & manifestè falsum est. Nec in illorum magis, quàm aliorum gratiam scripsisse, certò constat. Cæterùm argumentum facilè solvitur, si videas Paulum. Is Romanis scripsit & quidem græcè. Cur græcè potiùs, quàm latinè, si solida est ratio Baronii? Nempe non solis Romanis fructus epistolæ destinatus erat, sed pluribus gentibus, in quibus ferè omnibus lingua græca legebatur. Testis Cicero, pro Archia Poëta. Etiam Eusebius lib. 8. de præparatione Evangelica cap. 1. testis, eam omnes ferè intelligere. Quod repetit è Papistis Leonhardus Coquæus com. in Augustini lib. 18. de civitate Dei c. 42. Tiberium sermone græco, quanquam aliâs promptum & facilem, non usque quaque usum esse, abstinuisseque maximè in senatu, itemque in decretis non peregrinas, sed patrias voces adhibendas, censuisse, auctor est Suetonius; Ejus auctoritate & exemplo linguam græcam apud optimos quosque exoleviſſe, non est auctor. Quod verò *Claudium Imperatorem splendidum virum, Græciæq; Provinciæ Principem, verùm latini sermonis ignarum non modò albo judicum erasisse, sed etiam in peregrinitatem redegisse*, Baronius objicit, id Suetonius inter Claudianæ censuræ errata memorat, nec quicquam ad rem præsentem facit. Num enim sequitur, ignorantia latinæ linguæ punitur à Claudio in homine græco, ergo græcæ linguæ usus Romæ aboletur? Minimè sequitur. Legem enim Octavius Augustus proposuerat, ut Romani Græco, & Græci Romano habitu & sermone uterentur. Præterea constat, quòd Claudius græca studia magnâ curâ sit secutus, amorem præstantiamque linguæ omni occasione professus. Quòd multum pro tribunali Homericis locutus sit versibus; quod græcas scripserit historias, quod cuidam barbaro græcè & latinè differenti dixerit, *cum utroque sermone nostro sis peritus*, græcum Romanorum sermonem vocans. Sed & Nero à Claudio adoptatus & pòst successor coram eo pro Rhodiis & Ilienſibus græcè verba fecit. Sic in Augusto, Claudio, & Nerone refert Suetonius. Et Baronius nobis persuadeat, Claudii auctoritate, aut etiam Tiberii exemplo linguam græcam exoleviſſe Romæ?

XVII. Objiciunt tertiò; *Vniversam ecclesiam semper his tantùm linguis usam esse in communi, & publico usu scripturarum, cùm tamen jam dudum desierint esse vulgares.* B. 1. Usus sola nixus consuetudine non facit regulam; usus, nisi q. ab institutione, & præcepto Dei pendeat, probari nequit. Certè nec Christi, nec Apostolorum mandatum habemus. 2. Institutum temporarium à perpetuo discerne, ne quodvis institutum ad perpetuam observationem trahas. Exemplum cape à decreto

decreto Concilii, Actor. 15. 3. Usum Catholicæ ecclesiæ perpetuum jactari frivolè, probant versiones suprà citatæ, & quidem intra primos quadringentos annos à Christo Syriaca, Gothica & Dalmatica jactantiam illam refutant. Nec primis seculis fuit usurpata in legenda scriptura lingua, nisi quæ aut vulgaris esset, aut saltem communis, eoque cognita. Richamus Jesuita lib. 4. de missa adversus Plessæum, c. 32. græcam appellat communem totius Orientis, & Occidentis. Julius Cæsar. Bullingerus l. 2. c. 5. contra Plessæum, ejusdem linguæ usum in Perside fuisse, agnoscit, jam Crassi tempore, itemque totam Græciam, Thraciam, Syriam, Armeniam, Ægyptum, Phrygiam, Asiam minorem græcè locutam esse. Et constat, græcè concionatum esse apud Antiochenos Chrysostomum, apud Alexandrinos Athanasium, & Cyrillum, apud Cæsareenses, Basilium, apud Hierosolymitanos, Cyrillum alterum. Num illi concionabantur linguâ populo incognitâ? Sit scriptura multis locis lecta in lingua latina. Quid tum? De latina lingua in occidente Laurentius Valla præfat. in elegantias; *Nostri*, inquit, *per totum penè occidentem, per septentriones, per Africæ non exiguam partem brevi spacio linguam Romanam celebrem, & quasi reginam effecerunt, & velut optimam quandam frugem mortalibus ad faciendam sementem præbuerunt.* Postea: *Hortabantur provinciales omnes, ut cùm Romæ, tum in provincia Romanè loqui consuescerent.* Item; *Amisimus Romam, amissimus regnum, amissimus dominatum; veruntamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostræ Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multæq; aliæ nationes. Ibi namq; Romanũ imperium est, ubicunq; Romana lingua dominatur.* Bullingerus contra Plessæum negat, Hispanis, Hungaris, Afris, Gallis aliam fuisse linguam, quàm latinam.

XVIII. Quartò objiciunt, *Linguam vulgarem præjudicare unitati ecclesiæ.* B. 1. Lingua vulgaris in concione non præjudicat. Cur ergo in scripturæ lectione? Germani germanicè, Hispani hispanicè, Galli gallicè, Itali italicè concionando, seu scripturam interpretando non scindunt ecclesiæ unitatem, & scindant in sua lingua legendo? 2. Varii ritus non scindunt unitatem; & scindant variæ linguæ? 3. In publica scripturæ lectione non consistit ecclesiarum communicatio sed tantùm singularum plebium instructio. Neque hîc agitur, quâ ratione commodissimè ecclesiæ omnes suas res inter se communicent, sed quid sit singulis ad instructionem commodissimum, quæ jure meritò quæritur ante omnia. De cætero sunt aliæ communicationis tuendæ rationes, quas nec tollit, nec quidẽ impedit lectio scripturæ vernacula. Sic Græci res suas olim communicabant Italis & Gallis, quamvis hi non græcè, sed latinè scripturas legerent. Nẽpe communicatio fit per doctos, non per plebem. Hoc si non placet, ergo in una lingua legatur scriptura, sicut una est ecclelia. Absurdum agnoscunt Papistæ acerrimi. Inquis: *at nemo frequentabit ecclesiam, nisi in sua patria.* Quid tum? Nũ propter paucos peregrinos universi u-

nius

Universidad de Deusto
Biblioteca

nius provinciæ, imò regni fraudentur scripturæ intelligentia? Baronius tom.6. Annal.ad calcem fol.95.scribit,(id fingere probat Georgius Dousa in Itinerario) ab Alexandrino Patriarcha Gabriele missos esse Romam legatos ad Clementem Octavum. Idem tom.7.peculiarem historiam texit de legatis Ruthenis Romam missis an.1595.fol.982.& seqq.Num in eorum gratiam lectio scripturæ mutata est ad legatorum captum, ad stabiliendam unitatem Ecclesiæ? puto.Et quæso, ubi frequentabunt ecclesias Papistæ, qui linguam latinam non magis callent, quàm Turcicam? De monachis, & monialibus latinitatis imperitis nunc nondicam. Dices, *Non poterunt fieri ulla Concilia.* Respõdeo, 1.Concilia sunt cœtus extraordinarii,quibus non debent accommodari ordinarii. Sedecim seculis Papistæ numerant octodecim concilia generalia; Num propterea tanto tempore in lingua ignota omnibus locis legatur scriptura? 2. Usus linguarum singulis locis cognitarum non impedit Conciliorum celebrationem. Græci & Latini convenerunt sæpiùs, neque tamen vel Græci latinè,vel Latini sacra sua peregerũt græcè. 3. Hinc non magis pro lingua latina quàm Orientales pro Græca, possis concludere.

XIX. Quintò objiciunt, *Etsi scripturæ in materna lingua legerentur, populum tamen non intelligere, adeoq; non capere fructum, at capere detrimentum: accipere enim occasionem errandi in fide, & moribus.* R. Primò. Licet populus non omnia intelligat,non tamen omnino nihil intelligit: Intelligit, quæ sunt ad salutem scitu necessaria. Num clerici omnia intelligunt? Imò sæpe minùs, quàm populus; tam rudes sunt,& rerum imperiti. Ergo aut illis non legenda in lingua cognita, aut fallit Sophistæ ratio in populo,in quo sæpè sunt doctiores,quàm in Clero. Secundò. Distingue, quod fit *per accidens*, ab eo,quod est *per se*.Si qui errandi occasionem arripiunt ex lectione scripturæ in lingua cognita,id vitio hominum deputetur,non lectioni in lingua cognita. Ut enim scriptura in se, sic in vernaculam linguam translata non desinit esse utilis ad institutionem, 2. Timoth.3.16. Aut clericis lectio in lingua nota prohibeatur ex eadem causa. Nam constat,plures hæreses à Clericis ortas esse, quàm à laicis,Neque tamen illis hactenus prohiberi meminimus lectionem scripturæ in lingua cognita. Neque ullæ hæreses ex scripturæ lectione, sed potius ex ejus ignoratione, aut contemptu sunt exortæ. Certè Deus non ideo in lingua incognita vel historias sacras consignari, vel legi coram populo voluit, ne populus auditis peccatis sanctorum, vel illa imitetur,vel ipsos contemnat. Par ratio populi Christiani.Dolẽdum est, Christianis scripturam vernaculâ linguâ redditam è manibus extorqueri ab iis,qui omnibus etiam lubricæ ætatis hominibus Martialem, Ovidium, Plautum, Terentium, & comœdias turpissimas permittunt.

XX. Sextò objiciunt,*Singulis ætatibus mutandas esse translationes, quia singulis seculis linguæ vulgares magna ex parte mutentur; quæres non careret periculo.* R.primò. Falsum, omnes linguas mutari singulis seculis. Loquor de ipso linguarum corpore. Experientiam testem laudo, quam Sophistæ jactant, non probant. Hebraicam linguam ab Adamo usque ad captivitatem Babylonicam mansisse, fatentur adversarii. Habemus secula triginta quatuor,& quod excurrit. Græca, qualis fuit Homero usitata,nónne adhuc floruit Christi tempore? Habes decem secula. Homerum enim Bucholzerus, Asâ in Juda circa annum mundi termillesimum regnante, floruisse, censet. Funccius tamen ad Manasse tempora refert,illiq́ue jus literarum,& linguæ græcæ emendandarum soli tributum esse, scribit.Ne jam memorem Athanasios, Nazianzenos, alios eâdem linguâ locutos. Latinam perseverasse ultra mille annos, fateri coguntur Sophistæ. Bellarminus primum mutationis initium notat ex Radevico ad annum Christi 1170. Cùm ab urbe condita ad Christum citra dubium plusquàm anni 700.fluxerint. Funccius Bucholzerus, Helvicus, alii annos 751.numerant. Nostram linguam non singulis seculis variasse, res ipsa testatur. Secundò. Sed esto. Sint tandem translationes mutandæ: Quid tum? An non inveniantur idonei interpretes? Deus hactenus dedit. Ille vivit in æternum. Illum daturum semper,spes est non ambigua. Et quid obstet, cùm principalium linguarum cognitio conservetur in scholis,maternæ sint in usu continuo? Possunt errores coñitti in vertendo.Fateor.At ñ ideo versio omittẽda,aut latina &græca fuisset omittẽdæ,quib° multoties peccatum esse, cõstat.Imò corrigendi potiùs errores.Est tamen difficultas. At non insuperabilis. Hieronymus emendavit græcam veteris,& latinam novi testamenti. Si à Conciliis Oecumenicis non speratur, sunt particularia; illa faciant officium in una quaque gente. Deus aderit piis conatibus,& dabit successum.

XX. Septimò objiciũt,*Videri Majestatẽ divinorũ officiorum requirere linguam magis gravem,& venerandam, quàm sint illæ, quibus vulgò utimur, si id commodè fieri possit,præsertim cùm in sacris mysteriis multa sint, quæ secreta esse debent, juxta veteres* R.1.*Videtur* solvitur per *nõ videtur.* 2.Nego,requirere linguâ graviorem, q̃ vulgo cognitam.Vide sacra Veteris judaicæ, & primæ Christianæ Ecclesiæ. Deus comprehendit omnia mysteria in lingua cognita judæis. Christus,& Apostoli docuerunt in linguis vulgo notis. In ignota lingua administrasse sacra, nullus est testis fide dignus. Idem tenuerunt proximi successores.Cur non græci latinè,& latini græcè, aut utrique hebraicè peregerunt sacra ad conciliandam officio majestatem? In divinis officiis facilè princeps est oratio. Num requirit linguam magis gravem,quàm vulgarem? Porrò de concionibus cogita. Si lectio, ergo etiam concio hodie requirit linguam magis gravem,quàm vulgarem. Doceant ergo Jesuitæ Hispanos gallicè, Gallos Hispanicè,aut latinè,Germanos Polonicè,Bohemos Germanicè. 3. Nulla secreta in scriptura,de qua hîc agitur, agnoscimus, quæ non sint omnibus Christianis tempore & ordine suo publicè communicanda.Matth.10,27.Eadem mens veteribus fuit, qui omnis generis homines ad illius lectionem magnâ contentione animi,magnoq́; invitarunt studio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sectio. II.

Ostenditur, quòd Becanus nec satis aptè respondeat, nec sua probet solidè.

I. HActenus tum propositionem minùs rectam, tum omissa Becani vidimus. Diximus, eundem respondere non satis aptè. Id deinceps videamus. Duobus constat responsum totum, jactatione & criminatione. Jactat, catholicos uti veteri ac vulgata versione, quæ jam multis seculis in ecclesia viguerit, & communi Christianorum consensu recepta sit. Jactat, catholicos unam, certam, constantem ac uniformem sequi editionem, & licet toto orbe diffusi sint, unâ tamen loqui lingua, & iisdem Spiritus Sancti formulis esse assuetos. Resp. Aliena, Sophistica, falsa & inanis est jactatio. *Aliena*; Quærebat enim, *quænam sit legitima scripturæ versio*? quid eam ad rem facit, jactare usum vulgatæ versionis, de quo hîc non quæritur, quippe communi catholicis cum papistis? Non enim soli papistæ, quos more suo Becanus catholicos nominat, sed etiam verè Catholici, i.e. Evangelici ea usi sunt, secessione jam factâ à Papatu, atque etiamnum utuntur hodie. Omnes intelligunt, non respondere hominem, quæ sit legitima versio, sed quam papistæ, & quam eorum adversarii habeant.

II. *Sophistica*; Papistæ utuntur, tanquam authenticâ. In hoc momentum causæ ponitur, sed id totum premit Jesuita. Et tamen subintelligit. Fraus inde orta, quòd facilè patuisset defectio Papistarum ab universa Antiquitate, si pro ἀνθενλία multorum seculorum usum allegasset. Viguit enim quidem vulgata versio latina multis seculis in Ecclesia; At non viguit, ut authentica, imò ante concilii Tridentini decretum, i. e. ante annum millesimum quingentesimum quadragesimum sextum authentica non fuit. De primis annis quadringentis dant papistæ. Et coguntur. In illis enim ne quidem fuit. Saltem tota. Tribuunt enim si non totam, magna tamen ex parte, Hieronymo qui sub finem quarti seculi floruit. Augustinus fortiter Hieronymianæ contradixit, & prætulit Italam. Tempore Gregorii, i.e. ducentis pòst annis, Ecclesia, si Gregorio credas in epistola ad Leandrum, usa est utraque editione, veteri, & nova, i.e. Hieronymiana. Postea recepta quidem est Hieronymi versio, sed primò paulatim; deinde, nullo interveniente Concilii vel generalis, vel particularis decreto. Tertiò, sic ut altera non penitus exterminaretur: Alcuinus enim tempore Caroli M. ex alia editione sæpe dicta citat in quæstionibus in Genes. & Agobardus Lugdunensis Episcopus, sub Gregorio IV. Episcopo Romano, utitur jam veteri, mox Hieronymi versione, ut monet ille, qui ejus opera edidit. Quartò, sic recepta est, ut hodie non satis constet, sitné moderna vulgata versio Hieronymiana, an vetus Itala, quæ erat ante Hieronymum, an ex utraque mixta. Contendunt enim inter se papistæ hac de re. Esse Hieronymi, contendit Augustinus Steuchus Eugubinus, & Joh. Picus Mirandulanus; non esse Hieronymi, docent Sanctes Pagninus, & Paulus

Paulus Forosempronii Episcopus: mixtam esse, opinantur Johannes Driedo, Sixtus Senensis, Bellarminus, qui hanc pugnam nobis ipse spectandam exhibet. Denique docti liberè reprehenderunt hanc versionem usque ad Concilii Tridentini tempus. E papistis hîc nomino Nicolaum Lyranum in glossa, Thomam de Vio Cardinalem Cajetanum in suis Commentariis, Erasmum, cujus laborem approbavit Leo X. Papa, Augustinum Steuchum Eugubinum, qui floruit anno 1540. adeóque sex tantùm annis ante concilii decretum. Ad sophisticam quoque pertinet, quòd communi Christianorum consensu receptam esse, dicit. Nam si de omnibus Christianis interpretetur, falsum est; si de aliquibus, ad rem parum facit. Si de recepta tanquam authentica, omnium falsissimum. Recepta est ab Italis, Germanis, Gallis, Hispanis, Anglis, Afris. i. e. parte Europæ: nunquam recepta à Græcis in Europa, Ægypto & Asia tota, & tamen isti non minùs Christiani, quàm illi. Aliquorum, imò ne quidem omnium consensus facit authenticam, quæ ex se talis non est Dei institutione.

III. *Falsa*, idque non uno nomine; Nam primò. Plurimi fuere Catholici primis sexcentis annis à Christo, qui non sunt secuti unam, certam, & uniformem versionem. Erant enim Veteris Testamenti versiones græcæ complures, nempe septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, duæ aliæ, quarum una Antonini Caracallæ tempore in dolio Hierichunte, altera Nicopoli sub Alexandro Mammea in dolio reperta dicitur. Origenes omnes in sua octapla retulit cum originali textu, characteribus tum hebraicis, tum græcis scripto. Ex antiquitate varietatem notat Hieronymus in præfat. in lib. paralipom. epist. 107. his verbis; *Alexandria, & Ægyptus in septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ palæstinos codices legunt, quos ab Origẽe elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt. Totusq; orbis hac inter se trifariâ varietate compugnat.* E Papistis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei, c. 6. scribit, quòd Catholica Ecclesia multis seculis græcam LXX. Interpretum versionem secuta sit; Eodem tempore veterem latinam versionem habuit ecclesia: annon secuta est? Si est, non igitur unam secuta versionem Veteris Testamenti. Jam novi Testamenti versiones latinæ in numeræ erant, teste Augustino lib. 2. de doctr. Christiana cap. 11. & Hieronymo, præfat. in Josuam. Quis neget, alios hanc, alios aliam secutos esse? Qui unam, certam, & uniformem in tanta multitudine omnes secutos esse, affirmare ausit, sibilis dignus, non dignus confutatione. Secundò. Nec Pseudo-catholici papistæ sequuntur unam, certam, & uniformem versionem. Habent multas. Nam Laurentius Valla recensuit novum testamentum ad veritatem græcam; itemque Erasmus Roterodamus: Augustinus Nebiensis Episcopus in octaplo Psalterio Leoni X. inscripto, & anno 1516. Genuæ edito, versioni vulgatæ adjunxit aliam Latinam. Tota biblia transtulit Franciscus Vatablus, Sanctes Pagninus, Arias Mon-

Montanus. Nemo illorum ſe alligavit vulgatæ, diſceſſerunt omnes ab ea multoties. Imò Petrus Sutor de translatione biblica c.12. (citante Chamiero tom. 1. l. 14. cap. 8.) fatetur, adhuc eccleſiam uti interpretatione Septuaginta Seniorum in Officio divino, quantum ad introitus Miſſarum, Reſponſoria matutinarum atque id genus alia. Bellarminus l. 2. d. verbo D. c. 8. queribundus ait, *hoc noſtro ſeculo iterum ad illam ætatem rediiſſe videmur, in qua omnes, qui aliquid poterant, continuò ſacros libros transferebant. Siquidem recentiorum, & præſertim hæreticorum latinæ interpretationes numerari vix poſſunt.* Sunt ergo multæ verſiones ab iis profectæ, qui non ſunt hæretici, ex ſenſu Bellarmini; quinam illi, ſi non Papiſtæ? Num autem aliqui verterent, & ſuam verſionem nec ipſi ſequerentur, nec aliis ſequendam commendarent? Falſum igitur, omnes Papiſtas unam verſionem ſequi. Tertiò. Editio vulgaris, quam Papiſtæ jactant, non eſt uniformis. Id inter alia etiam hinc patet, quia plures verſiones auctoritate publicâ commendatæ ſunt Papiſtis, & approbatæ. Eraſmi verſionem approbavit Leo X. Pagnini, tanquam omnium tutiſſimâ, Hebraico textui in apparatu Bibliorum annectendam cenſuit Academia Lovanienſis, apud Ariam Montanum in verſionis interlinearis præfatione. Cur id factum, ſi nemo eas ſequi debet? Porrò memorabile eſt, quòd verſionem Tigurinam, poſtquàm Robertus Stephanus, ſuppreſſo auctorum nomine, eam in ſua editione ad vulgarem adjeciſſet, Hiſpani Theologi diu pòſt recognitam, per Guilielmum Rovillium, denuò Lugduni excudendam curarunt. Refert Thuanus lib. 36. ad An. 1564. Quid? Eadem edita eſt ab Inquiſitoribus Hiſpanis Salmanticæ. Num ut nemo eam ſequeretur inter Papiſtas? Jam addo, papatum tot ferè habere vulgares verſiones, quot concionatores. Qui enim volunt, ut auditores ex verbo Dei fructum capiant, debent verba ſcripturæ explicare. Legant latinè Gallis, Hiſpanis, Bohemis, niſi Gallicè, Hiſpanicè, Bohemicè reddant, fructum populus non capiet. At vix duo iisdem prorſus verbis reddêt. Inde innumeræ verſiones. Periculum faciant Jeſuitæ, an decem antres in unaquaque provincia iisdem planè verbis omnia reddant linguâ vernaculâ. Iſtas verſiones concionatorum ſi linguæ latinæ imperiti ſequi non debent, quam igitur ſequentur? Si debent, falſum igitur, omnes Papiſtas unam verſionem ſequi. Bellarminus fatetur 1. non eſſe eundem auctorem, dicit enim, mixtam eſſe ex Hieronymiana, & Veteri Itala 2. quoad πρωτότυπον differre, partem cõformari hebræo, partem vulgatę græcæ verſioni. 3. Codicum tanta eſt varietas, ut Sixtus Quintus ipſe teſtetur, unã editionem in plures quodammodo diſtractam videri. Cui malo ut remedium afferretur, intra quadriennium editio vulgata duorum Pontificum præfati Sixti & Clementis VIII. auſpiciis prodiit, ſed tantâ diverſitate, ut non agnoſcas, eandem eſſe. 4. Jactant papiſtæ, Græcos & nominatim Alexandrinos rediiſſe ad communionem Romanæ Eccleſiæ. At illi non ſequuntur eandem verſionem, non iisdem formulis Spiritus Sancti ſunt aſſueti, non utuntur eadem lingua cum Romanis. Falſus ergo iterum eſt Becanus, & abit jactata Papiſtarum felicitas in ventos.

IV. Jeſuita criminatur Evangelicos, quòd *repudient vulgatam verſionem; quòd in ejus locum propè infinitas ſuis auditoribus obtrudant*; quòd *inter ſe diſſideant*, quòd *ab ipſis Evangelicis merito reprehendantur*. R. Primò Evangelici vulgatam verſionem latinam non repudiant, ſed authenticam eſſe, non permittunt; quæ duo plurimum differre, agnoſcunt boni. Si agnoſcere Jeſuitæ nolint, dicendi igitur ſunt ipſi repudiare textum veteris teſtamenti hebræum, & novi græcum: Negant enim, eſſe authenticum. Num æquo animo ferent? Ferre debent, aut nihil ejusmodi, cum de vulgata editione agitur, nobis impingere. Cæterùm non nego, quòd alicubi obſcuram, mancam, abundantem, in multis falſam eſſe, noſtri dicant, editionem vulgatam. At non ideo prorſus repudiant. Theodorus Beza præfat. in novum teſtamentum ait, *vetus editio, quamvis* minimè *improbanda, tamen & obſcura, & manca, & redundans, & falſa etiam in multis locis comperitur*. Tremellius & Junius proteſtantur, ſe de nullius nomine ſcientes detrahere. Sibrandus Lubberti lib. 2. de princ. Chriſt. dogm. c. 5. *Non*, inquit, *damno, non reprehendo veterem translationem, ſed confidenter illi prophetas præfero, per iſtorum enim os mihi Deus ſonat*. Prorſus ſicut olim Hieronymus præfat. in Pentateuchum; *Audi*, inquiebat, *æmule, obtrectator auſculta, non damno, non reprehendo ſeptuaginta, ſed confidenter cunctis illis apoſtolos præfero. Per illorum enim os mihi Chriſtus ſonat.* Neque repudiant, qui vel oſtendunt, quid ipſis magis placeat diſpliceátve, & corrigunt, quibusdam locis, vel novam translationem moliuntur. Ab unius Hieronymi exemplo id diſcas. Is enim vetuſtiſſimam illam translationem, Patribus dictam Italam, non ſolùm oſtendit, ab hebræa veritate diſcedere, ſed etiam emendavit multis locis, imò tandem novam confecit. An ideo veterem abjecit? Imò de eõ proteſtatur præfat. in Joſuam, *Monemus*, inquiens, *lectorem, ut inprimis quod ſæpè teſtati ſumus, ſciat, me non in reprehenſionem veterum novam cudere, ſicut amici mei criminantur, ſed pro virili portione offerre linguæ meæ hominibus, quos tam noſtra delectant, ut pro Græcorum ἐξαπλοῖς, quæ & ſumptu, & labore maximo indigent, editionem noſtram habeant, & ſicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt.* Confer præfationem in lib. Paral. Ep. 107. Bellarminus dicit, à quibuſdam eccleſiis receptam eſſe, ut tamen alia editio antiqua non contemneretur l. 2. de verb. Dei c. 8. Sic inter Papiſtas vulgatam modernam verſionem ſæpè corrigendam cenſent Lyranus, Paulus Burgenſis, Steuch⁹, Cajetanus, Sà, Oleaſter, Pagninus, Arias, non tamen prorſus repudiant. Imò Steuchus videri vult acriter adverſus Germanos defendere. Si è catholicis veteribus Hieronymus, ſi è Papiſtis Pagninus, Arias, alii veterem carpſerunt, & moliti ſunt verſiones novas, cur noſtris ñ liceret? quod illi poſſunt, cur noſtri non poſſint citra veteris cõtemptum? Si verò vulgatam repudiant, quicunque

Universidad de Deusto
Biblioteca

authenticam non agnoscunt, semper ante concilii Tridentini tempora repudiata fuerit, etiam postremis annis, inter Papistas, quia non fuit habita authentica, ac eâ auctoritate prædita, ut non liceret eam corrigere, quod ab authentico instrumento planè est alienum.

V. Secundò. Prodierunt quidem versiones variæ ab Evangelicis, sed nec infinitæ, nec propè infinitæ; Certè infinitas auditoribus pro una obtrusas esse, splendidum est Becani mendacium. Sicut autem Hieronymus suam, suam Pagninus, Arias suam, sic D. Lutherus, aliique ministri Evangelici in diversis regnis, & provinciis, versiones suas, magno labore apparatas, suis commendarunt auditoribus in schola, & ecclesia, nemini extortâ vulgatâ latinâ è manibus. Hieronymus scribebat Augustino (apud Aug. ep. 11.) *Ego non tam vetera abolere conatus sum, quæ linguæ meæ hominibus emendatè de græco in latinum transtuli, quàm ea testimonia, quæ à judæis prætermissa sunt, vel corrupta, proferre in medium, ut scirent nostri, quid hebræa veritas contineret. Si cui legere non placet, nemo compellit invitum.* Eadem mens fuit Evangelicis, qui in transferendo textu originali operam posuerunt. Patet manifesto exemplo. Biblia secundùm vulgatam editionem apud nostros sunt descripta typis tum Heydelbergæ, tum Basileæ, & quidem hîc anno 1578. & 1591. tum Francofurti, idque postquàm nostrorum versiones prodierunt. Neque enim quisquam nostratium eò usque provectus est unquam, ut suam versionem, tanquam authenticam, cuiquam commendaret; Imò omnes, magno consensu, nullam versionem, sed hebræam veteris, & græcam novi testamenti editionem tantùm authenticam agnoscunt, laudant, defendunt. De Evangelicis fatetur Bellarminus l. 2. de verb. Dei c. 10. Illos enim Zuinglianos & Calvinistas appellitat. Ubi tamen splendidè fingit, quòd Lutherani velint, solam Lutheri versionem habendam esse authenticam, pro quo testem non habet alium, quàm Fridericum Staphylum Apostatam. Cui nos opponimus Lutherum cuidam amico scribentem anno 1530. Zum Andern / mögt jhr sagen / daß ich das newe Testament verteutscht habe / auff mein bestes vermögen / vnnd auff mein Gewissen / habe darmit niemand gezwungen / daß ers lese / sondern frey gelassen / vñ allein zu dienst gethan: denn / dörffe nit besser machen / ist niemand verbotten ein bessers zu machen. Wers nicht lesen will / der lasse es liegen. Similiter Tigurini in præfatione suæ versioni præfixa calumniam à se depellunt scribentes; *Nos D. Hieronymi exemplo docti nolumus cum quoquam propter versionem vel editionem nostram digladiari, aut imperiosiùs à quoquam postulare, nostram ut recipiat, veterem constuat. Quibus enim hæc nostra displicet, iis manet integra, & intacta vetus vulgaris, & recepta illa sua, quam nos hac nostrâ minimè damnamus: etsi interim apertè fateamur, ipsam non ubique, & semper cum Hebraica, & Græca veritate congruere. Imò nemini præjudicamus, neque contemnimus in hoc vel alio scripti genere ullius pij & docti viri labores & vigilias, quin potiùs probamus omnium Sanctorum sanctam & sedulam diligentiam, scientes optimum quemq; Interpretem, fide optimâ, id doni quod cœlitus sibi concessit munificus Dominus, ad Ecclesiarum protulisse utilitatem: quo nomine laudem certè merentur eximiam, non malignum vituperium, tametsi non omnia ubiq; sint assecuti. Interim non arbitramur, nos assecutos hac editione omnia. Per omnia enim cum illustrissimo literarum Antistite D. Erasmo Rot. consentientes, ingenuè poscimus, ut quique conferant, atque expendant, quod allatum est, atque ita demùm probent, si attigimus scopum: emendent amicè, si quid ut homines aberravimus à via, & minùs assecuti sumus, quod sedulò sumus secuti.* Ito nunc Jesuita, & clama, nostros vulgatam versionem repudiare, & suas obtrudere ecclesiis.

VI. Tertiò. Etsi Evangelicorũ translationes in quibusdam locis inter se dissident, dissidium tamen minùs periculosum, quia nemo pro versione sua, tanquam authentica, pugnat, sed singuli juxta hebræum & græcum textum, eam censendam subjiciunt Ecclesiæ judicio. Nec tantùm nostrorum hominum versiones inter se alicubi discrepant, sed etiam Hieronymi, & Vetus, quam ipse emendavit: itemque latina, & græca, imò recentiorum Papistarum Vatabli, Pagnini, Erasmi, Dietenbergeri, Emseri, Ariæ, ut illa discrepantia non magis exprobrari debeat, possitvé, nostratibus, quàm Papistis, quàm veteribus: Præsertim cùm diversitas illa, judice Augustino, aliquem usum, singulari Dei providentiâ, habeat. Sic enim ait, l. 2. de doctrina Christiana cap. 11. & 12. *Qui enim scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo.*

Ut enim cuique primis fidei temporibus tantùm in manus venit codex græcus, & aliquantulum facultatis sibi utriusq; linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quàm impedivit, si modò legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpè manifestavit inspectio. Id quod exemplis ibidem illustrat, & repetit, cap. 14. Hoc judicium Augustini approbat Thomas Morus in epist. ad M. Dorpium.

VII. Quartò. Omnes Evangelicorum tralationes ab Evangelicis meritò reprehendi, criminatur Jesuita. Magna temeritas. Num enim versiones omnes inter se contulit, & accuratè expendit singula momenta. Num dignum se profitetur, & idoneum, qui sedeat arbiter, & pronunciet, qui, quos & quâ in re meritò reprehenderint. Esto. Alii in aliorum versionibus nonnulla desiderent, imò etiam reprehendant. Ideóne in hac causa vicit Jesuita? Non mox vulgata editio est authentica, si Evangelici habent, quod alicubi in suorum novis versionibus desiderent. Nec eam ob causam hæ sunt planè rejiciendæ; Quod ut Jesuitæ discant, ad patrum veterum ætatem, & facta, sunt ducendi. Hieronymus, ut dixi, quamplurima reprehendebat in versione veteri ecclesiæ usitata, neque tamen ideo eam abjecit Augustinus, imò unicè retinendam novellæque præferendam esse, judicabat. Idem reprehendit multa, multa emendanda censuit, quæ adhuc exstant in vulgata, fatente Bellarmino, l. 2. de V. D. c. 9. Porrò notum est, Erasmum multa reprehendisse in vulgata, approban-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bante Papâ Leone X. multa aliter vertisse Pagninum, Ariam, alios, denique inter Papistas, alios aliorum versiones hinc inde carpere, ideóne vulgata in papatu prorsus aboletur? num abolētur cæteræ papistarum omnes. Desinat ergo Jesuita nostris, tanquam causæ malæ indicium, versionum varietatem, & quòd alii in aliorum labore aliquid desiderent, reprehendantque, morosè exprobrare, donec domesticum malum (si verè malum) curatum videat. Ipse enim nunquam curabit.

VIII. Officium Jesuitæ erat, vel probare latinæ vulgatæ versionis ἀυθεντίαν, vel eam eripere hebrææ veteris, & græcæ novi testamenti editioni, atque nostrorum argumenta proposita solvere. Nihil eorum facit. Nec probat sua, nec nostra confutat. Sed functum se egregiè suo officio somniat, si unius atque alterius severiorem sententiam adversus multitudinem versionum memoret, & lepidâ comparatione animum lectoris occupet. Appellat judicium D. Lutheri & Reuchlini. Lutheri verba in Com. de novis. verbis Davidis hæc esse dicit; *Omninò melius esset, retinere illam hactenus receptam, & usitatam versionem bibliorum, quàm tot novas versiones cumulari, quibus nihil proficitur, nisi quòd dissimilitudo, & discrepantia lectionum memoriam legentium turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorem, quàm fuerat, dimittit.* Hoc primum testimonium, quod ex Evangelicis citat Becanus. Notate, auditores, candorem, qui exspectandus vobis est in cæteris. Non una fraus commissa, sed multiplex. Addit de suo, quæ non sunt in textu; *Quibus nihil proficitur, nisi quòd dissimilitudo, & discrepantia lectionum:* hæc non sunt in textu: ut nec illa, *multis locis.* Sed præcipua fraus est, quòd Lutheri hypotheticam in simplicem propositionem audacter transmutat. Quam ut agnoscat lector, subjicio verba integrè; Wann wir vnsern Fleiß nicht dahin kehren/ daß wir die Ebreische Biblia / wo es jmmer sich leiden will/ zum Verstande des newen Testaments ziehen/ wieder den Verstand der Rabbinen/ so were es besser/ bey der alten Dolmetschung blieben/ (die doch das beste vnd meiste herauß hat durch das newe Testament) dann daß man so viel Dolmetschung haben soll/ (vmb etlicher weniger Orter willen/ die anders oder noch vnverdolmetscht seyn sollen/) die dem Leser die Memorien jrr machet/ vnnd sein studium hindert/ vnd vngewisser/ dann vorhin/ machet. Boni omnes intelligunt, his verbis nec latinam vulgatam declarari authenticam, nec approbari per omnia, nec alias versiones simpliciter rejici, sed pronunciari ex hypothesi. Falsus igitur, & fruſtrà est Jesuita.

IX. Secundus locus ex libro prophetiarum à Georgio Waltero Hallense ministro collecto citatur his verbis, *Tam multæ nostro tempore sunt versiones bibliorum, ut paulatim tam multa futura sint biblia, quàm multi scioli in hebraica lingua magistros esse profitebuntur.* Verba integra lego in eadem præfatione Lutheri, ubi vetera, & nostra tempora comparat. Ut enim Hieronymi tempore multæ græcæ, multæ latinæ erant versiones, ad eundem modum dicit, nostro tempore cumulari. Nempe metuit, ne paulatim fiat, quod jam

jam suo seculo factum, dixit Augustinus l. 2. de doctrina Christi c. 11. Non rejicit versiones novas, sive latinas, sive vernaculas, non illicitas declarat. Nisi ideo Hieronymi versio erat olim abjicienda, quòd Augustinus eam inter novellas censeret. Jesuita priùs damnet innumerarum versionum auctores tempore Augustini; postea de recentioribus agendi erit locus. Sed videat, ne primi sint Papistæ; contra quos agendum. Bellarminus certè recentiores notat etiam inter suos. Et licet ille non notaret, sunt tamen vulgò noti.

X. Tertius locus allegatur ex Reuchlini præfatione in Hebræas concordantias Rabbi Nathan; *Multæ translationes bibliorum in lucem prodeunt, quas melius fuisset non natas esse, vel statim interiisse.* Non habeo librum ad manus. Sic scripserit. Nostris non nocet. Eos enim non notavit. Mortuus quippe 30. d. Junii anno Dom. 1522. Cùm novum testamentum à Luthero versum prodiret circa diem Matthæi i. e. mense Septembri. Cæteri autem omnes, quos Becanus nominat, sunt recentiores. Nam versio Munsteri edita est Basileæ anno 1535. Tigurina, à Leone Judæ inchoata, & Theodori Bibliandri studio, juvante eum Conrado Pellicano, & Petro Cholino, absoluta, prodiit anno 1543. Tremellii, & Junii anno 1574. Quos igitur tangat Reuchlini censura, si Vallam, Pagninum, Erasmum, alios Papistas, qui ante ac post Lutherum biblia verterunt, non tangit, noverint Jesuitæ. Hæc est luculenta illa probatio, quâ lectori se satisfacere posse hoc loco, existimavit adversarius, nisi fortè plus roboris in comparatione ponit; certè gratiam lectoris eâ venari, non est dubium.

XI. Primùm Papistas confert cum populo unius labii, & illis accommodat verba scripturæ, Gen. 11. 1. *Erat autem terra unius laby*: Evangelicos Babeli assimilat, & accommodat illis verba Dei, Gen. 11. 1. *Confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Et rursum, *vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ.* Non prohibemus, quominùs papistæ sint similes illis, de quibus Jehova dicit, *Ecce unus populus, & unum labium omnibus.* Memineris autem, Deum dixisse, de hominibus, quorum damnat superbiam, ut loquitur Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 4. sacrilegos nefandosque ausus compescit, ut loquitur Cassianus: Confisi enim unitate tum societatis popularis, tum linguæ, aggrediebantur tantum opus, inquit Pererius comm. in Genes. lib. 16. disp. 7. Et permansisset ibi contra Deum consensus hominum noxius, nisi eos dispensatione Dei repugnans inter se diversitas linguæ per dissonantiam vocis in meliorem statum proficere compulisset, & quos ad excidium sui animaverat pernicioſa censensio, ad salutem revocasset bona utilisque discordia, incipientes scil. humanam fragilitatem, intercedente divisione, sentire, quam per noxiam conspirationem elati antè nescibant. Quàm bene notati Papistæ! Quibus & illud Chrysostomi hom. 30. in Gen. non immeritò applices, *si in tanta concordia, & linguæ unitate, inciderunt in tantam insaniam, ubi processu temporis majorem in modum aucta esset eorum multitudo, & roborata potentia, sine dubio pejora tentassent.* Si tamen Papistæ pejora tentare possunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm tentarunt jam aliquot retrò seculis. Uno verbo; Erant improbi, superbi, elati, quorum unum erat labium. Servent sibi hanc laudem papicolæ. Non invidemus. Cæterum nimis ineptè Evangelicis applicat, q̃ dicitur de confusione linguarũ. Num n. inter eos nemo intelligit vocem proximi sui? imò inter Papistas auditor ñ intelligit Pastoris vocem. Germão n. latinus est barbar⁹, 1. Cor. 14, 11. *Omnis sermo, q̃ non intelligitur, barbarus judicatur*, inquit Hieronymus Com. in 1. Cor. 14. Inter nos, Dei beneficio, quisque intelligit proximum, & nemo in incognita lingua verba deblaterat coram populo, quo nihil est in papatu solennius. Etsi igitur non omnes nostri diversis locis eâdem loquuntur linguâ, nec omnes una versione utuntur, sed populus Germanicus germanica, Gallic⁹ gallica, Anglicanus Anglicana, non tamen civitas nostra facta est Babel, quâ Romam designari, tam notum est, ut etiam Jesuitæ nonnulli, quamvis omnium impudentissimi, negare dein ceps erubescant.

XII. Interim profana ista comparatio placuit Becano, *Catholici & adversarii repræsentant duas familias, in quarum altera pater, & mater, filii, & filiæ, servi & ancillæ, eodem loquuntur idiomate, & singuli singulos probè intelligunt: In altera tot idiomata sunt, quot capita, ubi pater gallicè, mater hispanicè, filii latinè, filiæ belgicè, servi italicè, ancillæ germanicè loquuntur, ubi poscenti panem porrigitur lapis, volenti bibere miscetur pharmacũ, & sic deinceps.* Bella & reb⁹ apta similitudo! quâ benè hodie Germani, Itali, Angli, Galli, Hungari, Bohemi, Hispani, i. e. filii, filiæ, servi, ancillæ, imperiti latinæ linguæ, Papam, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, latinè sacra peragentes, i. e. patres, & dominos, intelligunt! Ingredere vel Hispanicam, vel Gallicam, vel Germanicam ecclesiam, percontare, num multitudo intelligat latina sacra suorum parentum & dominorum, i. e. Clericorum papisticorum. Sic loquor. Dominantur enim plebi, & jactant se patres. Quid? Quàm multas invenias ecclesias, in quibus vix seipsum intelligit, qui sacra peragit? Multi enim sacrificuli tam rudes sunt, ut latinam linguam ignorent, & canonem vix raucis decantent faucibus. Monachi, & moniales quanto numero demurmurant psalmos latinos, seipsos non intelligentes! Tantum abest, ut ab aliis omnibus intelligantur. Eo deterioris conditionis, quàm qui ad ædificandum turrim Babyloniam convenerant. Quæ enim singuli loquebantur, ea intelligebant & ipsi, & aliqui circa ipsos: at in papatu sæpe deblaterat sacrificus iners, quod nec ipse, nec quisquã èx universa plebe satis intelligit, quod fatetur Sixtus Senensis l. 6. Bibl. annot. 263. Ut neque plebs possit dicere Amen, at indoctus missifex quasi avium voce cantare sit dicẽdus. (Illæ enim sæpe cantare docentur, quod nesciunt, August. in Ps. 18.) Et perinde ferè sit, ac si cardinalis Ascanius (apud Cæl. Rhodiginum) Symbolum apostolicum avem doceat pronunciare. Jam pius cordatusque lector judicet, Papistæne an nos simus feliciores? Deus pater noster hebraicè & græcè loquitur, mater linguæ paternæ gnara voluntatem Patris omnibus domesticis eâ linguâ interpretatur, quam singuli callent, atque ita pater cum omnibus loquitur linguâ vernaculâ, matre interprete. Nec poscenti panem porrigitur lapis, nec volenti bibere miscetur pharmacum. Mater enim singulorum domesticorum linguam optimè novit. Illa panem porrigit poscenti panem, illa pharmacum miscet petenti pharmacum, potum præbet petenti potum. Apud Papistas res longè aliter habet. Familia maximam partem nec patris, nec matris linguam intelligit: Servi & ancillæ non intelligunt Dominorum linguam. Ibi enim mater, & Domini Clerici in sacro latinè loquuntur: Hodie domestici Germani, Galli, Hispani, item Poloni, Moravi, alii non intelligunt, lapidémne, an panem præbeant, potum, an pharmacum propinent.

Quæstio Tertia.

Quis sit sensus scripturæ literalis, & quis mysticus.

I. Becanus de multiplici sensu scripturæ disputat; causam quæris? ut speciosior fiat disquisitio de scripturæ obscuritate, & sternatur via quæstioni de interpretatione ac judice controversiarum. Hoc præmoneo. Cæterùm sensum distinguit, distinctionem ad Thomam & Apostolum refert, subdividit, singulas partes explicat, colligit, notâ sermonem claudit, idque iisdem verbis in Manuali, & Scholastica Theologia.

II. *Solet*, inquit, *distingui duplex scripturæ sensus. Alter literalis, seu historicus, alter spiritualis, seu mysticus. Literalis est, qui proximè, seu immediatè significatur per ipsa verba, sive sint verba propria, sive metaphorica. Mysticus est, qui non significatur proximè per ipsa verba, sed per rem significatam ipsis verbis.* Solet, fateor, sic distingui à nonnullis; sed illi ferè confundunt sensum scripturæ, cum ejus applicatione. Si dicerent, scripturam tractari vel secundùm literam, vel mysticè, non multum refragaremur. Variè enim unam eandemque sententiam applicari posse, fatemur, imò applicamus ipsi, hac in re prementes patrum antiquorum vestigia, quoad licet. Sic Augustinus; *Quatuor modi à quibusdam scripturarum tractatoribus traduntur legis exponendæ, secundùm historiam, secundùm ætiologiam, secundùm analogiam, secundùm allegoriam.* Historia *est, cùm sive divinitus, sive humanitus res gesta memoratur.* Allegoria, *cùm figurate dicta intelliguntur.* Analogia, *cùm Veteris & Novi testamenti congruentia demonstratur.* Ætiologia, *cùm dictorum factorumq̃, causæ redduntur*, de Gen. ad lit. lib. imp. c. 2. Nec repugnamus, si applicatio scripturæ varia dicatur sensus mysticus, itemque unius loci plures esse sensus, quâ quidem ratiõe veteribus sensus mysticus nominatur; Sed hæc insignis est ἀκυρολογία. At unius loci propriè loquendo duos esse distinctos sensus genuinos, quorum vel uterque sit literalis, vel unus sit literalis, alter mysticus, nõ immeritò negamus, donec doceamur meliora. Cæterùm consentimus, sensum literalem esse, quem verba sive propriè, sive impropriè sumpta præ se ferunt. Vox *immediatè* quosdam offendit, quia cùm verba figuratè accipiuntur, non dicitur literalis sensus, quem immediatè præ se ferunt.

Nos non offendit, si cætera rectè habeant. Benè Thomas 1.p.q.1.art.10. monuit, literalem esse, quem auctor intendit.

III. Literalis est vel simplex, vel compositus. *Simplex* est, qui in nudis oraculis & nullo typo vestitis occurrit: *Compositus* est, cujus pars est in typo, pars in veritate typi. Hic mysticus quidem dici potest, quatenus typus mysterium significat, non tamen est alius à literali. Obiter nota calliditatem Jesuitæ. Ante eum alii dixerant, non improbabile esse, interdum plures literales sensus in eadem sententia reperiri; Sic Bellarminus l.3. de V.D.c.3. alii affirmarunt disertiùs, nominatim Thomas 1.p.q.1.art.10. Alphonsus à Castro l.1.adv.Hær. Lyra in 2.Reg.7. Burgensis in ep. quæ est in additi onibus circa prologum Lyr. Jesuita hîc silet. An fortasse, quòd non satis speciosè tueri posset? Ipse noverit. In Schol. theol. part.2. Tract.1.c.3.q.5. non silet, sed affirmat, & tribus rationibus confirmare conatur, quas tamen ita proponit, ut hæsitantiam non obscurè prodat. Sic enim proponit. *Probatur primò quia Deus, qui est auctor scripturæ, adeò fœcundus est, ut unico verbo mentali exprimat simul infinita: Ergo potest etiam unico verbo scripto multa significare. Secundò Deus potest efficere, ut una eademq; res plura significet: Ergo potest etiam efficere, ut una vox plura significet. Tertiò quia multa exstant scripturæ testimonia, in quibus videntur esse plures sensus literales.* Viden' hominis timidè incedentis vestigia! Non quæritur, an Deus uno verbo scripto multa possit literaliter significare, sed an significaverit? Non quæritur, num efficere possit, ut una vox plura secundùm literam significet? Sed an effecerit, ut una vox uno loco aliis conjuncta plures sensus literales habeat? A *posse* Dei ad *factum* non valet sequela. Uno verbo plures mũdos potuisset condere, si voluisset, non tamen condidit. Non denique quæritur, an videantur esse, sed an sint plures sensus literales unius testimonii. Frivolæ igitur sunt probationes Becani: proinde rectiùs erat facturus, si stetisset à partibus Michaëlis Medinæ lib. 6. de recta fide ad Deum c.25. negante, plures unius loci sensus literales esse à Spiritu Sancto intentos.

IV. Cæterùm Bellarminum secutus provocat ad Thomam, & Paulum, num. 1. & 2. Par testium dispar. Thomæ Aquinatis auctoritate nec vincimur, nec quidem movemur, quoties scripturæ auctoritate destituitur. Non enim quicquid Thomas Aquinas in theologia tradit, verum est, sed solùm quicquid juxta scripturam tradit. Verum quidem est, quòd semper voces, & interdum res per voces significatæ, aliquid significent in scriptura. Sic serpens æneus significabat Christum Johan 3,14. Jonæ triduana mansio in ventre ceti mansionem Christi triduanam in sepulcro Matth.12,40. At hinc duplicem in una eademq; scriptura sensum oriri, inficiamur.

V. Dicit, Paulum Apostolum utrumque sensum insinuare, 1. Corinth.10.1. cùm ait; *Nolim autem vos ignorare fratres, patres nostros omnes sub illa nube fuisse, & omnes per mare transivisse: Et omnes in Mosen baptizatos esse nube, & mari; & omnes eandem escam spiritualem edisse. Et omnes eundem potum Spiritualem bibisse.* Agnoscimus Apostoli verba; duplicem sensum, quem Sophista jactat, insinuari, non agnoscimus. Fatemur, exitu judæorũ ex Ægypto per Mosen, significari exitum nostrum ex servitute peccati per Christum; per mare rubrum, significari baptismum, per manna, corpus Christi in eucharistia, per aquam, sanguinem Christi, per petram, Christum. Hæc enim omnia illis erant quædam signa, & sacramenta extraordinaria. At non ideo est duplex, sed unicus verborum Mosaicorum de his rebus sensus. Quæ judæis evenerunt, nobis typicè accommodantur, dicente Apostolo v.6. *Hæc autem typi nostri fuerunt*, id est, ea nobis sunt divinitus proposita, ut illorum tum beneficiis, tum pœnis nos moniti maturè discamus fugere idololatriam, aliaque peccata, quibus illi iram Dei in se concitarunt, & in omni vita placere Deo. *Perinde ac beneficia Dei typi fuerunt, ad hanc rationem & pœnæ*, inquit Theophylactus Com. in h.l. Hugo in glossa; *hæc autem omnia in figura contingebant illis, quia secundùm eorum pœnam figurata est pœna similiter peccantium.* Thomas Aquinas lect.2. in h.l. *Hæc autem in figura facta sunt nostri, non ficta, sed verè facta; in figura, inquam, ideo scilicet ut nos considerantes illorum supplicia, non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.* Arias Montanus, *omnia hæc illis verè contigerunt, & proposita sunt nobis ad nostram instructionem, tanquam typi, & exempla, atque figura eorum, quæ nobis contingere possunt tam in approbationem, quàm in reprobationem nostri, si sequamur quæ ii secuti sunt, qui tunc probati fuerunt, & fugiamus ea, quæ illi sequebantur, qui fuerunt rejecti.* Hic sensus, fateor, est spiritualis, sed non ideo non literalis. Fundit enim eum litera vi similitudinis, & argumenti. Quæso, quomodo ex his verbis, *petra erat Christus*, duos exsculpes sensus à se invicem diversos? Sic 1. Petr.3,20.21. baptismus exemplar arcæ Noæ correspondens dicitur. Quomodo multiplicem sensum verbis tribues? Spiritualem sensum audio, sed eundem literalem. Exprimit enim litera, quòd baptismus fuerit antitypon arcæ. Cùm Sophistæ jactent acumen logicum, igitur jube, experiantur vires, probentque hanc consequentiam; Apostolus scribit, beneficia judæis exhibita, illisq; irrogatas pœnas fuisse nostros typos. Ergo duplex est scripturæ sensus. Nisi enim hanc probè firment, frustrà obtendunt nomen Apostoli. Piis, scio, non probabunt, ne quidem de hoc apostolico textu, nedum de scriptura reliqua, ubi nullus est typus ex intentione Sancti Spiritus. Quærunt quidem multi in voce *typi* sensum mysticum sed non omnes papistæ approbant. Nam Cornelius à Lapide in comm.h.l. sic scribit; *Notat rectè Gabriel Vasquetz in 1.p. quæst.1.art.10.disput.14.c.6. figuram hîc non tam sensum allegoricum, vel mysticum significare, quàm exemplum, quod per accommodationem plurimum valet ad suadendum. Unde figuram explicans Paulus subdit*, scripta sunt autem ad correptionem, *vel ut græcè est*, νουθεσιαν, *i.e. admonitionem nostram.*

VI. Subdivisio sequitur. *Mysticus*, inquit, *à theologis subdividitur in allegoricũ, anagogicum, & moralem, seu tropologicum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non dicit, num à veteribus an recẽtioribus subdividatur. Bellarminus addit, *à recentioribus*, aliquanto candidior Becano, qui vellet à lectoris oculis novitatem distinctionis tegere. Sed rectè Bellarminus recentiores nominat, qui etiam, quod res est, fatetur, eam à veteribus non semper observari. Quòd autem addit, *omnes hos sensus, quantum ad rem attinet, eos agnoscere*, verum fateor, de accommodatione unius sensus literalis. De diversis sensibus nego. Interim cùm Papistæ sua quidem omnia Antiquitatis titulo nobis pomposè commendent, nostra verò omnia, tanquam novella, superbè repudient, damnentq;, diligenter pii notent distinctionem, quam nobis hîc ostentat Jesuita, & tanquam fulcrum structuræ suæ aptum commodum supponit affabrè, ad homines recentiores originem referre suam. Fortè ratio supplet Antiquitatis defectum. Id nobis ægrè permitteret. Audite tamen probationem insignem. *Sicut enim*, inquit, *tres sunt virtutes theologicæ, fides, spes, charitas, ita tres sensus mystici.* Aliam non habet. Quidni enim protulisset? Præsertim cùm magnam molem huic fundamento imponere decreverit. Vide Syllogismum. *Quot sunt virtutes theologicæ, tot sunt sensus scripturæ mystici. At tres sunt virtutes theologicæ, fides, spes, charitas; Ergo tres sensus scripturæ mystici.* Primùm, quis docuit istos homines, ad numerum virtutum theologicarum exigere numerum sensus mystici? Quis respectus virtutum illarum ad sensum scripturæ? Deinde etiam sensus literalis inservit fidei, spei, charitati. Ergóne triplex? Absurdum. Nec tamen magis, quàm alterum. Non minùs enim sensus literalis ad virtutes formandas fovendasque dirigitur, quàm qui illis dicitur mysticus. Si igitur virtutum numero respondet sensus mysticus, tot erunt, quot virtutes theologicæ. Ternario addendus igitur minimùm ternarius, quia patientia, filialis timor, & humilitas erga Deum ex censu virtutum theologicarum excludi nequeunt.

VII. Dicunt, *fidem, spem, & charitatem immediatè circa Deum versari.* An non & timor Dei immediatè circa Deum versatur? An charitas omnis theologica circa Deum versatur immediatè? Quò ergo referent charitatem proximi? Nónne Becanus cum aliis objectum charitatis theologicæ res amatas, ut sunt Deus, angeli, homines, in Scholastica theologia constituit? An circa hos immediatè non versatur charitas? Certè tres tantùm esse virtutes theologicas, nos scriptura non docet. Apostolus, scio, nominat, 1. Cor. 13, fidem, spem, charitatem, at ut *cardinales*, non ut *solitarias* virtutes theologicas. Addit enim patientiam Rom. 15, 4. & triadem constituit, dicens, *sint sani fide, charitate, tolerantia*, Tit. 2, 2. Dandus ergo mysticus sensus, qui respondeat patientiæ, præsertim cùm Apostolus doceat, quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus, Roman. 15, 4. Ad solas cardinales virtutes si adstringas mystici sensus varietatem, primò de probatione hujus majoris cogitandum fuerit ante omnia; *quot sunt cardinales virtutes theologicæ, tot sunt sensus scripturæ mystici.* Non enim satis liquet. Deinde explicandum, cur non

non totidem sint sensus literales. Sicut enim mysticos ad fidem, spem, & charitatem conferre, dicit Gregorius de Valentia in 1. p. Thom. quæst. 1. punct. 5. Sic etiam confert literalis. Porrò ista ratio Becani non satis convenit hypothesi propriæ. Dicit enim *allegoricum respondere fidei, anagogicum spei, moralem charitati.* Atqui fides, & spes circa idem objectum versantur sæpissimè. Credo in Deum, spero in Deum, Psal. 39, 8. 62, 9. Unde Deus spei dicitur, Roman. 15, 13. Fides fertur in veniam, in gratiam, in gloriam: Credo Deum mihi remittere peccata, esse mihi patrem in Christo, me scripsisse hæredem vitæ æternæ. Spes quoque est veniæ, gratiæ, gloriæ, ex distinctione veterum. At Becanus cum suis triplicem sensum ad diversa refert objecta. Quo semel concesso, non tantùm triplex, sed infinitè varius fuerit sensus mysticus. Nobis non placet, ex variis objectis significatis varium significandi modum cudi. Non enim vero consentaneum. Quod ut clariùs evadat, age audiamus triplicis sensus definitionem pleniorem.

VIII. *Allegoricus*, inquit, *est quando verba scripturæ præter sensum literalem, quem habent, significant aliquid pertinens ad fidem, vel ecclesiam militantem.* num. 3. Hîc primùm Jesuita deserit vestigia suorum antecessorum, aut fraudulenter nobis vult imponere. Thomas Aquinas restringit sensum allegoricum ad legem veterem, 1. p. q. 1. art. 10. Illum sequitur Bellarminus. Ostenderunt nostri, falsum esse utrumque, cùm etiam allegoriæ sint in novo testamento. Becanus non dicit, an sentiat cum illis. Si assentitur, jam prodit ipse definitionis suæ imperfectionem, & fucum, quem nobis volebat facere: quia premit ex parte, quod sentit. Si non assentitur, gratulamur illi hunc profectum. Deinde deserit seipsum & Thomam. Ex hoc dixerat paulò antè, significationem verborum ad sensum literalem, rerum ad mysticum pertinere: hîc allegoricum sensum verbis scripturæ significari, dicit. Asystatum. Idem bis recurrit in anagogæ, & tropologiæ explicatione. Nos autem hîc semel notamus.

IX. Tertiò seipsum implicat. Si enim allegoricus sensus est, cùm verba aliquid significant pertinens ad fidem, quomodo ad ecclesiam militantem restringitur? Nam & triumphans ad fidem pertinet. Credo quippe non solùm militantem, sed etiam triumphantem ecclesiam. Credo resurrectionem carnis, credo vitam æternam. Sic docet me symbolum. Aut igitur non solus allegoricus sensus, quẽ dicit, respondet fidei, aut malè restringitur ad ecclesiam militantem, quia hæc non tam latè patet, quàm illa, quippe cujus objectum est omne verbum Dei. Ideo Bellarminus non fidem, sed Christum & ecclesiam nominat, quem an Becanus rectè correxerit, videant socii. Augustinus certè sub allegoria comprehendit anagogen, lib. imperf. in Genes. ad lit. c. 2. & ex Papistis Hugo de S. Victore citatus à Thoma 1. p. q. 1. art. 10. Hieronymus Com. in cap. 4. Amos, nomine allegoriæ comprehendit tropologiam. Quartò. In allegoria præsupponit literalem sensum, quem verba habent. Num verum? Non verum universaliter. In allegoria enim ple-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plerumque aliud dicitur, aliud significatur.

X. Quintò. Cùm præter sensum literalem aliquid significatur, quod ad Christum, & Ecclesiam novi testamenti pertinet, typicum potius dicitur, quàm propriè allegoricum. Sextò. Exemplum ex Gal. 4, 12. Jesuitam non juvat. Apostolus enim ibi non asserit duplicem unius scripturæ sensum, sed memorat veram historiam, quæ sit cujusdam mysterii typus. Abraham duas habuit uxores, Hagarem & Saram, ex illis genuit duos filios, Ismaëlem & Isaacum, illum vi naturæ, & exclusum ab hæreditate, istum, vi promissionis, & hæredem. Hic est sensus historicus, ex quo aptè colligitur, judæos, qui ex lege justitiam quærunt, non justificari, eos autem, qui per fidem apprehendunt, obtinere. Abraham enim est typus Dei: Agar, legis: Sara, Evangelii: Ismaël, typus judæorum, ex lege justitiam quærentium: Isaac, eorum, qui ex fide justitiam quærunt. Hîc non est novus sensus, sed concinna quædam deductio, & applicatio sensus literalis.

XI. *Anagogicus* Becano dicitur, *quando verba scripturæ præter sensum literalem, quem habent, significant aliquid pertinens ad vitam æternam, vel ecclesiam triumphantem, quam speramus.* Num. 4. Non sic patres. Augustino ignota fuit ista definiendi ratio. Nam quæ ad æternam vitam pertinent, ad allegoriam refert lib. de vera relig. c. 50. *Quis*, inquiens, *est modus interpretandæ allegoriæ? Utrum à visibilibus antiquioribus ad visibilia recentiora eam perducere sufficiat, an usque ad animæ affectiones atque naturam, an usque ad incommutabilem æternitatem.* Hieronymus anagogen sæpissimè ad præsentem vitam refert. Com. in c. 4. Amos, anagogen nominat, cùm Bethel interpretatur de ecclesia, non triumphante, sed militante. Com. in c. 1. Jesa: ad ista verba, *cognovit bos possessorem suum*, dicit, Bos per anagogen significat Israël, qui portavit onus legis. Idem ad mores applicat. Nam ibidem ad illa verba, *(derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea) juxta anagogen*, inquit, *vinea Dei, & pomorum paradisus anima nostra appellari potest. Cui si mens, i.e. vis præfuerit, habet custodem mentis Deum, sin autem vitia nos, quasi quædam bestiæ, fuerint depradata, relinquemur à custode Deo, & omnia nostra redigentur ad solitudinem.* Pariter ista verba, *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis*, per anagogen, dicit, applicari ad animam viri quondam sancti, postea corrupti.

XII. Porrò anagogicam interpretationem spei unicè respondere, non probat adversarius. Num enim non credo vitam æternam, & ecclesiam triumphantem? Inquis; *Speras illam.* Spero quidem, inquam ego, at sic ut quoque credam. Rursum, si spei respondet anagoge, non tantùm pertinebit ad vitam æternam. Spes enim non solùm spectat futuram vitam, sed etiam beneficia hîc consequenda. Dico veniam & gratiam. Igitur aut non in totum, sed ex parte respondet spei, aut non tantùm ad vitam æternam pertinet, aut nihil tibi sperandum est, quod hîc obtineas à Deo, contra scripturam universam. In verbis Ps. 95. Heb. 4, 3. *Itaq; juravi in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam*, requies quidem tum de terra promissa, tum de regno cœlorum rectè accipitur, non tamen est duplex sensus, sed cùm signum ad rem signatam refertur, apertiùs exprimitur, quod in signo latebat, & apparet unus sensus integer.

XIII. *Moralis* Becano dicitur, *quando verba scripturæ præter sensum literalem, quem habent, significant aliquid pertinens ad instructionem morum, vel officia charitatis.* Non est novus sensus, sed unici sensus literalis concinna accommodatio. Patebit ab exemplo. Deus dixit Deut. 25. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*: Quod, fateor, secundùm literam de veris bobus intelligitur, quòd illis, quia triturant, alimenta non sint deneganda. Verùm quòd moraliter idem de concionatoribus exponitur ab Apostolo, 1. Cor. 9, 9. quis non videat, accommodationem esse spiritualem, non novum sensum? Quemadmodum alia plurima scripturæ dicta moribus formandis applicantur, semper manente uno sensu verborum, eoque literali. Sic cùm lego, Abrahamum bellum suscepisse, ut Lothum liberaret Gen. 14. unus est sensus historicus, sed accommodo moribus, & aptè infero, amicos nostros non esse deserendos in periculis. Atque hæc applicandi ratio ut latissimè patet, ita est longè utilissima, atque ideo omnibus inprimis pastoribus ecclesiæ non immeritò commendata.

XIV. Jam colligit Jesuita quatuor sensus, literalem, allegoricum, anagogicum, moralem, eosque omnes conatur ostendere in voce *Hierusalem*, & in epistola ad Galatas cap. 4. Literalem rectè, reliquos malè colligit, quia non probavit, singulos esse distinctos scripturæ sensus. Id omnium primum est. Deinde mole suâ corruit collectio. In voce *Hierusalem* non magis quaternarius, quàm quinarius ostendi potest. Quis enim permittat Becano, tot præcisè statuere scripturæ sensus, quot significatus habet vox *Hierusalem?* Nemo hactenus illam sensuum scripturæ numerandorum regulam constituit, agnovit nemo. Si tamen novo decreto sive Romano, sive Mogutino, sive Viennensi illa statuatur regula, actum erit de quarto, donec probet, vocem *Hierusalem* in scriptura, ex intentione Spiritus Sancti, significare animam hominis in hac vita. Non ignoro, piè applicare Patres, & nos posse: At in scriptura talis significatus ex Auctoris intentione nusquam apparet. Sic iret quaternarius Becani in ternarium.

XV. De epistola Galatis inscripta non est ut glorietur. Apostolus scribit, Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. De quo Theodoretus com. in h.l. sic habet, *per allegoriam dicta dixit Apostolus, pro eo quod est, & aliter intellecta. Non enim sustulit historiam, sed docet, quæ fuerunt præfigurata in historia.* Chrysostomus in com. in h.l. scribit; *Abusivè figuram dixit allegoriam.* Ex quo Erasmus judicat, Paulũ abusum hac voce *allegoria* pro *typo* & *figura*. Et sanè typica esse, quæ Apostolus *allegorica* hîc vocat, ostendit res ipsa, & fatendum est omnibus. At quatuor esse scripturæ sensus distinctos, nec Apostolus hîc confirmat, nec verba textus evincunt. Imò allegoriam nominat Apostolus, quam quis sic restringat ad duo testamenta, ut non pertineat ad Hierusalem, quæ est sursum?

Theodoretus nominat figuram, idemq; ubi Becanus tropologiam ponit, typum indicat, super hæc verba (*sed quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus fuerat,*) *nec hoc*, inquiens, *vos cruciet, quòd qui crediderunt, expellantur ab incredulis. Hoc enim etiam in typo invenimus.* Sic quoq; Chrysostomus tam in Sara, quàm Hagare typum agnoscit, & in Ismaële figuram.

XVI. Becanus quærit anagogicum sensum in illis verbis, *illa autem, quæ sursùm est Hierusalem*, quasi illis designetur ecclesia triumphans. Verùm non intelligitur exclusivè triumphans, sed etiam militans, atque hîc ἄνω, sicut etiam ἐπουράνιος Heb. 12. 22. dicitur non à loco, in quo est, sed ab origine, unde est. Joh. 3, 3. 5. Patet ex Prophetia, quam Apostolus laudat. Cùm enim dixisset, cælestem Hierusalem matrem omnium nostrûm, & hãc vocâsset Ecclesiam, citat Prophetam ipsi suo calculo suffragantem, nempe Jesaiam cap. 54. De eadem ergo utrumque loqui, rectè infert Hieronymus tom. 8. lib. 15. in Jesa. Cœlestis igitur Hierusalem est, quæ fuerat sterilis, quæ non pariebat, quę erat deserta, quæ post sterilitatem peperit filios persecutioni obnoxios. Quænam illa? Triumphans? Imò Ecclesia ex Gentibus collecta militans, de qua interpretatur Chrysostomus h. l. itemque Papistæ nobiles. Hugo Cardinalis, *illa autem quæ sursùm est*, id est, *ecclesia militans, quæ sursùm est per spem æternorum.* Lombardus; *Illa Hierusalem, quæ sursùm est, i. e. ecclesia de Gentibus congregata, quæ cum Domino gaudet in spe libera est, quia diligit & ex amore servit.* Nec aliter Glossa ordinaria, & Lyra in h. l. Cornelius à Lapide; *Ita vocat præsentem ecclesiam novi testamẽti, quæ sursum esse dicitur, primo quia Christus ejus caput è cœlo descendit, ac rursus in cœlos ascendit, indeq; ecclesiam regit. Secundò, quia perfectio ecclesiæ in superis ac cœlestibus rebus est, nimirum in fide, spe, charitate. Tertiò, quia virtus sacramentorum ejus è sursum provenit, & Deum ipsum in ecclesia quasi de sursum advenientem, præsentem habet. Quartò, quia disciplina, & conversatio ejus in cœlis est, cor & thesaurum habet in cœlo apud sponsum suum. Quintò, quia ad æternam coronam, & quietem in cœlo anhelat, ac tendit. Ita Hier. Ambros. Anshelmus.*

XVII. Restat nota, quâ Jesuita sermonem claudit. Nam postremum præsidium in eo ponit, quòd notatum est à viris doctis, *secundum quatuor illos sensus scripturæ, quatuor esse Doctores Ecclesiæ, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium. Et singulos in singulis sensibus explicandis excelluisse, Hieronymum in literali, Ambrosium in allegorico, Augustinum in anagogico, Gregorium in morali.* Num. 7. Videte fundamentum sententiæ Papisticæ, & considerate apud vestrum animum. Diversum scripturæ tradendæ, applicandæque modum hinc colligas, diversos sensus à se invicem distinctos, minimè rectè colligas. Plurimum differt dissimilis scripturæ tractatio & applicatio à distinctis scripturæ sensibus. Illa conspicitur in patribus quatuor memoratis; isti non conspiciuntur. Hos igitur nondum admittimus sub tam levi prætextu ingestos; Illam haud ægrè admittimus, adhibitâ tamen eâ, quâ par est, cautione,

tione, inprimis quoad allegoriam, ad quam curiosa ingenia nimis sunt proclivia. Non n. nimium est indulgendum allegoriis, quâ parte Origenem, virum alioqui eruditissimum simul, & laboriosissimum, variè peccâsse, à communibus veterum querelis propalam constat. Cui curiositati ut ponatur obex, tenendum est, primò non omnia dicta scripturæ indigere, aut etiam admittere allegoriam. Est sententia Epiphanii in hæresi Apostolicorum, *omnia divina verba non allegoria opus habent, sed prout habent, accipienda sunt.* Unde Augustinus lib. 17. de civ. Dei cap. 3. *Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere literarum aliquid aliud præter id quod eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur: ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse, contendunt.* Basilius tales somniorum interpretibus comparat, & graviter reprehendit his verbis; *Qui non acceptant sententias scripturæ communes, ad suas sententias vertentes, interpretantur perinde ut somniorum interpretes, qui ad id respicientes, quod sibi proposuerunt, eorum, quæ secundum quietem visa sunt, interpretationes afferre solent.* In Hexaemer. homil. 9. Secundò non quidvis per allegorias proponendum esse, quod humanis sensibus videatur plausibile, sed quod ex aliis scripturæ textibus confirmare queas. De quo graviter Augustinus epist. 40. ad Vincentium. *Quis*, inquit, *non impudentissimè nitatur, aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum luce illustrentur obscura?* Tertiò ne allegoria ad confirmandas quæstiones fidei controversas transferatur præter Spiritus Sancti intentionẽ.

XVIII. Sic discussa est adversarii dissertatio, & non obscurè expositum, quid sentiamus: ne tamen quisquam auditorum meorũ hæreat, nõ controversa à cõtroversię pũcto secernã adhuc semel, idq; aliquanto clariùs. Nõ quæritur, an unus idemq; textus variè accomodari possit; nec quæritur, an patres unum textũ variè sint interpretati; Nec, an aliqui patres multiplicem accommodationem multiplicem sensum vocarint: Nec, an iste loquendi modus, seu ἀναγωγία ferri possit. Sed primò quæritur, *an præter sensum literalem, plures alii sensus exquisitè dicti genuini mystici unius loci dentur?* Hoc nos negamus contra papistas, idque non sine justa ratione. Nam utrinque in confesso est, quòd sensus scripturæ genuinus præbeat firmum argumentum. At ex sensibus mysticis, quales à literali distinctos Papistæ tradunt, non petuntur firma argumenta. Negare non potuit Bellarminus, imò fatetur, ex solo literali peti debere, lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. Præterea Christianus non dubitat, quin sensus genuinus sit à Spiritu Sancto intentus. De mysticis autem sensibus, iterum fatetur Bellarminus, non semper constare, quòd sint à Spiritu Sancto intenti.

XIX. Secundò. Cùm de sensu literali agitur, nota primò, quòd voces vel absolutè ac separatim in seipsis, vel in structura, & cum aliis conjunctæ considerentur. Quin plurimæ voces *priori* modo considerata multa significent, nos non dubitamus. De *posteriori* modo quæritur. Ubi rursum sensus verus dicitur vel *absolutè*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quí nihil falſi continet; vel *relatè* ad locũm, de quo quæritur, ut is ſit verus ſenſus literalis, quem loci ſeries, & circumſtantiæ poſtulant. Ille orthodoxus, hic genuinus dicitur. Non quòd genuinus non ſit orthodoxus, ſed quòd non omnis orthodoxus ſit mox genuinus. *Priori* modo plures unius loci ſenſus literales agnoſcimus, quos tum patres, tum noſtri, tum alii interdum reddunt. *Poſteriori* modo, de quo unicè quæritur, non damus. Non tamen contendimus, ſemper eſſe ſimplicem: Interdum eſſe compoſitum, ſuprà diximus, cujus pars eſt in typo, pars in veritate antitypi. Cæterum, pro uno ſenſu literali hæ rationes militãt. Primò. Is ſenſus literalis Thomæ, Burgenſi, aliis dicitur, quem Auctor ſcripturæ intendit. At duos unius loci ſenſus literales non intendit Auctor ſcripturæ. Secundò. Is literalis ſenſus eſt, quem loci circumſtantiæ, itemque antecedentia, & conſequentia exigunt, vel ut Bellarminus loquitur, quẽ verba immediatè p̃ferunt ſive ꝓpriè, ſive im ꝓpriè accepta. At loci circũſtantiæ non exigunt duos ſenſus literales, nec duos immediatè præferunt. Tertiò Michaël Medina ſic arguit; quod pluribus, quàm uno, conſtat ſenſibus, id ambiguum eſt. Quod ambiguum, illud incertum, nec definitam parit ſententiam. Atqui ſcripturæ textus non eſt incertus. Quartò. Forma eſſentialis unius rei eſt unica. At ſenſus eſt verborum forma. Inde veritati, quam tuemur, ſuccubuerunt nõ infimi ſubſellii Papiſtæ, nominatim Aleñſis pag. 1. q. 1. num. 4. art. 2. ad ultimum. Albertus tract. 1. ſumm. q. 5. mẽbr. 2. ad 5. Henricus Gandat. in Summ. art. 16. q. 2. ad 2. apud D. Gerhardum in Confeſſ. Cathol. lib. 2. ſpec. par. 1. art. 1. cap. 3. Fran. Ribera in Hoſ. c. 11. num. 3.

Quæstio Quarta.

An ſenſus ſcripturæ ſit obſcurus?

Sect. I.

Status controverſiæ formatur, & argumenta Becani confutantur.

I. JEſuita primò exponit utriusque partis ſententiam, deinde ſuam adſtruere conatur, & contrariam deſtruere. In omnibus deſideramus candorem, & veritatem. Videbimus. Dicit, *ex noſtra ſententia ſcripturam, quoad legitimum ſenſum, facilem ac perſpicuam eſſe, & ab omnibus intelligi poſſe.* Contrà Papiſtis *in multis quidem locis facilem eſſe; ſed in multis etiam obſcuram, & intellectu difficilem.* In Manual. lib. 1. c. 1. q. 4. num. 1. In Scholaſt. theol. p. 2. tract. 1. c. 3. q. 7. Non agit ſatis candidè. Suam enim facit opinionem, & noſtris opponit, tanquam infeſtam, quã illi liberaliter concedunt utraque manu, ut planè hîc pugnet ſine adverſario, niſi aliter proponat. Verè tamen hîc controvertitur inter partes. Explicemus igitur candidè, & aliquanto diſtinctiùs, controverſiæ ſtatum, à diſputatione remotis iis, quæ non ſunt controverſa. Conſenſus eſt 1. non eſſe omnia, & ſingula myſteria fidei Chriſtianæ, quæ in ſcriptura proponuntur, ſic naturâ nobis nota, ut à quovis etiam non regenito, & à Spiritu Sancto non illuminato intelligi queant. 2. Scripturam non eſſe ex omni parte tam perſpicuam, ut abſtruſæ viſiones, & Prophetiæ nonnullæ, itemque ſententiæ quædam Prophetarum, & Apoſtolorum ab omnibus, ſine interpretatione, intelligi poſſint. 3. Imò locos ſcripturæ non paucos eſſe obſcuriſſimos, adeò ut ex iis per ſe ſolis ſeorſim conſideratis non poſſit certus aliquis ſenſus elici, etiam à doctis & exercitatis. 4. Viciſſim multos locos eſſe faciles intellectu, quorum ſenſum literalem non ſolùm fideles rudiores, ſed & infideles nullo negocio aſſequantur. Momentum controverſiæ in eo ponitur, *An ſcriptura ſic ſit temperata, ut Dei certam conſtantemq́, voluntatem in omnibus neceſſariis ad fidem, & ſalutem, capitibus,* ſeu in omnibus ad ſalutem pertinentibus in alterutram partem neceſſariò vel amplectẽdis, vel repudiandis, *in toto ſuo corpore per ſe proponat, ut non alio externo ſupplemento opus habeat, ſed Dei voluntatem de iſtis omnibus ex ipſa certò diſcere poſſint poſt nominis divini invocationem in ejus lectione attentè verſantes Chriſtiani?* Evangelici verè catholici affirmant; Contrà Papiſtæ communiter docent, pleraque tam obſcura, & perplexa eſſe, ut ſine traditione non ſcripta non poſſit certus ſenſus elici, imò aliqui ſcripturam naſo cereo comparant, & plumbeam regulam, quæ impiæ cuivis ſententiæ applicari poſſit, appellare non verentur.

II. Obſcuritatem ſcripturæ probare conatur Becanus primò teſtimonio Petri, deinde rationibus, tandem ipſorum Evangelicorum teſtimonio. Ex 2. Pet. 3. hæc verba producit, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* R. Primò. Si Petrus epiſtolarum Paulinarum difficultatem notaret, nobis minimè noceret. Nondum enim conſtaret, epiſtolas ſingulas totas eſſe obſcuras, multo minùs univerſam illarum compagem ὅλως conſideratam; minimè omnium totum librorum canonicorum ſyſtema. Sic enim foret argumentum; Cujus aliquæ particulæ ſunt difficiles intellectu, illud ὅλως conſideratum tam obſcurum eſt, ut ex eo divinam voluntatem de rebus omnibus ad fidem neceſſariis Chriſtiani, quamvis in ejus lectione attentè verſantes, poſt Dei invocationem certò diſcere nequeant, ſine traditionis non ſcriptæ ſupplemento. At aliquæ particulæ divini canonis ſunt difficiles intellectu. Ergò. Ut enim demus minorem, quis majorem propoſitionem det Sophiſtis?

III. Secundò. Jeſuita ad epiſtolas Pauli refert, quod Petrus de rebus pronunciavit. Fraus patet, ſi verba, quæ truncavit Jeſuitæ manus, legantur integra. Sic enim habent; *Ut qui in omnibus ferè epiſtolis loquatur de ISTIS, in quibus ſunt nonnulla difficilia intellectu, &c.* Jam omnia apertiora. Petrus non appellat epiſtolas Pauli obſcuras, nec quidem intellectu difficiles, ſed Paulum in omnibus ferè epiſtolis ſcripſiſſe de ISTIS, nempe de quibus ipſe hîc ſcripſerat, i.e. judicio extremo, & interitu mundi. Nec iſta omnia, nec quidem multa, verùm in iſtis non epiſtolis, ſed myſteriis quædam eſſe difficilia intellectu, ſcribit Petrus;

quod non aliunde probo, quàm ex ipso textu. Non ait, πάντα, non πολλὰ, sed δυσνόητά τινα. Rursum non ait, ἐν αἷς, quo opus erat, si ad epistolas referret, sed ἐν οἷς, ut noverimus, ad mysteria respicere. Agnoscunt nobiscum aliqui inter Papistas non incelebres. Johannes Gagnæus, *ita*, inquiens, *ordinanda lectio, sicut scripsit vobis in omnibus epistolis, loquens in eis de his scil. de adventu Domini, & longanimitate ipsius, in quibus sunt quædam difficilia intellectu*, τὸ in quibus, *refertur non ad epistolas, quia græcè est ἐν οἷς*, & epistolis, *est fœmininum græcè*. Lorinus, *Non refertur illud* in quibus, *ad epistolas, sed ad ea, de quibus tractatur in epistolis. Nam græcum pronomen οἷς non est fœminini generis, cujus est τῶν ἐπιστολῶν*. Insignis ergo est corruptela, à quibusdam rebus ad omnes, aut totum, vel saltem magnam partem concludere. Nec minor ista, ad scripturas transferre, quod Apostolus de rebus pronunciat. Cùm rerum difficultate non necessariò cohæret doctrinæ obscuritas, ne quidem in humanis, multo minùs in divinis. Res divinæ docentur viva voce, & scripto. Quin res intellectu difficilis vivâ voce perspicuè possit proponi, non negant adversarii. Nec possent: Exempla enim sunt manifesta. Imò ipsi traditionum non scriptarum laudes eo argumento augent, quòd illis perspicuè explicentur dogmata difficilima, & in his nominatim trinitatis mysterium. Si res divinæ tum propter suam sublimitatem, tum mentis nostræ hebetudinem intellectu difficiles, vivâ voce possunt perspicuè tradi, ergo etiam perspicuè possunt proponi in scriptura. Non igitur inter intelligendi difficultatem, & scriptionis obscuritatem nexus est necessarius. Cur enim scriptura magis sit obscura, quàm vivæ vocis præconium? Potest difficultas oriri aliunde, & quidem vel à rei natura, vel legentis infirmitate ac vitio, sicut ab infirmitate, & vitio auditoris oritur, cùm res perspicuè prædicatur voce vivâ. De scriptura do exempla. Quid magis δυσνόητον, quàm Deum ex nihilo produxisse omnia solo verbo, Deum hominem esse factum, idque ex virgine, corpora nostra, quamvis in cinerem redacta, quamvis ab animantibus vermibusque consumpta, resurrectura eadem numero? Et tamen hæc scriptura tam perspicuè tradit, ac si solis radiis scripta essent. Testis scripturæ lectio; Testis Irenæus de scriptura in genere, & de duobus mysteriis speciatim pronuncians lib. 2. adverſ. Hæreſ. cap. 46. *Cùm itaque universa scriptura, & prophetica, & Evangelica in aperto, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possint, etsi non omnes credunt unum, & solum Deum ad excludendos alios, prædicent omnia fecisse per verbum suum, sive visibilia, sive invisibilia, sive cælestia, sive terrena, sive aquatilia, sive subterranea, sicut demonstravimus ex ipsis scripturarum dictionibus: & ipsâ autem creaturâ, in qua sumus, per ea quæ in conspectum veniunt, hoc ipsum testante, unum esse qui eam fecerit, & regat. Valdè hebetes apparebunt, qui ad tam lucidam adapertionem cæcutiunt oculos.* Testes denique ipsi adversarii. Nam Bellarminus lib. 3. de V. D. cap. 1. scripturas, si *res* considerentur, obscurissimas esse, contendit, quia tradat summa mysteria de divina Trinitate, de Incarnatione verbi &c.

&c. At Costerus in Enchir. c. 1. p. 48. hæc satis perspicuè esse tradita fatetur; verba sunt; *Non inficiamur præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu sunt, ad salutem necessaria, perspicuè satis esse Apostolicis scriptis comprehensa, cujusmodi sunt mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Filij Dei, historia passionis dominicæ, remissio peccatorum, & promissio vitæ æternæ.* Hoc si verum, ut verissimum, rerum igitur difficultate malè concluditur obscuritas scripturæ.

IV. Tertiò de indoctis, & instabilibus Petrus dicit, *quòd ista detorqueant, sicut & reliquas scripturas.* Hîc habemus detorsionis occasionem duplicem. Una est ignorantia; altera, instabilitas. Utraque in hominibus, & quidem posterior ex priore orta, aut fortè ex superbia, ut Hugo notat, quod nollent audire, vel stare, ubi legebantur epistolæ, donec eas intelligerent, & quia non intelligebant postea depravabant. Neutra est à scriptura, à qua utriusque potiùs est remedium, quod frustrà inde peteretur, nisi esset in se lucida, & solida. Si indocti, & instabiles detorquent, ergo à Deo docti, quales sunt verè fideles, & in fide fundati non detorquent, sed potiùs lucem à scriptura hauriunt. Addit, *ut & reliquas scripturas*, quo ostendit, nihil esse tam perspicuè dictum, quod non detorqueatur ab improbis. Idem res ipsa ostendit. Quid enim in universo codice sacro de rebus divinis tam perspicuè dictũ, quod non sit detortum depravatumque ab hæreticis? Quòd unus sit Deus, quod unum sit principium rerum omnium, quod Deus Pater Jesu Christi mundum creaverit, quod Christus sit verus Deus, & verus homo, annon clarissimè traditum in scriptura? Depravarunt tamen improbi. Ipsi Papistæ idem nobis confirmant. Costerus paulò antè fatebatur, præcipua fidei capita omnibus Christianis cognitu necessaria satis esse perspicuè proposita. Nónne autem detortæ scripturæ ab hæreticis, quæ de iis loquuntur? Becanus in Scholast. Theol. par. 3. tract. 2. c. 17. q. 5. num. 11. dicit, verba Christi, *hoc est corpus meum*, esse clara. Idem dicit Bellarminus. Quàm variè tamen à multis detorta! Res est aperta. Non opus est pluribus testimoniis. Hinc patet, quod detorsio non sit obscuræ scripturæ, sed obscuratæ in homine mentis, & perversæ voluntatis argumentum, nec sufficiat ad excludendam plebem Christianam à scripturæ lectione, sub obscuritatis prætextu. Detorsio enim, de qua Petrus agit, magis competit perversis doctoribus, qui alios suis erroribus irretire satagunt, quàm simplicibus Christianis; nec dubiũ mihi est, quin illos potiùs quàm hos notet Sanctus Apostolus.

V. Jesuita objicit primò *exemplum discipulorum euntium in Emaus, qui non intelligebant scripturam, nisi Christus interpretaretur, Luc. 24, 27.* R. Primò. Interpretatio non arguit scripturæ obscuritatem, sed hominis infirmitatem. Nam etiam in se facilima indigent interprete apud imperitos, aut potiùs imperiti indigent etiam in facilimis. Res est notissima. Artium præcepta omnia, etiam facilima, pueris explicanda sunt. Non huc excurram; intra religionis limites me contineo. Hîc habeo Ecclesiæ primitivæ praxin, à qua non-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nondum planè est recessum. Illa interpretis officium non tantùm in difficilibus, sed etiam facilibus occupavit. Habeo Papistarum testimonium, si non verbo, at reipsâ. Interpretantur enim etiam suis catechumenis adhuc hodie articulos, quos difficilium numero exemptos in facilibus clarisque collocant. Ut autem culpam imperitorum scriptura luat, absit ab omnibus Christianis longissimè. Secundò. Nō lego apud Lucam, quòd Emauntici viatores non intellexerint scripturam, nisi Christus interpretaretur, sicut Becanus truncat, sed sic lego: *Et exorsus à Mose, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso scripta erant*. Similis restrictio est, Johan.20.9. *Nondum enim noverant scripturam, videlicet oportere eum à mortuis resurgere.* Jam clarum, agi de iis, quæ in Vet: testamento referebantur ad Christum. Quis verò hanc consequentiam permittat Becano, Christus interpretatus est omnia in omnibus scripturis, quæ de ipso erant scripta, ergo scriptura ὅλως considerata tam obscura est, ut ex ea Dei voluntas de omnibus ad fidem, & mores pertinentibus non possit perspicuè certò, & plenè cognosci. Nec illa dabitur à quoquam; Emauntici viatores non intelligebant scripturas, quæ de Christi passiõe, morte, & resurrectione erant dictæ, ergo universum scripturæ veteris, & novæ, systema tam obscurum est, ut ex eo solo non possit voluntas Dei, de rebus ad salutem necessariis, certò cognosci à Christianis. Hodie enim Christiani illas scripturas de Christo intelligunt, & quidem ex solis scripturis. Nec mirum, cùm à novo testamenro plurimum lucis accesserit ad ea illustranda, quæ in veteri testamento obscuriuscula videbantur. Unde trita sententia, novum latere in veteri, vetus patere in novo. Si Christum velimus audire, non scripturæ obscuritatem, sed amentiam, & tarditatem cordis accusari, à versu vigesimo quinto intelligemus. Si porrò relucteris, alius eodem argumento concludet, Christi conciones de sua passione, & resurrectione fuisse obscuras, Apostoli enim non intelligebant. Luc.18,31.32.33.34. Num placet? Piis non placet; nec Papistis, credo, placet saltem omnibus.

VI. Secundò objicit *Eunuchum, qui rogatus à Philippo, an Jesaiam Prophetam intelligeret, quem legebat, respondit, quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Actor.8,31. ℟. Primò. Non sequitur, Eunuchus non intelligebat textum Jesaiæ, ergo tam obscurus est, ut Christiani è scriptura intelligentiam ejus certam cõsequi non possint. An non multi intellexerunt, idque ex scriptura? Erat Eunuchus proselytus in pietatis doctrina nondum admodum longè progressus. Ab eo igitur vel ad alios, vel contra scripturæ claritatem non valet argumentum. Secundò. Agitur de uno loco Jesaiæ, à quo ad totum scripturæ corpus malè concluditur. Tertiò. Etsi doctrina de Christo ante evangelii præconium fuit aliquanto obscurior, lux tamen allata est per evangelium, ut Prophetiæ faciliùs intelligantur hodiè, quæ olim pios torquebant. Cape exemplum ab hoc ipso loco. An Christiani in novi testamenti lectione versati eum non intelligunt, inprimis si con-

conferant cum textu Johan.1.29. 1.Pet.1, 19.c.2,22.23.24. Theophylactus cùm recitasset verba, subjicit, *valde perspicua propositorum verborum sententia est. Asportantur enim certo tempore anni oves, ut tondeantur, ac cultellos tonsorios, sive forfices admovent eis pastores, ac quanquam lædantur, iis tamen, qui hæc agunt, non insultant. Sic item Christus, cùm convitiis peteretur, non contrà convitiabatur.* Ante eum Cyrillus Alexandrinus libr. 5. tom. 1. in h.l. tum in genere de prophetis, tum de hoc textu, mentem sic declarat. In genere: *De omnium*, inquit, *nostrum servatore Christo semper frequens sermo est apud sanctos Prophetas, nec admonere destiterunt, sed perspicuè denunciarunt, suis temporibus venturum in humana forma Deum verbum, & miracula operaturum divinitus. Illud autem & hic facit.* In specie de verbis ab Eunucho lectis, *perspicua*, inquit, *est sanè horum verborum sententia, at à nobis singula dicentur particulatim, ne quid fortè ulli obscurum videatur.* E papistis Baronius evidens nominat Prophetæ testimonium ad an. D.35. num.27. Sic Apostoli non intellexerunt, quid sibi vellet ingressus ille Christi in urbem Hierosolymam; nempe non intellexerunt primò, sed cùm glorificatus esset Jesus, tũc recordati sunt, hæc (Zach.9,9.) esse scripta de eo, Joh.12,16.

3 VII. Tertiò objicit *exẽplum Apostolorũ, q̃ multa eorum, quæ à Christo dicebãtur, non intelligebãt. Mat.13,36.c.16,11. Luc.18,34.* ℟. Primò. Ruditatẽ, aut etiã, si vult, stuporẽ discipulorũ possit hinc adversarius concludere; scripturæ obscuritatem nõ potest. Præsertim cùm his textibus ñ de scriptura, q̃ nostrę quæstionis est subjectum, sed de concione Christi vivâ agatur, quã hinc obscuritatis Papista non accusabit, nisi condemnari debeant omnes conciones obscuritatis, quamvis in se clarissimæ, si non intelligantur à stupidis, & rerum imperitis, aut etiam præjudicio quodam præoccupatis. Secundò. Non sequitur, Apostoli non intellexerunt parabolicas quasdam Christi sententias, ergo corpus scripturæ totum est in se obscurum. Quãtula enim scripturæ pars sunt istæ sententiæ? Tertiò. Easdem parabolas, de quibus isto loco agitur, habemus in scriptura expositas, ut non possit obscuritatis accusari isto nomine. Quartò pressiùs agam. Quæ discipuli non intellexisse dicuntur Luc.18,34. Christus crebrò illis antea dixerat, ut testatur historia, & notat Hieronymus com. in Matth. c.20. atque nunc tertiâ vice, ut Chrysostomus Hom.35. in Matth. observat, repetit, an non erant per se clara? Erant autem hæc, *perficientur filio hominis omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, tradetur n. gentibus, & illudetur, & cõtumeliis afficietur, & cõspuetur. Et postquàm eum flagellaverint, trucidabunt, sed tertiâ die resurget.* Luc.18.v,31.32. 33. Matth.20,18.19. Marc.10,33.34. Lucas certè non dicit, hæc verba in se fuisse obscura, sed ipsis occulta. Sic enim ait, ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν. At non omne, quod huic, illi, isti occultum, mox in se obscurum est. Nec veteres hîc verborum obscuritatem criminantur. Glossa ordinaria, non intellexisse discipulos, dicit, quia quem maximè videre desiderabant, ejus mortem audire non poterant, & quem non solùm hominem

Universidad de Deusto
Biblioteca

innocentem, sed etiam verum Deum esse, sciebant, mori posse non putabant. Lyra ad ruditatem, & imperfectionem discipulorum refert. At recentiores Papistæ hunc sermonem Christi inter perspicuos disertè referunt. Ludovicus Granatensis eôcione primâ Dominicâ Quinquagesimâ, *Quid est*, inquit, *quòd discipuli rem adeò perspicuam non intelligebant? Quibus enim verbis hoc apertius exprimi potuit?* Didarus de la Vega, *Multò mirabilius est, quòd cùm non metaphoris aut parabolis, ut solebat, sed claro, & aperto sermone illis loqueretur, tamen discipuli, quasi simente alienati essent, nihil horum intellexerunt.* Corn. Jansenius in Concord. Evang. c. 69. verba vocat apertissima. Ut mireris non immeritò, numerare voluisse Becanum in obscuris, in quibus si porrò numeret, quid facit aliud, quàm quòd hominis defectum sermoni, & scripturæ Christi imputat?

VIII. Quartò objicit consensum omnium interpretum. *Nam si scriptura esset facilis, quid opus esset tot interpretibus? tot commentariis? tot quæstionibus, & controversiis circa fidem ac religionem?* Rx. Consensum interpretum, & quidem omnium? De papistis concesserim. De aliis nego. Multos habuit vetus Ecclesia. Ex universo choro ne quidem unum nominare ausus est Jesuita. Factum pro consensu si interpretetur, quem error non causæ ut causæ lateat? Interpretati sunt veteres totos libros scripturæ, & in illis etiam ea, quæ hodie Papistæ agnoscunt, esse in se perspicua. Ut quot textus, quot dogmata perspicua sunt commentariis illustrata, tot nobis sint argumenta, interpretem non esse testem obscuritatis, sed nostræ infirmitatis, & tarditatis. Num dubitas? Ergo interpretum veterum sententias edo. Interpretatus est multos scripturæ libros Chrysostomus, aliquos Augustinus. Et tamen dicit Chrysostomus homil. 3. in 2. Thessal. *omnia clara sunt, & plana ex scripturis divinis, quæcunq; necessaria sunt, manifesta sunt.* Aug. v. l. 2. de doctr. Christ. c. 9. *In iis, quæ aperte in scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq;, vivendi spem scil. ac charitatem.* Commentarii igitur, quorum tantâ multitudine, quantâ coacervantur, his postremis temporibus, magna ex parte supersedere poteramus, infirmitatem nostram arguunt, non arguunt obscuritatem scripturæ. Facilima enim quæque etiam docentur à doctoribus discipuli, & auditores. Eadem si commentariis illustrentur, num evadent obscura, & difficilia? Non scribuntur commentarii, quòd sine iis scriptura nullo modo intelligi possit, sed tum ut quæ sine iis mediocriter intelliguntur, intelligantur tanto meliùs, & facilius etiam à rudioribus, tum ut difficiliora cum clarioribus collata rectiùs intelligantur, tum ut intellecta rectè applicentur. Cæterùm quomodo scriberentur commentarii, si non sine illis scriptura posset intelligi ab eorum auctoribus? Quid opus est multis? In universam scripturam, singulasque ejus particulas, & periodos exstant commentarii. Aut ergo omnia in scriptura sunt obscura, aut nullum est argumentum Jesuitæ. In Symbolum apostolicum exstant commentarii veterum, Rufini, Augustini, aliorum. Imò exstant etiam

etiam Papistarum. Hîc tantum nomino Catechismum Concilii Tridentini. Num inde obscuritatis damnandum est Symbolum apostolicum. Atqui hujus articulos in perspicuis ponunt Papistæ. Id quod si retractent, quid tandem relinquent Christianis, quod sit perspicuum? Nam etiam in decalogum plurimi sunt commentarii. Ergone quoad sensum literalem obscurus? Bellarminus com. in Psal. 119. dicit, esse apertum, facilem, & mirabilem eo nomine, quòd tam apertis, & claris sententiis sit conscriptus, cùm tamen complectatur omnia principia justitiæ. lib. 3. de verbo Dei c. 2. scribit, *præcepta decalogi, cùm sint naturalia, facilimè intelligi.* Si perspicua & facilia commentariis exornantur, cessent eos ad scripturę accusationem trahere Papistæ.

IX. Idem de quæstionibus & controversiis statue, quæ etiam de rebus in se claris, & perspicuis, partim à rudibus, & rerum ignaris, partim ab eruditis ad informandos rudiores, partim à curiosis, partim à contentiosis, & novitatum studiosis moventur. Aut neget Jesuita, id clarum esse, de quo quæritur, seu controvertitur, aut desinat hoc argumento impugnare scripturæ claritatem. Quæritur, Num unus sit Deus? An Deus mundum creaverit? An Christus sit verus Deus? An factus homo ex virgine? An verè mortuus? An sit futura carnis resurrectio? Hæc dicat obscurè esse tradita in scriptura, aut consequentiæ suæ errorem agnitum abjiciat. Non enim defuerunt, qui ista negarent. Deinde meminerimus, scripturam jam olim sine commentario esse intellectam, tum in veteri, tum in novo testamento. De veteri constat. Quos enim tum fuisse commentarios dices? Nec dubium de novo. Eunuchus scripturam legit. An nihil prorsus intellexit? Audi Chrysostomum hom. 9. in Acta Apostolorum. *Dignum*, inquit, *profectò mirari Eunuchum illum, non viderat Jesum Christum, non viderat signum. Ultrà, videbat, quis status Hierosolymis, & credidit Philippo. Unde igitur talis factus? Solicita erat anima illius, attendit scripturis, vacavit lectionibus, cùm & latro viderit signa, & magi viderint stellam, hic autem nihil tale videret, & credidit. Tanta res est ac tam utilis scripturarum lectio.* Jam Apollo nónne intellexit scripturam? Potens sanè in scripturis fuisse dicitur Act. 18, 14. Nec tamen vel apostolos audiverat, vel, quod sciamus, commentarios legerat. Noverat enim tantùm baptisma Johannis ibi v. 25. Illi conjunge Berhoënses, quos utiliter legisse scripturas sine commentario sive vivo, sive scripto, exploratum est. Præterea scribit Apostolus Timotheo, quòd à puero sacras literas noverit, 1. Timoth. 3, 15. Num ex commentariis? Quinam illi? De nullis lego uspiam. Origenes enim ferè primus fuit commentator inter Christianos. Et statuit Ecclesia, legi debere scripturam publicè à lectore ad id ordinato sine commentariis, de quo vide Chrysostomum homil. 19. in Act. Apostol. quod ridiculum esset, & inutile, si tam obscura esset, ut sine commentario non possent intelligi summè necessaria. Non opus est multa disputatione. Veteres disertè docent, lectorem sine commentario ex scripturæ lectione fructum capere. Origenes homil.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mil.20.in Iosuam, *Non ista de causa hæc diximus, nec excusantes nos ista protulimus, sed ut ostenderemus in scripturis sanctis esse vim quandam, quæ legenti etiam sine explanatione sufficiat.* Chrysostomus homil. 3.de Lazaro, *Qui sunt à Christo alieni, philosophi, dicendi artifices, rhetores, ac librorum conscriptores, non quod in commune conducit quærentes, sed illud spectantes, ut ipsi sint in admiratione, etiamsi quid utile dixerint, hoc quoque quemadmodum in caligine quadam sapientiæ consueta illis occultavit obscuritas. Apostoli verò, & Prophetæ omnia contrà fecerunt, manifesta claraq;, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communis orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, è sola lectione.* Si desideres exempla, multi judicium in te desiderabunt. Ubiq; enim obvia.

X. Quintò inductione nixus objicit, *Prophetiam Ezechielis de quatuor animalibus; Danielis, de 70. septimanis, & abominatione, de qua dicat Christus*, Qui legit intelligat; *Apocalypsin Johannis; Præterea in reliquo Bibliorum codice, multa esse obscura, ut norint, qui legerunt.* num.21. Bz. Primò. Audio nominari quasdam scripturæ particulas, quas plurimum habere obscuritatis, inprimis ante impletionem, fatemur lubentes. Huc pertinet, quòd Hieronymus dicit, Apocalypsin tot habere sacramenta, quot verba, in epist. ad Paulinum. Atqui nos disputamus non de aliquibus scripturæ particulis, an prophetia Ezechielis, Danielis, Apocalypsis Johannis sint obscuræ, sed de scriptura, tanquam integro doctrinæ cœlestis corpore, ad quod à paucis particulis argumentari, nimis est alienum. Quod Papista vel hinc intelligat, quòd nobis non permittit, à quibusdam locis perspicuis ad scripturæ perspicuitatem concludere. Secundò. Visiones Ezechielis, & prædictiones Danielis olim ante impletionem valde fuerunt obscuræ, sed ab eventu mediocriter, & quantum ad salutem sufficit, sunt illustratæ. Johannis Apocalypsis non tota est obscura, sed bona ex parte aperta. Etsi verò adhuc aliquâ sui parte, itemque locis quibdam alii sunt obscuri, corpus tamen scripturæ ὅλως consideratum, est perspicuum, cùm in omnibus ad salutem necessariò pertinentibus, & in alteram partem necessariò vel amplectendis, vel repudiandis, Dei voluntas certò & perspicuè nobis sit exposita. Tertiò. Christi verba apud Matthæum non habent accusationem obscuritatis, sed hortationem ad intelligentiam, ut qui in prophetiam incidunt, de illa abominatione, quam ipse describit, intelligendam esse, meminerint.

XI. Tandem nostros homines excitat testes, quippe qui in explicando scripturæ sensu variè inter se dissentiant, unde aliter Lutherani, aliter Calviniistæ interpretentur illud Christi, *Hoc est corpus meum.* In fundamento fidei ac salutis inter Evangelicos verè Catholicos, quos Sophista alienis nominibus prægravat, consensum esse, non obscurè patet ab utriusque partis commentariis, quibus scripturam illustrarunt. In quibusdam, fateor, adhuc est dissensus. Sed inde malè concluditur scripturæ totius obscuritas. Imò ne quidem semper rectè infertur loci obscuritas, de quo controvertitur. Becanus

canus nominat illud Christi, *Hoc est corpus meum*, in quo non solùm Evangelici à se invicem dissident, sed etiam Papistæ inter se digladiantur acerrimè, & tamen Becanus verba clara nominat, Bellarminus verò tam clarè dictum esse, contendit, ut clariùs dici non potuerit lib.3.de Verbo Dei c.2. Inquis: *Si scriptura clara, perspicua, & obvia est, debet etiam interpretatio esse clara, perspicua, & obvia.* Non dicimus, omnes textus esse claros, eorumq; sensum cuivis obvium. Sed loquimur de toto dogmatum corpore. Multis est obvius sensus, sed non promptè accipitur, quæritur alienus. Interpretatio debebat, fateor, esse clara, & perspicua: quòd non est, vitio & infirmitati hominum deputandum, non scripturæ. Secum habitet Jesuita. Verba Christi, *hoc est corpus meum*, sunt perspicua, si credas ipsi, & Bellarmino. Quàm variæ tamen, & intricatæ sunt interpretationes Papistarum! Jam quærat, unde hæc dissensio? unde ergo lites, & contentiones inter ipsos? Sic enim insultat Evangelicis verè Catholicis. Verùm respondeat primùm de suis Sophistis, unde ista sit dissensio? unde tot lites, & contentiones inter ipsos, in dicto, quod tum Bellarminus, tum Valentianus, tum ipse vocat clarissimum? Cur alii aliorum interpretationem communi consensu non arripiunt?

XII. Do aliud exemplum. Præceptum de diligendo Deo super omnia, est clarissimum. Testis Moses. Testis Chrysostomus homil.1.in Matth. *justum*, inquiens, *honestum, omnemq; omnino virtutem in paucis syllabis, in brevibus verbis atque manifestis nos Christus edocuit: tum dicendo, quoniam in duobus mandatis tota lex pender, & Prophetæ: id est, in Dei, & proximi charitate: tum jubendo, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis, hæc est enim lex, & Prophetæ. Quæ certè & servo rustico, & viduæ, & puero, & erudito, & satis rudi, facilia ad intelligendum sunt, & prorsus exposita.* De justo tamen, atq; omni virtute, Papistæ scripserunt prolixos commentarios, & variè inter se dissentiunt. Vide Scholasticos theologos. Ex omnibus urgeo exemplum de diligendo Deo. Nondum inter eos constat, sitné Deus magis diligendus, quàm nos ipsi, etiam secundùm naturæ inclinationem? Sunt, qui dicant, secundùm naturæ inclinationem, unumquemque magis diligere seipsum, quàm Deum, & solùm secundùm inclinationem charitatis supernaturalis debere diligere magis Deum. Sic Altisiodorensis lib.3.suæ summæ, tract.5.c.3.q.1. Sic Albertus Magnus in 3.s.dist.29.art.1. Sic Bonavētura eâdem distinct. q.2. & q.4. ad ult. Sic Gabriel Biel eâdem dist.q.unica.art.1.notab.3. Alii contendunt, Deum esse magis diligendum, quàm nos ipsos, etiam secundùm naturæ inclinationem. Sic Thomas 2.2. quæst.26. art.3.1.2.q.109.art.3. Scotus in 3.s.dist.27.quæst.un. apud Gregorium de Valent. in secundam secundæ disp.3.q.4. punct.2. Sed & sententiam Bellarmini habemus, quâ objectionem Becani confutat. *Neq;*, inquit, *potest dici locus ambiguus, quia hæretici* (intellige Papistas) *non conveniunt in eo explicando. Ista enim ambiguitas non oritur ex natura rei, id est, ex libri obscuritate, sed ex eorum pertinacia in suis erroribus defendendis. Et si ambigua dicenda*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cenda eſſent omnia loca, in quibus aliqui non conveniunt, nihil omnino ex ſcripturis probari poſſet, nulla enim ſunt loca, in quibus non poſſit unus ab alio diſſentire, ſi velit pertinaciter agere. Sic Bellarminus l.1. de Bapt.c.22.

XIII. Sed ne directè reſpondendi partes declinare videar, dico, nonnullos repudiare veritatem radiantem clariſſimè: quod ex operatione Satanæ, tum alibi, tum maximè in Papatu fieri cernimus; dico, eſſe donorum gradus. Quidam non videt, quod verſatur ob oculos, alius videt, ſed obtuſiùs, alius videt clarè, alius acutiùs. Non res mutatur, ſed diverſitatis ratio hæret in homine. Sic in ſcripturæ corpore; quod ſemper radiat, etſi non ab omnibus intelligatur æqualiter. In ſpecie quo minùs Lutherani veram verborum Chriſti ſententiam, quamvis ſatis claram, recipiant, videtur obſtare tum præconcepta opinio de ſubſtantiali corporis Chriſti præſentia ſecundùm indiſtantiam loci, quam hauſerunt à Papatu, tum Lutheri auctoritas, quam nollent deſerere. Ignorantia & inconſiderantia multis obſtare poteſt; An aliquos privati honoris tuendi ſtudium, aliquos malitia, & contendendi libido impediat, Deus novit; charitas non ſuſpicatur.

Sectio II.

Teſtimonia ſcripturæ pro ejus perſpicuitate producta vindicantur.

I. SEquuntur noſtra argumenta pro veritate. Jeſuita quatuor ſibi objicit ſcripturæ teſtimonia. Jam quidem illis nitimur, imò poſſumus etiam iis ſolis eſſe contenti. Sed plura habemus argumenta, quæ nos in plures claſſes diſpoſita producere ſolemus. Alibi videri poſſunt. Nos nunc ſolùm vindicabimus teſtimonia, quæ & quo loco avit ordine Jeſuita.

II. Primum. Deut. 30, 11. 12. 13. 14. *Nam præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, occultum non eſt à te, neque longinquum. Non eſt in cœlis, ut dicas, Quis aſcendet nobis in cœlum, qui ſumens afferat illud nobis, & enunciet nobis illud, ut faciamus illud? Neque eſt ultra mare, qui ſumens illud afferat nobis, & enunciet nobis illud, ut faciamus illud? Sed propinquum eſt tibi verbum hoc valdè in ore tuo, & in animo tuo, ad faciendum illud.* Hinc concludimus, ſcripturæ mandata non eſſe tam obſcura, ut Romam ire ſit neceſſum pro eorum interpretatione, ſed perſpicua, ut ſine externo ſupplemento, quantum ad ſalutem ſufficit, poſſint intelligi. Becanus excipit, *per mandatū intelligi totam legem Moſaicam, moralem (quæ eſt Decalogi) ceremonialem ac judicialem, eamq; judæis non fuiſſe incognitam.* Unde *ſequatur, partem ſcripturæ eſſe claram, quod ipſi non negent; non ſequatur, totam ſcripturam eſſe perſpicuam, quod noſtri malè inferant*, num. 4.5.6. Nos non concludimus, totam ſcripturam ἀνὰ μέρος, id eſt, omnes ejus partes eſſe perſpicuas, ſed agnoſcimus nonnulla in iis obſcura. Calumniatur igitur Sophiſta, & ineptè negitat conſequentiam à ſe fictam, non factā à nobis. Cæterùm accipimus, quòd dat, mandatum non tantùm intelligi de præceptis

ceptis decalogi, quod Bellarminus cum Alphonſo Toſtato Epiſcopo Abulenſi contendit contra textum immediatè præcedentem verſ. 10. & ſequentem 16. & cap. 7, 11. ubi præceptis puta decalogi conjunguntur ſtatuta, & judicia, i.e. leges ceremoniales, & judiciales. Accipimus, inquam, accipi de tota lege. Jam lex moſaica eſt dimidia pars ſcripturæ, quippe quæ continetur lege, & evangelio. Ergo dimidia ſcripturæ pars eſt clara, & perſpicua, ex confeſſione Jeſuitæ. Ea enim legem vel tradit, vel explicat. Si autem lex clara eſt, explicatio in libris hiſtoricis, & Propheticis non erit obſcurior. Explicatio enim non debet eſſe obſcurior textu, ut ipſe ſuprà arguebat. Hoc probè teneamus, tanquam datum. Neque hîc nos turbet, quòd Jeſuita alterâ manu eripit, quod unâ dedit; de eo enim videbimus argumento proximo, quò ipſe nos rejicit. Porrò Moſes non tantùm præceptum, ſed etiam verbum nominat v. 14. Nos quærimus, annon totum verbum, de quo Moſes loquitur, ſit perſpicuum? Id dat Bellarminus, neque negare poteſt Becanus. Sed de lege interpretatur. Sit ita. Nos adjungimus Paulum Apoſtolum interpretantem de Evangelio Roman. 10, 6. Agit enim de lege, quæ nobis affert juſtitiam ex fide, quam eſſe legem fidei; Roman. 3, 27. i.e. evangelium, pii norunt. Imò cap. 10. v. 8. interpretatur diſertè de verbo fidei, quod ipſe prædicabat. Illo Moſes teſtatus eſt de Chriſto, Johan. 5, 46. De illa lege Hilarius interpretatur Davidis verba com. in Pſal. 119. pag. 603. Habemus igitur ex Paulo, verbum fidei non eſſe obſcurum. De eo enim exponit verba Dei, *propè te verbum eſt in ore tuo, & in corde tuo.* Hæc eſt altera verbi divini pars. Totum enim Dei verbum, tota ſcriptura abſolvitur lege, & evangelio. Quin igitur rectè hinc concludimus, etſi partes quædam ſint obſcuræ, ſcripturam tamen reſpectu legis, & evangelii, adeoque eorum quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, eſſe claram, & perſpicuam?

III. Secundum. Pſalm. 19. verſ. 9. *Præceptum Jehovæ purum, illuſtrans oculos* Pſalm. 119, 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum eſt, & lux itineri meo*, verſ. 130. *Aditus verborum tuorum illuminat, prudentia inſtruit ſimplices.* Huic nos conjungimus textum apoſtolicum 2. Petr. 1, 19. Sed quia Jeſuitæ viſum eſt locos ſeparare, permittamus hoc illi, & ex Prophetæ verbis concludamus ſcripturæ perſpicuitatem: Lucerna enim eſt perſpicua. At ſcriptura eſt lucerna. Ergo. Becanus excipit primò. *Eundem Davidem dicere ſequentia* Pſalm. 119, 18. Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua v. 34. Da mihi intellectū, & ſcrutabor legem tuam, v. 135. Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas. Unde concludit, *ſcripturam non eſſe claram*, Num. 7. Idem, fateor, David dicit eadem, ſed Jeſuiticam conſequentiæm non agnoſcit. Duplex enim conſiderari poteſt claritas, & obſcuritas, interna, & externa. Illa eſt cordis, hæc in ſcriptura poſita. De *interna* cùm quæritur, etſi homines merè animales, modò linguarum dono inſtructi ſint, multa poſſint intelligere, fatendum tamen eſt, nullum jota à nobis ſalutariter percipi poſſe

posse sine Spiritus Sancti illuminatione. Nemo à natura habet oculos ad considerandа salutariter mirabilia legis ; cæci sumus omnes, aperire non possumus oculos, nisi Deus prior aperiat; non intelligimus, nisi Deus det intellectum, nil afferimus luminis de nostro, nec habemus ullum, nisi quod supernè infunditur. Id David noverat, id considerat. Ideo ad preces istas humilis convertitur, quibus à Deo lumen gratiæ petit, ad verbi divini mysteria cognoscenda salutariter. Idem nos agnoscimus, lubenter usurpantes illud Hieronymi in epistola ad Paulinum dicentis; *Si tantus Propheta ignorantiam confitetur, quâ nos putas parvulos, & penè lactentes, insciticæ nocte circumfundi?* At Jesuitæ consequentiam non agnoscebat David, alioqui de gryphis & obscuritatibus scripturæ conquesturus. Non conqueritur. Et quî cõquereretur? Noverat Rex & Propheta sanctus optimè, nihil esse tam facile, nihil tam perspicuum, obviúmve, ad quod salutariter cognoscendum non opus sit divino lumine. Idem agnoscunt Christiani etiam rudiores adhuc hodie, quibus nunquam persuaserit Jesuita, id mox in se obscurum esse, quod non nisi ex illuminatione Spiritus Sancti rectè discitur. Quod nisi persuadeat, actum est de consequentia. Quid? quòd cœlesti lumine opus est ad conservandum, & in eo proficiendum ad salutem, quod semel intelleximus : Sicut dicit Theodoretus in Psalm. 119. *Et Dominus ut scripturas scrutemur jussit, sed perscrutantibus cœlesti lumine opus est, ut & inveniant quod quæritur, & conservent quod reperunt.* Ergo aut etiam illud obscurum dicendum est, quod jam intelligitur, aut à petitione luminis non concluditur obscuritas scripturæ.

IV. Excipit secundò, *Davidem loqui de lege Mosaica, quæ sit clara, quoad sensum literalem, quem verba expresè significant, non clara, quoad sensum tum literalem, quē verba tãtum implicitè significant, tũ mysticum, quē verba nullo modo significant.* n. 7. Resp. Primò. Non uno modo omnes veteres exponunt legem Domini. Hieronymus, Augustinus, & Rufinus ipsum Christum interpretantur. Alcuinus, calorem Christi. Ex illo repetit Lombardus, Papisticæ Scholæ pater, qui etiam dicit, hinc Davidem commendare novum testamentum. Nos agnoscimus, Prophetam loqui de lege Mosaica, sed non sola, multò minùs de solis præceptis decalogi, quod Bellarminus contendit. Probo. Psalmo 19. non tantum audio præceptum, sed etiam lego *testimonium, justitias, timorem Domini, judicia Domini*, quæ omnia ad solum decalogum restringere, nimis esset absurdum. Porrò invenio adjuncta, & effecta toti verbo Dei communia. Adjuncta ; *Doctrina Jehovæ est integra, testimonium verax* v. 8. *reverentia Jehovæ munda* v. 9. *consistens in sempiternum* v. 10. *judicia desideratissima, dulciora melle* v. 11. Effecta ; *restituens animam, sapientiam afferens imperito, illustrans oculos.* Unde Theodoretus com. in h. l. tres species legum divinarum inter se comparari dicit; primam à creatione, q̃ conditorem prædicet; alteram Mosaicã, quæ majorem scientiam præbeat; tertiam gratiæ, quæ animas purget, & ab interitu liberet.

V. At qui Psalmum centesimum decimum nonum attentè leget, is universæ scripturæ, quæ quidem tum exstabat, laudes cani, non dubitabit, cum Augustino, cujus hæc sunt verba conc. 23. in h. Ps. *Quid est hoc verbum, quod ita lumen dicitur, ut lucerna sit, nisi verbum intelligamus, quod factum est ad Prophetas, vel quod prædicatum est per Apostolos. Non verbum Christum, sed verbum Christi, de quo scriptum est*, verbum ex auditu, auditus autem per verbum Christi. *Nam & verbum Propheticum lucernæ comparans Apostolus Petrus*, Habemus, *inquit*, firmiorem sermõem propheticum, cui bene facitis intendentes, veluti lucernæ lucenti in obscuro loco. *Quod itaque hîc ait*, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, *verbum est, quod SCRIPTVRIS SANCTIS OMNIBVS continetur.* Quem secutus Prosper in expos. Psalm. ait ; *verbum hîc intelligendum est, quod factum est ad Prophetas, vel quod prædicatum est ad Apostolos. Verbum scil. Christi, de quo scriptum est, fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et Interlinearis glossa: *verbum tuum i. e. omnes sanctæ scripturæ.* Ab hac non recedit Dionysius à Rickel Carthusianus. Nec sanè hîc tantùm nominantur præcepta, sed verba Dei, quo nomine tota scriptura significatur. Quid? Bellarminus veritati succumbens, quamvis egregiè sibi contradicens, scribit lib. 3. de V. D. cap. 2. *David nomine legis non intelligit decem illa præcepta solùm, sed omnes divinas scripturas.* Tanta est vis veritatis, cui si Becanus acquievisset, feciisset rectissimè.

VI. Secundò. Figmentum Jesuitæ de triplici sensu recentius est, quàm quod

Davidi innotescere potuerit. Alioqui legem partim lucidam, partim tenebricosam, & quidem magis tenebricosam, quàm lucidam appellasset. Vix enim minima particula sensus literalis clara esse permittetur ; maxima ejusdem portio, totum item, quicquid sibi triplex mysticus sensus deposcit, manebit in obscuro, id quod audacter concludit Sophista num. 11. Unum sensum scripturæ literalem esse, vidimus suprà; plures non potuit probare Sophista, qui hîc nobis sensum mysticum commendat, quem verba nullo modo significent, quasi sensum scriptura admittat, quem foris affert alius, ipsa non dat, de suo fingit mens hominis, at nec vox Dei significat, nec Spiritus Sanctus intendit. Jussus sensum promere, quem verba scripturæ nullo modo significent, quem tandem dabit ? Allegoricum ? an anagogicum ? an moralem ? Non enim plures mysticos recensuit. At de singulis dicebat suprà, quòd verba scripturę præter sensum literalem, quem habent, eos significent. Quæst. 3. num. 3. 4. 5. Contradictio aperta, cujus utraque pars non potest esse vera. Quapropter aut retractandæ sunt tres definitiones, aut liturâ inducendus sensus mysticus, quem verba *nullo modo* significant. Si David sibi petiit revelari sensum allegoricum, anagogicum & moralem, profectò non petiit sensum, quem verba nullo modo significant; si hunc, ergo non illos. Jesuita refert ad mysteria passionis, mortis & resurrectionis Christi, quæ lateant in lege Mosaica juxta sensum mysticum. Nimis anguste. Nusquam David ita coarctavit petitionis suæ ambitum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum. Surgat, probet aliud, qui potest. Multò plura sunt mirabilia in scriptura jam tum existante, quàm ista. Et tamen si illa in lege Mosaica latebant, quomodo verba nullo modo significabant? quomodo in ea tanquam figura adumbrata, & prænunciata sunt? Hoc enim affirmat numer. 11. Num prænunciatur in lege, quod verba illius nullo modo significât? Breviter; propter variam applicationem scripturæ, quò pertinet allegoria, anagoge, & tropologia, scriptura malè fingitur obscura.

VII. Tertiò. Quomodo probat, legem esse obscuram, quoad sensum literalem *implicitum*? Exemplo sexti præcepti, *Non occides*, quo non tantùm expressè prohibetur *homicidium*, sed etiam implicitè *ira*, quod non omnes norint. Addit, ideo Christum hoc explicare, & expresè dicere, quod antè dictum sit tantùm implicitè. Num. 8. Egregiè! atque bis egregiè! Id quidem non omnes, fateor, nóverant: obscuraverant enim Pharisæi suis glossis. Sed heus tu, qualis consequentia. Non omnes norunt; Ergo obscurum est? Nempe qualis ista, Non omnes vident lucem; Ergo Sol non lucet. Si solis claritas non æstimatur ex omnium usu, cur scripturæ perspicuitatem judicas ex hominum notitia, & ignorantia? Nihil profectò erit in scriptura clarum, aut parum valdè, si tantùm clarum, quod omnes norunt. Quantum enim est, quod norunt omnes? Num omnes norunt orationis dominicæ sensum? num articulum de creatione? num alterum, de redemptione? num tertium, de sanctificatione? Et tamen hos claros esse atque perspicuos, dicit Gregorius de Valentia, dicunt alii Papistæ. Nempe, non ideo obscurè apparebat Christus Apostolo, quia comites ejus videbant neminem, Actor. 9, 7. Et homines, quos videbat cæcus nondum perfectè restitutus, non ideo ambulabant in obscuro, quòd ab illo instar arborum apprehenderentur, Marci 8, 24. Pudeat igitur Jesuitam istius majoris, *Cujus legis quendam sensum non omnes norunt, illa est obscura*, aut probet eam solidè. Christus explicavit sensum legis, non quòd non pateret ex ipsa lege, & explicatione in veteri testamento data, sed quòd latuisset diu pharisaicis glossematis obrutus, & absconditus ab oculis miseri populi. Neque enim illud *dictum veteribus*, per Mosen, sed per Pharisæos, & Scribas dictum intelligi debet. Et falsum est, antè tantùm implicitè prohibitam fuisse iram. Disertum enim satis habemus mandatum in lege Lev. 19, 17. 18. ejusque explicationem Proverb. 15, 18. cap. 22, 24. 25. *Ne colas amicitiam cum iracundo, & cum furibundo, ne congrediaris. Ut non discas itinera ejus, & assumas tendiculam tibi ipsi.* Confer cap. 27, 4. cap. 29, 22. Psal. 37, 8. 9. Cæterum Sophistæ argumentatio ex falsa hypothesi oritur, quòd is sensus obscurus sit, quem verba non expresè significant; Illam tolle, & corruet tota argumentatio. Tollunt autem ipsi Papistæ multoties.

VIII. Tertiò excipit, *legem lucernam dici, quatenus jam cognita, & perspecta est, quoad omnem sensum. Sic enim nos dirigere, ut sine offensa ambulemus in viis mandatorum Domini*, num. 10. Insignis stropha, quam sic redarguo. *Primò* lucerna lucet, & lucida dicitur, non quatenus perspicitur lumen, sed quia ex se & in se habet lumen. Lucet igitur etiam dum non videtur. Si alicui non lucet, id fit ex accidenti. Neque enim in se est obscura, quia non videtur à cæco. Donec igitur scriptura lucerna esse desinit, in se lumen habere censenda est. Perspicua igitur, etsi nemo intelligeret. Si cuiquam obscura, id ex accidenti. Dicis lucernam, quatenus jam cognita est. Cognitio illa vel ex insito scripturæ lumine hauritur, vel ab externo, puta traditione non scripta. Si ex lumine *insito*, lucida igitur, non obscura. Sin *aliunde*, obscura igitur ex se, & laterna dici possit, non lucerna propriè, nedum lux. Mentitus igitur Propheta fuerit. Facessat blasphemia, maneat lux scripturæ integra. Retineat lucernæ nomen ab insito lumine, quod non magis pendet à nostra notitia, quàm lumen solis ab oculo nostro.

IX. *Secundò.* Si illa sola est appellationis ratio, quam Jesuita jactat, non tantùm in genere tota scriptura, sed etiam loci quique obscurissimi erunt lucidi; etiam visio Ezechielis, etiam Apocalypsis Johanni facta. Quin enim & illæ, & cæteri omnes obscuri textus, si intelligantur, mentem illustrent, nemini, credo, est dubium. Ergo nihil obscurum, lucida omnia. At nec hoc vellet Jesuita concedere, nec verum est. Falsa ergo est glossa. Neque tamen nego, scripturam intellectam illuminare mentem, sed nego, lucidam dici tantùm quia vel quatenus à nobis intelligitur. In se semper est lucida. Nobis fit lucida, dum sua luce nos perfundit ac illuminat, ut eam intelligamus. Ubi discrimen inter lucem scripturæ, & quamcunque aliam nota. Hæc splendet habentibus oculum, & videntibus, cæcis visum non affert: Illa etiam affert visum cæcis, i. e. intelligentiæ lucem imperitis, insipientes reddit sapientes, Psalm. 19, 8. 9. Agnoscit inter Papistas Arias Montanus in Elucidationibus super 2. Petr. 1, 19. *Hoc*, inquiens, *sacrorum scriptorum officium est, hominibus videlicet inquirentibus, nondum tamen per Spiritum Sanctum Christi interiùs refectis veritatis lumen prætendere, quo per hanc seculi tempestatem, & opinionum perplexitatem iter dirigatur vitæ.* Atque ideo sermonem Propheticum lucernam nominari monet.

X. Glossam suam, Jesuita contendit, clarè insinuari illis verbis, *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Non dicit absolutè, *sermones tui illuminant*, sed *declaratio sermonum tuorum.* Indigent enim sermones Dei aliqua declaratione l. l. num. 10. In Hebræo est *petach* cum tseri, quod Vatablus vertit *apertionem*, Hieronymus, *ostium*, Calvinus cum Tigurinis, *ingressum*, Tremellius, & Piscator, *aditum*. Sensus est, tam perspicuâ esse doctrinæ lucem in verbo, ut primo statim accessu & lectionis & meditationis illuminet. Græci, quorum versio hodie exstat, reddiderunt δήλωσιν, Interpres latinus, *declarationem*. Hanc duobus modis fieri, dicit Bellarminus in commentario, vel ab ipso Deo, per infusionem luminis divini, vel ab aliquo perito doctore. Utrumque agnosco. Addo modum, qui sit medius inter utrumque, nempe ab ipso verbo alibi proposito. Quartus verò est

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab eventu. Tertius præſupponit ſecundum; uterque primum. Quartus prophetias ſpectat. Illas enim eventus declarat egregiè. Ut homo per verbum illuminetur, primus declarationis modus eſt præcisè neceſſarius, ſecundus & quartus modus eſt alicubi neceſſarius, non ubique. Quædam enim in verbo tam ſunt perſpicua, ut cognoſcantur, quamvis non aliunde ex verbo declarata. Quædam obſcuriùs dicta ex ipſa ſcriptura declarari, quædam ab eventu debent. Tertius modus utilis, nec contemnendus, at non præcisè neceſſarius. Ideo illuminatio ad eum malè reſtringitur, quaſi ſcriptura mentes non illuminet, niſi ab homine expoſita. Quod cùm dicimus, interpretationis donum minimè tollimus, quod neceſſarium eſſe in Eccleſia, vel ipſa miniſtrorum vocatio oſtendit; Illi enim rectè ſecare verbum debent. 2. Timoth. 2, 15. & explicare ſcripturam exemplo Eſræ, & Levitarum Nehem. 8, 8. Chriſti Luc. 24. Pauli Actor. 28, 23.

XI. Inprimis aliquas Prophetias de rebus futuris indigere declaratione, dicimus, quæ fiat vel verbo, vel eventu. Sic Prophetarum vaticinia de Chriſto, quæ ante impletionem erant obſcuriora, declarata ſunt cùm complemento, tum evangelii præconio. Quemadmodum dicit Hilarius com. in h. l. pag. 605. *Declaratio verborum myſticorum per evangelia præſtatur, ubi legis abſcondita & occulta Prophetica Domino in corpore manente panduntur, ex quibus primùm fides diſcitur. Ibi enim ea, quæ à Prophetis dicta ſunt, rebus & operibus explentur, &c.* Idem placet Lombardo. Fatemur, & alia nonnulla præter prædictiones egere declaratione, at non quæ foris petatur à traditione non ſcripta & humano lumine, ſed ab ipſa ſcriptura, & lumine divino illi inſito. Verùm illa declaratio non arguit ſcripturæ totius, de qua noſtra eſt quæſtio, obſcuritatem, ſed potiùs eſt claritatis index haud ambiguus. Probo. Eventum enim Prophetiarum veterum memorat novi teſtamenti ſcriptura, in qua etiam multi textus veteris teſtamenti egregiè explicantur.

XII. Sed nec doctoris miniſterium ſcripturam obſcuritatis convincit. Unde enim ille ſenſum depromit? Nónne ex ipſa ſcriptura? Quod enim Propheta de ſe dicit, id omnibus bonis interpretibus convenit. *Teſtimonia tua conſiliarii mei.* Pſalm. 119, 24. Porrò. Myſterium, quod à temporibus æternis fuerat tacitum, poſtea factum eſt manifeſtum, & per ſcripturas Propheticas omnibus gentibus declaratum, Roman. 16, 25. 26. Unde Apoſtolus profitetur, ſe nec quicquam dicere extra ea, quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerunt, Act. 26, 12. & ex ſcriptura lumen attulit rebus. Huc pertinent Veterum ſententiæ. Auguſtini dicentis, *nihil ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* lib. 2. de Doctrina Chriſtiãa c. 6. Chryſoſtomi homil 13. in Geneſ. *Age iſtorum ſtultitiam, & multifariam dementiam, deſtruentes, ad ipſum divinæ ſcripturæ ſcopum incedamus, quæ ſe ipſam interpretatur.* Baſilii in regulis contractis quæſt. 267. *Quæ ambiguè & obſcurè in nonnullis ſcripturæ ſacræ locis dicta videntur, per ea, quæ alibi certa, & indubitata habentur, declarantur.* Atq; hoc

hoc officium à ſcriptura præſtatur, non ſolùm doctoribus, ſed omnium ordinum hominibus, quicunque in Dei timore accedunt atque cum attentione, ſtudioque debito, ut jam olim monuit Auguſtinus lib. de utilit. credendi cap. 6. & Epiphanius Hæres. 76. *omnia*, inquiens, *clara ſunt in divina ſcriptura his, qui piâ ratiocinatione divinum ſermonem adire volunt, & non diabolicam operationem in ſe ipſis conceperunt, ac ſe ipſos in barathrum mortis conjicere conantur.* Denique rurſum Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 9. *Factâ quâdam familiaritate cum ipſâ linguâ ſcripturarum divinarum, in ea, quæ obſcura ſunt, aperienda & diſcutienda pergendum eſt; ut ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant.*

XIII. Tertium. 2. Petr. 1, 19. *Habemus firmiſſimum ſermonem Propheticum: cui rectè facitis, quòd attendatis, velut lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, usque dum dies illuceſcat, & luciſer exoriatur in cordibus veſtris.* Miratur Becanus, noſtros ex hoc loco argumentari. Quid tum? Argumentantur tamen, & concludunt, ſcripturam tam obſcuram non eſſe, quin Dei voluntas de rebus ad religionem pertinentibus, atque neceſſariò vel amplectendis, vel rejiciendis, inde certò, plenè ac perſpicuè conſtet. Magna vis verborum eſt, quòd Apoſtolus propheticum ſermonem, ſcripturam propheticam intelligens, ut Luc. 3, 4. Johan. 12, 38. 15, 25. comparat lucernæ, & quidem ſplendenti, non in loco jam lucido, ſed obſcuro, idque dum dies illuceſcat. Dicit, vim argumenti hanc eſſe debere; *Prophetiæ veteris teſtamenti de Chriſto ſunt claræ, & perſpicuæ. Ergo tota ſcriptura eſt clara, & perſpicua.* Fatebor, hanc eſſe vim argumenti, ſi meminerit adverſarius primò per Prophetiam à nobis intelligi non hanc, illam, iſtam Propheticam ſententiam, ſed totum Propheticæ, i. e. totius veteris divinæ ſcripturæ corpus, quemadmodum Auguſtinus tract. 23. in Joh. explicat: *Lucernæ*, inquiens, *itaque prophetæ, & omnis Prophetia una magna lucerna.* Deinde in concluſione nos non ſcripturam ἀνὰ μέρος, adeoque omnes & ſingulas ſcripturæ totius partes notare, ſed totam ſcripturam ὅλως conſideratam, tanquam unum doctrinæ cœleſtis ſyſtema. Jam prohibere non poſſumus, quin neget conſequentiam, & antecedens falſitatis accuſet. Interim conſequentia clarior eſt, quàm quæ ſolidè negari poſſit. Si enim vetus ſcriptura clara eſt, tota clara erit, quia novi teſtamenti ſcriptura, omnium tum veterum tum recentium conſenſu & confeſſione, eſt veteri longè clarior.

XIV. At Jeſuita ait, *non ſequi, Prophetia veteris teſtamenti eſt clara, ergo etiam prophetia apocalyptica eſt clara.* Fateor non ſequi, ſed cujus eſt hæc conſequentia? Non noſtrorum hominum, ſed Sophiſtæ. Servet ergo ſibi, & neget, quàm poteſt fortiſſimè: non refragamur. Dixi enim jam ſæpius, & repeto iterum, quæſtionem noſtram non eſſe de omnibus & ſingulis ſcripturæ partibus, ſed de toto ſcripturæ corpore ὅλως cõſiderato, quod clarum eſſe poteſt, etſi una atque altera

Universidad de Deusto
Biblioteca

pars sit obscura. In Apocalypsi adhuc multa obscura esse, ultrò fatemur, at ista obscuritas non impedit, quo minùs ex tota scriptura Dei voluntas de omnibus ad fidem necessariò pertinentibus clarè pleneque constet: id quod ad scripturæ claritatem, qualem nos tuemur, obtinendam sufficit.

XV. Jam cur antecedens falsum? Primò, inquit, *quia Eunuchus Jesaiæ Prophetiam non intellexit.* De hoc dixi suprà. Ibi vide. Argumentum sic erit: *Cujus aliquam partem Eunuchus non intellexit, id obscurum est. At prophetia de Christo partem Eunuchus non intellexit.* Major falsa. Imò ne quidem præcisè sequitur, eâ parte obscurum esse, quâ non intellexit. Hominis enim intelligentia, & ignorantia, non est scripturæ claritatis, & obscuritatis mensura, & regula. Alioqui unus idemq; locus erit uno eodemque tempore clarus, & obscurus. Clarus, quatenus à Philippo intelligitur; obscurus, quatenus ab Eunucho non intelligitur; quod absurdum esse, quis non intelligat? Addo. Ignoraverit Eunuchus hunc locum, an ideo nihil intellexit in Propheta? Nec intellectum consequi potuit è scriptura cum seipsa, & cum eventu collata? Cur igitur legit? Præterea non sequitur: Peregrinus non intellexit; Ergo nec alii ex ipso textu potuerunt intelligere. Quem ille non intelligit, Hebræos veteres intellexisse de Messia, est extra controversiam. Rabbi Moses super Genes. 24. & super Psalm. 47. hujus capitis quinquagesimi tertii versum quintum de Messia exponit. In libro Sanhedrin cap. Helec scribitur; *Quod ex domo Rab dictum fuerit, languidum esse nomen Messiæ, juxtà illud Jesa 53. Verè languores nostros tulit, &c.* Et in l. Siphre à R. Jose de Messia allegatur versus sextus, quem Eunuchus non intelligebat. Itemque in Midrasch Ruth. super Ruth. cap. 2, 14. Ad hæc in libro Tanchuma super Numer. l. 2. allegatur versus tertius de Messia, apud Galatinum de Arcanis Christ. Et ne dubium supersit, R. Abē Ezra super Jes. 52. v. 13. & seqq. fatetur, magistros Hebræorum affirmare, quòd hæc de Messia dicantur: quod etiam Chaldaica Paraphrasis apud illos authentica confirmat expresso Messiæ nomine. Vide Christophorum Helvicum in primo Judæorum Elencho thesi 43. Et ut maximè nemo Hebræorum tempore Christi & postea intellexisset, non tamen sequeretur, in se tam obscurum esse, ut ex scriptura intelligi non potuerit, quia multa à Pharisæis, Scribis, & successoribus obscurata esse, novimus, quæ & in se, & veteribus erant satis clara.

XVI. Secundò, Emaunticos viatores in scenam rursum producit. Meliùs omitteret. Nec enim nos omnes prophetiarum de Christo particulas illo tempore perspicuas fuisse, arguimus, & Christus eorum amentiam ac credendi tarditatem notavit, ut intellig[illegible], culpam ignorantiæ in scripturæ obscuritatem non esse transferendam. Si enim scripturæ tam fuissent obscuræ, ut non potuissent de Christo intelligi, in primis cum eventu comparatæ, cur tam severè eos corripuisset ac damnasset amentiæ? Etqs ignorat, homines vel obstupefactos, vel gravi occupatos præjudicio etiam clarissima quæque non intelligere? Absit, ut id ad obscuritatis rapiamus criminationem.

XVII. At rationem petit ex 2. Cor. 3, 14. quia *Prophetæ non loquebantur clarè de Christo, sed sub velamine.* R. Glossa ordinaria in 2. Petr. 1. dicit, Davidem firmiorem esse inter alios Prophetas, quia clariùs aliis de Christo prophetaverit. Si ille clariùs aliis, quomodo non clarè locuti sunt Prophetæ? Becane. Sed pugnemus cominùs. Nō lego vel illo versu, vel toto capite, quòd Prophetæ non locuti sint clarè de Christo, sed sub velamine. Dices, at legis, *adhuc manere non retectum velamen illud.* Lego. Verùm non in *dictione* sed *lectione* veteris testamenti manere nō retectum velamen illud, lego; Id quod quo minùs ad obscuritatem totius veteris scripturæ rectè trahas, obstat, quòd scribit de Judæis obstinatis, ut Lyra benè observat. Ait enim, *Itaque obcalluerunt mentes illorum*, v. 14. i. e. secundùm eundem Lyram, oculi eorum mentales. Num sol non est lucidus, quia cæci eum non vident? Num lucernæ ardentes in templo Hierosolymitano non splēdebant, quòd cæci ingressi ab iis non haurirent lucem? Si urgeas, *Mosen velamen faciei suæ imposuisse, v. 13.* memineris, non imposuisse, quòd obscura esset, sed quòd nimis fulgeret: *Vides*, inquit Chrysostomus, *hoc velamen non fuisse vultus Mosaici, sed Judaici aspectus.* Habes symbolum non legis, non scripturæ obscuræ, sed obscuritatis, & imbecillitatis hominum, qui legis fulgore hebetarentur potiùs quàm illustrarentur. *Haud tamen*, inquit Chrysostomus homil. 7. in h. l. *quod dictum est, legis est accusatio, quemadmodum nec Mosis velati, sed Judæorum legem prævaricantium. Nam illa suam habet gloriam, sed isti illam intueri non poterant.* Et paulò pòst: *Unde videbantur cæteris potiores, quòd Mosis facies refulsisset, hinc demonstrat illorum hebetudinem, & animos humi repentes.* Sed quicquid id fuit velaminis, id per Christum tollitur, v. 14. Hodie igitur non ideo sunt obscuræ scripturæ. Et nimis manifestum est, quòd dicit Apostolus, velamen illud cordi, non Mosis dictioni inhærere: *Sed*, inquiens, *ad hunc usque diem cùm legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est*, v. 15, *Legem*, inquit Theodoretus com. in h. l. *Mosen appellavit, velamen autem incredulitatem.* Glossa interlinearis, & Ordinaria, *in cordibus eorum est cæcitas deprimens rationem.* Eorum, id est, secundùm eandem glossam, Eorum qui negant, non ergo omnium. Addit Ordinaria, *velamen manere etiam cùm legitur*, i. e. *cùm exponitur illis Moses.* Theophylactus com. in h. l. *Quia suprà dixerat, quòd in lectione veteris legis velamen sit positum, ne quis existimet, quòd velamentum legis obscuritatem dicat, haud quaquam*, inquit, *sed cæcitatem & crassitudinem eorum, hanc dico velamentum.* Cornelius à Lapide; *Hoc velamen est pertinax & crassa ac obstinata inhæsio, quâ Judæi mordicus adhærent carnalibus sacrificiis & ritibus legis veteris, itaque excæcantur, ut non videant Christum per illos ritus adumbratum.* Adde, quòd tollitur velamen, non mutatione scripturæ, sed conversione cordis: Apostolus enim ait, *Postquam autem conversum fuerit ad Dominum, tolletur velamen*, v. 16. Quemadmodum sublato oculi vitio videtur Sol lucidus, non quòd ante non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non eſſet lucidus, ſpargerétve radios, ſed quòd vitium obſtaret, quo minùs videretur.

XVIII. Inquis: *Quicquid ſiat de hoc textu, Prophetæ tamen non loquebantur clarè de Chriſto, ſed ſub velamine.* Primùm ergo eripuimus hoc erroris velamen adverſario. Porrò, concedo, non ubique æquè clarè Prophetas omnes locutos eſſe de Chriſto; non tam clarè, quàm Evangeliſtæ, & Apoſtoli: tam clarè tamen locutos dico, ut Dei voluntatem, quantum ad ſalutem eſſet neceſſarium, fideles debitâ diligentiâ, & mediis convenientibus in timore Dei adhibitis, poſſent inde certò & perſpicuè cognoſcere. Cùm enim Abraham viderit diem Chriſti Johan. 8. an illo recentiores fideles in veteri eccleſia non vidiſſent? Petrus confirmat, illos eâdem gratiâ Chriſti ſervatos eſſe, quâ & nos ſervamur, Act. 15. Agnoverunt igitur, & quidem primi, cùm nulla exſtaret ſcriptura, ex viva traditione. Unde verò poſteriores? Ex Propheticis ſcripturis. Tam claræ ergo erant, ut poſſent inde cognoſcere. Et quæſo, an non clarum ſatis, quod Jeſaias dicit de partu virginis cap. 7. de colaphis, flagellis, & ſputo, cap. 50. quod David de paſſione, de diviſione veſtium Pſalm. 22. Zacharias de ingreſſu urbis ſuper pullum aſinæ cap. 9. Micha de loco nativitatis, an non clarè ſatis? cap. 5, 2. Sub externis ſignis ſeu ceremoniis, pro illius temporis ratione, propoſuiſſe Chriſtum, fateor: ſed quis error, *ceremoniarum involucrum* cum *velamine* confundere, de quo agit Apoſtolus? Illud erat in ipſa doctrina, hoc in cordibus non converſis ad Chriſtum: *velum*, inquit Theophylactus *pinguem nec non craſſam eorum mentem ſignificat*. Illud adducebat ad Chriſtum, quippe ad quem lex erat pædagogus, Gal. 3, 24. Hoc arcebat, illud non obſtabat, quo minùs Chriſtum cognoſcerent, imò faciebat, ut cognoſcerent, ſed obſcuriùs, pro ratione illius temporis: Hoc cognitionem ſolidam in univerſum intercipit.

XIX. Dices; *Da veterem, qui neget, hîc aſſeri obſcuritatem legis.* Do Chryſoſtomum, ne habeat Becanus, de quo vel nos accuſet, vel queratur ad alios. Sic autem ille l. l. *Quoniam enim dixerat, in lectione veteris teſtamenti manet velamen, ne quis exiſtimaret hoc dicto notari legis obſcuritatem, quemadmodum per alia ſuperiùs hoc demonſtrarat. Nam cùm diceret*, obſcurati ſunt ſenſus illorum, *ſignificat ipſorum eſſe culpam: ita hoc ipſo loco rurſus oſtendit. Non enim dixit, in literis manet velamen, ſed in lectione. At lectio actus eſt legentium. Ac rurſum* cùm legitur Moſes. *Quin hoc ipſum evidentiùs etiam expreſſit ſermone ſequente, cùm ait*, non revelatum velamen impoſitum cordi illorum. *Nam nec in facie Moſis propter Moſen poſitum erat, ſed propter illorum craſſitudinem mentemq; carnalem.*

XX. Jam cogita, pie lector, an Judæi non potuerint Prophetas de Chriſto ex ipſis Prophetarũ verbis intelligere, quod contendit Becanus. De obſtinatis facilè concedo, quippe qui ne quidem ab explicatione hauriunt ſenſum, teſte hiſtoriâ apoſtolicâ; manet enim velamen ſuper cordibus eorum. At nego, Dei filios non potuiſſe, quantum ad ſalutem eis ſufficiebat, ex ipſis Prophetarum verbis intelligere Prophetas de Chriſto. Ex quibus ſi non cognoſcebant, unde igitur ante Meſſiæ tempora? Poſt Malachiam enim non fuit Propheta, cujus expoſitio eſſet authentica. Non igitur habuerunt veram Chriſti notitiam, aut ab ipſis verbis Prophetarum habuerunt. Chriſtus dicit Judæis, Moſen de ſe teſtari Johan. 5, 46. quo ipſo non ad Moſen, ſed ad divinam eos ſcripturam relegat, inquit Chryſoſtomus homil. 40. in Joh. Quæſo, qualis teſtis fuerit Moſes de Chriſto, ſi ex ſcripturæ verbis, quibus ejus teſtimonium continetur, veritas de Chriſto prorſus non potuit intelligi? Inprimis ſi verba cum eventu comparentur? Idem de reliquis Prophetis dictum volo: omnes enim de Chriſto teſtantur, Actor. 10, 43.

XXI. Quid multis? conſtat, fideles veteris teſtamenti doctrinam de Chriſto cognoviſſe; Si non ex Prophetarum verbis, dicat nobis Becanus, unde habuerint? Similiter de Rabbinis veteribus conſtat, quòd præcipuos propheticos textus de Meſſia intellexerint. Unde niſi ab ipſis verbis Prophetarum? Illud negabis. Probant noſtri, atque inter eos D. Chriſtophorus Helvicus. Recito aliquot exempla. Micha cap. 5, 2. prædixit, locum nativitatis Meſſiæ fore Bethlehem: Illud ex verbis Prophetæ intellexerunt Sacerdotes & Scribæ Matth. 2, 4. 5. 6. Zachariæ vaticinium cap. 9, 9. de Meſſia interpretatur R. Moſes Hadarſchan ſuper Gen. 49, 11. & ſuper Geneſ. 14, 18. Bereſchith Rabba in eundem l. & Rabbi Salomon, inquit, *non eſt poſſibile, ut hoc (Zach. 9, 9.) exponatur aliter, quàm de rege Meſſia.* De prophetia Jeſaiæ cap. 53. paulò antè diximus num. 15. Eundem Jeſaiam de Meſſiæ colaphis, flagellis & ſputo vaticinantem de Meſſia perſpicuè exponit Midraſch-Echa ſuper Thren. 3, 30. Pſalmi 22. verſum 17. 18. 19. de Meſſia intellexiſſe priſcos Thalmudiſtas, fatetur David Kimchi. Denique quòd Meſſiam in paſſione aceto & felle potandũ prædixit David Pſ. 69, 22. id quoque Meſſiæ in paſſione eventurum, priſci Hebræi crediderunt, ut videre eſt in Midraſch Ruth. 2. v. 14. Si iſti potuerunt ex verbis Prophetarum prophetias de Chriſto intelligere, falſus Jeſuita: Nec tamen verus, ſi illi non potuiſſent. In culpa enim eſſet non ſcripturæ obſcuritas, ſed cordis velamen. Agnoſcit Nicolaus Lyra in cap. 5. Johan. *Omnia*, inquit, *myſteria Chriſti in veteri teſtamento inveniuntur expreſſa, & in Chriſto completa. Et ideo ex ſcripturis veteris teſtamenti potuit verè cognoſci, quòd ipſe erat Chriſtus in lege promiſſus.*

XXII. Quid verò illud eſt, quòd Jeſuita clamat, *Judæos debuiſſe myſticum ſenſum ſcrutari, qui interiùs latebat, hoc enim ſenſu Chriſtum dixiſſe Johan. 5, 39. Scrutamini ſcripturas.* Chriſtus, fateor, quod Chryſoſtomus homil. 40. in h. l. monet, non ad ſimplicem & nudam lectionem, ſed ad inveſtigationem perquàm diligentem relegavit. Divina enim ſumma indigent diligentia. Sed & fateor, Deum in nube veteribus non abs re locutum eſſe, idcirco effodere profundiùs jubere, ut quæ altè deliteſcunt, invenire poſſimus. At ſenſum myſticum hac quæſtione appellavit Jeſuita, quem verba nullo modo

Universidad de Deusto
Biblioteca

significant. Hunc debuisse Judæos quærere, nullo constat testimonio fide digno. Christus certè non jussit. Probo. Addit enim, *illæ sunt, quæ testificantur de me.* Quomodo? *Indicant*, inquit Arias Montanus in h.l. *quendam fore à Deo suscitandum & mittendum, qui vitam donet credentibus in eum: & omnem animam quæ non crediderit verbis Prophetæ illius à Domino mittendi, abscindendam de populo Dei, indicant signa, quibus cognosci possit Propheta ille, & cognitus adiri & suscipi; illa omnia de me scripta sunt. Legite diligenter, & examinate, an ita sint, an in me quadrent.* Lyra; *Hìc consequenter ponitur testimonium Dei Patris per scripturas veteris testamenti, quæ manifestè loquuntur de Christo.* Cornelius Jansenius in Concord. Evangel: cap. 36. *scripsit*, inquit, *Moses de Domino dupliciter. Primùm figuris quibusdam & umbris illum depingendo, quod fecit historiarum & ceremoniarum legis descriptione. Secundò, Illum vaticiniis suis promittendo, atque de hoc scripturarum genere maximè dictum videtur à Salvatore*, de me ille scripsit. *APERTE enim de Christo scripsit in celebri illa promissione facta Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes*, &c. Jam scripturas testificari de Christo, & quidem manifestè aperteque, & verba scripturæ nullo modo sensum de Christo significare, manifestè pugnant. Christus Matth. 22, 31. 32. resurrectionem mortuorum probaturus, sensum petit à verbis scripturæ Exod. 3, 6. Johannem esse suum præcursorem, confirmaturus, promit verba Malachiæ cap. 3, 1. Matth. 11, 10. non prompturus, si ex verbis cum eventu comparatis non possent sensum verum haurire. Sic Apostoli, cùm doctrinam de Christo tractant, ex ipsorum Prophetarum verbis eruunt: quo modo eruant, si eum nullo modo verba significant? Imò mysterium Evangelii per scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus declaratum, quomodo affirmat Apostolus Roman. 16, 26. si sensum mysticũ, quem in novo test: scrutari jubemur, verba nullo modo significant?

XXIII. Si tamen mysticum sensum in verbis Prophetiæ latere, contendit ampliùs Becanus, quem verba nullo modo significent, quis ille tandem fuerit? Exponat. Audiat eum Ecclesia. Cùm Jesaias dicit, *Ecce virgo concipiet*, nos verba secundùm literam accipimus: Nec aliter, quæ de concione ac miraculis cap. 35. de colaphis, flagellis, sputo, cap. 50. de percussione, de vibicibus, de passione, cap. 53. disserit. Zachariam de ingressu urbis super pullum asinæ, & Davidem de manibus ac pedibus confossis, de vestibus divisis, & tunica per sortem distributa, deque aceto & felle: item Michæam, cùm nativitatis locum designat, accipimus secundùm literam. Atque is sensus tam clarus est, ut Hieronymus jam olim censuerit, Jesaiam nõ tam Prophetam, quàm Evangelistam dicendum esse. Rationem hanc addit; *Ita enim universa Christi Ecclesiæq; mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere.* Hinc subjicit; *Unde conjicio, noluisse tunc temporis septuaginta Interpretes fidei suæ sacramenta perspicuè ethnicis prodere; ne sanctum canibus, & margaritas porcis darẽt. Quæ cùm hanc*

hanc editionem legeritis, ab illa animadvertetur abscondita. Epist. 117. Si sensum literalem quærere non debuerunt Judæi; quem igitur? Illum eventus comprobavit, illum Apostoli prædicarunt, illum Ecclesia universa sequitur. Alienus igitur sit oportet mysticus sensus, ad quem miseros Judæos remittit Becanus sub ementito Christi nomine. An fortè in hæc testimonia digitum Christus non intendit? In quæ igitur? Certè Lyra sic explicat; *Illæ*, inquiens, *sunt, quæ testimonium perhibent de me, quia scriptura veteris testamenti determinat tempus ejus adventus Gen: penult:* Non auferetur sceptrum &c. & Daniel. 9. *ubi determinatur tempus adventus Sancti Sanctorum sub numero certo hebdomadarum: determinat etiam locum nativitatis* Micha 5. Et tu Bethlehem parvulus es in millibus Juda. Ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israël. *Determinat etiam modum nascendi* Jes. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet &c. *& modum conversandi, id est, paupertatem*, Zach. 9. Ecce rex tuus venit tibi justus, & salvator, & ipse pauper. *Et modum moriendi*, Jes. 53. sicut ovis ad occisionem ducetur. Jam iterum quæro, annon has scripturas scrutari Judæos Christus jusserit? An verò jussit scrutari sensum mysticum, quem verba nullo modo, sed tantùm res verbis signatæ significant? In quo ista omnia secundùm literam ante Christum impleta? Respondeant Jesuitæ apertiùs. Interim videt lector, vel hoc uno exemplo doctus, quàm tutum sit, sequi Jesuitæ consilium, à sensu Spiritus Sancti homines abducentis ad mysticum, quem, ipso teste, verba nullo modo significant, adeoque Spiritus Sanctus non intendit, aut saltem intendisse, incertum est. Sic enim de mystico Bellarminum loqui, meminimus.

XXIV. Sed his omissis, urgemus verba Petri, Sermonem propheticum vocãtis lucernam lucentem in obscuro loco, nec moramur Sophistam obmurmurantem, non ideo vocari lucernam lucentem, quia facilè intelligatur, sed quòd intellecta illuminet. Depulimus enim hoc sophisma paulò antè, nec hoc loco admittimus postliminio. Non quòd negemus, scripturam intellectam illuminare nostras mentes; non quòd affirmemus, scripturam lucernam dici, quòd à quovis facilè intelligatur; scimus, sermonem crucis Græcis esse stultitiam, 1. Cor. 1, 18. non denique quòd omnia in scriptura citra discrimen, etiam à fidelibus omnibus æquè facilè capiantur; sed quòd nullâ ratione adversarius probaverit hactenus, scripturam lucernam non esse, nisi quatenus nos eam intelligamus, nos autem probaverimus contrarium. Neq; enim tantùm quia scriptura illuminat intellecta, ideo lux est, sed quia lux est, ideo illuminat, & lucem affert. Non tantùm intelligentibus, sed parvulis etiam præstat sapientiam. Quàm primùm verò Becani strophæ locum damus, una eademque scriptura simul uno eodemque tempore erit lucerna lucens, & non lucerna lucens. Lucerna lucens, intelligenti, non intelligenti, non lucerna lucens. Confundit Sophista id quod dicitur simpliciter cum dicto secundùm quid. Nobis quidem lucida dicitur cùm intelligitur à nobis. Etsi verò non intelligatur à nobis, nostro vitio, in se tamen est, ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

manetque semper lucida, ut sine extranei luminis adminiculo, lucis ipsi insitæ beneficio intelligi possit, modò mentis nostræ oculi depurentur; sicut Sol nobis quidem non est lucidus, nisi ejus lumine fruamur, at licet eo non fruamur, in se tamen semper est lucidus, ita ut ad eum videndum non opus sit extraneo lumine. Becanus sic instituit comparationem; *sicut lucerna lucens in caliginoso loco exhibet nobis sufficiens lumen, ut possimus cautè ambulare, ne impingamus, sic etiam prophetia de Christo, quando lucet in caliginoso nostro corde, id est, quando à nobis intelligitur, exhibet sufficiens lumen, ut possimus credere de Christo, quæ per Prophetas credenda proponuntur.* Hunc sensum non probat ullo argumento. Nos autem gratis illi non credimus. Glossa Ordinaria, & Lyra caliginosum locum de hoc mundo ignorantiæ, & errorum tenebris obscurato interpretantur, quem sensum Claudius Guilliaudus non improbat. Quo jure Becanus ad cor eorum, qui jam intelligunt scripturas, refert? Num cor per verbi intelligentiam illuminatum dicatur locus caliginosus? cùm habemus illuminatos oculos mentis nostræ, ut sciamus, quæ sit spes vocationis nostræ, adhuc habere dicimur cor caliginosum? Quî demonstrabit, lucere in caliginoso loco, esse idem, quod à nobis intelligi? Certè lux illa vera, i.e. Christus lucebat in tenebris, neq; comprehendebatur à tenebris Joh. 1, 5. Sic quoq; scriptura sæpe lucet in loco tenebricoso, ubi non intelligitur. Petrus dicit, lucere in loco tenebroso; fugat igitur tenebras, & caliginẽ à mẽte nostra depellit, doctrinã illustrẽ & clarã proponẽdo, ut intelligamus veritatẽ, & intellectã amplectamur. Becanus intelligẽtiæ lumen nõ è scriptura, sed aliũde derivat lõgè discedens à S. Petro, q. scripturæ tribuit. Sicut lucernæ beneficio nõ tãtùm dirigimur, sed etiam ipsam lucernam videmus; nisi n. luceret, nõ videremus lucẽtem, nec possemus secũdùm eam dirigere nostrã viam.

XXV. Difficultatem, cui seipsum tergiversando objecit, videtur sensisse adversarius. Declinare enim conatur, dum jactat, de eo disputari posse, an *illi, ad quos scribebat Apostolus, intellexerint prophetias de Christo?* Non habet quidem argumenta necessaria, unde neget. Alioqui tanquam certum asseruisset. Ne tamen seipsum deserat, probabile esse pronunciat, non intellexisse. Non omnes omnia intellexisse, do facilè: Nullos intellexisse, quantum ad salutem consequendam erat necessarium, nec admitto, nec quidem probabile existimo. Causa illum movet triplex. Prima, *quia Apostolus vult illos attendere sermoni Prophetarum, id est scrutari sensum prophetiæ, non qui immediatè significetur per verba, sed qui intus lateat sub velamine occultatus.* Et consequentia & glossa falsa. *Consequentia quidem ista*: Cui attendere jubentur fideles, id non intelligunt. Quis hanc det Becano, imò quis non rideat? Paulus enim eodem verbo προσέχειν usus jubet Timotheum attendere lectioni scripturæ, 1. Timoth. 4, 13. Ergone non intelligebat scripturam Timotheus? At eam à puero nosse, testis Apostolus 2. Timoth. 3, 15. Prætereà lectioni exhortationem & doctrinam conjungit. Ubi nemo, spero, tam insulsus erit, qui dicat, Timotheum exhortationem suam & doctrinam, quam debebat proponere, non intellexisse. De ea enim loquitur Apostolus. Recordamur comparationis apostolicæ. An lucernæ non attendimus, postquàm eam vidimus, sed priusquàm videamus? An non jubemur attendere scripturæ jam intellectæ? quomodo igitur dirigat nos in viis nostris? Sic Moses ait, *adjicite animum vestrum ad omnia verba hæc*, Deut. 32, 54. in Græco est, προσέχετε τῇ καρδίᾳ ὑμῶν. Num ad verba incognita? imò cognita; audiverant enim, intelligebant, & debebãt pcipere filiis suis, ut servarent. At nec illi incognita pcipere, nec isti servare poterant. Et tamen jubẽtur attendere. E. ẽt cognito verbo attendimus, quò pertinet, q dicit Apostolus, *oportet nos eò magis attendere iis, q̃ audivimus, ne perfluamus*, Heb. 2, 1. Repugnat etiã hypothesi Sophistæ ppriæ. Dicit, *scripturã non dirigere, nisi intellectã*; ut a. dirigat, ei attendendũ esse, ñ negabit. Attendendũ igitur etiam jã intellectæ. Ex mandato igitur de attentiõe malè infert, eos ad quos Petrus scribit, sermonẽ propheticum non intellexisse.

XXVI. *Glossa* falsa est utrâque sui parte, i.e. negante & affirmante. *Illâ*; Dubium enim non est, quin Petrus exhortatus sit suos, ut legendo Prophetas confirmentur in hac fide, Messiam nostrum Christum verum Dei filium à virgine conceptum & natum, eo loco, quem prædixerat Propheta, dolum in eo non inventum, eum colaphis cæsum, flagellatum, vulneratum propter peccata nostra, non vidisse corruptionem, resurrexisse à mortuis, portasse nostra peccata, effudisse Spiritum. Nos autem omnes

fuisse, ut oves errantes. Disertè enim scripserat, *Prophetas venturam in illos gratiam prædixisse*, 1. Pet. 1, 10. *scrutantes in quem aut cujusmodi temporis articulum prænuncius ille, qui in ipsis erat, Spiritus Christi declararet eventuras in Christo perpessiones, & gloriam illas consecuturam*, v. 11. Guilliaudus in h. l. agnoscit; sic enim commentatur; *Petrus hîc pronunciat, se nihil prædicasse de Messia & Evangelio, quod antea per Prophetas non fuerit prænunciatum. Habemus sermonem firmiorem. Hoc quod prædicavimus de Christi divinitate, hoc & Prophetæ prænunciaverunt.* At ista omnia pertinent ad sensum literalem, quem verba Prophetarum immediatè exhibent. *Istâ*; ne enim nunc repetam, sensum scripturæ falsò dici, quem verba nullo modo significant, ne cogitando quidem assequi possumus, Petrum excitasse fideles ad scrutandum sensum in sermone Prophetico, quem ille nullo modo significet. Hæc enim esset mera illusio, quæ à spiritu apostolico prorsus est aliena. Imò asystatum est, sensum latere in sermone prophetico, quem is nullo significet modo. Si dicat, se jam loqui de sensu, qui non immediatè per verba significatur, quæro quid sibi velit? An quòd verba non propriè, sed impropriè significent? Corrigat igitur linguam. An quòd non verba, sed res per verba significatæ, sensum illum significent, sicut suprà de sensu mystico loqui hominem audivimus? Hoc si velit, ego primò remitto lectorem ad quæstionem præcedentem. Deinde dico, alienum esse. Petrus enim Propheticum sermonem in genere nominat. Non omnis sermo propheticus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est typicus. Petrus vult suos omni sermoni prophetico attendere, id est, attentè legere, audire, diligenter expendere, piè meditari. Sic attendebant turbæ concorditer ea quæ à Philippo dicebantur Act. 8,6.

XXVII. Secunda ratio: *Vult eos tamdiu scrutari, donec intelligant sensum. Donec*, inquit, *lucifer oriatur in cordibus vestris.* Tria hîc desidero: Primò quòd *attẽdere* nimis angustè reddit per *scrutari*, q̃ sunt distincta. Ait προσέχοντες, ἢ ἐρευνῶντες, quo verbo utitur, 1. Petr. 1,11. & similitudo repugnat: Non enim attendimus lucernæ lucenti in caliginoso loco, ut lucernæ splendorem scrutemur, sed deprehensæ luci attendimus, ut eâ dirigamur, quando & quoties opus est. Denique alloquitur eos, quos priùs testatus est, æquè pretiosam fidem cum Apostolis sortitos esse v. 1. Fidei participes fieri non poterant sine luce verâ. Habebant ergo jam lucem, idque tum ex præconio evangelico, v. 16, tum ex sermone prophetico, v. 19. quem Apostoli declarabant, ut homines ad fidem adducerent. Secundò falsum, quòd velit eos tamdiu attendere, donec intelligant sensum, quasi postea attendere, vel supervacaneum sit, vel non laudabile. Nec hoc dicit Apostolus, imò docet potiùs in summa, quamdiu peregrinamur in mundo, egere nos Prophetarum doctrina, tanquam lucerna directrice, quâ exstinctâ, nihil quàm in tenebris errare possimus. Suadet hunc sensum dicti mentio, quam callidè suppressit Becanus. *Donec*, inquit, *dies eluceſcat.* Quis dies ille? Quo facie ad faciem videbimus, quod nunc cernimus per speculum, & in ænigmate, cùm nullæ ignorantiæ nubes aut nebulæ liquidum Solis conspectum intercipient, impediéntve. Claudius Guilliaudus, *Mundus iste respectu futuri, tenebricosus & obscurus est carcer, in quo scripturæ divinæ ceu lucernæ quædam sunt, fideles ad ea quæ Dei sunt, & Christi illuminantes, donec alterius mundi dies ille eluceſcat, & lucifer alterius mundi Solis æterni prænuncius, oriatur in animabus nostris, quæ alterius seculi lumen ingressæ ad diem æternitatis properant.* Tertiò: Quo auctore Becanus interpretatur hæc verba, *donec lucifer oriatur in cordibus vestris*, i. e. *donec intelligatis sensum?* Glossa ordinaria reddit, *donec Christus ipse oriatur in cordibus vestris.* Lyra; *Lucifer i. e. divina claritas.* Cyrillus Alexandrinus l. 1. de Trinit. exponit illuminationem per Spiritum in Spiritu per Christum. Ego ad Christum refero, qui altero seculo in nobis erit omnia in omnibus. Ibi cessabit prophetia 1. Corinth. 13,8. Ibi perfectissimè implebitur quod dixit Propheta, *erunt omnes docti à Deo*, Jes. 54,13. Jerem. 31,34.

XXVIII. Tertia ratio: Addit, *non posse hoc illos assequi per propriam industriam, sed per inspirationem Spiritus Sancti.* Verissimum. Idque tam de docentibus, quàm discentibus. 2. Cor. 3,5. 4,6. Unde Fulgentius serm. de dispensator. Dominait; *Dominus ac redemptor noster omnibus tribuat universis donum sanctæ illuminationis ac virtutis infundat. Nobis donet, ut quod ab illo audimus, rectè intelligamus; & sicut oportet, faciamus; vobisq; faciendum, sermone sufficienti, & congruo prædicemus. Vobis quoque donet, ut quod ab illo per servos ejus*

ejus auditis, & corde intelligatis, & opere faciatis. Sed primò quid hoc ad rem? Quæ enim sequela, ii ad quos Petrus scribit, non poterant per propriam industriam assequi sensum sermonis prophetici, sed per inspirationem Spiritus Sancti, Ergo non intelligebant sermonem propheticum? Pari enim ratione concludas, Apostolos non intellexisse, qui tamen erant doctores mundo dati, & Prophetarum interpretes authentici. Nec enim illi per propriam industriam assequebantur sensum scripturæ, sed per inspirationem Spiritus Sancti. Testis Apostolus l. l. Imò concludas pari ratione, eos ad quos Petrus scribit, non intellexisse prædicationem Evangelii vivam, quia nihil ejus per propriam industriam assequi poterant, sed per inspirationem Spiritus Sancti. An non intellexerunt prædicationem Petri? Num placet? Ergóne tam obscurè prædicabat? Si displicet, perit sequela Becani.

XXIX. Deinde à dictis abit in diversum, dum addit, non esse necesse, ut singuli immediatè illuminentur à Deo, sed sufficere, ut Apostoli & doctores per illuminationem Spiritus Sancti cognoscant sensum scripturæ, & reliqui ab eis discant. Imò nemo potest venire ad me, nisi pater *qui misit me, traxerit eum. Est enim scriptum in Prophetis, & erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me*, inquit servator Johan. 6,44.45. Immediata illuminatio non quidem omnibus est necessaria; quæ est extraordinarium donum, quo Apostoli & alii quidam ornati fuerunt, prout Deo visum est. Neque omnes Apostoli, vel omnes doctores constituuntur, 1. Corinth. 12,29. sed perpetuus est ordo docentium & discentium in Ecclesia. Verùm vel ordinariis doctoribus communiter immediatâ illuminationem tribuere, vel illuminationem qualis eis obtingit, ad eos, exclusis auditoribus, restringere, nimis est alienum. Ordinarii quippe doctores ordinariè non minùs quàm auditores illuminantur mediatè, & auditoribus omnibus ad discendum, non minùs quàm doctoribus ad docendum opus est cœlesti lumine, ut credant evangelio per ministros prædicato, ut scrutentur scripturas Johan. 5,39. ut inquirant, num ita se habeant, quæ dicta sunt, Actor. 17. ut probent spiritus, an sint ex Deo, 1. Johan. 4,1. denique ut caveant sibi à Pseudo-prophetis Matth. 7,15. Cæcus assensus tam ab auditoribus, quàm doctoribus est alienus. Et ostendit Christus, reipsâ placere sibi, ut non tantùm Apostoli & doctores, sed etiam alii per illuminationem Spiritus Sancti cognoscant sensum scripturæ, nunquam alioqui dicturus promiscuæ multitudini, *scrutamini scripturas.* Id tenuit Petrus, sine quo si fuisset, nunquam fidelibus promiscuè propheticum sermonem commendaturus. Sic ergo teneamus; omnibus necessariam esse illuminationem spiritus, verùm nec immediatam, sive doctoribus ordinariis, sive auditoribus, nec mediatæ æqualem gradum omnibus necessarium, sed pro ratione vocationis. Item, non omnes pariter illuminari, omni tamen ordini in Ecclesia tantum conferri gratiæ, ut scripturas legere queat utiliter, & intelligere, quantum satis est ad salu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

salutem. De quo Fulgentius olim ferm: de dispensatoribus Domini dicebat, *dominicus sermo moderationis suæ tenet ubique temperiem, ut nec omnibus desint pabula, nec pastoribus alimenta.* Item: *In verbo Dei abundat, quòd perfectus comedat, abundat etiam, quod parvulus sugat. Ibi est enim simul & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia; & solidus cibus, quo robusta perfectorum juventus spiritalia sancta virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur universis, quos Dominus salvare dignatur; ibi est, quod omni ætati congruat: ibi, quod omni professioni conveniat.* Et Chrysostomus homil. 3. de Lazaro; *Fieri non potest, ut omnia ex æquo ignores: Propterea siquidem Spiritus gratia dispensavit illa temperavitq;, quo publicani, piscatores, tabernaculorumque opifices, pastores & Apostoli, idiotæ, illiterati, per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent ea quæ dicuntur, ut & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret.* Infrà: *Apostoli & Prophetæ omnia contrà fecerunt, manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, è sola lectione.*

XXX. Quartum: 2. Cor. 4, 3 4. *Quod si tectum est evangelium nostrum, iis, qui pereunt, tectum est: in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, id est infidelibus, ne irradiet eos lumen evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Hîc negat Apostolus, evangelium suum tectum esse, nisi infidelibus, quibus Satanas oculos excæcavit. Non igitur per se obscurum est; Ergo non obscurum fidelibus, quibus oculos Christus aperuit. At scriptura, seu ea doctrina, quæ in scriptura continetur, est evangelium Apostoli. Becanus primò excipit, *Apostolum nomine Evangelii non intelligere scripturam Novi Testamenti, sed prædicationem adventus, passionis & resurrectionis Christi, quæ ab ipso fiebat.* Assertioni nudæ credere non tenemur. Exspectabamus probationem. Nullam affert. Non probat, Apostolum de viva prædicatione solùm agere. Multo minùs probat, tantùm agere de prædicatione adventus, passionis & resurrectionis Christi. Certè Cornelius à Lapide, quamvis & ipse Jesuita, non ausus est eum in modum restringere, sed ad reliqua mysteria Evangelii cuivis obvia extendit. Contrà Apostolum intelligere doctrinam Evangelicam etiam scriptam, ego probo. Sermo Dei est doctrina Scripturæ; Unde sermo Prophetarum, pro scripturis propheticis accipitur. *Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur*, Johan. 12, 38. *ut adimpleretur sermo, qui in libro legis eorum scriptus est*, cap. 15, 25. At evangelium, de quo loquitur Paulus, est sermo Dei. Sic nominat v. 2. loqui autem versu secundo & tertio de eadem re, non est dubium; alioqui non quadraret responsum objectioni tacitæ. Sic Petrus cùm sermonem Propheticum nominat, scripturam intelligit, 2. Petr. 1, 21. Et quæso num aliud evangelium Apostoli prædicarunt, scripserunt aliud? Num aliud evangelium Papistæ hâbent extra scripturam, quod sit Pauli? Promant. Videbimus. Prophetia vetus dicta

dicta & scripta est una eademque, si credimus Apostolis. Ideo dixisse dicuntur, quod scripsisse, comperimus. Johannes ait: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Jesaias, Excæcavit oculos*, Johan. 12, 39. 40. At hoc scripsit Jesaias cap. 6, 9. unde Apostolus sic allegat, *sicut scriptum est*, Roman. 11, 8. Et Petrus dicit, *oportuisse impleri scripturam hanc, quam prædixerit Spiritus Sanctus per os Davidis*, Actor. 1, 16. Sic evangelium prædicatum scriptumq; est unum & idem. Quod viderunt & audiverunt Apostoli, id annunciant, idemq; scribunt, imò scribendo renunciât, 1. Joh. 1, 3. 4. 5. Unde idê Apostolus; *Fratres novam doctrinâ nõscribo vobis, sed doctrinam veterem, quam videlicet habuistis à principio. Vetus hæc doctrina, sermo ille est, quem audistis à principio.* 1. Joh. 2, 7. Paulus scribit; *Ecce porrò vobis declaro evangelium, quod evangelizavi vobis, quod & accepistis, in quo etiam statis.* 1. Corinth. 15, 1. Lucas causam ponit, cur ad scribendum se accinxerit, *ut agnoscas*, inquit, *earum rerum veritatem, quas auditione accepisti*, Luc. 1, 3. 4.

XXXI. De Matthæo, ex traditione, refert Chrysostomus homil. 1. in Matth. accessisse Judæos ad Christum conversos & rogasse, ut quæ verbis doceret, hæc eis in literis servanda dimitteret. Idque ab eo factum esse. De Marci Evangelio Athanasius in synopsi; *Evangelium secundùm Marcum, Romæ quidem ab Apostolo Petro prædicatum est, editum verò à Marco beato Apostolo, & ab ipso Alexandriæ postea & in Ægypto & in Pentapoli & in Libya prædicatum.* Ibidem scribit, Evangelium secundùm Lucam prædicatum esse ab Apostolo Paulo, conscriptum à Luca; Apostolorum acta prædicasse Apostolum Petrum; evangelium secundùm Johannem prædicatum esse à Johanne Apostolo. Sic illi in specie. In genere de omnibus scribit Irenæus l. 3. adversùs hæres. cap. 1. *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.*

XXXII. Porrò non dicit Apostolus, *Quod si tecta est nostra prædicatio*, sed dicit, *Quod si tectum est evangelium nostrum*, ne ad actum prædicandi restringas, sed ad doctrinam ipsam pertinere intelligas. Jam cogita, quæ laus fuisset, si dixisset Paulus, doctrinam quidem suam non esse obscuram, si prædicet vivâ voce, & tamen esset, si scriberet, aut etiam si dixisset, *mea prædicatio non est obscura*, & tamen obscura esset scriptio? Quam retulisset laudem ex manifestatione veritatis v. 2. si manifestasset eam prædicando, occultasset vel obscurasset scribendo? Multo pluribus enim inservitura erat scriptio, quàm prædicatio viva. Prædicatio exiguo tempore erat duratura, nempe usque ad mortem, at scriptura multis seculis. Si vis & illud adde, quòd scribit v. 6. *Quoniam Deus, qui dixit ut è tenebris lux splendesceret, is est qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lumen cognitionis in facie Jesu Christi.* Non enim puto, te dicturum, Deum splenduisse in cordibus Apostolorum ad prædicandum, non splenduisse ad scribendum. Si Deus splẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

duit ad ſcribendum,&ut illuminationem in alios effundant illius cognitionis, quâ manifeſtatur Dei gloria in facie Chriſti, ut Antonius Scaynus paraphraſticè reddit, ergo ſcriptura eorum erit perſpicua in iis, quæ ad fidem neceſſariò pertinent. Quæ omnia ne ſcripturæ eripias, & ad prædicationem, neglectis, quas attuli, rationibus, adſtringas, audi Chryſoſtomum, de ſcripto Johannis evangelio diſſerentem his verbis; *Idtantùm*, inquit, *Johannes adniſus eſt,& totis viribus contendit, ut univerſus orbis utilitatem & virtutem à terra in cœlum transferre diſceret. Idcirco nullâ caligine, nullis tenebris ſuam operuit doctrinam, ut illi (Philoſophi) ratione ſuâ, pravis opinionibus obſcuritatem tanquam velum quoddam indiderunt. Hujus autem doctrina Solis radiis clarior eſt, atque illuſtrior. Ideoq́, in omnes mortales propagata.* Paulò pòſt: *Neque numeris omnia contineri fabulatus eſt; ſed omni ejecto Satanæ faſtu, ocio, atque illuvie, tantâ doctrinam ſuam perfudit facilitate, ut non modò ſapientibus, ſed & mulierculis & adoleſcentulis, quicquid dixerit, ante oculos ponneret.* Nempe omnium ordinum & ætatum hominibus Johannes ſcripſerat, & haud dubiè ut inde fidem moresque formarent, & tum verorum, tum falſorum doctrinam probarent, 1.Joh.2,12. 13.4,3. Johan.20,31. Quomodo hunc finem obtineret, ſi tam obſcurè ſcripſiſſet, ut in neceſſariis ad ſalutem intelligi non poſſet citra externum ſupplementum? Eadem reliquorum Apoſtolorum ratio.

XXXIII. Secundò excipit, *ſenſum hunc eſſe Apoſtoli, fideles, auditâ Pauli prædicatione credere, infideles non credere.* Illum ſenſum non eſſe, textus ipſe oſtendit. Dixerat, ſe declaratione veritatis ſeipſos commendare apud omnem conſcientiam hominum, v.2. Hinc ſecundùm Græca ſcholia objectio tacita; Quòd ſi ita ſe res habet, unde igitur opertum eſt nonnullis evangelium & non manifeſtum? Illi reſpondet; ſi qui non intelligunt veritatem noſtræ doctrinæ, qui pereunt, non intelligunt. Sic Chryſoſtomus homil.8.in h.l. *Nos verò & vitam noſtram ante omnium oculos in medium ponimus, & doctrinam nudam facimus, ut omnes illam cognoſcant. Ultrà, quoniam incredulí illius virtutem ignorant, ſubdidit, quòd hoc non noſtrâ ſtat culpâ, ſed illorum ſtupore.* Non igitur Apoſtolus tantùm de fide & incredulitate, ſed intelligentia loquitur; de quo ne quis dubitet, lumen cognitionis diſertè nominat, v.6. Jam enim non urgebo, quòd fidei intelligentiam comprehendat; cùm nemo credat, quod ſimpliciter ignorat; quemadmodum Eunuchus credidit, cùm doctus à Philippo intellexiſſet veritatem. Me tacente, omnes pii inde agnoſcent, fidei malè opponi intelligentiam, & facilè repellent Becani concluſiunculam, quâ contendit, opertum eſſe infidelibus evangelium, nihil aliud eſſe, quàm infideles non velle credere evangelio. Aliud enim eſſe, verba textus declarant. Nempe, ſi quibus evangelium non ſit manifeſtum, & non intelligatur, non eſſe manifeſtum pereuntibus i. e. infidelibus, idque ipſorum culpâ, quippe quorum ſenſus ſic excæcet diabolus, ne illuſtrentur clareſcentis evangelii ſplendore, ſeu ne lumen cognitionis

tionis hauriant, quod præbetur ab Apolis per doctrinam evangelii. Uno verbo; infidelium cæcitatem nihil derogare ſui evangelii claritati. Contrà Becanus mutat ſubjectum & prædicatum Apoſtoli: *ſubjectum* quidem; pro evangelio enim, de quo Apoſtolus ex conceſſione ad objectionem opponentis prædicat τὸ κεκαλυμμένον, ille ſupponit infideles. *Prædicatum*; pro eo enim quod Apoſtolus dicit, *tectum eſſe*, ille ingerit, *nolle credere*, quæ diverſiſſima eſſe, quis non videt? Non nego, illos non credere, quibus tectum eſt evangelium: ſed nego, idem prorſus eſſe hęc duo, *tectum eſſe evangelium infidelibus, & infideles nolle credere.*

XXXIV. Jeſuita in ſubſidium vocat textum Apoſtoli 1.Cor.1,23. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum; Judæis quidem ſcandalum, Gętibus autem ſtultitiam.* Non juvat hominem. Illis enim verbis docet Apoſtolus, quòd prædicent, Chriſti cruce & morte vitam & ſalutem mundo eſſe partam, quod Judæis ſcandaloſum, Gentibus ſtultum videatur. Judæi enim offendebantur humilitate Chriſti, exiſtimantes, eum Meſſiam eſſe non poſſe, qui tam contemptus transegiſſet vitam, & in cruce factus eſſet maledictio. Gentibus verò nihil videbatur abſurdius, quàm in maledictione benedictionem, in morte vitam quærere. Quid hinc pro ſe concludit Becanus? Ait, *prædicatio Pauli erat clara, nec tamen omnes Judæi, nec omnes Gentiles volebant credere; Ergo non valet conſequentia, Fideles credunt, Chriſtum crucifixum eſſe, infideles non credunt, Ergo ſcriptura fidelibus clara, infidelibus obſcura.* Prius verum, ſed non ad rem. Cujus verò eſt iſta conſequentia, quam non valere dicit? Certè non Catholicorum, contra quos diſputat Becanus: Niſi ullum nominare poſſit, illam qui unquam fecerit ſuam. Non poteſt. Sic ludunt Sophiſtæ. Noſtra argumenta premunt, & de ſuo fingunt pro lubitu, quæ fortiter deinceps impugnent. Sed ne fruſtrà finxerit, hoc illi, vel potiùs ſociis damus negotii, ut probent, æquipollere hæc duo, *opertum eſſe evangelium infidelibus, & infideles nolle credere.* Quod probabunt, ſi oppoſitorum æquipollentiam probaverint, horum videlicet, *evangelium eſſe apertum fidelibus, & fideles velle credere.* De hoc igitur cogitent ſedulò, & probent, ſi poſſunt, hæc duo poſteriora idem valere Apoſtolo. Si fecerint, de altera æquipollentia non contendemus.

XXXV. Cæterùm quòd adverſarius infert, *fieri, ut aliqui fideles, qui credunt in Chriſtum, non intelligant ſcripturam, & fateantur, ſibi difficilem & obſcuram eſſe, & viciſſim aliqui infideles intelligant quidem evangelium, ſed non credant, vera eſſe, quæ in eo ſcribuntur*, id primùm eſt ἀπροσδιόνυσον. Deinde concedo, aliquos fideles non intelligere totam ſcripturam ἀνὰ μέρος, imò omnibus nonnulla eſſe difficilia & obſcura, neminem in hac mortalitate perfectè cognoſcere: Cognoſcimus enim ex parte 1.Corinth.13,9. Sed nego, fidelibus totam ſcripturam tam eſſe obſcuram, etiam in iis, quæ ad fidem neceſſariò pertinent, ut inde non poſſint certò & plenè Dei voluntatem cognoſcere de rebus ad religionem pertinentibus, & vel amplectendis, vel re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pellendis, cùm eo quo decet modo & reverentia ad ejus lectionem accedunt. Nego item, fideles quicquam credere, quod nullo modo cognoscant, etiam quoad τὸ ὅτι. *Quomodo enim credent, de quo non audierint?* Roman.10,24. Infideles quidem intelligunt nonnulla in scriptura luce naturali collustrati, at non citra illuminationem Spiritus Sancti certâ mentis πληροφορίᾳ & assensu ea comprehendunt, dijudicant, vel salutariter sibi applicant. Sed si demus, infideles aliquos, licet non credant, tam bene tamen intelligere scripturam, quàm Jesuitæ fabulas Æsopi, de quarum intellectu gloriantur, quid tandem inde concludet Becanus, quod ad rem faciat?

XXXVI. Quid multis? Quoties Papistæ scripturæ perspicuitatem negant, toties scripturam arguunt mendacii. Illa enim de claritate sua testatur. Imò spiritum Dei arguunt mendacii; is enim scripturam appellavit lucernam. Quomodo sit lucerna, si tam obscura, ut à Christianis, sine externo supplemento, intelligi nequeat in rebus ad salutem pertinentibus, & in alteram partem necessariò amplectendis vel repudiandis? Num Deus tam lucidam reddere non potuit? Ita negares omnipotentiam. Si potuit, an fortè noluit? Ita in bonitatem & sapientiam Dei incurres. Cùm enim jubeat scripturam scrutari, eique attendere, Johan.5,39. 2.Pet 1,19. & ad doctrinam nostram scribi voluerit, quæcunq; scripta sunt, Roman.15,4. quomodo omnisapiens & summè bonus non voluerit tantum luminis ei inserere, quod ad suam voluntatem de rebus ad fidem pertinentibus ex ipsa sola, sine externo traditionum non scriptarum supplemento, cognoscendam sufficiat? An fortè scriptores Prophetæ & Apostoli vel non potuerunt tam clarè scribere, vel operâ datâ obscuriùs scripserunt, quàm Deus voluit, & involverunt lumen tenebris, ut plenè cognoscere non possint Christiani voluntatem Dei, nisi externum traditionum accedat supplementum? Utrumq; nimis alienum. Non enim tam ipsi locuti sunt, quàm per ipsos Spiritus Dei Matth. 10,20. Acti à Spiritu Dei tam scripserunt quàm dixerunt, quicquid scripserunt. Hoc sine in illorum cordibus splenduit Deus, ut præberent lumen cognitionis in facie Jesu Christi, 2.Corinth.4,6. Denique tam cupidi fuerunt nostræ salutis, ut doctrinam vivâ voce traditam scriptamque sanguine confirmaverint suo & non voluissent perspicuè voluntatem Dei proponere, in rebus ad fidem & mores necessariò pertinentibus? Facessat commentum. Sancti viri accuratiorem muneris demandati rationem habuerunt. Erant lux mundi Matth.5,14. Non erant hujus mundi sapientes, qui ex obscuritate laudem quærunt, teste Chrysostomo,

sed servi Jesu Christi, non seipsos,
sed Christum prædicantes
2.Cor.4,5.

****
*****
*

Qu Æ-

Quæstio Quinta.

Quæ sit causa obscuritatis scripturæ?

Sect. I.

Consideratur obscuritatis argumentum primum, & secundum.

I. IN hac quæstione Becanus duo tractat, primùm proponit causas obscuritatis scripturæ, deinde inquirit, cur Deus, scripturam obscuram esse, voluerit. Utrumque excutiemus, quàm fieri potest brevissimè. Causas obscuritatis conquirit studiosè, ut totidem emergant antea jactatæ obscuritatis argumenta nova. Suprà enim tentabat eam probare testimõio Petri & exemplis, sed defecit. Illum defectum vellet hîc supplere. Habetis consilium, quod etiam placuisse sociis apparet. Videte Bellarminum. Is causas obscuritatis, tanquam rationem pro obscuritate, proponit in medium, cujus vestigia si legisset Becanus, consilium fuisset lectori apertius. Verùm nec sic latere potest, quamvis ille callidè peculiarem quæstionem hac super re introducat.

II. Duas potissimùm causas obscuritatis notat, unam ex parte *rerum*, alteram ex parte *modi*, quo tractantur. Nempe sic premit vestigia sui Bellarmini. Is enim prior hinc arguerat. *Res*, quæ tractantur, sunt ferè quadruplices; historiæ, prophetiæ, mysteria fidei, præcepta moralia. Jesuita concedit, nec in historiis, nec in præceptis moralibus fortè magnam esse obscuritatem ex parte rerum. Confessionem accipimus, & magnam partem scripturæ perspicuam esse, inde obtinemus. At summam esse dicit in prophetiis & mysteriis fidei obscuritatem, quia superant humanum captum, & non percipiuntur à nobis nisi in ænigmate. Argumentum in forma erit tale; *Quæ scriptura tradit prophetias & mysteria obscurissima, & quæ superant captum humanum, ac non nisi in ænigmate intelliguntur, ea est obscurissima. At scriptura sacra tradit prophetias & mysteria obscurissima, quæ superant captum humanum, & percipiuntur à nobis non nisi in ænigmate. Ergo sacra scriptura est obscurissima.* R. Minorem concedo citra ullam probationem. At justè rectèque nego majorem. Potest enim de rebus obscurissimis perspicuè scribi, de sublimibus demissè, de difficilibus facilè, de occultis apertè. Probo exemplis, & quidem non aliis, quàm quæ partim Becanus, partim socii allegant. In summis mysteriis numeratur incarnatio etiam ab Apostolo. 1.Timoth.3,16. at verò sunt multi de ea text⁹ ipso sole clariores. In mysteriis numeratur justificatio & carnis resurrectio. Quid clarius desideres, quàm quod de illa in epistola ad Romanos, de ista 1.Corinth.15. scripsit Apostolus? Si placet, accedemus propiùs, & ab ipsis adversariis obtinebimus argumentum. Fateri palàm solent, ea saltem capita, quæ sunt Symbolo Apostolico comprehensa, esse facilia. Quod nos interpretamur non de rerum *natura* in se, sed de *modo* tradendi. Mysteria enim in se sunt abscondita ab omni humana ratio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne, ejusque captum longissimè excedunt: At modus tradendi tam facilis & perspicuus adhibitus est, ut ex sola scriptura facilè constet, quid de illis sit tenendum. Jam in his Symboli capitibus sunt omnia fermè mysteria, quæ in obscuris hîc censent Sophistæ. Est Trinitas, est incarnatio, justificatio, resurrectio carnis. Aut igitur non ex animo profitentur Papistæ, articulos Symboli apostolici tam perspicuos esse, ut etiam laici, quantum ad salutem est necessum, eos intelligere queant, aut Becanus hîc scripturæ obscuritati, qualē ipse cum sociis defendit, fruſtrà obtendit rerum altitudinem.

III. Præterea circa mysteria distinguendum est diligenter inter τὸ ὅτι, & τὸ διότι. Illud satis perspicuè scriptura declarat; hoc si non declarat, nec necessarium est hîc scitu ad salutem. V.g. Unum esse Deum, tres esse personas, filium Dei esse conceptum à Spiritu Sancto, natum ex Maria virgine, passum &c. clarè lego in scriptura, & eo modestè contentus non inquiro curiosiùs in modum & rationem. Modum rerum qui vult scrutari curiosiùs, & quærit rationem, ille non habet, cur scripturæ obscuritatem traducat, sed unde suam damnet temeritatem. Intelligentia enim fidei non petit sibi exhiberi rationum demonstrationes, sed pro omni demonstratione solum quærit divinum testimonium.

IV. De prophetiis addo. Etsi multæ sunt obscuræ, quædam tamen mox ab initio sunt mediocriter claræ; Quò pertinet prædictio captivitatis babylonicæ, excidii Hierosolymæ, interitus mundi, & extremi judicii. Eódem rectè videor referre eam, quæ est de loco nativitatis Messiæ Mich. 5, 2. de conceptione Jesa. 7. de ingressu in urbem Zachar. 9. de passione & resurrectione Jesa. 53. de effusione Spiritus Sancti Jes. 44. Joël. 2. Sed magna harum veterum de Christo prophetiarū olim fuerit obscuritas; lux Novi Testamenti penitus eam sustulit. Aliæ tempore editionis sunt valdè obscuræ, sic tamen ut eventu fiant manifestæ. Quò pertinent multæ prophetiæ veteris testamenti, quibus lucem intulit complementum tantam, ut ad earum notitiam planam vix quicquam desideres ampliùs. Nomino prophetiam Jesaiæ de futuro regno Messiæ umbris involutam. Ita quoque prædictio Jesaiæ de Cyro obscura primùm, at tempore Danielis facta est clara ab ipso eventu. Supersunt aliquæ adhuc aliquanto obscuriores, sed paucæ, sine quarum notitia omnia sciri possunt ad salutē scitu necessaria, seu ad fidem necessariò pertinentia. Propter illas autem totum scripturæ corpus velle appellare obscurum, id nimis esset alienum; à potiori enim non autem à minima parte debet fieri denominatio. Etsi rigidissimè urgeant Sophistæ, nil tamen aliud hinc possunt inferre, quàm scripturæ aliquam particulam esse obscuram; id quod à nobis agnoscitur, & jam pridem extra controversiæ aleam fuit collocatum.

V. Locus Apostoli 1. Corinth 13, 14. quem Jesuita in subsidium vocat, minimè eum juvat. Quæ enim sequela, *Prophetiæ & mysteria fidei hîc non percipiuntur à nobis, nisi per speculum & in ænigmate, ergo scriptura tam obscura est, ut ex ea sola non possit certa Dei voluntas, sine externo supplemento, cognosci de omnibus ad salutem pertinentibus, & in alteram partem necessariò vel amplectendis, vel repudiandis?* Quæ, inquam, sequela? Prorsus nulla. Nam primò Apostolus cognitionem hujus vitæ non absolutè nominat visionem per speculum & in ænigmate, sed respectu visionis immediatæ sine verbo, quæ est alterius vitæ. Sicut autem non sequitur, obscuriùs video imaginem rei in speculo, quàm cùm intueor, qualis est in seipsa, ergo speculum est obscurum. (Etiam in nitidissimo speculo obscuriùs video faciem adstantis proximi, quàm cùm directè, citra speculum, ipsum intueor.) Ita non sequitur; non tam clara est cognitio Dei & rerum divinarum hîc per scripturam, quàm futura est in cœlo, ubi videbimus de facie ad faciem, Ergo scriptura est obscura. Secundò. Apostolus cum speculo & ænigmate confert non partem ministerii, sed totum ministerium verbi, non unum cognitionis organum, sed omnia. Non restringit ad scripturam. Aut igitur totum verbi ministerium, adeoque verbum tam prædicatum vivâ voce, quàm scriptum, tam erit obscurum, ut ex eo non possit, citra externum supplemētum, certa Dei voluntas in rebus ad salutem pertinentibus cognosci, aut scripturæ obscuritas ex phrasi Apostoli non solidè concluditur. Num tam obscurum fuit Apostolorum præconium? an fortè quæ illi prædicabant, fideles non cernebant per speculum & in ænigmate? Tertiò. Apostolus cognitionem per speculum & in ænigmate omnibus viatoribus communem facit, nec quidem excipit se ipsum & alios Apostolos. Non enim ait, *Vos nunc cernitis*, sed, *nos nunc cernimus per speculum & in ænigmate*. Confer 2. Cor. 3, 18. Ergone etiam Apostolo, cùm hæc scriberet, tam obscura erat scriptura? Num Apostolo Johanni, qui plenum vidit totius Scripturæ canonem? Si non fuit, iterum patet error sequelæ. Non fuisse, certum. Apostoli enim sic gloriam Domini, tanquam in speculo, intuiti sunt, ut Dominus in ipsis splenderet ad præbendum lumen cognitionis in facie Jesu Christi, 2. Cor. 4, 6. Quartò. Papistæ fatentur, quædam mysteria fidei in scriptura clarissimè proponi. An illa non videmus per speculum & in ænigmate? qui negare vellet, contradiceret Apostolo in faciem. Si ais, jam visio per speculum & in ænigmate non est solidum argumentum obscuræ scripturę, ut quidem Papistæ accipiunt obscuritatem. Quintò. Concilia de rebus fidei ediderunt canones & confessiones; Patres plurima de religione scripserunt; Hodie de Deo & rebus divinis vivâ voce per orbem totum plurima docentur; Ipsi Papistæ multa Pontificum suorum decreta commendant: Nonne illa omnia ad visionem per speculum & in ænigmate pertinent? Aut igitur omnia obscuriora, quàm quæ, sine externo supplemento, intelligi possint in rebus ad salutem pertinentibus, aut textus Apostolicus ad obscuritatem scripturæ Papisticam concludendam pessimo exemplo, auctore invito, torquetur. Eligat, utrum volet, papista.

VI. Progreditur ad tractandi modum, ut inde obscuritatis argumenta colligat. Sequemur. Colligit argumenta decem. Singula expendemus, & quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo quo posuit ordine. Primum. *In scriptura*, inquit, *multæ sunt locutiones figuratæ, & quandoque unum idémque vocabulum nunc propriè, nunc figuratè accipitur, in eadem sententia, ut Ioh. 4,13. & 35. cap. 9,39. item 2. Corinth. 5,21.* Argumentum in forma sic erit. *In qua scriptura multæ sunt locutiones figuratæ, i.e. tropi, schemata, hyperbolæ, metaphoræ, allegoriæ, parabolæ, & quandoque idem vocabulum nunc propriè, nunc figuratè accipitur in eadem sententia, illa est obscura. At in scriptura sacra sunt multæ locutiones figuratæ &c. & quandoque idem vocabulum nunc propriè nunc figuratè accipitur in eadem sententia.* R. Majorem nego, quamvis suppressam à Becano, premebat enim, quia infirmior, quàm quæ sustineret lucem veritatis. Negationis ratio multiplex. Primùm quia non omnes figuratæ locutiones rem obscurant, imò quædam illustrant. Deinde licet quibusdam locis obscuriores figuræ occurrant, alibi tamen clariùs res proponitur. Tertiò multæ non sunt omnibus scitu necessariæ, nec necessariò ad fidem pertinent. Quartò. Pauci sunt loci, in quibus idem vocabulum propriè & figuratè in eadem sententia accipitur. In citatis textibus nulla est difficultas. Nam Christum Johan. 4. v. 13. de aqua corporali, quam mulier Samaritana hauriebat, at de aqua spirituali v. 14. loqui, patet ex ipso textu clarissimè. Illud quidem ex cohærentia versus decimi tertii cum præcedente versu duodecimo; istud ex versu decimo quarto. Non enim in aquam corporalem competunt, quæ aquæ illi tribuit Christus, nempe quòd eam bibens non sitiat ampliùs, & quòd aqua fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Jam olim perspicuitatis testis fuit Chrysostomus homil. 31. in Joh. *Audivit*, inquiens, *aquam vivam mulier, sed primùm non intellexit. Nam cùm aqua viva sit, etiam quæ semper scaturit, hujusmodi aquam Christum dixisse arbitrata est. Ideo apertiùs ex utriusque comparatione Jesus suæ aquæ præstantiam declarat, qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Hinc maximè ex sequentibus excellentia dignoscitur, horum enim nihil habet aqua, quam sensu deprehendimus.*

VII. Non major difficultas est versu trigesimo quarto. Nam priore parte notari messem propriè dictam, ab ipsa temporis mentione clarescit; posteriore, spiritualem messem notari, nimis est manifestum, tum quòd temporis ratio doceret, & res ipsa ostenderet, regiones nondum esse albas ad messem corporalem, tum quòd memoraret fructum cogendum in vitam æternam. v. 36. tum quòd gaudere diceret & eum qui seminat & eum qui metit, quod novum quiddam & præter opinionem & sensibus adhærens, at in spiritualibus egregium, inquit Chrysostomus hom. 33. in h.l. tum denique quòd diceret Christus, se discipulos mittere ad metendum, in quo non ipsi laboraverant v. 37. illis enim verbis Prophetarum doctrinam sationi, evangelicam verò messi apertè comparat, idq; illis non erat insolens. In missione enim septuaginta duorum discipulorum, de messis magnitudine & operariorum paucitate monuerat Matth. 9,37. Luc. 10,2.

VIII. Porrò Johan. c. 9,39. difficultatem

tatem Sophista fingit in re plana. Ibi enim non de visu corporali & spirituali, sed spirituali tantùm agitur. Docet enim Christus, se venisse, ut qui non vident, i.e. qui se non videre putant, & quærunt ut videant, per ipsum accipiant lumen ad videndum; contrà qui vident, i. e. qui se videre somniant, justo Dei judicio excæcentur. Sic glossa ordinaria, sic interlinearis, sic Nicolaus Lyra, sic ante omnes Augustinus Tract. 44. in Joh. *Quid est, qui non vident, videant? Qui se non videre confitentur, & medicum quærunt, ut videant.* Is sensus probatur tum versu præcedente, ubi is, qui antea incredulus fuerat, credidisse dicitur, tum versu 41. Et sanè vel ipsâ conscientiâ convicti de hoc sensu Pharisæi regesserunt, num & ipsi cæci habeantur v. 40. ut rectè Chrysostomus Homil. 58. in Joh. verba Christi conferat cum sententia apostolica Rom. 10,20.21.

IX. Denique 2. Corinth. 5,21. peccatum primùm propriè, deinde figuratè accipi, tam obscurum non est, ut ab externo supplemento sit discernendum. quòd enim priori loco peccatum *propriè* accipiatur, nemo unquam dubitavit, & manifestè patet à collatione versus decimi, itemque Jesaiæ 53,9. & 1. Pet. 2,22. Posteriori loco non propriè sed *improprièe* & quidem pro eo, cui peccata nostra imputantur, accipi, tũ res ipsa, tum forma loquendi, tum textuum collatio declarat. *Res ipsa*; peccatum est privatio & defectus; Christum non factum esse privationẽ ex substantia, sed mansisse verũ hominem, tota historia Evangelica sonorè clamat. *Forma loquendi*; Nam primò non nudè dicitur *peccatum*, sed, *factus pro nobis peccatum*, id est, reputatus pro nobis peccator, nostris peccatis ei imputatis. Secundò, Deus dicitur eum fecisse peccatum: At à natura Dei boni & sancti prorsus alienum est, quenquam, nedum suum filium facere propriè peccatum. Tertiò. Non nudè dicitur fecisse, sed *pro nobis fecisse peccatum*. At nullo nostro bono Deus fecisset eum propriè in se peccatum. Nos enim eâ ratione liberare non potuisset; nos non essemus facti justitia Dei in eo. Quartò. Non tantùm antea peccatum non noverat, sed etiam postquàm pro nobis factus esset peccatum, ipse sacerdos sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7, 26. *Textuum collatio*; Jesaias dicit, *Atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei* cap. 53. v. 6. *Jehova facit, ut incurrat in eum iniquitas omnium nostrûm* v. 6. Johannes dicit, *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi* Johan. 1, 29. Petrus dicit, *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum* 1. Petr. 2,24. Paulus dicit, *Christus redemit nos ab execratione legis, dum factus est pro nobis execratio* Gal. 3,13. Hinc perspicuè satis patet, quòd Deus Christum fecerit peccatum, non propriè, sed imputando ei nostra peccata. Huc pertinet Chrysostomi expositio scribentis, *Eum, qui nescivit peccatum, & existentem ipsammet justitiam, peccatum fecit, hoc est, quasi peccatorem damnari permisit & quasi maledictum mori.* Etsi verò peccatum cum Becano & aliis hostiam pro peccato interpreteris, nõ tamẽ erit cur inde obscuritatem scripturæ crimineris. Non enim difficulter

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligitur, cùm peccatum victimam pro peccato in scriptura notet frequentissimè. Exod. 29, 14. cap. 30, 10. Deut. 9, 21. Psalm. 40. 1. Thren. 3, 39. cap. 5, 7. Ezechiel. 45, 19. Hos. 4, 8. Ut concludam, à dictis constat, nec Augustinum, quem citat Becanus, nobis esse infensum l. 2. de consensu Evang. c. 30. nec illum obtinere scripturæ obscuritatem. Augustinus enim isto loco eum, qui putat, non potuisse Dominum in uno sermone quædam figuratè, quædam propriè ponere eloquia, ad scripturæ textus inspiciendos ablegat, ut videat, quàm hoc temerè atque inerudite arbitretur; planè ex nostro sensu.

X. Secundum argumentum; *occurrunt etiam figuræ in rebus ipsis, nam una res sæpè est figura, vel typus alterius rei, per illam significatæ.* Occurrunt alicubi, fateor, sed nego, inde justè accusari scripturã obscuritatis prætensæ. Exempla cape. Agnus paschalis erat figura Christi; mare rubrum, baptismi; Manna, panis de cœlo descendentis; Mons Zion, Ecclesiæ. Num ideo scriptura tam obscura, ut ex ea Dei voluntas de omnibus ad salutem necessariò pertinentibus, non possit certò, plenè, perspicuéque cognosci? At ista omnia in scriptura sunt clarè nobis exposita. Primum, 1. Corinth. 5. secundum, 1. Corinth. 10, 1. 6. tertium, Joh. 6. quartum, Heb. 12. Si dicas, eam expositionem demum afferre novam scripturã, frustrà eris. Quæstio enim nostra de toto scripturæ corpore ὅλως non ἐκ τῦ μέρους considerato.

XI. Becanus ad antecedens inductionem triplicis obscuritatis comprobandum securè convertitur. Atqui primùm de consequentia cogitandum fuerat. Frustrà quippe labor impenditur assumto, cùm propositio major laborat. Interim donec firmiora proferantur, videamus triplicem obscuritatem, quam jactat. Prima inde ducitur, *quia non statim constat, quæ res cujus rei figura sit.* v. g. *non constaret, Agar ancillam Abrahæ fuisse figuram synagogæ; nisi Apostolus ex peculiari instinctu Spiritus Sancti id explicâsset*, Galat. 4, 24. *Similiter non constaret, virgam vigilantem, quam vidit Jeremias, significasse celerem executionem divinæ sententiæ contra judæos, & gentiles*, Jerem. 1, 11. *Et ollam succensam fuisse typum adventus Nabuchodonosoris*, Jerem. 1, 13. *Et per Jeremiam prohibitum ducere uxorem, præfiguratam fuisse imminentem judææ vastitatem*, Jerem. 16, 2. *Et per calicem furoris Domini, potentiam & furorem regis Babyloniæ*, Jerem. 25, 15. *Et per lumbare computrescens, interitum populi in captivitate*, Jerem. 13, 3. *Et per lagunculam implendam vino, habitatores Ierusalem inebriandos vino furoris Domini, Jerem.* 13, 12. *Et per duos calathos ficuum optimarum & pessimarum, duo genera hominum: quorum alii felices erant, qui transmigrabant cum rege; alii miseri, qui remanebant Ierosolymis*, Jerem. 24, 2. *Et per lutum in manu figuli, populum judæorum in manu Dei*, Jer. 18, 6. *Et per catenas & vincula Jeremiæ, captivitatem variarum gentium*, Jerem. 27, 2. *Et per confractionem lagunculæ testeæ, confractionem populi & civitatis Ierusalem*, Jerem. 19, 10. *Et per quatuor bestias, quatuor regna seu imperia*, Dan. 7, 3. *Et per Arietem, regem Medorum*

dorum ac Persarum. Per Hircum, regem Græcorum, Dan. 8, 20. *Hæc, inquam, & similia non constarent, nisi sigillatim à Deo essent explicata. Et postquam explicata sunt, vix adhuc intelliguntur sine interprete.*

XII. R. Primò. Esto. Non constet statim, quæ res cujus figura sit. quid tum? Sine eo enim intelligi possunt omnia ad salutem necessaria, seu ad religionem pertinentia, & vel amplectenda, vel repellenda necessariò. Secundò. Omnes Christianos intelligere illas figuras, quas Spiritus Sanctus non explicavit, non est simpliciter necessarium. Possumus omnes citra periculum salutis & omne damnum supersedere accommodationibus, in quibus Spiritus Sanctus non præivit. Ita nisi Paulus Agar & Saram accommodasset suo instituto, nos poteramus negligere. Tertiò. Quod sub rerum figuris alicubi dictum, id alibi quoad rem ipsam, quantum opus est, clarè satis dicitur. Meminimus, Augustinum dicere, *Nihil ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum reperiatur alibi, l. 2. de doctr. Christ. c. 6.* Quartò. Unde roboratur hæc propositio? *quæ scriptura figuras rerum memorat, obscura est.* Sint istæ obscuræ, memorari tamen possunt perspicuè. Scriptura ideo obscura non est. Ut res à modo tradendi differt, sic rei obscuritas cum obscuritate modi tradendi non cohæret necessariò. Quintò. Figuræ, quas in obscuritatis patrocinium Jesuita collegit, non sunt unius notæ; pleræque sunt visiones prophetis oblatæ; una est historia à Mose descripta. Explicatæ autem sunt in scriptura ad unam omnes à Sancto Spiritu, ipso fatente adversario. Et quidem unâ exceptâ, quæ sumitur è Genesi, & exponitur à Paulo, omnes eodem loco, quo proponuntur. Ut omnes intelligant, quàm iniquè ad probandam sacri canonis obscuritatem huc afferantur. Vidit Jeremias virgam vigilantem; sed & celerem exsecutionem divinæ sententiæ eâ significari, audivit, Jerem. cap. 1, 11. Videt ollam succensam, cujus facies erat versùs Aquilonem; audit malum ab Aquilone erupturum, v. 13. videt poculum excandescentiæ v. 15. audit designari vastitatem & desolationem, cui sint tradendi omnes populi v. 18. Cingulum abscondit, & corruptum effodit, cap. 13, 5. 7. mox audit, sic corruptum iri fastum judæorum, cap. 9. Audit & dicit populo, utrem esse implendum vino cap. 13. v. 12. Explicat de vehementissimis calamitatibus, quibus implendi sint omnes v. 13. 14. vidit duos calathos ficuum, cap. 24, 1. Uno deportatos, altero Zidekiam cum suis notari, cognoscit, v. 5, 8. jussus spectare vas figuli, cap. 18, 3. 4. populum eo repræsentari, discit v. 6. Lagenâ figuli testaceâ cap. 19, 3. populi vastationem designari, clarissimum est à toto illo capite. Induit vincula & lora collo suo jussus cap. 27, 2. quo captivitatem gentium multarum significari, ostendit v. 3. & seqq. Quatuor animalia de quatuor imperiis exponit Daniel. cap. 7, 3. Arietem Regem Medorum ac Persarum, hirco, Regem Græcorum præmonstrari, auctor est Deus, Dan. 8, 10. Sed non constet, his rebus ista significari, quid decederet scripturæ claritati? Nónne satis perspicua est istarum rerum narratio? *Si Deus nil*

Universidad de Deusto
Biblioteca

addidiſſet de calamitatibus imminentibus populo, an obſcurum erat interdictum matrimonii contrahendi & ſobolis generandæ iſto loco? Dices, *at figuras prophetæ non intelligebant*. Agnoſco non intellexiſſe, priusquàm Deus explicaret. Hoc quid ad ſcripturam? Figuras enim non legebant prophetæ in ſcriptura, ſed videbant divinitus ſibi oblatas in Spiritu. Unde rectè concludit Becanus, viſiones obſcuras & intellectu difficiles, citra divinam interpretationem. Non rectè concludit, ſcripturam eſſe obſcuram, in qua viſiones illæ memorantur cum explicatione.

XIII. Altera obſcuritas dicitur, quòd *una res aliquando ſit figura rerum diverſarum etiam repugnantium*. Primò nego conſequentiam, hanc nempe, in qua ſcriptura *una res diverſarum rerum etiam repugnantium eſt figura, ea eſt obſcura ὅλως conſiderata*. Deinde diſtinguo Spiritus Sancti intentionem & interpretationem ab hominum applicatione. Homines etiam pii variè poſſunt rem applicare; quid illud ad ſenſum ſcripturæ à Spiritu Sancto intentum? Vel ſic; Eam ſignificationem vel expoſuit Spiritus Sanctus in Scriptura, vel non expoſuit. Si *illud*; nulla obſcuritas; Exſtat enim expoſitio. Sin *hoc*, alienum eſt; ad ſenſum enim ſcripturæ non pertinet; id quod oſtendent exempla Jeſuitæ. *Jonas*, inquit, *ejectus in mare typus fuit Chriſti*, Matth. 12,40. *dolens de pœnitentia Ninevitarum*, Jon. 4,1. *judæorum typus dolentium de vocatione Gentium*. Prius verum & clarum. Chriſtus enim expoſuit in ſcriptura. Poſterius non dicit ſcriptura. Reclamas? oſtẽde igitur, ubi dicatur doluiſſe de pœnitentia Ninevitarũ. Si diceres, doluiſſe, quòd Deus pepercisſet civitati, magis ad rem diceres; Textus enim huc ducit cap. 4. v. 1. & Dei ſermo v. 11. itemque ortus interitusque ricini ac inde ducta comparatio v. 5. & ſeqq. E papiſtis Lyra ſcribit, *afflictus eſt Jonas, quia vidit adhuc civitatem ſtantem poſt terminum quadraginta dierum; & ſic timuit diffamari & vilipendi, ſicut falſus propheta: quoderat ſibi afflictio maxima, in tantum quòd magis volebat mori, quàm vivere in ſtatu tali*. Diu antè ex patribus Theodoretus com. in h. l. *Hanc Dei humanitatem propheta ſpeculatus triſtatur, & ſolicitatur de prædictione ſua quaſi condemnata & falſa apparenti*. At Auguſtinus ſic explicat ep. 49. q. 6 Non ſic explicat: produco verba; *Hanc*, inquit, *ſalutem pœnitentiæ gentium tantò antè præfiguratam in Jona, dolebat Iſraël, ſicut nunc dolet umbrâ nudatus & æſtu ſauciatus*. Audin', Jonam non doluiſſe de pœnitentia Ninevitarum, ſed umbra nudatum & æſtu ſauciatum, ex mente Auguſtini. Sed Iſraël doluit converſionem gentium præfiguratam in Jona, non ipſius perſonâ, ſed Ninevitis, quorum converſionem deſcribit Jonas. Nota fidem Jeſuitæ in citandis patribus. Adde Hieronymum, qui com. in h. l. ait, *Non igitur contriſtatur, ut quidam putant, quòd Gentium multitudo ſalvetur, ſed quòd pereat Iſraël*. Similiter gloſſa ordinaria.

XIV. Jeſuita diluvium & petram nominat. Diluvium fuiſſe typum baptiſmi, habemus ex Petro 1. epiſt. 3,20.21. Idem eſſe exemplum & argumentum, quo confirmamur, impios non impunè abituros eſſe, didicimus ex eodem Apoſtolo 2. epiſt. 2. idque perſuè ſatis. Sic accipiendum eſt, quod dicit Auguſtinus ep. 99. ad Evodium, Diluvium ſignificaſſe fidelibus baptiſmum, infidelibus pœnã. Unde neque duplex ſcripturæ ſenſus oritur, ſed diverſa uniùs ſenſus literalis accommodatio, neque ulla obſcuritas. Imò diluvium eſſe argumentum interitus impiorum, tam clarum eſt, ut nihil dici poſſit clarius. Exemplum Petræ alienum eſt. Arguit enim Jeſuita à rebus, quæ ſunt figuræ aliarum rerum etiam diverſarum. Atqui non petra ſignificans, ſed petra ſignificata, i. e. Chriſtus ipſe factus eſt pereuntibus lapis offenſionis & ſcandali, credentibus verò in caput anguli, Jeſa. 8,14. cap. 28,16. Luc. 2,34. Rom. 9,32.33. 1. Pet. 2, 6.7. Conſcientia hoc dictat Sophiſtæ; ideo id enunciat de petra, qui eſt Chriſtus. At Chriſtus eſt petra ſignificata, non ſignificans, de qua niſi hîc agat adverſarius, omnes intelligunt μετάβασιν εἰς ἄλλο τὸ γένος. Niſi Jeſuita Chriſtum figuram diverſarum imò contrariarum novo exemplo conſtituat.

XV. Tertia obſcuritatis cauſa dicitur, quia *ſæpè res aliqua, quæ eſt figura alterius, repræſentat illam in uno, & omnino diſſimilis eſt in alio*. Hoc verum, ſed non ad rem. Non enim diſſimilitudinis habetur ratio, ſed in id unicè animus defigitur, in quo typus ſtatuitur à Spiritu Sancto. Notum eſt, ſimilia ultra tertium, in quo à Spiritu Sancto comparantur, extendi non debere. Nulla igitur hinc obſcuritas corpori ſcripturæ univerſo impingi poteſt ſolidè. Exemplum, quod Jeſuita affert, hominis prodit ſummam inopiam. Dicit, *fœminam fornicariam, quam Hoſea propheta juſſus eſt accipere in uxorem, fuiſſe typum Synagogæ, quam quidem in eo repræſentaverit, quòd ſicut commiſerat fornicationem carnalem, ita Synagoga, ſpiritualem, quæ in cultu idolorum conſiſtat. At in eo diſcrepare, quòd ipſa, poſtquàm Hoſeæ nupſerat, non redierit ad carnalem fornicationem. Synagoga verò poſtquàm Deo fuerat reconciliata, iterum in idololatriam ſit lapſa*. Typi veritatem agnoſco. Jeſuitæ applicationem non admitto per omnia. Non enim poteſt applicare, niſi id ſupponat, quod nec ſcriptura affirmat, nec vel omnibus, vel multis eſt certum, ſed probabile videtur multis, nempe quòd fornicaria mulier, quam dicit nupſiſſe Hoſeæ, poſt nuptias ad fornicationem non redierit. Nos iſta relinquimus curioſis, tenentes typum, quem Spiritus Sanctus explicat in muliere fornicante, in ceſſante fornicari non explicat.

Sectio II.

Tertium obſcuritatis argumentũ & in ſpecie apparentes contradictiones ex apocryphis & canonicis libris productæ expendũntur.

I. ARgumentum obſcuritatis tertium principale ab apparentibus contradictionibus petit, quæ lectori magnam pariant difficultatem. Contradictiones veræ in ſcriptura divina nullæ. Spiritus enim Dei, quo acti ſancti Dei homines ſunt locuti, ſibi non eſt cõtrarius, quia eſt ipſa veritas. Nõ diffiteor, occurrere in ſcriptura contradictiones apparentes; nego, ob id totius ſcripturæ corpus rectè

Universidad de Deusto
Biblioteca

argui obscuritatis tantæ, ut exinde de rebus ad religionem pertinentibus & in alterutram partem necessariò vel amplectendis vel repudiandis Dei voluntas certò perspici non queat. Imò & illud concedo, quasdam contradictiones apparentes difficultatem non levem, sed magnam lectori parere. Verùm si hinc arguas, rursum nego consequentiam. Etsi enim nonnullæ difficultatem fortasse lectori pariant, sunt tamen quæ & nullam pariunt; quæ verò pariunt, adversarii causam minimè juvant. Non enim traditionis nõ scriptæ claritatem supra scripturæ claritatem extollunt; cùm non ex traditione majus, quàm à scriptura lumẽ accipiant. Imò scripturæ collatione, quãtum sufficit, tolluntur, ut intelligamus, scripturã in se esse lucidã. Certè traditionis beneficio nondum sunt sublatæ. Prolixum esset, omnes à Becano collectas persequi fusiùs, quæ etiam non sunt unius notæ. Quædam sunt ex libris apocryphis; aliæ quidem ex canonicis, sed nonnullæ historicæ & chronologicæ, quædam dogmaticæ. Primum genus non est ut curemus. Historicæ, & chronologicæ, quas movet, non sunt præcisè ad salutem scitu necessariæ, etiam multæ dogmaticæ nesciri possunt citra salutis jacturam, & ad fidem non pertinent necessariò. Ne tamen earum, veluti Gorgonei capitis, objectu juventus minùs exercitata terreatur, percurremus singulas, & ostendemus verbis paucissimis, tantam in iis non esse difficultatem, quin, quantum nobis sufficit & necessum est, per Dei gratiam superari possit, idq; beneficio ipsius scripturæ.

II. Primi generis contradictiones apparentes sunt duplices. Vel enim una pars, vel utraque ex apocryphis libris proponitur. Prioris speciei quinque exempla affert Jesuita. Primum. Moses dicit, *Deum creasse cælum & terram sex diebus, & septimo die quievisse* Genes. 1. & 2. contrà Ecclesiasticus cap. 18, 1. dicit, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* R. Primò apocryphus hîc malè opponitur canonico, ubi de canonico textu quæstio est suscepta. Poteramus igitur supersedere conciliatione, cùm apertum sit, apocryphos in multis non videri, sed verè contradicere tum canonicis, tum sibi ipsis. Secundò. Interpres latinus vertit, *creavit omnia simul*, non sic loquitur Ecclesiasticus in Græco, sed habet, ὁ ζῶν εἰς τὸν ἀιῶνα ἔκτισεν τὰ πάντα κοινῇ. ubi κοινῇ simultatem non *temporis*, sed *collectionis* seu *universalitatis* significat. Nempe creavit omnia communiter, quia nihil est, quod non creavit, sicut de Verbo dicitur Joh. 1, 3. quòd nihil sine eo factum sit, quod factum sit. Sic vox κοινῇ accipitur 2. Macc. 4, 5. 9, 26. quo sensu etiam ἅμα capitur Ps. 14, 3. Jesa. 1, 28. Ita disparet contradictionis species. Vide Pererium in Gen. 2.

III. Secundum. Sap. 11, 25. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Contrà Roman. 9, 13. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* R. Deus diligit omnia quæ sunt, scil: ut Nicolaus Lyra rectè explicat, ea conservando in esse. Nam in ipso vivimus, movemur & sumus Act. 17, 28. Deus nihil odit eorum, quæ fecit, quatenus fecit, seu quatenus creaturæ sunt: Diligit enim naturam, quam fecit, culpam autem odit, quam non fecit, quia non

non est auctor mali culpæ, sed vindex. Psal. 55. Zachar. 8, 17. Zeph. 3, 5. 2. Chron. 19, 7. Deut. 32, 35. 41. Hunc esse sensum, patet ab ipso textu Sapientiæ; In eo enim sequitur; *nec enim comparasti quicquam, quod haberes odio.* Odit verò aliquas creaturas, quatenus non fecit, i. e. quatenus peccatores. De hoc Sapientiæ cap. 14, 9. lego, *Ex æquo exosa sunt Deo, & qui facit impiè, & impietas ipsius.* Hanc scil: abominatur, illi vult malum propter impietatem. Dilexit igitur & Esavum, quatenus erat creatura, voluit enim & dedit illi multa bona naturalia & corporalia Gen. 27, 39. 40. cap. 32, 6. cap. 33, 9. cap. 36, 6. 7. at ut peccatorem odit; noluit enim illi dare vitam æternam, quod est primarium hominis bonum, cujus comparatione alia omnia bona hominis vix ullius momenti sunt. Sic Thomas 1. p. q. 23. art. 3. resp. ad 1. An placet? Certè placebat Becano scribenti, *Deus vult omnibus creaturis existentibus aliquod bonum, nempe actualem existentiam: Ergo omnes amat. Dices, quomodo ergo dicitur odisse peccatores. Respondeo. Amat illos, quoad naturam, odit quoad peccatum, in Scholast. theolog. part. 1. tom. 1. tract. 1. cap. 12. concl. 2.* Olim Augustinus l. 1. ad Simplicianum q. 2. *Nodus*, inquit, *ita solvitur, ut intelligamus omnium creaturarum esse artificem Deum: Omnis autem creatura bona est. Est ergo creator Deus & corporis & animi humani. Neutrum horum malum, & neutrum horum odit Deus. Nihil autem odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore, Deus verò & animo & corpore utriusq; effector & conditor, nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum hominis inordinatio & perversitas i. e. à præstantiore conditione aversio & ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem.* Hanc conciliationem approbat Benedictus Pererius disp. 6. in caput nonum ad Rom. Nec quicquam hîc est admodum difficile.

IV. Tertium. Eccles. 10, 15. *Initium omnis peccati est superbia.* 1. Timoth. 6, 10. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Paulus avaritiam non nominat initium simpliciter omnium peccatorum, quasi omnia & singula peccata, quæ committuntur, ex avaritia oriantur, sed radicem, idque quòd sicut radix præstat fomentum omnibus partibus arboris, sic divitiæ omnibus peccatis. Sic Lyranus Ecclesiastici interpres latinus habet particulam OMNIS; Ecclesiasticus non habet; sed in quibusdam codicibus legitur, ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία; in meo codice sic lego, ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἁμαρτία. Sic disparet ἐναντιοφανές. Si sequaris priorem lectionem, intelligendum de initio sequentis cujusque peccati, non simpliciter priori, quod patet à verbis præcedentibus, ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἀνθρώπῳ ἀφεστάναι ἀπὸ κυρίου, καὶ ἀπὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτὸν. ἀπέστη ἡ καρδία αὐτοῦ ὅτι ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἁμαρτία, καὶ ὁ κρατῶν αὐτῆς ἐξομβρήσει βδέλυγμα. *Principium superbiæ, cum homo abstitit à domino, & qui tenet eam, contumeliis quidem abominãdis afficit, sed subvertitur tandem.* Hîc nulla pugna.

V. Quartum. Eccles. 12, 4. *Benefac humili, & non dederis impio. Prohibe panes illi dari.* Luc. 6. v. 30. *Omni petenti te tribue.* Christi mens est, citra personarum delectum, unicuique egenti dandum esse, nec tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantùm iis, qui poſſunt rependere, & quidem non tantùm amicis diligentibus & benefacientibus, ſed & inimicis, & ingratis eſſe benefaciendum, ut patet ex v. 27. 28.32.33.35.36.Math.5,42.44.45.cui conſentit Salomo Proverb. 25, 22. Paulus Roman.12,20. Eccleſiaſticus de obſtinato impio loquitur, qui non eſt confirmandus beneficiis in improbitate; patet ex toto contextu. In quo notanda eſt ratio interdicti & deſcriptio impii. *Ratio* interdicti duplex exprimitur his verbis v.4. *Impedito panes tuos, ac ne des ei, ut non illis poteſtatem in te comparet, nam duplicia mala comperies obvenire tibi, pro bonis omnibus, quibus eum affeceris.* Sic depingitur ingenium obſtinati improbi, ut Lyra non immeritò ad hæc verba notaverit; *Ex hoc patet, quòd loquitur de peccatoribus obſtinatis.* Impii *deſcriptio*: Bis nominat *peccatorẽ*, ſemel *impium*; haud dubiè eodem ſenſu. Num quemvis peccatorem? Minimè. Circumſcribit enim v.5. nempe 1. quem Deus odit. 2. Cui piorum gratiâ reddit ultionem. 3. quem cuſtodit ad diem illum validum ultionis illorum. Id omne competit peccatori obſtinato; non ſimpliciter omni peccatori competit. Tantùm igitur de obſtinato eſt ſermo. Jam nulla pugna: Nec enim Chriſtus vult confirmari impios in improbitate noſtris beneficiis. Sed vult nos ſubvenire egeſtati proximi, & quibusvis nos benignos præbere. Præterea certum, nihil eum velle præcipere, quod rectæ rationi non conſonet. Ideo ad literam non ſunt ſervãda præcepta, cùm rectę rationi ñ cõſonat externa ipſorũ obſervatio, aut rectę ratiõi præjudicat illorũ obſervatio, ut rectè añotat inter papiſtas Corn. Janſen. in concord. Evang. c. 40. ubi hanc limitationem addit, dandum omni petenti, cùm neceſſarium, vel expediens fuerit. Concludit, non eſſe dandum petentibus ſcurris, aut decoctori non egenti, nec ut aliis ſit remiſſio, nobis autem tribulatio & egeſtas, quò pertinet locus Apoſtoli 2.Corinth.8,13. Si non de prudentia in dispenſanda eleemoſyna, ſed ſimpliciter intelligatur Eccleſiaſticus, nos illũ miſsũ faci ẽtes ſcripturæ canõicæ adhæremus.

VI. Quintum. Eccleſ.24,28. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Johan.4,13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Sitis ſignificat 1. deſiderium rei non habitæ, & rei ad vitam neceſſariæ carentiam. 2. Deſiderium ejusdem rei habitæ, ut eam habeas perfectius: priori ſenſu Chriſtus loquitur, ut patet ab ipſo textu, quo Chriſtus rationem hanc reddit, quia nempe in homine illo fiet fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam. Poſteriori, Eccleſiaſticus. Ratio enim deſiderii fundatur in ſumma ſapientiæ dulcedine, de qua verſu proximè præcedente dicitur. *Memoria mei dulcior eſt melle, & hæreditas mea favo mellis.* Sic Lyra in gloſſa ſuper Eccleſiaſticum, ſic Cornelius Janſenius in concord. Evang. c. 23.

VII. Alterius ſpeciei unum exemplũ affert ex apocryphis. Sap.1,13. *Deus mortem non fecit.* Eccleſ.11,14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Nulla pugna. Sapientia loquitur de ſtatu integritatis, de Deo, ut creatore, de morte, quatenus eſt deſtructio creaturæ: patet ex ſequentibus, *Neque delectatur perditione viventium. Creavit omnia ut ſint.* Eccleſiaſticus loquitur de ſtatu peccati, de Deo judice, & quatenus mors eſt juſta transgreſſionis pœna, quæ, ut loquitur Gloſſa interlinearis, juſto judicio provenit peccantibus. Patet à verſu 16. *Error & tenebræ creatæ ſunt cum peccatoribus*, i.e. adhærent ab utero omnibus hominibus, qui naturâ ſunt peccatores.

SECTIO III.

Apparentes contradictiones hiſtoricæ & chronologicæ ex ſcriptura canonica objectæ examinantur.

I. SEcundum genus eſt hiſtoricum & chronologicum. Non neceſſum eſt, ut eo nos multum torqueamus, cùm non ſit quæſtio de nodis hiſtoricis, ſed de doctrinæ cœleſtis ſyſtemate, quod perſpicuum eſſe poteſt, etſi difficultates quædam, quod nos nunquam negavimus, nunquã negaturi ſumus, in chronologia & hiſtoria occurrant. Videamus. Contradictio apparens prima. Moſes refert, *filios Iſraël in Ægypto fuiſſe annis quadringentis*, Gen: 15,13. Apoſtolus ait, *fuiſſe annis quadringentis & triginta*, Gal.3,17. Hoc Apoſtolus non dicit, ſed dicit, *legem à pactione antè confirmata annos quadringentos & triginta cœpiſſe*, Gal.3,17. A pactione igitur antè confirmata usque ad egreſſum ex Ægypto lapſi ſunt anni quadringenti triginta, id quod à Moſe non evertitur, apud quem quadringenti anni ſervituti & commorationi adſcribuntur, non quòd tot vel ſervitutis vel commorationis in Ægypto futuri ſint anni, ſed quòd tot annis Abrahamus & poſteri ſint peregrinaturi, elapſis autem peregrinatio & ſervitus finem ſit habitura. Neque dicitur in Geneſi tantùm de Ægypto, ſed ſimpliciter de terra aliena. Et ſanè Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, eorumque poſteri partim in Cananæa, partim in Ægypto, tanquam terra aliena, ſunt peregrinati, tandem ſervierunt usque ad annum quadringenteſimum trigeſimum; quo etiam ſenſu exprimuntur anni quadringenti triginta Exod.12,40. ubi Ægyptus Synecdochicè nominatur, intelliguntur autem & alii peregrinationum loci, qua de cauſa LXX. Interpretes addunt, καὶ ἐν τῇ Καναάν. Et Auguſtinus q.47. in Exod. ſic reddit, *incolatus autem filiorum Iſraël, quem incoluerunt in terra Ægypti & in terra Canaan, ipſi & patres eorum, anni 430.* Nec refert, quòd triginta anni in Geneſi non memorantur. Non enim eſt in ſcriptura infrequens, ut numerus minor omittatur, ubi anni non præciſè ſupputantur. Vide noſtrum Pareum Com. in Geneſin, è Papiſtis Ben. Pererium in cap. 15. Geneſ.

II. Secunda. 1.Reg.8,9. *In arca non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moſes in Horeb.* At Hebr.9,4. *In arca erat urna habens Manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Nihil præter tabulas erat intra arcam ſub operculo; Huc reſpicit hiſtoria Regum & liber 2.Chron. 5, 10. At urna Manna habens fuit coram teſtimonio, id eſt, coram arca & tabulis legis repoſita, Exod.16,35. ex Dei juſſione v.33.34. itemque virga Aaron Num.17,15. Ideo Apoſtolus primam diſpoſitionem reſpiciens

Universidad de Deusto
Biblioteca

in arca fuisse, dicit, quòd cum ea propè essent conjuncta, sicut liber legis in latere arcæ poni debebat Deuter.31,26. & Christus venditores boum & ovium & columbarum in templo, id est, juxta templum inveniſſe dicitur Matth.21,12. Johan.2,14. Vide P. Martyrē, Comm.in 1.Reg.8. Pareū Comm.in Heb.9. & Cornelium à Lapide in eundem locum, ubi exemplum affert de Christo, qui dicitur passus in Jerusalem, cùm sit juxta urbem passus extra portam Hebr.13,12. Confer Luc.9,31.13,33.

III. Tertia. Matth.10,10. *Nihil tuleritis in via, non peram, neque calceamenta, neque virgam.* Marc.6,8. *Et præcepit eis, nè quid tollereht in via, nisi virgam tantùm.* Obiter nota, Becanum rectè hîc deserere vulgatam versionem. Ea enim sic habet, *Nolite possidere*, quo verbo corrumpitur tota sententia. Neque enim hîc Christo in mentem venit, prohibere istarum rerum possessionem, sed de hac una profectione agitur, in qua, edito quasi paternæ providentiæ specimine, docere suos voluit, ut tum noster Beza, tum Papistarum Jansenius annotat, & ex Luc.22,35. satis patet, nihil illis defuturum esse, si suo fungantur officio, ut tanto animosiores deinceps, si quando nihil eorum adesset, quibus præsenti vitæ opus est, munus Evangelicum obirent, freti paterna mittentis bonitate & provida cura. Cæterùm non nego, interpretes hîc in diversas iviſſe sententias, quæ alibi recenseri solent. Si tamen vim vocum & Christi institutum probè expendas, mox disparebit ἐναντιοφανές. Nam Christus non prohibet illis uti baculo, quo nitantur more communi Judæorum iter faciētium, sed cùm profecturi ferè soleāt singulari studio comparare, quæ ad iter commodissimè perficiendum conducant, atque inter ea commeatum, vestes & arma numerent, ut benè noster Beza observat, contrà jubet Dominus, nullâ interpositâ morâ, abjectaque prorsus rerum istarum omnium curâ, ita ut erant, baculo, quem manu, & soleis, quas pedibus eo ipso tempore gestabant, contentos, sese in viam dare è vestigio. Cùm igitur Matthæus de anxiæ defensionis instrumento, ejusque comparatione solicita loquatur, Marcus agit de baculi præsentis usu. Vis enim est in verbo κτήσησθε, quo utitur Matthæus, & βαστάσητε, quo Lucas c.10,4. utitur. *Illo* prohibet anxium comparandi studium; *hoc*, ne se ullâ re onerent, seu ut verbo complectar, ne itineris illius conficiendi causâ quicquam extra ordinem assumant. Jansenius in Concord.Evang. cap.55. Matthæum de virga, quæ nostri vindicandi, defendendiq; gratiâ assumitur, Marcum de virga, quæ corporis lassi sustentandi causâ geritur, exponit. Similiter noster Gualtherus homil. 38. in Matth. de quo lectori judicium permitto.

IV. Quarta. Matth.17,1. *Post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Iohannem.* Lucæ 9,28 *Factum est autem post hac verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum* &c. R. Res minimè difficilis. Lucas, quem non ita exactè annotâsse tempus, censet Dan. Tossanus, numerat diem, quo Christus sermonem habuerat, itemque tempus observat, quo Christus montem conscendit, nempe vesperam. Ideo non dicit,

cit, octavo, sed ferè octavo die assumebat tres discipulos inclinante die septimo, & imminente nocte, quæ octavum auspicabatur. At Matthæus ut & Marcus cap.9,2. non numerat diem habiti sermonis, sed numerat dies intermedios, qui sunt sex. Sic inter patres Augustinus l.2, de consens. Evang.c.56. inter nostros, Calvinus, Beza, Gualtherus in Marcū hom.71. Pareus Comm.in Matth. inter papistas Lyra. Jansenius in Concord.Evangel.cap.67. dicit, sic ab omnibus penè dissolvi; addit tamen, non esse necesse, huc confugere, cùm Lucas non dicat *octo dies*, sed *ferè octo dies*. Ideo autem dici ferè octo dies, vel quia non constiterit ei satis dierum numerus, vel quia non post integros octo dies hæc facta sint, sed sex integros, & duorum dierum extremorum aliquam partem. Ita à nostris non dissidet, quippe qui non dicunt, post octo integros dies factum esse.

V. Quinta. Johan.20,1. *Maria Magdalena venit ad monumentum cùm adhuc tenebræ essent.* Marc.16,2. *Venit ad monumentum orto jam sole.* R. In vetusto quodam codice, annotante Bezâ, legitur ἀνατείλαντος ἡλίου, i.e. exoriente sole. Sic expedita ratio. Quamvis etiam sine eo nullum dissidium. Nam primò Marcus tempus adventus ad sepulcrum, reliqui profectionis tempus notant. Exierunt igitur ὄρθρου βαθέος Luc.24,1. vix apparente diluculo, cùm essent adhuc tenebræ, ne posset observari egressio, sub ortum solis accesserunt propiùs. Deinde ex collatione apparet, plures fuisse fœminas, Lucæ 24,1. è quibus tres nominantur, quarum aliæ alias exspectarunt, secutæ alias aliæ. Denique rectè Lyra illud, *orto sole*, exponit, *ad ortum appropinquantem.* Oriri enim dicitur perfectè, quando sic egreditur, ut appareat suprà terram; imperfectè, quando prima ejus lux incipit apparere, scil: in aurora. Et sic jam olim accepit hunc locum Augustinus l.3. de Consensu Evang.cap.24. *quod*, inquiens, *dicit Lucas, valde diluculo, & Iohannes, mane cùm adhuc tenebræ essent; hoc intelligitur Marcus dicere, valde mane orientesole: idest, cùm cœlum ab orientis parte jam albesceret, quod non fit utique nisi solis orientis vicinitate. Eius enim est ille fulgor, qui nomine auroræ appellari solet, ideo non repugnat illi, qui ait*, cùm adhuc tenebræ essent. *Die qppe surgēte, aliq reliqæ tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux.* Nullâ igitur inter duos Evangelistas pugnâ: Aurora enim media est inter tenebras noctis & lucem perfectam diei, ideo ab utroque potest denominari, sicut medium ab extremis, quia participat naturam utriusque extremi. Johannes autem denominat à tenebris, quia ad eas accedebat propiùs in itineris ingressu: Marcus solis exortum, quia ad lucem accedebat propiùs in adventu. Et fieri potest, ut aliquæ seriùs venerint, ad quas respexerit Marcus, cùm aliæ præcessissent. Certè Gregorius Nyssenus Serm. 2. de Resurrectione Christi, ex interpretatione Laurentii Sifani sic scribit, *In exactioribus ac plenioribus exemplaribus continetur id (ἐπί) quo significatur, prater jam factas visitationes etiam hunc mulierum ad monumentum contigisse accessum.* Nū hîc obscuritas, quæ sine traditionis non scriptæ beneficio discuti nequeat? Jansenius in

Universidad de Deusto
Biblioteca

us in Concord. Evang. c.145.ſcribit, Evangeliſtas tempus profectionis concorditer expreſſiſſe,& eorum verba ſatis manifeſtè idem ſignificare. Vide Caſaubonum Exercit.16.Num.113.

VI. Sexta. Pſalm. 61, 12. (ſecundùm Hebræos 62.) *Semel locutus eſt Deus.* Heb. 1,1. *Multifariàm multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis* &c. R. Apoſtolus oſtendit, Deum ſe patefeciſſe patribus,tum multis vicibus,tum variis modis,idque confirmat totius veteris teſtamenti hiſtoria,neque David negat,quippe qui populi ſpem in Deum fulturus commendat verbi divini certitudinem ac conſtantiam,ut minimè ſit metuenda mutatio, cùm ſemel ſermonem protulit q. d. *Deus verbo ſuo certiſſimè ac irrevocabiliter mihi perſuaſit quod inſtar immutabilis decreti eſt habendum,* penes ſe ſolum eſſe potentiam, robur ac bonitatem immenſam. Num hîc obſcuritas tanta, quantam Sophiſtæ jactant? Atqui ex ipſa ſcriptura medio ſole clariùs conſtat, Deum ſæpiùs locutum eſſe, ut verbum Davidis non poſſit ad unitatem numericam referri;quod & inde patet, quòd dicit ſe bis,id eſt,ſæpiùs audiviſſe.Si bis audivit,Deus igitur ſæpiùs dixit. Ad conſtantiam autem & immutabilitatem verbi divini referre nos docet res ipſa, ut non ſit, cur de locutione æternali, aut æterna verbi ſubſtantialis genitura cum veteribus interpretemur.

****
*****
*

SECT. IV.

Apparentes contradictiones dogmaticæ ex canonica ſcriptura objectæ diluuntur.

I. SEquuntur apparentes contradictiones dogmaticæ. Prima. Geneſ.32,30. *Deum vidi hisce oculis in os, & ereptæ eſt anima mea.* Contrà Deus ait Exod.33,10. *Non videbit me homo & vivet.* Vetus & communis erat illorum hominum opinio,nemini mortalium viſionem Dei citra mortem contingere, inquit Pererius diſp.4.in Gen.cap.32. Inde vitæ ſuæ metuebat Gideon, conſpecto Domino, Jud.6,22.& Manoah pater Simſonis,Jud. 13,21.itemque Iſraëlitæ, quòd audiviſſent Jehovã de facie ad faciẽ,q̃vis nullã figurã vidiſſent Deut.5.Nẽpe peccatũ à Deo ſeparat hominẽ,& terribilis eſt Jehovæ cõſpectus. Ideo miratur Jacob,ſe vidiſſe Dominum præſentem & tamen eſſe ſalvum,quemadmodum idem miratur Hagar Gen.16,13. Sed & Jacob ſibi eo nomine vehementer gratulatur. Verùm cum qualicunque viſione Dei mortem non eſſe conjunctam,oſtendunt exempla. Videtur facies Dei diverſis modis. Primò in externa patefactionis forma, deinde in ſpeculo, 2.Corinth.3,8. denique in glorioſa & immediata majeſtatis manifeſtatione.Primus modus eſt extraordinarius. Secundus ordinarius, uterque mediatus & hujus vitæ. Tertius alterius vitæ,& quidem immediatus & ordinarius, 1.Corinth.13,12. 1.Johan.3,1. Jacob non vidit majeſtatem retectam, ſed vidit Deum in forma viri, de quo viſionis modo Deus minimè loquitur in Exodo,

do, q̃ ex ſcriptura facilè colligimus. Sic enim multi Deum viderunt, nec tamen ideo mortui; nominatim Abraham, Jacob,Micha,Jeſaia, Daniel. Gen.18.& 32.Jeſa.6.Dan.7.1.Reg.22. Deus autem loquitur de viſione ipſiſſimæ majeſtatis retectæ Exod.33. quæ denegabatur Moſi, & non eſt hujus ſed demum futuræ vitæ, ut ipſe Becanus explicat in Schol. theol. p.2.tõ.1. Tract.1.q.3. & p.1. tract.1.c.9.q. 7.illic n.videbimus eũ ſicuti eſt 1.Joh.3,1.

II. Secunda.Exod.20,5. *Ego ſum Dominus Deus tuus, viſitans iniquitatem patrum in filios,in tertiam & quartam generationem.* Ezech.18,20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Adde,quod addit Deus, & res erit clara: *Eorum qui oderunt me,* Exod.20. Nempe hinc clarum, Deum loqui apud Moſen de filiis, qui imitantur parentum ſuorum peccata, & ea ſi non verbo,facto tamen approbant, quibus mortem minatur,apud Ezech.18,10. 11.12.13.In Ezechiele cap.18.v.20. agit de filiis reſipiſcentibus.Patet à verſu 19. *cùm filius jus & juſtitiam exercet, omnia ſtatuta mea obſervat, & facit ea,omnino vivet.* Vide verſum 15.16.17.18. *Quod ſi ecce genuerit filium,qui animadvertat omnia peccata patris ſui,q̃ facit, & animadvertens nõ faciat ſecũdùm illa,in iſtis montibus non cõedat, & oculos ſuos non attollat ad ſtercoreos deos domus Iſraëlis, uxorem proximi ſui non polluat,& neminem opprimat, pignus non accipiat,& rapinam non rapiat, panem ſuum eſurienti det, & nudum operiat veſte, à paupere retrahat manum ſuam,uſuram aut fœnus non accipiat, iura mea faciat,in ſtatutis meis ambulet,hic non morietur propter iniquitatem patris ſui, omnino vivet.Pater verò ipſius quia oppreſſit oppreſſione, rapuit rapinam fratris, & quod non eſt bonum, fecit inter populares ſuos, ideo ecce morietur propter iniquitatem ſuam.* verſu 20.*iuſtitia iuſti cum ipſo erit,& improbitas improbi cum ipſo erit.* In quæ verba Theodoretus ſcribit,*Quando non eandem viam, quam pater ſecutus eſt, ſed meam viam viæ patris anteposuit, dignum & reperit viæ exitum.* Vide eundem quæſt.40. in Exod. Hieronymum l. 6.in Ezech. pag. 386. Sic evaneſcit contradictionis efficta ſpecies, idque lucem fœnerante ſcripturæ contextu. Ut non obſcuritatis traducendæ, ſed claritatis commendandæ occaſio offeratur.

III. Tertia.Exod.20,12. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Luc.14, 26. *Qui non odit patrem ſuum & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Lege integram ſententiam: *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum & matrem, & uxorem & liberos, & fratres & ſorores, atque adeò etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Porrò conferMatth.10,37. *Qui amat patrem aut matrem ſupra me, non eſt me dignus.* Jam habes ſenſum. Deus lege ſuâ ſancit honorem parentibus debitum. Chriſtus non abrogat, quippe qui non venit,ut diſſolvat legem, ſed ut impleat Matth.5,17. Imò in ſpecie defendit adverſus Phariſæorum corruptelam Math. 15,3.4.Marc 7,10.11.& per Apoſtolum ſæpiùs inculcat Epheſ.6,2.3.Col.3,20. At objecto loco ſibi minimè repugnans oſtendit, ſuæ dilectioni debere cedere, quicquid debemus parentibus; imò ſi à Chriſto te avocent,odio potiùs eſſe proſequendos, quàm Chriſtum deſeren-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum. Patet ex eo, quòd etiam jubemur odisse animam, id est, negligere & perdere pro Christi nomine Matth.16,24.25. Vide Hilarium in Psalm.118. (119.) pag. 597. *Ergo*, inquit, *hæc videntur sibi esse contraria, ut cuius ex præcepto non sólùm odium in parentes, sed maledictio tantùm morte digna sit, ipse rursum dicat, neminem discipulum suum esse posse, nisi qui patrem & matrem & filios & fratres & sorores & animam suam oderit. Durus hic sermo & præceptum grave est, impietatis necessitatem ad consummationem religionis imponere. Verùm nihil à Deo durum, nihil impium, nihil contrarium anterioribus præceptis iubetur. Irasci autem charissima hæc nobis nomina pater scil: aut mater, & uxor & filii non possunt, quod eos præcipimur odisse, cùm animam ipsam nostram odisse iubeamur. Scit enim Dominus, esse plures tam inconsulti amoris, ut cùm persistere in martyrii gloria filios suos videant, ut tempori cedat, rogent; ut sententiam mutent, precentur: & pietatis impiæ erga eos utantur affectu; Cùm anus mater & pater senex miserabiles canos filiis in ipso martyrii certamine cum invidia prædura voluntatis eorum ostendant. Hinc & uxor assit ambitiosa filiorum comitatu, orat ut potiùs sibi illisq; vivat. Hinc fratres & sorores blandis nominum suorum familiaritatibus deprecentur: ipsa quoque anima illecebris iam pridem capta vivendi, tacitis quibusdam consiliis ad conniventiam deflectendæ voluntatis irrepat. Hoc igitur in tempore odisse nos patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, sorores, & ipsam quoque animam Dominus præcepit. Nam hunc eundem sermonem ita clausit, post odium universorum dicens,* & si quis non portat crucem suam & venit post me, non poterit meus discipulus esse. *Ergo tunc odio habendi sunt, cùm portare nos martyrii crucem nolint, cùm sequi Deum exemplo passionis dehortentur. Honestum hoc odium & utile est, eos qui ab amore Christi abducere conantur, odisse.*

IV. Similiter Chrysostomus homil. 36. in Matth. *Quid*, inquit, *igitur objiciet quispiam, an hæc veteribus contraria? Nequaquam, imò verò valde consona, omninoq; conjuncta. Sic enim etiam non odio sólùm, verùm etiam lapidibus cultores idolorum persequendos jussit: & in Deuteronomio veritatis cultores admirandos ait:* Qui dicit patri, aut matri, non vidite, & fratres suos non cognovit, & filios ignoravit, is custodivit eloquia mea. Paulò pòst. *Non simpliciter jussit te coniunctos tibi homines insequi, id enim iniquum omninò atque pestiferum est, sed quando plùs me petit aliquis diligi, odio ipsum habeas, ait. Hoc enim tam diligenti, quàm ei qui diligitur, perniciosissimum est. Hac ductrinâ & credentes filios maioris animi fecit, & patres, ne ab amore Christi liberos deturbent, admonuit, videntes, tantas esse ipsius vires, ut facilè posset à parentibus filios eripere: quare ea tentare non debent, quæ ad finem deducere non possunt. Deinde ne molestè aut graviter ferant fideles, animadverte, quo sermonem deducit; cùm enim dixerit,* qui non odit patrem & matrem, *confestim intulit* & animam suam. *Quid enim parentes, fratres, sorores, uxorem, pro me sólùm abjiciendos putas? Nihil est homini anima sua coniunctius, & tamen nisi hanc etiam oderis, non ea quæ diligenti, sed ea quæ odio habenti tibi retribuentur.*

V. Quar-

V. Quarta. Deut.6,13. *Dominum Deum tuum timebis ac per nomen illius iurabis.* Matth.5,34. *Ego autem dico vobis, non iurate omnino.* Deus apud Mosen formam legitimi juramenti præscribit: per suum nomen tantùm jurandum esse docet, omne perjurium, juramenta levia & temeraria prohibet. Pharisæi ex hominum traditione invectum juramentum tolerabant, & tuebantur, si quis ex levitate & citra ullam necessitatem per creaturas, nominatim per cœlum, terram, templum & altare, juraret, modò non juraret per aurum templi & donum super altari. Nec putabant in legem peccari nisi pejerando, seu non reddendo, quod, interposito expresso Dei nomine, esset promissum. Contra hanc multiplicem corruptelam nititur Christus & prohibet in solidum. Vox igitur *omnino* non ad genus & substantiam juramenti, sed ad formam à Matthæo expressam refertur. Hoc patet à scopo Christi, à cohærentia verborum, à speciebus subjectis, à locis parallelis, à rei prohibitæ natura, à praxi tum Christi, tum Sanctorum, denique à diserta Christi protestatione. A *scopo*; legem voluit à Pharisæorum corruptelis vindicare: Prohibitio autem juramenti absoluta non esset legis vindicatio, sed eversio. A *cohærentia verborum*; Non enim simpliciter dicit, *ne iuretis omnino*, sed *ne iuretis omnino neque per cœlum, quia thronus Dei est: neq; per terram, quia scabellum est pedum eius* &c. v. 34.35.36. A *speciebus subiectis*; Non enim dicit, *Neque per Deum, neque per cœlum*; sed tantùm creaturas nominat. A *locis parallelis*; Vide Matt. 23,16.17.18.19.20.21.22. Ibi Christus Pharisæorum hypocrisin detegit, & ostendit, quas juramenti formas planè silere velit. A *rei prohibitæ natura*; juramentum est species invocationis Dei. Quis credat, speciem invocationis Dei filium voluisse abolere? A *praxi Christi*; juravit enim Johan.3,5.6.8.14.16. A *praxi Sanctorum*; Paulus jurat Roman.1,9.9,1. 2. Corinth. 1,23. Phil.1,8. & juramentum commendat Hebr.6,16. A *protestatione Christi*: Disertè protestatur, se non venisse, ut legem solveret Math.5,17. Hoc satis, credo, perspicuum. Certè quòd tantùm abusus juramenti prohibeatur, patere ab exemplo Pauli scribit Becanus, contra Anabaptistas in Manuali lib.4, cap.5. Hîc igitur malè ad probandam scripturæ obscuritatem contorquet. Idem probat ibidem ex collatione Evangelii cum lege Mosaica Deut.20,7. Deut.5,10. Lucem igitur haurit ab ipsa scriptura, quâ tollitur contradictionis φάντασμα.

VI. Quinta. 1. Samuel.15,11. *Pœnitet me, quòd constituerim Saul regem.* Rom.11, 29. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Posterius propriè dictum, & significatur immutabilitas divinæ voluntatis, quam Spiritus Sanctus in scriptura multoties prædicat Malach. 3,6. Jesa.46,10. Psalm.110. Jac.1,17, & 1. Sam.15,29. Prius dictum κατ' ἀνθρωποπάθειαν. Nempe sicut homines, errore cognito, cum dolore improbant prius consilium, aut factum, & mutatâ voluntate cessant agere: Sic Deus quâdam similitudine dicitur pœnitudine ductus, cùm mutat eventum, & aliter agit, quàm priùs, quasi prioris consilii & facti eum pœniteret. Cæterùm Saulem à regia dignitate dejecit, quia dereli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

reliquerat Jehoyam & verba ejus opere non impleverat. Regno exuit hypocritam incredulum, mutavit rem præsentem. Consilium non mutavit. Non enim eum constituerat absolutè ut perpetuò regnaret, non elegit eum à constitutione mundi, non dedit dona, quæ perpetuò possideret, sed quæ rursus ab impio auferret, citra pœnitétiam propriè dictam. Nam ad propriè dictam pœnitentiam in nobis duo concurrunt. Primò internus animi dolor, qui est in voluntate. Voluntas enim detestatur suum factum & vellet infectum esse. 2. Effectus interni doloris. Qui enim dolet, se aliquid fecisse, conatur retractare suum factum, quantum potest. Hoc posterius sine priori non habet rationem pœnitentiæ propriè dictæ, sed tantùm metaphoricè. Idque cadit in Deum, prius minimè cadit. Sic Becanus ipse part. 1, theol. Schol: tract. 1. c. 11. q. 6. §. 4. Sic jam olim Augustinus in Psalm. 131 (132) *Quid est, non pœnitebit eum? Non mutabit. Non enim dolorem pœnitentiæ patitur Deus, aut in aliquo fallitur, ut velit corrigere in quo erravit. Sed quomodo hominem cùm pœnitet mutare vult quod fecit; sic ubi audis, quia pœnitet Deum, mutationem ipsam spera. Aliter illam facit Deus, quamvis nomine pœnitentiæ appellet, aliter tu. Tu enim facis, quia erraveras: ille autem facit, quia vindicat, aut liberat. Mutavit regnum Saul, cùm pœniteret eum, sicut dictum est. Et in eo ipso loco, ubi scriptura dicit,* pœnituit eum, *ibi paulò post dicitur,* Non enim sic est ut homo, ut pœniteat eum. *Cùm ergo mutat opera sua per incommutabile consilium, propter ipsam non consilii, sed operis mutationem pœnitere dicitur.*

VII. Sexta. Psalm. 1,5. *Non resurgent impii in judicio.* 1. Corinth. 15,51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Nulla pugna inter Prophetam & Apostolum, nulla pugnæ species. Apostolus non dixit loco laudato, *omnes quidem resurgemus*; sed hoc est à Latino veteri Interprete. Græci codices sic habent, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα: quam lectionem Græci patres magno consensu sequuntur, & probè convenit ei, quod idē Apostolus de discrimine eorum, qui ante diem extremum obdormierunt, & qui vivi reliqui erunt, docet 1. Thessal. 4, 16. 17. Etsi verò latina vulgata versio retineatur, non tamen magna est difficultas. Davidis verbum Glossa ordinaria itemque Lombardus in comm. de prima resurrectione exponit. Ego concedam, referri ad extremum judicium: Sed dico sensum Prophetæ hunc esse, quòd Dei judicium in impiis sit futurum, quod ventus est quisquiliis, ut perinde atque quisquiliæ ante faciem venti, ita impii in judicio Dei consistere nequeant, quippe radice, succo, fructu omnique viriditate carentes. Non enim consistunt coram Deo, Psalm. 5,5. Sed jubebuntur facessere, & ire in ignem æternum Matth. 7. v. 23. cap. 25,41. Apocal. 6,16. Lucæ. 23. v. 30. Agnovit Arias Montanus, qui vertit, *non stabunt*. Similiter Pagninus & Mercerus, in thesauro ex R. Abraham. R. Immanuel, *non erunt stabiles in iudicio.* Approbat Bellarminus in com: *Et*, inquiens, *quoniam illud*, non resurgent, *ex Hebræo commodè verti posset*, non stabunt, *sive non* consistent, *erit hic sensus, in iudicio & cœtu iustorum, quando videlicet Sancti cum Christo sedebunt judices mundi, tunc peccatores non stabunt, sed cadent.* Verbum hebræum *Kóm* sæpe quidem significat *surgere, resurgere:* Verùm sæpe etiā est *stare, consistere.* Inde Græci Joh. 2, 11. Psl. 17, (18)39. Psl. 35, (36)13. verterunt στῆναι, Jos. 7, 12. ὑποστῆναι, v. 13. ἀντιστῆναι. Imò ipse latinus Interpres primo loco vertit *remanere*, reliquis, *stare.* Alibi Græci vertunt eodem sensu, μένειν, ut Num. 30, 5. 10. 13. Prov. 19, 21. Jesa. 7, 7. 40. 8. Huc nos ducit pars altera versiculi Davidici, *neque peccatores in cœtu iustorum.* Huc nos ducit versus sequens, *via improborum peritura est.* Huc denique nos ducit analogia fidei: quis enim sibi persuadeat, Davidem negare fidei articulum primarium? Confer Dan. 12, 2. Matth. 7, 22. 25, 41. 42. 43. 44. 45 46. Rom. 2, 5. & seqq. 2. Corinth. 5, 10.

VIII. Septima. Psl. 115. (116) *Omnis homo mendax.* Apocal. 14, 5. *in ore eorum non est inventum mendacium.* David agit de homine loquente ex se & non ex spiritu Dei, qui est Spiritus veritatis, atque de naturæ humanæ proclivitate ad fallendum & mentiendum, non de omnium & singulorum individuorum mentiendi actu. Confitetur autem, se hoc protulisse in gravi sua perturbatione, in qua ex carnis infirmitate perstringebat Samuelem, q. non propheticè, sed ex suo sensu humano promissionem regni fecisset Davidi mendaciter. Apocalypsis integritatem, quæ propriè & perfectè soli Christo competit, Isl. 53. 9. tribuit signatis, quòd eam participent cum suo capite non tantùm per imputationem justitiæ, sed & inchoatione sincera in hac vita, olim plenè possessuri in cœlo. Et notatu dignum est, quod habet Glossa interlinearis in h. l. *In illis invenitur, in quibus manet.* Nulla igitur hîc pugna. Nam naturæ proclivitas corrigitur doctrinâ & gratiâ Spiritus sancti speciali, ut Spiritu veritatis ducti, veritatem loquantur. Imò etiam in aliquibus hominibus rectæ rationis imperio inhibetur, frenatur legibus, & generali gratiâ, ne semper mentiantur & fallant, secus tolleretur fides, & everteretur societas humana.

IX. Octava. Proverb. 6, 6. *Vade ad formicam, ô piger, & disce sapientiam, quæ parat in æstate cibum suum, & congregat in messe, quod comedat.* Matth. 6, 34. *Nolite soliciti esse in crastinum.* Salomo pigros excitat ad laborem & curam *officii* providam, à neglectu officii dehortatur. Vide v. 9. 10. 11. Solicitudinem *diffidentiæ*, quam Christus prohibet, minimè fovet Salomo, quippe qui disertè docet, quòd benedictio Dei ditet, Proverb. 10, 22. Christus à labore, quem Deus statim à lapsu homini imposuit, Genes. 3, 19. & ad quem Salomo hortatur, non revocat; ad otium, quod Salomo damnat, neminem vocat, crastino diei curam rerum suarum non eripit, sed contra solicitudinem rerum in futurum tempus cum anxietate & diffidentia conjunctam, Salomoni nusquam laudatam, nusquam approbatam differit in Evangelio. *Non labor*, inquit Glossa interlinearis *& providentia damnatur, sed solicitudo mentem suffocans.* Probo ex contextu. Eam solicitudinem impugnat, quæ est argumentum fidei modicæ, v. 30. quæ est Gentilium propria v. 32. Eorum quippe infidelitas animum solicitat & curis vitæ hujus fatigat, ait

Universidad de Deusto
Biblioteca

Glossa ordinaria; quæ non acquiescit in paterna Dei providentia v. 33. denique quæ regnum Dei postponit rebus hujus vitæ v.33. Inde Apostolus, cùm probè intelligeret magistri sui doctrinam, manibus suis laboravit, ut cibum sibi compararet: præcipit laborem Ephes.4,28. 2. Thessal.3,10.11.12. Et eum, qui suis non providet, infideli deteriorem declarat 1.Tim.5,8. Theophyl.comm.in h. l. *Non explodit operari, sed seipsos totos curis tradere & negligere Deum, hoc est quod prohibet, quoniam & agros colere oportet & vitæ curam habere.*

X. Nona. Proverb.22,28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Ezech.20,18. *In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis.* Salomo loquitur de termino terræ, seu possessionis, ex Deut.19, 14. Ubi tum terminus proximi, tum possessio hæreditaria exprimitur. *Ne moveto terminum proximi tui, quem determinaverunt priscí, in possessione tua, quam possidebis, in ea terra, quam Jehova Deus tuus dat. tibi ad possidendum eam iure hæreditario.* Hiobus hanc motionem terminorum inter opera impii recenset cap.24,2. Pœna transgressori denunciatur Deuter.27, 17. *Maledictus, qui movit terminum proximi sui, & dicet totus populus Amen.* Confer Hose.5,10. Ezechiel terminos illos non tangit, sed agit de statutis patrum circa cultum Dei ejusque profanationem, idque tam perspicuè, ut tergiversationi non sit locus. Explicat enim, quos patres, quæ statuta notet. Patres, sunt Israëlitæ, tum qui ex Ægypto educti in deserto ceciderunt, tum qui in terram Canæam sunt introducti. De illis lo quitur versu 18. Ibi enim alloquitur Israëlitas in deserto. De utrisque versu 30. & 36. ubi ad suæ ætatis homines sermonem transfert. Hinc patet, in quorum statutis ambulare non debeant, qui scilicet in Dei statutis non ambularunt, jura ejus spreverunt, sabbata Dei profanarunt, stercoreos Deos secuti, omnem primogenitum traduxerunt per ignem, adspexerunt omne excelsum, & sub omni arbore obtulerunt sacrificia. Sic enim describuntur v.13.16.21.24.26.27.28. Præcepta patrum cujusmodi sint, exprimit tribus modis. Primò opponendo præceptis Dei. Hæc enim Deus multoties vocat sua statuta & jura sua v.11.13.16.19.21. Deinde nominando detestationes v.30. Denique opera pessima describendo, quibus ea impleverunt. Proinde præceptis & judiciis patrum inolitum errorem, ut annotavit Hieronymus, significari, & prohiberi, ne peccata eorum imitentur, quorum tormenta perspiciunt, patet tum excitato versu decimo octavo, tum sequente versu, tum toto capite. Eodem versu speciem exprimit Propheta, *Neque*, inquiens, *stercoreis dijs illorum vos polluatis.* Sequente, opponit Deus sua jura; *Ego Jehova Deus vester, in statutis meis ambulate, & iura mea observate ac facite ipsa.* Jura sua vocat, quæ ipse docuit Deut.5,1. 2.11,8. Toto capite perstringitur rebellio patrum & filiorum, sabbati profanatio, idololatria, superstitio. Jam quis non videat, ne apparere quidem contradictionem, nisi fortè Salomon jubet patrum impietatem imitari, ab ea non recedere? Absit à piis ista suspicio.

XI. De-

XI. Decima. Proverb.26,4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Contrà v.5. *Responde stolido secundum stultitiam eius, ne sit sapiens in oculis suis.* Nulla hic pugna, sed ars tractandi stultos necessaria. Stolidus i.e. impius, excæcatus, profanus, maledictis, sannis & convitiis rem agit; hæc illius stultitia, quâ respondere ei, i.e. maledictis & convitiis cum eo certare prohiberis. Ratio, ne adæqueris ei etiam tu, i.e. ne efficiaris & habearis ei similis, si declares, ejus insaniâ & furore te affici. Idem puta, si sit incorrigibilis & desperatus, qualem hæreticum post unam atque alteram admonitionem devitandum esse, monet Apostolus Tit.3,10. Stolidi enim odio habent scientiam & contemnunt omnem correctionem Proverb.1,22.30. *Non deficiatur stolidus intelligentia, sed vis quæ exsistunt in animo ipsius,* Prov.18,2. At verò ubi Dei gloria periclitatur, & imminet offendiculum, memineris respondere stulto, prout ejus stultitia exposcit, id est, stulticiam ejus revince solidis argumentis, ne sibi pertinaciùs in sua opinione placere pergat, aut alios corrumpat contagio. Hunc sensum rationes subjectæ in utroque textu suppeditant, & disparet omnis contradictio. Vide Hieronymum, Johan. Mercerum, & Lud: Lavaterum in h.l.

XII. Undecima. Jonæ 3,4. *Adhuc quadraginta dies & Nineve subvertetur.* Jonæ 4,11. *Ego parcam Nineve civitati magnæ.* Res facilis. Urbi corruptæ & ad omnem licentiam projectæ denunciatur interitus. Jusserat enim Deus adversus Nineven clamare, quòd malitia eorum in Dei conspectu adscendisset, Jon.1,2. At interitus sub tacita hypothesi denunciatur, prout sunt minæ & promissiones legis, & declarat eventus. Atque sic Ninevitæ ipsi intellexerũt; ideo ad pœnitentiam se mutuò exhortati hâc ratione, *Quis scit an reversurus sit & pœniteat Deum?* c. 3.v.10. Urbi respicscenti fit gratia, quo nomine commendatur à Jonâ, c.3,6. à Christo, Matth.12,41. Explicatio ab ipsa scriptura datur. Nam Jerem.18. Deus sic loquitur, *Quo momento eloquar contra gentem & contra regnum, me convulsurum & demoliturum & perditurum esse. Si convertatur gens illa à malo suo, contra quam locutus fuero, pœnitebit quoque me ejus mali, quod cogitaveram facere ei.* Exemplum hujus sententiæ edidit Deus in Ninevitis, dicente Jonâ; *Quare cùm vidisset Deus opera eorum, eos reversos esse a via sua pessima, pœnituit Deum ejus mali; quo se dixerat affecturum eos, & non affecit.* cap.3, v.11.

XIII. Duodecima. Matth.10,8. *Gratis accepistis, gratis date.* Luc.10,7. *Dignus est operarius mercede sua.* Christus præcepit Apostolis, ut dona sibi concessa à Domino gratuitâ beneficentiâ dispensent sine pretio, venditionem prohibet. Sic enim habent verba integra Matth.10,8. *Ægrotos sanate, leprosos purgate, mortuos excitate, dæmonia eijcite, dono accepistis, dono date.* In quæ verba Cornelius Jansenius in Concord. Evangel. cap.55. sic scribit, Sensus erit; *Accepistis potestatem faciendi miracula gratis, h.e. sine aliquo pretio vel merito, gratis ergo etiam conferte, per concessam vobis potestatem, aliis sanitatem.* Idque accuratè observarunt. Ideo Petrus Simonem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem pretio empturum Spiritus sancti dona acriter repellit Actor.8,18.19.20.21. At idem Apostolis decernit victum, qui sit laboris quædam compensatio. Ait enim Matth.10,10. *Nam dignus est operarius alimento suo.* Quod Matthæus nominat τροφὴν, Lucas μισθὸν nominat. Quâ voce Christus significat, quod prædicatoribus pro vitæ sustentatione debetur, etsi non propriè vocetur merces, quasi illius gratiâ operarentur, cùm potiùs ad victum & amictum necessaria ab eis accipiantur, ut in opere possint persistere. Hæc non pugnare, ostendit Christi & Apostolorum praxis. *Christi*; Nam gratis docuit & sanavit ægros, & tamen non detrectavit oblationes divitum, unde viveret, Luc.8, 2.3. *Apostolorum*; Etsi enim non vendiderunt pretio vel Evangelii præconium, vel dona, acceperunt tamen vitæ subsidia ab auditoribus, Phil.4,15.16.18. 1.Cor.9,6. & Apostolus ait; *Ita Dominus constituit iis, qui Evangelium annunciant, ut ex Evangelio vivant*, 1.Cor.9.14. ubi Jansenius, *ordinavit utique, cùm hæc* (Matth.10.& Luc.10.) *Apostolis suis diceret.* Inde Apostolus Gal.6, 6. *Cõmunicet a. qui instituitur in sermõe ei, qui se instituit, omnia bona.*

XIV. Decima tertia. Matth.18,15. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* 1.Tim.5,20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* R. Christus loquitur de offensa privata, & correptionis gradu primo, cui si non cedat peccans, subjungit tum correptionem publicam, tum excommunicationem, ibidem v.16.17. Apostolus verò agit de offensa publica, manifesta, & iis, q palàm cõvicti sunt testimonio, adeoq; manifesti, juxta Glossam interlinearem. Theophylactus addit, *qui perseverant in peccato.* Quos sanè Christus ipse permittit, publicè argui, ex Chrysostomo homil.15.in h.l. Vide Augustinum serm.16. de verbis Dom. Wilh. Zepperũ lib.1.de polit.Eccles.cap.16.& 17. Cornelium à Lapide in comm.in 1.Tim.5.

XV. Quarta decima. Marci 10,18. *Nemo bonus nisi unus Deus.* Luc.6,45. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* R. Nemo nisi solus Deus bonus per essentiã, à se, simpliciter, sine omni mutabilitate, naturæ conditiõe, ut ei repugnet malum fieri, quippe apud quem non est permutatio, & mâlis non tentatur, Jac.1, 13.17. At homo est bonus ex beneficio alieno, idque vel creationis, vel instaurationis & mutabiliter. Sicut solus Deus est immortalis, 1.Tim.6, 17. puta per essentiam, à se ipso & simpliciter, immortalitatem in sua habens potestate, ut in creaturas non competat nisi quatenus suam illis virtutem inspirans, eas vegetat. At creaturæ quædam sunt immortales per participationem. Idque intellectu non erat difficile adolescenti, qui noverat ex Mose, omnia, quæ creaverat Deus, fuisse valdè bona, Gen.1,31.

XVI. Quinta decima. Mar.16,15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Matth. 10,5. *In viam Gẽtium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed ite ad oves, quæ perierunt, domus Israël.* Distingue tempora & concordabunt scripturæ. Est axioma Augustini de verbis Domini serm.16. Posterius pertinet ad missionem singularem factam ante Christi passionem, maceriâ inter Gentes & Judæos nondum dirutâ. Non ad futurum tempus spectare, vel inde manifestum, quòd Christus ipse docet, se adhuc alias habere oves, quæ non sint ex ista caula, quas oporteat ipsum adducere, Johan.10,16. & prædicit, multos ab oriente & occidente venturos & accubituros cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno Dei, Matth.8,11. Luc.13,28.29.c. 16,23. Matth.22,9. quorum primitiæ erant Gentiles ad Christum venientes Syrophœnissa, Centurio &c. Prius pertinet ad plenam Evangelii promulgationem faciendam Christo & passo & exaltato ad dextram Dei: Id quod & Prophetæ prædixerunt, nominatim Jesaia cap.49, 6.& juxta scripturam fieri oportere, declarat Servator ipse, Luc.24,46.47. Sed& Apostolus hunc ordinem servari debuisse docet, ut primùm Judæis deinde demum Gentibus Evangelium prædicaretur, Actor.13,46.17,30.31. Rom.15,9.10. 11.12.

XVII. Decima sexta. Luc.22,28. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Matth.26,31. *Omnes vos patiemini scandalum.* Hîc ne quidem paret species ulla pugnæ. Nam multis pedem referentibus, nec ampliùs cum Christo versantibus, Joh.6,66. illi permanserãt hactenus cum Christo in variis afflictionibus, quod laudat. Non erant deinceps permansuri pari constantiâ, sed offendendi omnes, instante passione, quod præmonet. Illud est præteriti, hoc futuri temporis.

XVIII. Decima septima. Johan.5, 31. *si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Johan.8,

14. *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum,* Prius dicit Christus per concessionem rhetoricam de judicio Judæorum, seu ex opinione Judæorum, ut notat Theophylactus in h.l. ex Chrysostomo. Pharisæi hoc regerebant, ut apparet ex Joh.8,30. Etsi verò frivola esset objectio, Christus tamen largitur iis, ut non credant, si ipse solus verbis de se testetur, & non habeat alios testes. q.d. sit frivolum meum testimonium, ut dicitis, si solus eloquar; at alios habeo testes. Habeo testem Johannem v. 33. habeo alium, nempe Patrem v.32.37. itemque opera v.36. & scripturam v.39. Ideo Glossa interlinearis, illud, *non est verum,* sic reddit, *incredibile vobis.* Et Chrysostomus hom.39.in Joh. *illa autem particula* (non est verum) *non temerè legenda est, sed ad illorum opinionem referenda, hoc est, vobis non est verum. Non enim auctoritate sua, sed pro auditorum suspicione loquitur, quam arguit eorum adducens objectionem.* Non aliter Cyrillus in h.l. At Joh.8,14. ex sua sententia asserit testimonii sui auctoritatem, idque quia noverit à quo sit missus, & ad quem sit rediturus, nempe Patrem suum, & quia non sit solus, sed Pater cum illo v.16.

XIX. Decima octava. Joh.5,34. *Ego testimonium ab homine non accipio.* Johan. 15,27. *Et vos testimonium perhibebitis de me.* Priori loco negat, se captare ab hominibus testimonium, quo vel egeat, vel sibi auctoritatem conciliet apud homines, sicut negat, se gloriam ab hominibus captare, v.41. & affirmat, Judæos à se invicem captare gloriam, v.44. Patet ex antithesi v.34. *Sed hæc dico, ut vos servemini;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

q.d. Non allegavi Johannis teſtimonium, quòd eo mihi reſpectu mei apud vos ſit opus, ſed quia vos illum magnificiebatis, ut vel illi credendo conſequamini ſalutem. Vide Chryſoſtomum homil. 39. in h.l. & Cyrillum lib. 2. in Joh. cap. 149. Poſteriori loco conſulit noſtræ infirmitati, quando deligit ex hominibus teſtes veritatis, non quòd ipſe indigeret, ſed quòd noſtra poſtulet imbecillitas, & nobis ſit ſalutare. Cur enim tot teſtes Chriſti à Deo dati? Ut credamus, communionem cum eo habeamus, & per fidem ſervemur. Confer Actor. 10, 43. Johann. 20. v. 31. 1. Joh. 1, 3.

XX. Decima nona. Johan. 6, 55. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* v. 63. *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.* Illud dicitur de manducante & bibente per veram fidem, ut patet ex collatione v. 35. Hoc de carne in ſe nudè ac ſeparatim carnali ſenſu conſiderata, & manducatione orali, qualem ſomniabant Capernaitæ v. 52. & Chriſtus confutabat. Quòd autem caro Chriſti vivifica eſt, id inde eſt, quia idem qui homo, ſimul eſt verus Deus in perſonæ unitate. Caro habet à Spiritu, quòd eſt cibus ad vitam æternam, & vitam æternam credentibus afferre poteſt.

XXI. Viceſima. Joh. 15, 15. *Omnia, quæ audivi à Patre meo nota feci vobis.* Joh. 16, 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere.* R. Nota fecerat illis omnia, quæ à Patre audierat, nempe ad mediatoris munus ſpectantia pro Eccleſiæ ſalute obeundum. Confer Luc. 24, 44. At multa, quæ dixit ſe adhuc habere, Janſenius in h.l. docet, non fuiſſe diviſa ab illis, quæ hactenus docuerat, ſed illuſtriorem eorum declarationem. Unde dicitur Spiritus ſanctus docturus omnia, non quòd nova ſit docturus, ſed ſuggeſturus omnia, quæ Chriſtus ipſis dixerat, Joh. 14, 26. Theophylactus. *Cùm dicit, quæcunque audierit, hoc ſignat, quòd nihil docturus ſit extra ea, qua Chriſtus docuit.* Porrò habebat autem dicere de executione muneris & adminiſtratione Eccleſiæ. Hæc dixit poſt reſurrectionem, & declaravit, quæ antè dicta non intellexerant, Luc. 24, 27. 32. 45. Actor. 1, 3.

XXII. Viceſima prima. Rom. 2, 25. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves.* Galat. 5, 2. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Prius intellige de circumciſione ſtante, ſeu vigente, & divina promiſſione, poſterius de circumciſione abrogata, & opinione juſtitiæ per opus externum conſequendæ, & res erit expedita. Olim patribus fide expectantibus proderat, vi promiſſionis, tanquam ſigillum juſtitiæ fidei. Confer Roman. 3, 1. 2. cap. 4, 11, 12. poſt Chriſtum exhibitum paſſum & exaltatum non proderat cum neceſſitatis & juſtitiæ in opere externo poſitæ opinione ſuscepta. Ratio, quia, Chriſto exhibito, abolita eſt cum plena ſpiritualis circumciſionis ubertate Gal. 5, 6. 11. 1. Cor. 7, 19. Col. 2, 11. Ideo Paulus nec Titum permiſit circumcidi, cùm Græcus eſſet, Gal. 2, 2.

XXIII. Viceſima ſecunda. Rom. 3, 28. *Arbitramur juſtificari hominem ſine operibus.* Jac. 2, 20. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Et ibidem, *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.* R. Paulus opera non ſeparat, quoad exiſtentiam à fide, intelligit enim fidem, quę ſit efficax per charitatem Gal. 5, 6. qualis erat fides Abrahami Rom. 4, 3. at excludit ab actu juſtificandi coram Deo. Jacobus rejicit fidem carentem operibus, i.e. mortuam, qualis eſt Diaboli v. 17, 19. 20. & juſtificationem coram hominibus, ſeu juſtificationis declarationem tribuit operibus. Ut enim demonſtrationem fidei urget v. 18. ſic de juſtificationis demonſtratione intelligi debet, ut patet ex v. 21. 23. idem tamen ſtabilit fidem vivam, de qua Paulus agit, exemplo Abrahami v. 22. 23. Auguſtinus lib. de fide & operibus ſcribit; *Cùm Apoſtolus ait*, hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis, *non hoc agit, ut opera juſtitiæ contemnantur. ſequuntur enim juſtificatum, nõ præcedunt juſtificandum. Paulus non quamlibet fidem, quâ in Deum creditur, ſed ſalubrem, planeq; Evangelicam definivit, cuius opera ex dilectione procedunt. De fide ea, quæ hoc non facit, & Petrus & Jacobus loquuntur. Gratiam Chriſti nos liberare, tota epiſtola ad Romanos evidenter oſtendit. Quod Petrus ait*, fontes ſiccos, *hoc epiſtola Judæ*, ſine aqua, *hoc Jacobus*, fides mortua.

XXIV. Viceſima tertia. Rom. 9, 19. *Voluntati eius quis reſiſtit?* Act. 7, 51. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut & patres veſtri.* Prius ab iniquis divinæ voluntatis cenſoribus objectum eſt Apoſtolo, verum tamen dictum de voluntate abſoluta, alii vocant voluntatem beneplaciti, quam Deus de omnibus implet immutabiliter. Nemo poteſt impedire, quin Deus faciat, quod ſemel abſolutè decrevit. Fruſtrà mundus ſe opponit Deo. Stat immotum ejus decretum. Multa quidem conantur impii tum vi apertâ, tum artibus clancularijs, verùm fruſtrà ſunt. *Nulla eſt ſapientia, nullaq; intelligentia, & nullum conſilium ex adverſo Jehovæ*, Prov. 21, 30. *Quicquid placet ſibi, Jehova fecit, in cœlis ac in terra, per maria & omnes abyſſos*, Pſalm. 135, 6. *Conſilium meum ſtabit, & omnem delectationem meam facturus ſum*, inquit Jehova Jeſai. 46. Apoſtolus id illuſtrat ſimilitudine luti in manu figuli Roman. 9, 20. 21. Poſterius dictum à Stephano de voluntate Dei, quatenus ſe manifeſtat per præcepta, interdicta, promiſſiones, comminationes; huic ſemper Judæi reſtiterant, dum Prophetis ſe oppoſuerant; huic homines reſiſtunt, dum non auſcultant Evangelio, Roman. 10, 16. nolunt credere veritati, nolunt recta monentes audire, nolunt argui, ſed repugnant tum veræ doctrinæ, tum ejus miniſtris per inobedientiam, quod Chriſtus objicit Phariſæis Luc. 7, 38. at Lucas tribuit Elymæ Act. 13, 8. Paulus doctoribus hypocritis 2. Timoth. 3, 8. & Alexandro 2. Timoth. 4, 15. Auguſtinus in Enchir. ad Laurent. cap. 100. *Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus; & tam ſapienter exquiſita, ut cùm angelica & humana creatura peccaſſet, i.e. non quod ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, quâ factum eſt, quod creator noluit, impleret ipſe quod voluit, bene utens & malis, tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos juſtè prædeſtinavit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinavit ad gloriam. Quantum enim ad ipſos attinet; quod Deus noluit, fecerunt, quan-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso, quòd contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namq; magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus sit voluntatem, quia non fieret, si non sineret, nec utique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè.

XXV. Vicesima quarta. Rom.11,34. *Quis cognovit sensum Domini?* 1. Cor. 2, 16. *Nos autem sensum Christi habemus.* Non erat, cur prius ex epistola ad Romanos repeteret; Exstat enim eodem quoque loco, quo alterum. Nemo mentem, seu consilium Dei de redemptione generis humani per Christum in Evangelio revelatum cognovit lumine naturali, quemadmodum Glossa dicit, *Nemo carnalium cognovit sensum Domini.* Inde dicit Apostolus, se prædicare sapientiam, quam nemo principum seculi cognovit, v. 8. quæ oculus non vidit, nec auris audivit &c. v. 9. Et tamen mentem illam Christi habebant Apostoli & fideles cæteri, nempe revelatam lumine Spiritus, juxta illud, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*, v.10. *& nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui est ex Deo, ut sciamus, quæ Deus est nobis gratificatus*, v.12. Conf. Joh.1,18. *Nemo Deum vidit unquam, unigenitus ille, qui est in sinu Patris, ille exposuit*, Matth.11,27. cap.16,17. Adde quòd Apostolus in epistola ad Romanos de viis & judiciis Dei imperscrutabilibus loquitur; ad Corinthios de rebus ad salutem hîc cognitu necessariis.

XXVI. Vicesima quinta. 1. Corinth. 13,3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Luc.11,41. *Date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.* ℟. Mox disparet omnis contradictionis species, si cogites, Apostolum de eleemosyna à charitate separata, Christum de eleemosyna ex vera fide & charitate proficiscente loqui. Prius ab ipsis verbis tam clarum, ut in dubium neque at vocari. Posterius quoque patet à circumstantiis & verbis. A *circumstantiis*: Nam Pharisæi dabant quidem eleemosynas, verùm sine charitate. Id inde patet, quòd darent ex mera gloriolæ privatæ cupiditate, Matth.6,2. & pleni essent rapinâ ac scelere, Luc.11,39. A *verbis*: Christus enim illos ad judicium & charitatem Dei exhortatur, quòd hæc negligerent, v.42. Excitat igitur ad eleemosynam de præsentibus non quocunque modo, sed dandam ex sincera dilectione, quæ est à vera fide, quâ corda interiùs purgantur. Et quidem cùm neglectâ interiori puritate verâque sanctimoniâ, increbris lotionibus mundiciem & sanctitatem ponerent, ipse promittit, si eleemosynam in vera charitate ex vera fide dent de præsentibus, patinas, manus, pocula, adeoque omnia quoad externum usum fore illis pura, & parùm referre, lavéntne illa, vel non lavent.

XXVII. Vicesima sexta. Gal.1,10. *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* 1. Cor.10,33. *Sine offensione estote, sicut & ego per omnia omnibus placeo.* ℟. Priori textu negat, se capture hominum gratiam

am, nempe illicitis modis contra Deum, invertendo Evangelium propter homines & sui commodi causâ, sicut Pseudapostoli volebant ἐυπροσωπῆσαι ἐν σαρκί, Gal. 6, 12. idque probat à contrario; Si enim adhuc vellet hominum favorem aucupari, quòd retinere non posset Christi gratiam, eique servire. Nam fieri non potest, ut aliquis Christo serviat & hominibus placere studeat, quibus Christus non placet. Manifesta hîc est oppositio inter homines & Christum. Sicut in præcedentibus inter Deum & homines. Non enim simpliciter dixerat, *Nunc utrum homines suadeo*, sed, *Nunc utrum homines, an Deum suadeo?* Posteriori textu hortatur, ne scandalum præbeant vel Judæis, vel Græcis, vel Ecclesiæ Dei, puta in rebus indifferentibus, quæ per accidens scandalum pariunt, cùm intempestivè fiunt, suoque proposito exemplo docet, se in omnibus adiaphoris studiosè cavere, ne scandalum ponat; sed potiùs se accommodet omnibus tam Græcis, quàm Judæis. Ideo subjicit, *non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum, ut salventur*, quo tum impulsivam, tum finalem causam sui studii exprimit. Confer cap.9,19. 20.21.22. Ibi dixit perspicuè, quomodo placere omnibus studeat.

XXVIII. Vicesima septima. Gal.6, 2. *Alter alterius onera portate.* ibid.v.5. *Unusquisque onus suum portabit.* ℟. Versu secundo portare aliorum onera, est alienas infirmitates & peccata humaniter tolerare, tegere, sub iis jacentes sublevare & quasi exonerare naturæ συμπαθείᾳ, id quod Apostolus facere jubet in hoc seculo: quia sic completur lex Christi, puta de dilectiõe, Joh.13,34. Confer 1. Cor. 13.4.7. Eph.4,32. Col.3,13. Theodoretus, *Tu habes hoc delictum, illud verò non habes, ille contrà quod tu habes, non habet, sed aliud, tu feras illius delictum, & ille tuum. Ita enim impletur lex charitatis.* Theophylactus in h.l. *Quia fieri non potest, ut qui homo sit, non peccet, adhortatur eos, ne sint nimium exacti censores in delictis proximi, sed ferant ea, ut & quæ ipsius sunt, ab alio vicissim tolerentur.* Vide hac de re insignem dissertationem apud Augustinum lib.83. Quæst.quæst.71. Versu quinto suum onus portare, est de suis benè vel malè gestis Deo rationem reddere, quod futurum prædicit, nempe in judicio, in quo Deus non alium alii comparabit, sed unumquemque judicabit, qualem invenerit, proinde idem dicitur, quod Roman. 14,12.13. 1. Corinth.3,8. Matth.12,36.37. 2. Cor.5,10. Theodoretus, *Ne sis de alienis nimium curiosus, unusquisque enim nostrûm reddet rationem de suis peccatis.* Sic disparet contradictionis species.

XXIX. Vicesima octava. 1. Tim.6,16. *Deus inhabitat lucem inaccessibilem. Psal. 33.(34) 6. Accedite ad eum & illuminamini.* Deus nobis absconditus est, non quòd ipse in tenebris versetur, habitat enim in luce clarissima, sed quòd in nobis sint meræ tenebræ, præ quibus propriâ virtute nec eum accedere, nec cognoscere possumus in hac mortalitate. Ideo addit Apostolus, *Nemo vidit Deum unquam, nec videre potest.* Conf. Matth.11,27. Joh. 1,18. Psalmi verbum *Venaharu* redditur ab aliis *& illuminabuntur*, ab aliis *confluent*: quo posteriori sensu sæpiùs accipitur, nõinatim Jesa.2,2. Mich.4,1. Jer.31,12.

Utrovis modo accipias, ſenſus eſt ſatis apertus; Si *priori*, ſenſus erit, Manſuetos calamitatum tenebris involutos, ſi unicè in Jehovam reſpiciant, gratiâ, tanquam exortâ novâ luce illuſtratum non pudore ſuffuſum iri. Confer Pſalm. *112,4.* Pſal. *118, 27.* Pſal. *13,4. 18,29.* Sin *poſteriori*, quo omnino debet accipi, ſenſus erit, Nunc ſpeculum exſtare, in quo appareat ſerena Dei facies, in quam manſueti intuentes verâ fide & animo imperterrito alacriq́ue gradu accurrentes non ſint pudore ſuffundendi. Utrumque ad verbum revelatum referendum, cujus beneficio Deum vident & accedunt homines. Quis hîc ſomniet contradictionem?

XXX. Viceſima nona. *1.* Joh. 1,8. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, ipſi nos fallimus.* 1. Joh. 3,9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit.* Aliud eſt Johanni habere peccatum, aliud facere. Impoſſibile eſt, dum hîc ſumus, quin peccato ſimus obnoxii. Id urget Apoſtolus capite primo, & ſeipſum ineludit. At fideles non ruunt toto cordis affectu & odio Dei in peccatum, nec in eo perſeverant contumaciter inſtar infidelium; etſi labuntur ex infirmitate, qui ſecum circumferunt corruptæ naturæ reliquias, & interdum etiam ex quodam carnis Spiritum vincentis propoſito; non tamen tam plenè peccato conſentiunt, quin ſpiritus carni vincenti reluctetur aliquomodo. Illo ſenſu dicit Apoſtolus, renatum non facere peccatum, idque quòd regnum Chriſti cum regno peccati plenario nequeat conſiſtere. Præterea non loquitur de uno peccato, quaſi nunquam poſſit delinquere, ſed de continuo vitæ tenore. Probo hunc ſenſum. Ait enim *Quisquis peccat, ex diabolo eſt* v. 8. id eſt, diabolum imitatur. At ille totâ voluntate ex odio Dei peccat. Inde diſcrimen facit inter Dei & diaboli filios v. 10. Sic fuerunt apparentes contradictiones à Becano in medium propoſitæ, quarum aliquas lectorem remorari poſſe, aliquas etiam doctiſſimis viris negocium faceſſere, lubenter quidem concedimus, minimè tamen totum ſcripturæ corpus hinc damnandum eſſe obſcuritatis, qualem tuentur Sophiſtæ, à dictis, ſpero, conſtat planiſſimè.

Sectio V.

Reliqua argumenta obſcuritatis examinantur.

I. QUartum principale argumentum obſcuritatis Becanus ex eo petit, quòd verba ſcripturæ ſæpè efficiant ambiguum ſenſum ex defectu diſtinctionis, idque in his ferè caſibus, cùm quæritur de Deo, Chriſto, ejus adventu & Eccleſia, num. 9. Argumentum in forma ſic erit. *Cuiuscunque ſcripturæ verba ſæpè efficiunt ambiguum ſenſum ex defectu diſtinctionis, illius corpus totum tam obſcurum eſt, ut ex eo Dei voluntatem in omnibus ad fidem & mores neceſſariò pertinentibus, non poſſint Chriſtiani certò, perſpicuè & plenè cognoſcere ſine externo ſupplemento. At ſacræ ſcripturæ verba ſæpè efficiunt ambiguum ſenſum ex defectu diſtinctionis.* Nego majorem. Quod enim uno loco ambiguum, id alibi ſatis diſtinctè explicateque proponitur; Neque inter nos agitur de aliquibus ſcripturæ textibus, ſed de toto ſcripturæ corpore ὅλως conſiderato. Majorem igitur priusquàm probaverit adverſarius ſolidè, fruſtrà laborat de minore, quamvis nec hanc ſatis fortiter ſtatuminet exemplis in medium productis, quod faciam, ut omnes boni intelligant.

II. 1. De *Deo*, fateor, ſcriptura dicit Matth. 6,9. *Pater noſter, qui es in cœlis.* Num verò dubium, an Patris nomen ibi capiatur eſſentialiter, quatenus eſt tribus perſonis commune, an perſonaliter, quatenus convenit ſoli perſonæ primæ? Id quidem videtur Becano. Ratione ſi quæras, ñ affert aliam, quàm quòd in utramque partem ſint auctores. At ſæpè discrepant auctores in re non ambigua, ſed diſtinctè ſatis expoſita. V.g. Chriſtum in cœlum adſcendiſſe, diſtinctè enunciat ſcriptura; diſſident tamen in eo auctores. Veriſimilius videtur Becano, vocem Patris hîc accipi eſſentialiter, idque colligit ex Johan. 20,17. Nobis non ſolùm veriſimilius, ſed & veriſſimum. Eodem enim ſenſu Chriſtus Patrem noſtrum cœleſtẽ nominat eodem capite aliquoties v. 8.9. 14.15.18.26.32. At verſu 26. capi eſſentialiter, clareſcit à v. 30. & Luc. 12,24.28. ubi pro Patre nominatur Deus. Et ut maximè textus iſte eſſet ambiguus, num ideo dogma de precatione obſcurum in ſcriptura? Num ex ſola ſcriptura non conſtat, ad quem oratio ſit dirigenda? Cæterùm ſive in oratione dominica vocem Patris eſſentialiter, ſive perſonaliter accipias, non impinges in negocio ſalutis. Nam etiam ad primam perſonam, id eſt, Patrem Chriſti rectè dirigitur, modò Filium & Spiritum S. non excludas. Apoſtolus ejus rei de ſe paſſim exemplum præbet. Vide 2. Cor. 1,3. Eph. 3,14. Col. 1,3. Obiter nota, quòd Becanus in verbis Chriſti Johann. 20,17. *Patris* vocem priori loco perſonaliter, poſteriori loco eſſentialiter accipi, malè contendit, Utrobique perſonaliter accipi, inde patet, quia Chriſtus adſcendens à Patre, ad quẽ adſcendit, utrobique diſtinguitur. Is eſt Pater ſolius Chriſti naturâ; ideo non dixit, *Adſcendo ad Patrem noſtrum*, ſed *meum*: Eſt noſter gratiâ; ideo dixit, *Et Patrem veſtrum.*

III. 2. Verba quæ de CHRISTO allegat ex Coloſſ. 1,15.16.17. non ſunt tam ambigua, quin ex ſcriptura ſenſus haberi poſſit. *Qui eſt*, inquit Apoſtolus, *imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, omnia per ipſum & in ipſum creata ſunt: Eſtq; caput corporis Eccleſiæ, primogenitus ex mortuis.* Dicit, *hîc dubium eſſe, an hæc intelligi debeant de Chriſto ſecundùm divinitatem, an ſecundùm humanitatem.* Quin Chriſtus ſecundùm Deitatem ſit imago Dei inviſibilis & omnia per ipſum condita dicantur, dubium non eſt, quicquid ſomniet Sophiſta. Id enim & evincit res ipſa clarè, & confirmant alii textus, Hebr. 1,3.10. Joh. 1,3. Eſſe primogenitum ex mortuis, quis de Deitate exponat? Secundùm carnem accipi debere, indubitatum; Sicut ſecundùm illam primus eſt ex reſurrectione mortuorum, Actor. 26, 23. primitiæ reſurgentium, 1. Corinth. 15, 23. primogenitus inter multos fratres, Rom. 8,29. Utn. non in deitate, quæ pati & mori nequit, ſed carne paſſus & mortuus eſt, 1. Petr. 3,18. c. 4,1. Sic noſter eſt frater & reſurrexit ejuſdem naturæ reſpectu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctu. Est caput Ecclesiæ secundùm utramque naturam, ut mediator; est enim mediatoris titulus. Primogenitus omnis creaturæ secundùm deitatẽ dicitur, quasi πρότερον τεχθεὶς ἢ πᾶσα κτίσις, seu πρωτότοκος πρὸ πάσης κτίσεως, ut includatur præpositio, πρό. Sic Glossa interlinearis. Cui benè respondet, quod dicitur v.17. *Estque ipse ante omnia*, planè sicut dicit Johannes, *In principio Verbum erat apud Deum*, c.1,1. Sic Chrysostom⁹, Theophylactus, Lyranus, Cornelius à Lapide in h.l.

IV. De *adventu* Christi sermo est Hebr.1,6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, adorent eum omnes angeli.* Num sermo dubius? Ait Jesuita. Idque quòd, si spectes particulam *iterum*, videatur sermo esse de secundo adventu; si alias circumstantias, de primo. Num.12. Posterius verum. Prius à mala versione. Cùm enim vox *iterum* ad allegationem scripturæ pertineat, ut Erasmus & Vatablus rectè judicãt, & patet ex simili locutione Hebr.1,5.c.2, 13. Vetus latinus Interpres ad introductionem transtulit. Chrysostomus, Theophylactus, in h.l. Cyrillus tom.3.l.de recta fide ad Reginas, ad primum adventum referunt: Syrus Interpres secundùm translationem Tremellii, & è Papistis Adamus apud Cornelium à Lapide vocem *iterum* ad scripturæ citationem referunt.

V. Leve est, quòd num.13. dicit, Gal. 4,26. & Heb.12,22. non constare, loquatúrne Apostolus de Ecclesia militante, an triumphante. Quòd enim de militante intelligi debeat, nos jam suprà ostendimus ex collatione textus prophetici allegati, Jesa.54,1. Tertius locus Eph.5, 26.27. de Ecclesia militante & triumphãte intelligi debet: Is enim est Sanctificationis finis, ut Ecclesia nullam habeat maculam, quod hîc inchoatur, at in cœlo perficitur. Augustinus de triumphante versum 27. exponit lib.2.retract.c.18.

VI. Huc refert Jesuita illud obscuritatis genus, quòd quæ in scriptura dicuntur de Christo, aliquando intelligantur de Christo capite, aliâs de corpore, aliâs de utroque, num.14. Notat, fateor, Augustinus hanc exponendi formam ex Ticonio l.3.de doctr.Christ. cap.31. Sed nego, inde concludi solidè, quod contendit Sophista. Ostẽdunt enim vel ipsa verba textus sacri, vel circumstãtiæ, quo sensu verba capi debeant. Sic clarũ satis fit ex textu & reipsa, quòd verba Christi Matt. 28,20. de ipsius persona, & ista Act.9,9. *Saul, Saul, quid me persequeris*, de Christi membris; Denique verba Jesa.61,10. de capite & corpore sint accipienda. Apud Matthæum disertè distinguit Christus seipsum à fidelibus, tanquam suis membris, dum ait, *Ego sum vobiscum*. Deinde promittit perpetuam gratiosam præsentiam, quæ in ipsius, non autem in corporis, seu Ecclesiæ potestate erat. In Actis præcedit furor Saulis adversus fideles discipulos, c.9,1.2. & Christum in propria persona in cœlo triumphantem persequi non poterat. Intelligitur igitur persequi in membris. Propter unionem autem capitis & membrorum intimam sibi factum vel non factum judicat caput, quod membris fit, vel nõ fit. Verba sunt diserta Matth.25,40. *Amen dico vobis, quatenus id feciſtis uni ex istis fratribus meis minimis,*

mis, mihi feciſtis. & v.45. *Amen dico vobis, quatenus id non feciſtis uni ex istis minimis, nec mihi feciſtis.* In Propheta & citatus versus & sequentes docent, Ecclesiam intelligi, quæ vestitu salutis & pallio justitiæ amicitur. Versu citato fit mentio Sponsi & Sponsæ, ut splendor & lætitia significetur. In sequentibus memoratur justitia & salus Zionis. Hæc ne ipse quidem Sophista negare ausit. Cur igitur ad obscuritatis criminationem rapit? Verba Psalmi secundi versu secundo primò de capite intelliguntur. Cùm verò eadem sit sors membrorum, huc quoque rectè applicantur. Christus non tantùm in sua persona petitus est ab hostibus, sed adhuc hodie petitur, cùm petuntur membra. Vide Act.4,26.27.28.29.

VII. Quintum argumentum. *Sæpè*, inquit, *in scripturis, ubi minimè putamus, subitò fit transitus de sensu literali ad mysticum, de carnalibus ad spiritualia, de temporalibus ad æterna, de regibus Israël ad regem Christum & contrà.* De transitu à sensu literali ad mysticum nõ concedo, quemadmodum quidem Sophista accipit, at de cæteris non inficior. Verùm nego consequentiam, quam nisi probet, quid nobis exempla objicit, quæ totum systema scripturæ minimè reddunt tam obscurum, ut Dei voluntas inde cognosci nequeat in omnibus ad fidem necessariò pertinentibus? Ut enim maximè obscura olim fuisset prædictio partús virginei, Jesa.7. nobis tãen & eventu declarata, & verbis clarissimè est exposita Matth.1,21.22.23. nec aliũ historiæ potest accommodari. Imò Judæi multi intellexerunt. Si non ex scriptura, unde igitur? A Rege Babyloniæ Jesa.14. ad Luciferum fieri transitum, nego. *Componit Propheta cum Lucifero Babylonium, eò quòd antecellat cæteros, & nemo ei similis imperijs & regnis conspiciatur, itaque conspicuus & illustris sit, & quasi inter astra reliqua Lucifer habeatur.* Sunt verba Cyrilli Alexandrini in h.l. Psalmo septuagesimo secundo de Christo dici, *adorent eum omnes reges terræ*, manifestum. Non enim impletum in Salomone. Similiter à panibus hordeaceis ad panem sacramentalem Christum facere transitũ Joh.6. nego, nisi de pane eucharistico signato intelligas: ad panem verò spiritualem è cœlo descendentem transitum facere, tam clarum est, ut nesciam, an facere potuisset clariùs. Nominat enim carnem & sanguinem suum multoties, & ea effecta tribuit, quę hordeaceis panibus non competere, omnes facilè intelligebant.v.32.33.35.48.50.& seqq. Unde & Capernaitæ nullo negocio agnoscebant, eũ de carne sua loq. Tantũ abest, ut hinc scripturæ corpus accusandum sit prætensæ obscuritatis.

VIII. Sextum. *Sæpè in historijs non observatur ordo rerum gestarum: & sæpè supputatio annorum non apparet liquida*: Denique *sæpe citantur libri, qui quidem si exstarent, multum lucis afferrent lectori, at quia non exstant, lectorem relinquunt ambiguum & suspensum.* num.6. Vide disputatorem. Quæstio est de toto scripturæ corpore ὅλως considerato, deque ejus perspicuitate in omnibus ad fidem necessariò pertinentibus, at ille opponit ὑστερολογίας in historiis observatas. Num hæ totum scripturæ corpus obscurant? Num illę ex scriptura non deprehenduntur?

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ? Nodos chronologicos proponit; quis non agnoſcat elenchum conſequētis ? Num enim nodi illi chronologici ſunt ad ſalutem expeditu neceſſarii? Nū eorum determinatio eſt de religionis ſubſtantia ? Sudent eruditi in exacto hebdomadarum Danielis calculo : Sudent in annorum numero ab Adamo ad Chriſtum exactè colligendo. Nobis non conſtet. Num inde aliqua religionis pars periclitatur? An ideo de rebus in religione neceſſariò vel amplectendis, vel reprobandis voluntatem Dei ex ſcriptura non poſſumus intelligere certò & perſpicuè? Porrò libros, quos perditos eſſe dicit, omnes libros fuiſſe, non probat. Nominat librum Enochi ex epiſtola Judæ. Non invenio librum ab Enocho ſcriptum, ſed Enochum prophetaſſe invenio, ſcripſeritne incertum. Scripſiſſe, priùs probandum fuerit Jeſuitæ, quàm de libro amiſſo texat querelam. Num.21,14. in originali lingua eſt *Sepher*, quod non ſolùm librum ſed etiam recenſionem ſignificat. Non igitur neceſſum eſt, ut de peculiari libro bellorum Domini accipiamus. Sic enim dicendum erat, *in enarratione bellorum Domini*. Quò pertinet, quòd Arias *Jaamar* vertit, *dicetur*. Deinde vel in canone fuiſſe omnes, ait, vel negat. Si negat, cur huc affert, ubi de canonica ſcriptura quæritur? Sin affirmat, primùm transigat cum ſocio Stapletono id inficiante ſtrenuè contra Witakerum, itemque Gloſſa ordinaria, quæ librum ſub Enochi nomine ab alio compoſitum exſtitiſſe & apocryphum inde teſtimonium à Juda transſumptum eſſe, monet in ep. Judæ, aut ſi mavult, cum Hieronymo & Auguſtino, qui jàm olim in apocryphis cenſuerunt. Ille lib. de Eccleſ. Script: Iſte lib. 18. de civ. D. c. 38. quam communem eſſe opinionem, ſcribit Leonhardus Coquæus comm. in lib. 15. de civ. D. c. 23. Et ſanè aliqui libri citati fortaſſe rectiùs de forenſibus actis publicis accipiuntur, nempe liber recti, Joſ. 11, 13. liber rerum Salomonis, 1. Reg. 11, 41. verba Chozái de Manaſſe, 2. Chron. 33, 19. Chronica Johannis Hircani neceſſariò de actis publicis accipiuntur, cùm illo tempore non fuerint Prophetæ, qui libros canonicos ſcriberent. Non ſolùm hunc, ſed & reliquos libros, quos Becanus periiſſe, contendit, non fuiſſe canonicos, diſertè monet Pererius in præfat. comm. in Geneſ. & Salmero rationibus confirmat in prolegomenis commentar. in Novum teſt. Ex nudâ citatione non ſolidè concluditur, canonicos fuiſſe. Nam Annales Perſici citantur Eſther. 2, 23. 9, 32. 10, 2. quos nemo Jeſuitarum canonicos eſſe, dicet.

IX. Si putet, *ſufficere nomen Prophetarum, quibus iſti libri tribuantur*; Primò non omnes libri citati præ ſe ferunt Prophetarum nomina : Liber recti, Joſ. 11, 13. & liber rerum Salomonis, 1. Reg. 11, 41. non tribuuntur Prophetis. Secundò. Johannem Hircanum Prophetam fuiſſe, Jeſuita probet, ſub cujus nomine librum dierum ſacerdotii citat ex 1. Maccab. 16, 24. vel ex hoc catalogo deleat. Tertiò meminerit Auguſtini exiſtimantis, etiam ipſos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis eſſe deberent, ſanctus utique Spiritus revelabat, alia ſicut homines hiſtoricâ diligentiâ, alia ſicut Prophetas inſpiratione divinâ ſcribere potuiſſe, atque hæc

hæc ita fuiſſe diſtincta, ut illa tanquam ipſis, iſta verò tanquam Deo per ipſos loquenti, judicarentur eſſe tribuenda : ac ſic illa pertinuiſſe ad *ubertatem cognitionis*, hæc ad *religionis auctoritatem*, in qua auctoritate cuſtoditur canon, libr. 18. de civ. D. c. 38. Idem dicit, multa ſub nominibus Prophetarum & Apoſtolorum proferri ab hæreticis, quæ ſub ratione apocryphorum ab auctoritate canonica examinatione diligenti remota ſint, lib. 15. de c. D. c. 23. Etſi igitur obtineret Becanus, librum recti & rerum Salomonis ab aliquo Propheta eſſe conſignatum, non tamen concederet Auguſtinus, ideo fuiſſe canonicum.

X. Quartò. Quòd libri, qui quidem fuerunt Eccleſiaſtici & ſub Prophetarum nomine citati, perierint, quomodo probabit Becanus, nobis negantibus? Nec quisquam ex puriore Antiquitate, nec Chriſtus, nec Apoſtoli meminerunt ullius libri, qui in noſtro canone non exſtet adhuc hodie. Dicit, *librum ſermonum dierum Regum Juda non exſtare*. Gloſſa interlinearis dicit, intelligi libros Paralipomenon, qui ſanè exſtant. Becanus *librum Samuelis videntis de rebus à Davide geſtis*, itemque *librum Nathanis*, & *librum Gad videntis de iisdem* nominat ex 1. Paral. 29. 29. Librum Samuelis de primo & ſecundo Regum exponit Lyra, Burgenſis de primo accipit, at librum Nathanis & Gadis de ſecundo & tertio Regum. Non igitur perierunt, ſed intelligimus, hiſtoriam illam Davidis, quam hodie habemus, à Samuele, Nathane & Gade eſſe conſcriptam. Librum Nathanis Prophetæ, itemque Ahiæ Silonitæ, & viſionem Iddonis videntis contra Jeroboamum filium Nebath diverſos fuiſſe ab hiſtoria Regum, quam hodie habemus, unde probabit? Donec firma argumenta afferantur, nobis veriſimilius videtur, tres illos ſcripſiſſe principium primi libri Regum ex eadem cauſa, ob quam Burgenſis hiſtoriam Davidis illis vindicat, quia Prophetæ illi regum iſtorum contemporanei. Hiſtoriam Regum Iſraël conſcriptā à Jehu filio Hanani citatam 2. Paralip. 20, 34. quo argumento diverſam faciet ab hiſtoria deſcripta 1. Reg. 16. usque ad finem libri & in principio ſecundi? Hiſtoriam *Uziæ Regis* ſcriptam à Jeſaia, cujus fit mentio 2. Paral. 26, 22. habemus partim in ſecundo Regum, partim in ejus Prophetia. Extra utrumque librum ſi quid fuit ſcriptum, probet, id fuiſſe in canone, & non pertinuiſſe ad acta forenſia. Lamentationem Jeremiæ in funere Joſiæ Regis laudatam 2. Paral. 35, 25. inter non exſtantes numerare Becanum, multi fortaſſe mirabuntur, cùm in libro cinoth, id eſt, lamentationum, in canonicis ſcripturis adhuc exſtare hodie, moneat Hieronymus in procem. com. in Thren. & ex R. Salomone repetat Lyra in h. l. & in c. 4. Thren. Sed eum deſiderare librum Jeremiæ de vaſtatione Babylonis, mireris magis. Volumen de ſubverſione Babylonis, quod Jeremias dedit Seraiæ, ab illo demerſum eſſe in Euphrate, non nego; textus enim clarè docet : at Prophetiam quæ in illo volumine erat ſcripta, periiſſe, nego. Exſtat enim capite quinquageſimo & quinquageſimo primo deſcripta. Planè ſicut biblia non pereunt, etſi unus atque alter codex pereat. Probo. In

Universidad de Deusto
Biblioteca

bo. In textu lego, c. 51, 60. *postquàm descripsisset Jeremia totum malum, quod eventurum erat contra Babylonem, in libro uno, omnia verba hæc, quæ sunt scripta contra Babylonem.* Jam clarum. Descripsit in uno libro omnia verba hæc, nempe quæ scripserat contra Babylonem c. 50. & 51. Illam prophetiam habemus adhuc hodie, Dei beneficio. A nobis stat Theodoretus comm. in h. l. ubi asserit, eandem prophetiam, quam hîc prædixerit, (c. 50. 51.) jussu Dei scripsisse & librum dedisse Seraiæ. Veritati si non acquiescir Sophista, age probet, fuisse ab hac diversam. Hoc tenetur; At non potest.

XI. Porrò volumen Jeremiæ de eversione urbis & captivitate populi combustum, Jerem. 36. desiderat. Combustum esse volumen, novimus: Illúdne verò magnam lucem lectori erat allaturum, si exstaret? at quia non exstat, ambiguum relinquit & suspensum? Sic homo philosophatur. Atqui Jeremias accipiens volumen alterum tradidit ipsum Baruch, filio Nerijæ, scribæ, qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnia verba libri, quē exusserat Rex Jehudæ igne, & adhuc addita sunt illis verba multa ejusmodi. Sic Propheta ipse cap. 36. v. 32. Jam eat & clamet Jesuita, lectorem ambiguum & suspensum teneri, quia non exstet volumen Jeremiæ. Verba, quæ in illo volumine altero Baruch scripsit ex ore Jeremiæ, num perierunt? non exstant hodie in bibliis?

XII. Ex 2. Maccab. 2, 1. descriptiones Jeremiæ fuisse, sed periisse concludit. Acutè. Ego fabulam de ignis & arcæ abscondione ibi lego, itemque quòd invenitur in scriptis, Jeremiam Prophetam præcepisse deportandis, ut ignem acciperent, v. 1. Lego, fuisse in eadem scriptura, Jeremiam arcam & tabernaculum & altare secum tulisse & abscondisse in spelunca, id est, insignem fabulam lego, v. 45. & seq. At descriptiones Jeremiæ ibi non invenio. Laudo verba; ἐυρίσκεται ἐν ταῖς ἀπογραφαῖς Ἱερεμίας ὁ προφήτης, ὅτι ἐκέλευσε τῷ πυρὸς λαβεῖν τὸς μεταγενομένους. Pro quo nobis Jesuita supponit *in descriptionibus Jeremiæ*, mutato nominativo in genitivum, audaciâ intolerabili, quæ non alio nititur fundamento, quàm prava latini Interpretis versione.

XIII. Non jam inquiram, quomodo libri, quos Jesuita periisse, queritur, nos exstare ostendimus, lectorem suspensum & ambiguum relinquant. De verè amissis exponat, Num lectorem suspensum teneant in rebus necessariò ad fidem pertinentibus, an in aliis? Si in aliis, nihil ad rem, quia de rebus fidei quæritur. Si in illis, jam campum sibi aperuit ipse, in quem exspaciatus id probet fortiter. Donec enim probet, frustrà catalogum librorum struit. Lector, si omnes textus citatos inspiciat, intelliget apertè de rebus historicis ibi agi, quarum ignorantia non derogat saluti.

XIV. Hactenus sex fuerunt argumenta, quæ fusiùs tractavit Jesuita; quatuor restant, quæ obiter se tangere velle dicit. Septimum igitur est; Quòd *aliquando connectantur sententiæ, inter quas vel connexio non sit, vel non appareat.* Octavum, quòd *sæpè occurrant hebraismi.* Nonum, quòd *sæpè non videatur apertè responderi ad quæstionem propositam.* Decimum,

notat Sophista, in quibus ambigua verba occurrunt, toties aberrat à janua, cùm à parte ad totum non valere consequentiam, ipsis etiam constet pueris. Ita obscurus & difficilis est textus 1. Corinth. 3, 11. qui tamen ex ipsa scriptura explicari potest: ut ostendi in commentario meo De purgatorio & infrà ubi ea controversia tractabitur, Deo dante, patebit. Obscurus quoque est textus 1. Corinth. 15, 29. de baptismo super mortuos, idque ex ignoratione ritus antiqui. Unde exstant variæ interpretationes, tum veterum, tum recentium. De quibus libro citato egi & agetur suo loco. Similiter textus Hebr. 6, 4. inter faciles numerari non potest, & ex ejus pravo intellectu hæresin Novatianorum ortam esse, constat; non tamen est tam obscurus, quin ex ipsa scriptura sensus verus possit erui & contra Novatianos defendi. Illi jactabant, semel illuminatos & baptizatos, si peccent, non posse, ex Apostoli sententia, ad pœnitentiam renovari; ideo lapsos nunquam recipiebant in communionem, præcluso illis aditu gratiæ. Nempe verba extendebant ad quemvis lapsum. Verùm non loqui Apostolum de quovis lapsu post baptismum, satis apparet tum ex impossibilitate conversionis & reconciliationis, tum ex causis impossibilitatis. Ex impossibilitate *conversionis*; Dicit n. fieri non posse, ut tales ad pœnitētiam renoventur. At scriptura testis, multos, qui post illuminationem lapsi sunt, renovatos esse ad pœnitentiam. Lapsus David 2. Samuel. 12. lapsus Petrus Matth. 26. lapsus incestuosus 1. Corinth. 5, Renovati tamen sunt ad pœnitentiam. Confer 2. Sam. 12, 13. Psalm. 51. Matth. 26, 75. 2. Cor.

mum, quòd *sæpe verba ambigua sint, ut ægrè discerni queat, quo sensu accipi debeant*; ut nominatim 1. Corinth. 3, 11. & seqq. 15, 29. & Hebr. 6, 4. & seqq. &c. primò. Concedo minorem; majorem omissam nego. Etsi enim sæpe connectantur sententiæ, inter quas non est, aut saltem non satis apparet connexio, non tamen ideo totum scripturæ corpus est obscurum; imò ne quidem semper illos locos obscuros esse, ostendit Proverbiorū liber, ubi ejus rei exempla occurrunt plurima. Secundò. Hebraismi non semper rem obscurant. Intelligant eos pauci, ergóne in se obscuri? Vitium & defectum lectoris num imputabimus scripturæ? Nisi fortè hebraismos in se obscuritatem circumferre, probes. At Hebræi intelligunt hebraismos citra difficultatem. Sicut græcismos Græci, & alii populi suarum linguarum formulas peculiares. Si quæ igitur hinc obscuritas nascitur, ea non hæret in scriptura, sed in legente. Tertiò. Spiritus Sanctus nusquam ineptè respōdet ad quæstionem propositam. Si aliud videtur, homo, cui sic videtur, suam accuset hebetudinem, & in timore Dei rebus animum intendat, non calumnietur scripturæ obscuritatem. Et quæso, si post mediocrem considerationem alicubi id cuiquam porrò videatur fieri, quantula illa fuerit particula, si cum toto scripturæ corpore comparetur? Quartò. Idem de verborum ambiguitatibus dictum putabis. Non quærimus de omnibus scripturæ textibus, an sint perspicui, sed de toto scripturæ corpore in rebus ad fidem necessariò pertinentibus. Jam sæpiùs id monuimus ab initio idem protestati. Quoties igitur particulares quosdam textus

Universidad de Deusto
Biblioteca

2,6.7.8. Ex impossibilitate *reconciliationis*; Ait enim; *Si ultrò peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia*, Hebr.10,26. Ex *causis impossibilitatis*; Quia rursum crucifigunt sibimet ipsis filium Dei; quia ad ignominiam exponunt; quia conculcant; quia sanguinem federis, per quem fuerant sanctificati, profanum ducunt, & Spiritum gratiæ contumeliâ afficiunt, Hebr.6,6.10,29. Hæ causæ non habent locum in omnibus, qui post baptismum peccant, sed in iis qui peccant in Spiritum Sanctum. Unde si omnia diligenter expendamus, & cum Heb. 10. conferamus, mox patebit, hunc esse Apostoli sensum, nempe fieri non posse, ut qui peccatum in Spiritum Sanctum committunt, resipiscant ad salutem; sicut Christus ait, Matth.12,32, *Quisquis autem fuerit locutus adversus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro seculo.* Confer Mar.3,29. Luc.12,10.

Sect. VI.

Expenduntur Becani causæ, cur Deus Scripturam obscuram esse, voluerit.

I. HActenus de primo actum. Deinceps disputat Becanus, cur Deus scripturam obscuram esse, voluerit, variis causis in medium allatis. De obscuritate, qualem nos agnoscimus, & quæstio rectè se habet, & causæ locum inveniunt: Ejus, quam Becanus somniat cum suis, quærere causas, alienum, donec fuerit probata solidè. Si perspicuitatis utilitates, quæ & plurimæ sunt & maximæ, ego enarrem, an adversarii scripturam perspicuam esse, fatebuntur? Si fatebuntur, vicimus igitur. Si negabunt, cur obscuritatis utilitates nobis commendant, priusquàm obscuritatem scripturæ demonstrarunt? Audiamus tamen utilitates singulas. Sicut professi sumus ab initio, idque ex communi Evangelico-Catholicorum consensu, non omnia in scripturis esse perspicua, facilia & cuivis obvia, sed multa difficilia, obscura multa, quæ vix à doctissimis viris hîc plenè intelligantur, sic minimè dubitamus, quin justæ Deo fuerint causæ, quas propter scripturæ perspicuitatem in omnibus ad fidem necessariò pertinentibus sic temperare voluerit, ut misceret nonnulla obscuriora & difficiliora. De quibus jam olim Patres eruditè & graviter disseruerunt. At cur Deus totum scripturę corpus tam obscurum esse, voluerit, ut ex eo voluntas ipsius in omnibus ad fidem necessariò pertinentibus non possit à Christianis certò, perspicuè & plenè cognosci sine externo supplemento, non est ut inquirat Sophista, priusquàm tantam obscuritatem firmioribus comprobaverit argumentis. Hactenus enim defecit.

II. Prima. *Deus voluit hunc servari ordinem, ut in Ecclesia alii docerent, alij discerent. At hic ordo non servaretur, si scriptura esset tam clara, ut ab omnibus intelligi & explanari possit*, Ephes.4,11. 1.Corinth.12,9. Hanc urget Becanus num.22. Sed primò frustrà est, si quidem loquatur de claritate omnium & singulorum particularium textuum, itemque omnium intelligentia, quæ sunt in scriptura. Nos enim eam non asserimus. Secundò falsò supponit,

ponit, ordinem docentium & discentium propter obscuritatem scripturæ esse in Ecclesia divinitus institutum & conservatum hactenus. Doctores officium suum etiam in facilimis scripturæ textibus faciunt, imò non tantùm explicandæ scripturæ causâ sunt dati, sed & ut omnes moneant, torpentes exhortentur, consolentur mœstos, refutent contradicentes, ad quod claritas scripturæ plurimum cõfert, obscuritas non confert. Claritas scripturæ docentium & discentium ordinem non turbat, non evertit, sed fovet, sed juvat. Semper erunt, qui discant, & habebunt tam Doctores, quàm auditores, quod discant, etsi scripturæ corpus sit perspicuum. Tertiò malè applicat, idque non citra calumniam. Dicit enim, *nos contra hunc ordinem divinum peccare, dum omnibus etiam laicis ac mulierculis permittamus libertatem legendi & interpretandi scripturam, cùm ad hoc officium à Deo minimè sint vocati, ac proinde non idonei*, num.23. Si de publico interpretandi munere loquatur, prout debet, quia ordinis in Ecclesia constituti meminit, aperta est calumnia. Neque enim nos omnibus etiam laicis & mulieribus publicum interpretandi munus permittimus, sed vindicamus personis ad id legitimè vocatis. Auget eo calumniam, quòd scribit, *nullum apud Lutheranos & Calvinistas nunc esse cauponem, sartorem & chirurgum, qui non putet suo marte scripturam intelligere aut interpretari se posse, ideóque alterius ope, vel institutione non indigere.* Si de Anabaptistis & Enthusiastis diceret, fortè non aberraret longè: at nostrates longè profitentur aliud, quippe qui & ministerii necessitatem, & publicum interpretandi munus lubentes agnoscunt, palàm commendant, constanter asserunt, & doctissimi quique fatentur, se nondum omnia exactè intelligere, sed perpetuò esse discipulos in hac Christi schola usque ad mortem. Id norunt, qui inter nostros versantur. Num ullum nominare possint Becani sodales, aliter qui sentiat, audiemus. Si quem nominarent, is certè privatum errorem proderet, non publicam nostram sententiam ederet.

III. Cæterùm si plebeji & mulieres inter nos dicant, se per Dei gratiam tantum profeciisse, ut cum fructu scripturam legant, & quæ ad salutem scitu necessaria sunt, paulatim intelligant, Spiritu sancto per scripturas lumen infundente, non est, cur clamet Becanus, sic inverti divinum ordinem, sed est de quo glorificet Deum. Manet ordo publicus, etsi etiam privatis Deus lumen fœneret. Neque adversus Dei ordinem peccamus, cùm lectionem scripturæ viris laicis & mulieribus permittimus. Id probo ex scriptura, illustro ex Patribus. In laicis censent Papistæ magistratus & subditos. De utrisque res facilis. Quin Regibus in V. testamento fuerit mandata scripturæ lectio, non est dubium. Verba enim nimis aperta Deut.17,18.16. Num solis Regibus dictum? Imò universo populo in V. testamento non solùm permittebatur, sed etiam imperabatur lectio & meditatio scripturæ assidua. Testem laudo Mosen Deut.6,6.7.8.9.c.11,18,19,20. Lex non unius, sed omnium temporum. Quomodo docerent filios suos, nisi legerent in

Universidad de Deusto
Biblioteca

lege. Illud dictum sartoribus, sutoribus, chirurgis, viris, mulieribus: Cur nostris denegatum? Num Ecclesia Christiana minoribus gaudet privilegiis, quàm Judaica? Num minùs intelligit res fidei? Si non minùs, sed magis intelligit, aut saltem magis debet intelligere, cur codicem è manu extorqueam, quem veteres versasse constat? Mosi succinit David psalmo primo inter hominis beati notas hanc collocans, quòd in lege Dei voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Hinc non removebis lectionem; omnibus autem dici, non solis sacerdotibus, clarum à toto contextu. Mosi & Davidi consentit Jesaia toti populo, citra ullius ordinis exceptionem, dicens, *Quærite ex libro Jehovæ & legite*, c.34,16.

IV. Porrò consideramus Christi sententiam dicentis Judæis, *Scrutamini scripturas*, Johan.5,39. Ne dicas, Pharisæos solos hoc tangere. Semper nominantur Judæi toto capite, nunquam Pharisæi, aut sacerdotes. *Scrutamini scripturas, Judaico populo Christus inclamavit*, inquit Cyrillus. Et nostri prohibeantur? Benè Chrysostomus homil.14.in Joh. *Dominus Judæos ad scripturas scrutandas hortatus, multò magis nos ad inquisitionem inducit.* Inde Judæi promiscuè legerunt scripturas, etiam pueri, quod in Timotheo laudat Apostolus 2.Tim.3,15. & Arias Montanus præfat.in Massoreth. de varia in hebraicis libris lectione, *Quanquam*, inquit, *divinæ legis sacri libri à Mose conscripti in tabernaculi interiori arca religiosissimè servandi depositi fuerint, multa tamen illorum exemplaria sacerdotum, quibus id munus creditum est, manu, aut aliorum operâ descripta à sacerdotibus collata & probata ad lectionis, doctrinæ & explicationis, atque omnem publicarum & privatarum usum rerum, multis ex Israëlitico populo fuere. Illi enim libri omnibus & pueris & senibus, viris & fœminis legendi propositi sunt, ad quorum normam omnes singulorum vitæ rationes institui debuere.* Breviter. Christus, cùm de scripturis scrutandis agit, non excepit ullius ordinis homines. Et tamen stetit firmus Dei ordo. Non igitur turbamus, cùm id permittimus populo, ad quod Christus hortatus est.

V. Jam si Christianæ Ecclesiæ primam ætatem videamus, occurret proselytus Eunuchus, qui legit Jesaiam, Act.8. occurrent Beroënses magna cum nominis laude inquirentes in scriptura, Act. 17,10.11. Fideles, ad quos scribit Petrus, laudem merentur, quòd attendunt sermoni prophetico, 2.Petr.1,19. Ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses scribit integras epistolas Apostolus. Nonne ut legerent epistolas ad se scriptas aliasque scripturas? Certè legebant, 2.Cor.1,13. Eph.3,4. Colossenses non solùm ad lectionem obligat, sed & ut curent legi in Laodicensium Ecclesia, Coloss.4,16. Adjurat Thessalonicenses, ut legatur epistola omnibus sanctis fratribus, 1.Thessal.5,28. Num hinc opifices & mulieres excluduntur? Num soli clerici sancti fratres? Audiemus. Aliud ex scriptis Apostolicis hactenus docti sumus. Nec nobis persuaderi facilè patiemur, eos à scripturarum lectione repulsos esse, auctoritate Pauli, quibus scriptum legimus Coloss.3,16. *Sermo Christi habitet in vobis copiosè cum omni sapientia, docendo & commonefaciendo vos mutuò psalmis, hymnis & cantionibus spiritualibus cum gratia canentes in corde vestro Domino.* Sanè Chrysostomus, cùm in hæc verba incidit, sic suos alloquitur homil.9. *Audite, quotquot estis mundani & uxoribus præstis ac liberis, quomodo & vobis potissimùm præcipiat scripturas legere, idq; non simpliciter, neque obiter, sed magnâ diligentiâ.* Et infrà, *Audite, obsecro, seculares omnes. Comparate vobis biblia animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel novum testamentum acquirite, Apostolorum actus, Evangelia, continuos ac sedulos doctores. Si acciderit mœstitia, huc velut ad apothecam pharmacorum accumbe. Hinc tibi sume solamen mali, sive damnum evenerit, sive mors, sive amissio domesticorum. Imò non accumbe solùm, sed omnia menteque illa contine. Hoc demum malorum omnium causa est, quòd scripturæ ignorantur.* Sic Moses, sic Christus, sic Apostoli. Jam tu cogita, illine meliùs norint, quâ re violetur ordo Dei in Ecclesia, an Becanus? Si violatur, cur illi sutoribus, sartoribus, viris, mulieribus, senibus, pueris permiserunt scripturam? Imò cur illis inscripserunt suas epistolas Apostoli? Nisi fortè inter Corinthios, Galatas, Ephesios, Colossenses, Philippenses, Thessalonicenses, quibus Paulus suas destinavit epistolas legendas, nulli fuerunt opifices, nullæ mulieres, aut his non inscriptæ. Ne dicam de Canonicis, quas omnibus omnium temporum fidelibus destinatas esse, planissimum. Unum addo. Sit pater multorum liberorum, unus fiat verbi præco, alter judex, tertius medicus, alius mercator, alius opifex, alius nauta. Non violatur ordo divinitus institutus, si omnes paternum testamentum legant in lingua vernacula. Cur ergo violetur, si plebeji ac mulieres cum sacerdotibus legant scripturam? Nonne est testamentum Patris, quo voluntatem suam ergo omnes declaravit? Si non violatur, quid nobis insultat morosus Sophista?

VI. Solent Papistæ passim jactare Antiquitatem. Consule super quæstione proposita Ecclesiam tum Græcam, tum Latinam, & judica pie lector, nosne violemus Dei ordinem, an Sophistæ insidientur libertati omnibus Christianis divinitus concessæ, qui aliquando eò progrediuntur, ut ad ignem Christianos rapiant ob scripturæ lectionem? Si Ecclesiam Græcam consulas, respondebit tibi Eusebius Cæsar. lib. 12. de Præparat. Evang. *Apud nos iis, qui tum primùm introducuntur, habitu nondum perfecto, animóque ipso quasi dum pueris traditur lectio divinarum scripturarum simpliciùs & faciliùs, jussis prius iis omnibus credere, quæ occurrent tanquam Dei verbis: Iis verò quorum habitus est provectior, canisq; judicium permittitur altiùs inquirere ac dijudicare, quis sit eorum sensus, quæ dicuntur.* Respondebit Origenes in Jesa.cap.2. *Utinam omnes faceremus, quod scriptum est, Scrutamini scripturas.* Gregorius Nazianzenus Orat.25.in laudem Gorg. sororem suam Gorgoniam eo nomine commendat, quòd nemo sit virorum, qui divinorum oraculorum lectione & explicatione eam à se superatam, gloriari possit. Si velis te excusare, quòd non sis monachus, aut clericus, respõdebit Chrysostomus hom.2.in Matth. *Quænam verò est*

Universidad de Deusto
Biblioteca

est horum criminum excusatio? Non sum (inquit) *monachus, sed & uxorem habeo & filios, & domum curare oportet. Enimverò hoc illud est, quod omnia quasi quadam peste corrumpit, quòd illis solis existimetis convenire lectionem divinarum scripturarum, cùm sit vobis multò magis necessaria. Iis enim qui versantur in medio, quique vulnera quotidiè excipiunt, maximè opus est medicamentis.* Eundem consule in Gen. homil. 6. 10. 29. hom. 32. in Joh. Si sartores & sutores à scriptura porrò depulsum eat Becanus, respõdebit Theodoretus serm. 8. de curandis Græc. affectibus; *Locupleles illa liberalissimáque divinitas noluit quinque solùm decémve aut quindecim, centum aut ducentos homines aquis salutaribus recreari, sed cunctas affatim tum Græcas, tum barbaras nationes, neque solùm homines literarum studiis innutritos, sed sutores, juxtà textores quoq;, fabros item ferrarios, cæterosq;, manuales artifices, præterq;, hos ipsos etiam mendicos, agricolas, lignatores, fœminas quoque, tum divitiis affluentes, tum manuum suarum studio parcè & duriter victitãtes.* Si pueros & adolescentes à scripturæ lectione porrò velit Becanus excludere, regeret Theophylactus in Ephes. 6. *Si vis, obedire tuos filios, institue eos divinis sermonibus: neque dicas, religiosorum tantùmodo esse legere scripturas: cujuslibet enim Christiani est, maximè eorum, qui in mundo versantur, quanto majore ipsi auxilio indigent, ceu in tempestate agentes.*

VII. Si Latinam Ecclesiam consulas, respondebit Cyprianus lib. de spectaculis; *Scripturis sacris incumbat Christianus fidelis, ibi inveniet condigna fidei spectacula.* Hieronymus proponit totum scripturæ corpus Lætæ, filiæ Paulæ, in ep. ad Lætam. Demetriadem, Salvinam, Furiam, Celantiam ad scripturæ lectionem hortatur, in epistolis ad illas datis, de serv. virg. de serv. vid. & instit. matrisfam. Hedibiam & Algasiam ob lectionem scripturæ laudat, ep. 150. 151. In Marcella non tantùm laudat scripturæ lectionem, sed eò provectam scribit, ut si in aliquo scripturæ testimonio sit orta contentio, ad illam judicem pergeretur, Epist. 16. Num divinum ordinem turbat Hieronymus?

VIII. Sic de lectione. Jam diximus aliquoties, officium interpretandi publicum esse pastorum, privatum cujusvis Christiani, hoc donum à Deo habentis. Ægrè fert Becanus, nos hoc sartoribus, sutoribus & chirurgis facere commune. Atqui jam evicimus, omnes promiscuè admittendos esse ad lectionem scripturæ. Quis exhortabitur sic ad legendum, ut ab intelligentia deterreat? Debent ergo legendo intelligere. Possunt igitur & laici intelligere, Dei beneficio; ergo & suo loco interpretari. Intelligere enim est assequi verborum sensum; Interpretari est verba ad illum sensum rectè aptare. Et sanè omnium ordinum hominibus promissio facta est de intelligentia, Jesa. 54. Jerem. 31. Neque donum interpretationis Deus usquam in novo testamento alligavit certo hominum generi aut ordini, quin potiùs liberè se dare ostendit ad ædificationem Ecclesiæ, Rom. 12, 6. 1. Cor. 12, 11. Num sartoribus & sutoribus non est dictum à Paulo, *omnia probate, quod bonum est, tenete*, 1. Thessal. 5, 21. & à Johanne, *probate spiritus, an sint ex Deo*, 1. Joh. 4, 1.

IX. Di-

IX. Dicet Papista, *Nullo fructu illos legere; non enim intelligere.* Alius genius fuit primitivæ Ecclesiæ Græcæ & Latinæ. In illa Chrysostomus hom. 3. de Lazaro auditores suos, negligentiam suam excusantes, sic alloquitur; *Quid igitur*, inquiunt, *si non intelligamus ea, quæ continentur libris? Maximè quidem etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctitas. Quanquam fieri non potest, ut omnia ex æquo ignores; propterea siquidem Spiritus gratia dispensavit illa temperavitq;, quo publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores & apostoli idiotæ illiterati per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent ea, quæ dicuntur, ut & opifex & famulus & vidua mulier & omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisq;, reportaret. Non enim ad inanem gloriam, quemadmodum Ethnici, sed ad audientium salutem hæc omnia composuerunt, quos ab initio Deus dignatus est gratia Spiritus. Si quidem hi qui sunt à Christo alieni philosophi dicendi artifices, rhetores ac librorum conscriptores, non quod in commune conducit quærentes, sed illud spectantes, quòd ipsi sint in admiratione, etiamsi quid utile dixerint; hoc quoque, quemadmodum in caligine quadam sapientiæ consueta illis occultavit obscuritas. Apostoli verò ac Prophetæ omnia contrà fecerunt, manifesta claraq;, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, è sola lectione.* Infrà. *Cui non sunt manifesta, quæcunque in Evangelio scripta sunt? Quis audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundi cordis, cæteraq;, hujusmodi, desiderabit præceptorem, ut aliquid eorum discat, quæ dicuntur? Quin etiam signa, miracula, historiæ, nonne cuivis nota, manifestaque sunt? Prætextus iste est & causatio pigritiæq;, velamentum. Non intelligis, quæ insunt, quomodo possis aliquando intelligere, quæ ne leviter quidem inspicere velis? Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoriâ tenens, ea quæ obscura sunt, parúmque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem, communica cum his, ea quæ scripta sunt, declara vehemens studium. Et si videat te Deus tantam animi promptitudinem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam ac solicitudinem. Verùm etiamsi nullus homo te docuerit, quod quæris, ipse sine dubio reserabit.* Infrà. *Fieri non potest, non potest, inquã, fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assiduâ attentâque scripturæ lectione fruatur.*

X. In Latina scribit Augustinus libro de utilitate credendi ad Honoratum c. 6. *Quicquid est, mihi crede, in scripturis illis altum & divinum est: Inest omnino veritas & reficiendis instaurandisq;, animis accommodatissima disciplina, & planè ita modificata ut* NEMO *inde haurire* NON *possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devotè ac piè, ut vera religio poscit, accedat.* Isidor. Pelusiota l. 4. ep. 91. *Sacra & cœlestia oracula, quoniam ad universi generis humani utilitatem pronunciata scriptaque sunt, perspicuitate sunt temperata. Ex hac enim & illi, qui aliis virtutibus orationum delectantur (sunt autem hi perquàm rari) nihil quicquam detrimenti pa-*

tiun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

riuntur, semel intelligentes ea, quæ oraculis aliis continentur. Et omnes qui agriculturæ dant operam, & artificiis & cæteris occupationibus vitæ detinentur, perspicuitate plurimùm juvantur, dum & quid deceat, & quid justum, quid utile sit, in momento temporis discunt. Num adhuc sartores, sutores, alios opifices Becanus excludet?

XI. At *sicut in humano corpore multa sunt membra, & non omnia eundem actum exercent, ita in Ecclesia multi sunt fideles, & non omnes eandem à Deo gratiam & operationem habent*, num.22. Rectè. Ideo debet quisque se continere intra vocationis suæ terminos. Sunt autem quædam omnibus communes actiones: Credere, sperare, orare, charitatem exercere. Sunt adminicula omnibus communia, quò pertinet scripturæ scrutinium. Quod vel hinc cognoscas, quia salvo membrorum & donorum discrimine, Apostolus non solùm admisit sed etiam vocavit suos ad scripturæ lectionem, & ut judicent de dictis, 1.Cor.10,15. Similitudo ad discrimina officiorum & operationum pertinet. Non sunt omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes doctores, 1.Cor. 12. non omnes gubernant, non omnes ministrant, Rom.12. At omnes orant, omnes meditãtur in lege Dei, qui possunt, omnes promiscuè legunt scripturam.

XII. Dicis, *Sicut oculi non usurpant sibi officium audiendi, nec aures videndi* &c. *Sic in Ecclesia non omnes debent usurpare officium docendi, nec omnes scripturam interpretandi, nec omnes miracula operandi.* Postremum est extraordinarium, & frustrà jactatur ab omnibus, quippe paucis datum. Imò fieri potest, ut aliquando nemo in Ecclesia magis habeat, quàm donum linguarum. De publico docendi & scripturas interpretandi munere concedo, ut suprà: sed de institutione privata nego. Tenentur parentes suos filios docere, Deut.6. & vir quisque proximum suum, pro doni ratione, Coloss.3,16. Non autem sequitur. Non licet quibusvis docere & scripturas interpretari publicè. Ergo laicis non licet scripturam legere, sensum scrutari, suis de eo loqui; & tamen tum in Ecclesia, tum in familia manet illud verum, quòd oculi sibi non usurpant officium audiendi, nec aures videndi.

XIII. Jubemur audire illud Apostoli 1.Corinth.12,21. *Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij.* Audimus & fidem adhibemus magistro communi loquenti per Apostolum. Imò opponimus omnibus, quicunque Sanctorum communionem & mutua officia destructum eunt. His verbis homines plebejos viros fœminasque arceri à scripturæ lectione, id verò negamus constantissimè. Consequentia enim hæc erit, quam etiam nostri ridebunt pueruli; Qui egent aliorum opera, iis non licet scripturas legere, ejusque sensum scrutari. An nulli clerici egent aliorum opera? addo, etiam in intelligenda scriptura? Nempe aut singulos clericos aliis membris rectè dicere, *vestra opera non indigemus*, affirmet Jesuita, aut eosdem, nullo personarum discrimine, arceat à scripturæ lectione & interpretatione, aut consequentiæ suæ mittat nuncium tam infirmæ;

mæ; adde, tam insulsæ. Interim mireris, urgere velle Sophistam hunc textum cõtra sartores, sutores, & caupones, cùm nunquam sit concessurus, illos esse oculos & caput, clericos manum & pedes corporis. Et sanè alloquitur Apostolus iis verbis ornatos excellentioribus donis, & hortatur, ne inferiores, tanquam inutiles & nullius sint usus, contemnant: quod illi sibi dictum putent, qui hodie se oculos & caput in Ecclesia jactant.

XIV. Audire jubemur & illud, 1.Tim. 2,11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* & 1.Cor.14,34. *Mulieres in Ecclesia taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. Si quid autem volunt discere, domi suos viros interrogent.* Optimè. Id in omnib' nostris Ecclesiis observatur accuratè. Suggestus mulieri non patet, quamvis eruditissimæ. In sedem Romanam irrepsit fœmina Johanna Octava, quæ à servo compressa, cùm aliquandiu occultè ventrem tulisset, tandem, dum ad Lateranensem Ecclesiam proficisceretur, inter theatrum (quod Colossenum vocant à Neronis Colosso) & sanctum Clementem, doloribus circumventa peperit, eoque loci mortua. Inde celebratissima historicis. Apud nos nulla unquam suggestum occupavit. Sed meminisse debebat Becanus, Apostolum loqui de publica docendi provincia. Quin enim matres familiâs suos liberos & ancillas in pietate & vera religione instituere imò & se invicem privatim docere & cohortari debeant, illi quidem dubium esse nequit, qui vel è longinquo scripturas adspexit. Sufficit illud Proverb.31,26. *Os suum,* (mulier) *aperit sapienter, & doctrina benignitatis insidet linguæ ejus.* Et quòd Apostolus educationem non solùm patribus, sed etiam matribus commendat, Ephes.6,4. Cæterùm pius lector notet Sophisticen. Ne lectionem quidem permittit mulieribus. Num igitur hæc inter se pugnant, in silẽtio discere & scripturam legere? Imò dum legimus scripturam, in silẽtio discimus, teste Apostolo 1.Tim.3,14.15. An nemo legere debet scripturam, nisi cui permissum est publicè docere?

XV. Porrò invehitur in mulierculas nostri seculi, quæ multa garriunt de scripturis & suam sententiam in controversiis fidei interponere non erubescunt. In garrulas quominùs invehatur, non prohibemus. Cùm verò de privata sententiarum collatione, ubi omnes intra modestiæ cancellos se continent, agitur, quantum à Patrum sensu distat Becanus! Hieronymus scribit Salvinæ, *Semper in manibus tuis sit divina lectio*; Idem scribit Celantiæ epist.14. Paulam in Epitaphio laudat, quòd scripturas sanctas tenuerit memoriter. Respondet Marcellæ, Bresillæ, Hedibiæ, Algasiæ de quæstionibus è scriptura propositis. Principiæ commendat Marcellam in studio scripturarum, à qua per prata virentia, & varios voluminum divinorum flores ducatur ad eum, qui dicit in Cantico, *Ego flos campi.* Sed & ne quid desiderare possit gens adversaria, si de testimonio sit exorta contentio, Marcellæ commẽdat judicium, ut hoc ex numero septimo repetam. Contrà Papista ad rogum damnat. Becanus non tam a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pertè nudat sensum, sed indignatur, si quæ de scripturis loquantur. Argumentum postulas? Dicit, *eas imitari Evam, quæ tacere non potuerit, sed cœperit disputare cum serpente & victa deceperit virum*, Num.24. Hoc de iis facilè concedimus, quæ non satis fundatæ cum Jesuitis & similibus Ecclesiæ pestibus congrediuntur familiariùs: decipiuntur ab illis facilè, & deceptæ turbant alios. Sed scripturam legere & ex ea vel cum fidelibus pastoribus, vel cum Christianis conferre, non est disputare cum serpente, nec inde metuendum est venenum, aut ruina, quã serpens antiquus molitur hodie .on solùm mulierculis, sed & omnium ordinum viris per suos emissarios Jesuitas. Nec victa est Eva, quòd legisset scripturam, quæ non exstabat, sed quòd non inhæreret verbo, quod erat propositum à Deo, sed fidem adhiberet dæmoni extra & sine verbo Dei loquenti; Sicut hodie corruunt omnes sive fœminæ, sive viri, quicunque, neglecto verbo Dei scripto, attendunt hominum traditionibus, quibus verbi puritas contaminatur.

XVI. Redimus ad rationes obscuritatis à Becano recensitas. Secunda igitur hæc est, *Si facilis esset scriptura, non tantùm à fidelibus intelligeretur in Ecclesia, sed etiam ab infidelibus extrà Ecclesiam, & sic paulatim majestas & auctoritas ipsius labefactaretur*, Num.25. *Primò* facilitas scripturæ & majestatem & auctoritatem ejus minimè labefactat. Patet à communi hypothesi. Decalogum, orationem Dominicam, & symbolum apostolicum in facilibus & perspicuis Papistæ numerant; num inde perit capitum illorum Christianæ doctrinæ præcipuorum majestas & auctoritas? Hoc jam negabunt Papistæ. Certè negare debent. Facilitas ergo scripturæ ejusdem majestatem & auctoritatem non perimit, non lædit. Gentiles auctoritatem & admirationem sui captabant ex obscuritate, non captat Spiritus Dei. Audivimus eam in sententiam Chrysostomum paulò antè. *Secundò* inde labefactari paulatim scripturæ auctoritatem, si intelligatur à fidelibus, præcisè nego. Quin potiùs etsi intelligatur à fidelibus, salva tamen esse potest ejus majestas. Id discas comparatione vivi præconii cum scriptura. Non vilescit auctoritas concionis ex eo, quòd intelligitur à fidelibus omnibus. Cur igitur scripturæ majestas periclitetur, si à fidelibus omnibus intelligatur? Imò tanto major est, quanto intelligitur clariùs. Admirantur enim fideles divinum doctrinæ scriptæ genus, de quo, rerum magnitudine, legis puritate ac admirabili justitiæ & misericordiæ divinæ temperamento, in Evangelio refulgente convincuntur, admirantur styli majestatem, & mirificũ consensum, Dei sapientiam & bonitatem admirantur, mysteria tam sublimia tam ab humana ratione abscondita abstrusaque tam planè tam perspicuè proponentis, ut etiam homines viles intelligere queant, quantum ipsis ad salutem sufficit. Denique admirantur efficaciam doctrinæ in convertendis incredulis, in terrendis, in consolandis, in regendis hominibus.

XVII. Tertiò jam perire majestatem scripturæ, si intelligatur ab infidelibus, quo probant argumento adversarii? Intelligant infideles Decalogum, intelligant symbolum Apostolorum & orationem Domini, num ideo inter Christianos auctoritatem majestatemque suam amittunt? Quemadmodum solis pulchritudini ac dignitati nihil decedit, si ab omnibus conspiciatur, etiam ab improbis, sic auctoritatis jactura ex eo metuenda non est scripturæ, si intelligatur ab infidelibus. Quanquam non sit, cur huc progrediamur. Potest enim corpus scripturæ esse in se lucidum, & præbere lucem Christianis in rebus ad fidem pertinentibus sufficientem, ut tamen non æquè intelligatur ab infidelibus. Ad intelligentiam enim præterea opus est interno lumine Spiritus sancti, quod auctor scripturæ dispẽsat, q bus vult, ꝓ suo arbitrio. *Quartò.* Cæterum quod Christus de sancto non dando canibus & margaritis non objiciendis porcis dicit, huc transferre valde alienum est. Quid enim fidelibus cum canibus & porcis est commercii? Nec hoc quidem sensu infidelibus rectè accommodatur, cùm Christus Apostolis præscribat regulam ministerii, ne pervicacibus Evangelii hostibus illius mysteria seorsim aperiant, non explicet modum in scripturis edendis vel observatum à Deo, vel deinceps observandum. Certè non magis hinc scripturæ, quàm vivi præconii obscuritas potest concludi.

XVIII. Thomæ & Augustini auctoritatem frustrà nobis opponit. Thomæ quidem; Nam primò non docet, Christum Matth.7. mandare suis, ut scripturam obscurè concipiant & consignent, ne infideles irrisores intelligant, vel de-

rideant perspicuè editam; sed dicit, occultationem figurarum utilem esse contra irrisiones infidelium, nempe quia stylum rudem & simplicem facilè contemnunt. Secundò perspicuitati scripturæ non detrahit, sed potiùs eam asserit. Patet à verbis integris 1.p.q.1.art.9. contra metaphoras scripturæ sibi objicit, *Hæc doctrina videtur esse ordinata ad veritatis manifestationem; unde & manifestatoribus eius præmium promittitur; Sed per hujusmodi similitudines veritas occultatur. Non ergo competit huic doctrinæ divina tradere sub similitudine corporalium rerum.* Respondet; *Radius divinæ revelationis non destruitur propter figuras sensibiles, quibus circumvelatur; ut dicit Dionysius: sed remanet in sua veritate, ut mentes, quibus fit revelatio, non permittat in similitudinibus permanere: sed elevet eas ad cognitionem intelligibilium, & per eos quibus revelatio facta est, alii etiam circa hoc instruantur. Unde ea quæ in uno loco scripturæ traduntur sub metaphoris, in aliis locis* EXPRESSIUS *exponuntur: & ipsa etiam occultatio figurarum utilis est ad exercitium studiosorum, & contra irrisiones infidelium, de quibus dicitur* Matth.7. *Nolite sanctum dare canibus.* Augustini auctoritatem frustrà objicit; Nam primò is non est auctor homiliarum in Apocalypsin, quod constare, dicunt Lovanienses. Nicolaus Zegerus apud illos, tribuit Tichonio. Deinde auctor, quisquis sit, nec explicat verba Christi apud Matthæum, nec generatim loquitur de scriptura, sed de obsignatione verborum, quæ locuta sunt tonitrua. Imò præterea docet, aliis obsignatum esse verbum Dei, aliis non esse obsignatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Perseverantibus in impietate esse obsignatum, servis Dei non item. Hincne tu cõcludas obscuritatem Scripturæ Papisticam?

XIX. Tertia. *Si scriptura esset facilis & perspicua, non solum apud infideles, sed etiam apud Christianos esset in minori æstimatione, quàm par est. Imò non paucis esset occasio superbiæ & arrogantiæ. Nam si viderent omnia, quæ de altissimis mysteriis disputantur, plana & obvia sibi esse, sine dubio magni se facerent & suo ingenio ac industriâ putarent omnia comprehendere se posse. Nunc contrà fit. Vident tantam esse scripturæ obscuritatem, ut suis viribus eam superare non possint, ideóque & aliorum institutione se indigere sentiunt, & ad Deum seriò confugiunt, ut ipsorum mentem illuminet, & mysteriorum arcana patefaciat.* Speciosè fortassis hoc totum diceretur, si omnia essent æquè facilia & perspicua in scriptura. At nec rectè, nec quidem speciosè dictum, postquàm totum scripturæ corpus tam perspicuum à nobis asseritur, ut ex eo Dei voluntas de omnibus ad fidem necessariò pertinentibus certò, perspicuè & plenè à Christianis cognosci possit sine externo supplemento. Sunt enim perspicuo corpori particulæ quædam obscuriores remixtæ, quæ dolent nostram superbiam & arrogantiam. Huc pertinet illud Gregorii Rom. in præfat: ad Leandrum in exposit: Jobi cap. 4. *Divinus sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutriat: Servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quippe fluvius (ut ita dixerim) planus & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* Quid? prorsùs nego, ex perspicuitate scripturæ, qualem nos defendimus, ejus auctoritatem inter Christianos minui. Me rectè negare, vel ex eo intelligas, 1. quòd quo clariùs mysteria proponuntur, eo pleniùs intelliguntur: quo pleniùs intelliguntur, eo majoris æstimantur. 2. Quòd verbum prædicatum non facit auctoritatis jacturam ex perspicuitate. Eadem autem prædicati & scripti verbi ratio. 3. Quòd interpretes in id operam suam conferunt, ut quàm fieri potest planissimum sensum reddant. Aut igitur illi auctoritatem scripturæ minuunt studio singulari, aut Becanus falsus est & futilis.

XX. Ad superbiam & arrogantiam cum sermonem transfert, *primò* committit elenchum accidentis. Claritas & facilitas scripturæ per se arrogantiam non gignit. Si quis inde præsumat de suis viribus, id totum fit per accidens, proinde scripturæ minimè imputandum. Nam 1. Illa damnat ubique superbiam & arrogantiam, humilitatem ubiq; suadet. 2. Disertè testatur, animalem hominem non percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei, nisi Deus lumen infundat. 3. Claritas potiùs superbiam & arrogantiam deprimit. Quis enim arrogantiùs se efferat, quòd perspicua, plana & facilia cognoscat? Num primorum elementorum cognitio est justa superbiæ occasio? Sic non facilè inveneris aut nominaveris, qui se extulerint propter eorum intelligentiam, quæ quibusvis in scriptura sunt obvia. At ex obscurorum intellectu nonnulli se aliis præferunt. Secundò. Etsi scriptura omnia ad salutem scitu necessaria perspicuè proponat,

ponat, mysteriorum tamen salutis sublimitas & difficultas superbiam deprimit. Exemplum cape. Veritas Trinitatis, incarnationis & resurrectionis carnis in scriptura tam clarè exposita est, ut à Christianis sine externo supplemento queat intelligi. Nemo tamen inde justam habet superbiendi occasionem, imò pii virium suarum imbecillitatem ex eo agnoscunt, quòd nihil eorum assequi possint, præterquàm quod in scriptura revelatum est. Tertiò. Quid? Pii etiam in facilibus indigent illuminatione Dei, quam petere tenentur. Nisi Papistæ ad symboli apostolici, orationis dominicæ & decalogi cognitionem opus non habeant divino lumine. Ea enim ipsi censent in facilium numero. Becanus dicit, scripturæ sensum non posse haberi, nisi ab eo qui scripturæ auctor est. Verissimè dictum. An verò solùm de obscuris textibus? non verum de tota scriptura? Ergo licet facilis sit scriptura, tamen ejus sensus à Deo peti debet. Facessere ergo debet omnis superbia & arrogantia.

XXI. Cæterùm Deo non defuerunt causæ, cur claro & perspicuo scripturæ corpori obscuras & difficiles particulas inserere vellet; Deus voluit nostram excitare diligentiam in ea legenda, scrutanda, meditanda, conferenda, cum socordia facilè potuisset nobis obrepere, si omnia fuissent æquè plana & aperta. Origenes hom. 9. in Exod. *Apostolus, ut sibi moris est, aperit pauca de multis, ut clausum quidem sit negligentibus, inveniatur autem à pulsantibus, & quærentibus aperiatur.* Deus voluit fastidium à nobis removere, quod ferè nos invadit, ubi omnia sunt expedita. Imò voluit nos ad interiorem sensuum ac cogitationum puritatem assuefacere, cùm intelligimus, profanas mentes inanes dimitti, sanctas doctrinæ, solatii atque spiritualium fructuum plenas recedere. In primis visum est Deo hac ratione nos ad assiduas preces compellere, quarum adminiculo omnes difficultates superemus. Ita enim res omnino est comparata, ut citra Spiritus sancti lumen nunquam penetremus in salutarem mysteriorum cœlestium notitiam. Inde suæ infirmitatis memor gratiam Dei appellat ac inde lumen accersit Rex David, Psal. 119. 18. 34. 135. Sicut nulla prophetia voluntate humanâ est edita, sed ex Dei inspiratione, 2. Petr. 1, 21. Sic non hominis, sed Dei Spiritus introducit in sacra scripturarum adyta. Rectè hîc adversarius, *Scripturæ*, inquit, *sensus non potest haberi nisi ab eo, qui scripturæ auctor est.* Atqui auctor sacræ scripturæ est Spiritus Sanctus. Non igitur à Papa Romano, quippe qui non est scripturæ auctor, sed à Dei spiritu petendum lumen, quo collustrati scripturæ sensum cognoscamus è scriptura, in qua ipse loquitur. Neque capiamur summa Papæ auctoritate: Rectè enim Jesuita huc affert illud Christi, *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis,* Matth. 11, 25. Sic habent veræ causæ, quas propter Deus difficilia facilibus, obscura clarioribus, operta apertissimis remiscuit in scriptura, quarum nulla favet Sophistis tantam scripturæ obscuritatem esse vociferantibus, ut ex ea Dei voluntas de rebus ad fidem necessariò pertinentibus non possit à Christianis certò, perspicuè

Universidad de Deusto
Biblioteca

& plenè cognoſci ſine externo ſupplemento. Ideo miſſos facientes Sophiſtas, adhæremus veritati à nobis defenſæ non immeritò.

Quæstio Sexta.

An Lutherani & Calviniſtæ habeant veram Scripturam?

I. ERant alia, quę de Scriptura disputari poterant. Sed illis omiſſis, placuit Becano præſentem quæſtionem movere. Quid faciamus? Semel conſtituimus veſtigia hominis premere. Ideo premenda. Reſpondet, non habere. Nos habere, affirmamus. Suam negativam ex dictis ſic fulcire conatur; *Tria potiſſimùm in ſacra ſcriptura ſpectari debent*, 1. *Canon ſeu catalogus librorum ſcripturæ.* 2. *Verſio ſeu editio.* 3. *Senſus & interpretatio. At Lutherani & Calviniſtæ nec habent authenticum canonem, nec authenticam verſionem, nec authenticam interpretationem. E. non habent authenticam ſcripturam*, quæſt. 1. num. 1.

II. Primùm fraus occulitur in majore, quæ ſic formanda eſt, ſi quidem nos velit fortiter conſtringere; Is ſolus habet veram ſcripturam, qui habet authenticum canonem, verſionem & interpretationem, vel ut ipſe format infrà, Ille non habet veram ſcripturam, qui non habet authenticum canonem, verſionem & interpretationem. De cujus firmitate ut lector rectè judicet, ſubſumimus 1. De Patribus, qui vixerunt ante tempora Innocentii primi. Hi non habuerunt authenticum canonem, nec verſionem authenticam. Non hoc totum diſputo ex noſtra mente, ſed ex Becani hypotheſi eaque duplici; Prior eſt, quòd primus, qui canonē Veteris & Novi Teſtamēti legitimè definiverit, fuerit Innocentius Papa, q. 1. Ergo Patres ante illum quadringentis annis non habuerunt verum authenticum canonem. Poſterior. Dicit, *ſolam vulgatam latinam, quæ hodie ſub Hieronymi nomine circumfertur, eſſe authenticam*; At illam primis quadringentis annis non habuerunt Patres, nedum pro authentica agnoverunt. 2. De tota Eccleſia ante Innocentium idem ſubſumi poteſt, ex eisdem ſuppoſitionibus. 3. De Judæis ante Chriſtum idem ſtatuendum fuerit. Dicit enim primum eſſe Innocentium, qui canonem Veteris Teſtamenti conſtituerit. 4. Imò de ipſis Apoſtolis idem poteſt ſubſumi. Si enim Innocentius omnium primus legitimè definivit canonem Veteris & Novi Teſtamēti & verſio vulgata latina ſola eſt authentica, quod affirmat Becanus, nec profectò canonem, nec verſionem authenticam habuerunt Apoſtoli. Ergo nec veram ſcripturam. Blaſphemum. Ergo id ex quo ſequitur: & tamen hoc totum eſt Jeſuitæ. Porrò, ſi veram ſcripturam non habet, qui non habet authenticam interpretationem, nec ullus hæreticus habebit veram ſcripturam, nec habuerit ullus pater, nec totus Patrum chorus, nec quidem tota Eccleſia poſt Apoſtolorum tempora. Id valdè eſt abſurdum. Conſequentia de hæretico eſt manifeſta. De Patribus tum ſeparatis, tum conjunctis, deque Eccleſia tota patet inde, quia illa demum interpretatio eſt authentica, quæ immediatè à Spiritu Dei proficiſcitur: At talis extra ſcripturas poſt Apoſtolorum tempora nusquam fuit. Fatentur Patres de ſe & aliis. Nominatim Auguſtinus ab omnibus interpretibus provocat ad ipſum Paulum ſuper eo, quod ſcripſit ad Galatas, Epiſt. 19. Omnium interpretationes cenſere & juxta ſcripturam examinare licet; authenticam nec cenſere, nec examinare licet cuiquam. Poteſt igitur is quoque habere veram ſcripturam, qui nec verſionem habet authenticam, nec interpretationem. Alioqui Judæi ante Chriſtum non habuerint veram ſcripturam, quia authenticam verſionem non habuerunt: Et Sociniani, Anabaptiſtæ, alii hæretici non habebunt veram ſcripturam, quia eam ſuis gloſſis corrumpunt. At Patres multoties clamant, ſcripturas ſibi cum hæreticis eſſe communes, ſenſum diverſum.

III. Secundò confundit verſionem cum editione, quæ omnino differunt. Probo: Judæi veteris Teſtamenti editionem hebræam authenticam habuerunt, non habuerunt authenticam verſionem. Verſio enim eſt translatio ex una lingua in aliam. Apoſtolica Eccleſia primis annis habuit editionem græcam, non verſionem. Logici dicunt, copulatum axioma falſum eſſe, cujus pars una falſa eſt. At falſiſſima eſt illa pars majoris, quòd veram ſcripturam non habeat, qui non habet authenticam verſionem. Sine quo enim & ſcriptura multis ſeculis fuit ſalva & Eccleſia veram habuit ſcripturam, id ad ſcripturæ veritatem non eſt præcisè neceſſarium. At Judaica Eccleſia multis ſeculis habuit veram ſcripturam ſine verſione authentica. Sufficiebat authentica editio. Vox *editio* competit etiam originali textui.

IV. Minoris membra ſingula probare conatur. Primum de canone, quia *nec canon Lutheranorum, nec Calviniſtarum canon, qui inter ſe diſſident, fuit unquam ab Eccleſia approbatus.* R. primò. De canone Novi Teſtamenti inter nos & papatum eſt conſenſus; nec diſſident à nobis omnes Lutherani, imò multi apertè conſentiunt. Aliqui de librorum quorundam auctoribus potiùs, quàm auctoritate dubitant, exemplo nonnullorum veterum. Reliquorum, qui librorum aliquorum divinam auctoritatem in dubium vocant, non eſt habenda ratio, tum quia admodum pauci, tum quia privatam potiùs opinionem tuentur, quàm publicam Eccleſiæ ſententiam. Non refragabitur Jeſuita, niſi & paucorum Papiſtarum, qui contra communem ſociorum ſententiam cum paucis Luthericis ſentiunt, pariter hìc ſit habenda ratio, & ex illorum ſenſu canon papiſticus æſtimandus. Secundò de canone Veteris Teſtamēti, qui inter nos & Papiſtas unicè controvertitur, inter omnes quidem Evangelicos, quos ille Lutheranos & Calviniſtas appellat, eſt plenus conſenſus: at nunquam eſſe ab Eccleſia approbatum, eſt falſiſſimum. Approbatus enim eſt à veteri Judaica Eccleſia, quæ fuit vera Eccleſia Dei, non mutatus à Chriſto, ñ ab Apoſtolis. Quo ipſo ſi approbatū dixerimus, nō dixerimus falſum.

V. Probandi partes ſibi ſumit Sophiſta; *Nam*, inquiens, *à tempore Innocentii primi, ſemper in Eccleſia viguit canon Catho-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tholicorum (tu Papiſtas intellige) *qui in Concilio Tridentino conſignatus eſt*, num. 2. Semper viguiſſe, nec probare potuit ſuprà, nec probabit deinceps. Nec in Oriẽte, nec in Occidente, nec quidem in ſede Romana ſemper viguiſſe, nos demonſtravimus teſtimoniis evidentiſſimis, quæ vide ſuprà quæſtione primâ. Sed quid ſi viguiſſet ſemper ab eo tempore? Non ideo vel ille eſſet authenticus, vel noſter non authenticus. Nec enim Innocentii definitio, nec inde procedens duratio affert ἀνθεντίαν. Non *definitio*, tum quia nec facultatem habuit, quippe non immunis ab errore, nec ipſe poteſtatem univerſæ Eccleſiæ canonem authenticum præſcribẽdi à Deo accepit, nec voluntatẽ habuit, quod certò conſtet; unde Nicolaus Papa cap. *Si Romanorum*. Diſtinct. 19. non auſus diſertè affirmare, tantùm dicit, quòd *videatur ab eo eſſe prolata ſententia*; nec denique tota Eccleſia vel ab eo petiit, eiq́ue detulit, vel eum eſt ſecuta, imò ne quidem præcipui doctores, ſed contrarium tenuerunt in Oriente & Occidente, atque adeò etiam in media Italia, imò Romæ. Non *duratio*, tum quia tempus per ſe non affert doctrinæ auctoritatem, tum quia ipſius ſententiæ de Euchariſtia infantibus danda non potuit perpetuam dare auctoritatem. Exolevit enim pridem quam aſſerit Epiſtolâ tertiâ. Præterea novum eſt, à tempore Innocentii demum authenticum ſcripturæ canonem arceſſere, quaſi primitiva Eccleſia non habuerit. Noſter ſanè canon cognitus fuit & approbatus Patribus Innocentio tum antiquioribus, tum recentioribus. Probationem luculentam vide q. 1. Contrà Becanus jactat, *ante Innocentii tempora non reperiri vel duos auctores, qui in omnibus vel Lutheranorum vel Calviniſtarum canonem ſint amplexi*. Pro Lutheranis jam reſpondi. At Papiſtæ ne quidem unum habent in omnibus ſibi ὁμόψηφον ante Innocentium. Jactant ergo canonem primis quadringentis annis toti Eccleſiæ ne cognitum quidem, nedum approbatum. Quid? Ne ipſum quidem Innocentium ὁμόψηφον habent in omnibus. Nam ille numerat quinque libros Salomonis. Sic non repetit concilium Tridentinum: Ille Baruchum omittit, Tridentini numerant. Denique ille ſine anathemate ſuam ſententiam nudè proponit interrogatus; iſti magiſtraliter ſic definiunt, ut diſſentiẽtes feriant anathematis fulmine. Discrimen non obſcurum, ſed manifeſtarium. Pro canone noſtro produximus ſuprà teſtes, qui ſufficiant, & ſatis nobis eſt, ſingulos libros, de quibus inter nos & Papiſtas unicè quæritur, rejectos eſſe à multis ante & poſt Innocentium. Sed ne ampliùs jactet, ne duos quidem auctores nominari poſſe, nominamus Origenem apud Euſebium l. 6. hiſt. cap. 24. (aliis c. 25.) & multorum Aſiaticorum Epiſcoporum congregationem in concilio Laodiceno, quod Baronius in append. Annal. tom. 4. Nicæno antiquius eſſe diſputat. Convenit quippe illud concilium ex diverſis Aſiæ regionibus: Quot interfuerunt Epiſcopi, tot habemus ſuffragatores.

VI. Dehinc de *verſione* authentica, quòd eam non habeant Lutherani & Calviniſtæ, prolixè diſputat, idque quòd *multas quidem habeant, ſed novas, ſuſpectas & ab ipſis etiam damnatas*. Hoc poſtremum probat inde, 1. quòd *Lutheri verſionem carpant & multis ſannis excipiant Tigurini, Oſiandrini objiciant dolum & falſitatem, Bucerus manifeſtos & non paucos lapſus, Münſterus multorum verſuum omiſſionem*; denique *Lutherus ipſe poſt viginti annos faſſus ſit, ſe crebriùs erraſſe, eò quòd Rabbinorum gloſſis nimium crediderit*. 2. quòd *Bezæ verſionẽ damnent Caſtalio, Huberus, Brugthonus & quis non viciſſim Caſtalionis verſionem damnet Beza*. 3. quòd *Münſteri verſionem perſtringant Tigurini & Pelicanus in ſuis præfationibus*; denique quòd *Lutherus, cùm ei Tigurinorum biblia offerrẽtur, dixerit, ſe cum illis nullum poſthac commercium habere, nec eorum libros recipere, aut legere velle, quandoquidem ipſi jam damnati ſint, & alios quoque miſeros homines ſecum ad inferos abducant*. Non opus erat tot verbis. Confitemur enim, nos authenticam verſionem non habere. Verterunt Lutherus, Münſterus, Tigurini, alii totam ſcripturam, Beza novum teſtamentum: Nemo illorum ſuam verſionem jactat authenticam, nemo agnoſcit inter noſtros, omnes ſuum laborem ſubmittunt Eccleſiæ cenſuræ. Ita pereunt Becano omnia, quæ de verſionum multitudine, novitate & inſectationibus in medium proponit. Multitudo tollit ἀνθεντίαν, non mox verſiones ſuſpectas reddit & damnationi obnoxias. Suprà id demonſtratum eſt. Multæ fuerunt græcæ, innumeræ ferè latinæ verſiones. Non tamen eo nomine damnavit Eccleſia; imò multitudinis utilitatem monſtrat Auguſtinus. Nec novitas eſt damnationis juſta cauſa. Alioqui omnes damnandæ eſſent; nulla enim exſtat, quæ non aliquando nova fuerit. Niſi fortè longa duratio ἀνθεντίαν conferre poteſt. Ita græcæ verſiones veteris teſtamenti erunt authenticæ præ latina; quia illæ vetuſtiores. Noſtrorum verſiones Becanus ſuſpectas dicere potuit; nõ potuit tam facilè probare. Accuſatio nuda ſi ſufficit, quæ tandem verſio non erit ſuſpecta? Nullum argumentum proferre poterit Jeſuita, quod in vulgatam latinam non juſtè retorqueamus.

VII. Porrò falſum eſt, quòd noſtrorum verſiones ab ipſis ſint damnatæ. Quod de reprehenſionibus affert, cauſam ejus minimè juvat. A reprehenſione ad damnationem non valet ſequela. Dixerunt ſinguli, quid ſibi videretur, de aliorum opera, quamvis fortaſſe non omnes pari candore & modeſtiâ. Lutheri verſionem ſannis multis excipere Tigurini dicantur à Stoltzio in defenſione Lutheri; non convincuntur. Alicubi eam carpant Tigurini: manifeſtos & non paucos lapſus oſtẽdat Bucerus. Quid tũ? Etiam in vulgata lapſus multos & graves notant Lyra, Pagninus, Vatablus, Steuchus, Arias Montanus, omnes Papiſtæ. Num ideo mox damnant? Münſterus multorum verſuum omiſſionem quidem nominat, at non ut vel inde totam verſionem damnet, vel tam ipſos auctores accuſet, quàm typographos. Verba ſunt in præfatione; *Santes opus habet majore luce, præſertim, cùm editionem ſuã absque annotationibus emiſerit. Sunt in eo plurimi omiſſi verſus, ſicut & in Lutheri recognitione; quod non ob aliam cauſam refero quàm quòd cupiam quosdam typographos*

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse diligentiores, præsertim in libris sacris. Quòd Lutherus post viginti annos fassus sit, se errasse crebriùs, eò quòd Rabbinorum glossis nimium credidisset, non alio teste probat Becanus, quàm Cochlæo in actis Lutheri, & Lindano in Dubitantio, id est, hostibus & Lutheri & veritatis. Non notavit locum, ubi sit fassus. Nec quidē aliquid eam in rem legimus apud Lutherum tom. 8. fol. 135. & 138. Verùm id adversarii causam non juvat Nam primò nos Lutheri versionem non agnoscimus authenticam. Secundò, non sequitur, agnoscit se alicubi errasse, ut revocare cogatur: Ergo totam versionem suam damnat ipse. Tertiò Jesuita meminerit, Hieronymum nonnulla in sua versione reprehendisse, q̄ non hoste, sed ipso Hieronymo teste probamus. Legimus n. in ejus cōmentariis, & tamen dicit Bellarm. l. 2. de Verb. D. c. 9. ea retineri in versione q̄ vulgò tribuunt Hieronymo. Num ideo Hieronymns versionem suam damnat? Num vulgatam damnant Papistæ ex hac causa? De Castalione & Samuele Hubero facile est negocium. Bezæ & veritatis hostes fuerunt. Non igitur valet eorum testimonium, nisi nitatur rei evidentia. Quòd Münsteri versionem perstrinxerint Tigurini & Pelicanus in præfatione, minimè liquet. Sed perstrinxerint, Nos pro authentica non habemus. Licebat igitur. Lutherum irâ commotum nil deinceps voluisse videre eorum, quæ à Tigurinis prodirent, idque respondisse typographo Witebergensi, cùm offerret legendam versionem Tigurinam, refert Hospinianus; Versionem damnasse, nec refert ille, nec aliunde Becanus probat. Qui omnem ludit operam hac longâ circuitione. Id potiùs firmare debebat, veram scripturam eos non habere, qui non habent authenticam versionem. Firmare, sat scio, non potest, nisi & Israëliticæ Ecclesiæ veteri & Apostolis, & toti Ecclesiæ Christianæ usque ad Tridentinum concilium veram scripturam deneget. Nec enim Judaica Ecclesia ante Christum, nec Apostoli, nec eorum posteri, nec tota Ecclesia ante Tridentinum concilium, id est, ante annum Christi 1546. habuit ullam versionem bibliorum authenticam. Tum enim demum auctoritatem, quam Becanus cum suis jactat, accepit vulgata latina versio. At Ecclesia tum Judaica, tum Christiana habuit scripturam veram, quia authenticam editionem, & quidem illa hebræam Veteris Testamenti, ista verò tum hebræam veteris, tum græcam Novi Testamenti habuit. Eandem & nos habemus. Habemus igitur editionem authenticam, aut illi nullam habuerunt. Habemus igitur veram scripturam, aut nec Judæi, nec Apostoli, nec Christiani habuerunt, ante concilium Tridentinum.

VIII. Cæterùm quòd Papistæ nostrorum hominum versiones tam acerbè traducunt & exagitant, odio personarum potiùs tribuendum esse, quàm quòd versiones mereantur, exemplo memorabili judicio improbatam esse, Becanus inanissimè contendit. Cùm illam, ut jam suprà retuli, in sua editione ad veterem adjecisset Robertus Stephanus, suppressâ eorum, qui in illa laborarunt, mentione, Papistæ theologi diu pòst recognitam per

per Guilielmum Rovillium denuò Lugduni excudendam curarunt. Idem fecerunt Hispani Salmanticæ. Si prava translatio, si hæretica, & tam corrupta erat, ut ea qui utatur, veram scripturam non habere sit putandus, cur Galli & Hispani theologi, omnes Papistæ, approbarunt? Cur denuò excudendam curarunt? Nēpe non sine causa insignis ille Historicus, Jacobus Augustus Thuanus, lib. 36. Histor. cùm hæc narrasset, subjicit: *Hoc eò commemorandum duxi, ut versionis tanti apud nos & Hispanos ipsos factæ origo cognosceretur, & insigne documentum exstaret, quid utilitatis ex adversariorum libris & industria, si, semotis odiis, charitatem & æquitatem induamus, ad Dei gloriam capi possit.*

IX. De *tertio* membro disputat, nos nec habere authenticam interpretationem, nec habere posse nisi à Papistis accipiamus. De utroque dicemus distinctè. Per authenticam interpretationem vel authenticam interpretandi potestatem, seu auctoritatem infallibilem, vel sensum scripturæ legitimum intelligit. Si *illam*, fatemur nos non habere, nec eam nobis arrogare; at nec ulli ālii post Apostolos habuerunt. Ea enim est penes Spiritum Sanctum olim locutum per Prophetas, postea per Apostolos & in scripturis loquentem adhuc hodie. Atque hoc sensu falsa est consequentia. Nisi omnibus Patribus deneges veram scripturam. Nemo enim inter omnes habuit auctoritatem interpretandi infallibilem, nemo inter omnes sibi vendicavit. Sin *istum* intelligit, quemadmodum num. 11. concludit, nos nō habere legitimum scripturæ sensum, jam falsum dicit testimonium. Neque ab hoc reatu eum liberant quinque exempla interpretationum, quæ nostris contumeliosè exprobrat.

X. Primùm objicit Luthero, quòd verba Jesaiæ cap. 41, 23. *Benè aut malè, si potestis, facite*, exposuerit *de libero hominis arbitrio per peccatum amisso.* Lutherus cōm. in h. l. non exponit de bono morali, sed quòd cultores idolorum nullum habeant conatuum successum adversùs Deum. Applicet alibi ad liberum arbitrium: Quid tum? An ideo non est vera hujus loci interpretatio in Ecclesia Evangelica? Atqui magno consensu ad idola referunt nostrates, Calvinus, Musculus, Hyperius, Marloratus, Junius, Piscator. Nego igitur hanc sequelam; Lutherus locum Jesaiæ non rectè exposuit alicubi. Ergo in Ecclesia Evangelica non exstat vera interpretatio scripturæ. Si Jesuita repugnet, sic arguo. Bellarminus torquet ad invocationem mortuorum verba Jacobi Gen. 48. *Invocetur nomen meum super pueros, & nomen patrum meorum*, & Alphonsus à Castro scribit, hîc eam præcipi; Hæc glossa aliena. Ergo in Romana Ecclesia non est vera interpretatio scripturæ. Becanus negabit consequentiam. Rectè. Nam Lyranus, Vatablus, alii Papistæ, huc referunt, quòd voluerit Manassen & Ephraim, tanquam adoptatos & constitutos principes duarum tribuum, de suo & patrum nomine appellari. Similiter Bellarminus verba Jobi, *miseremini mei amici mei*, ad invocationem angelorum detorquet. Absurdissimum. Nec enim angeli persequebantur Jobum, nec ejus carne saturabantur, quod Jobus a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

micis, quos alloquitur, tribuit. Ergone agnoscet Sophista, veram scripturam in papatu non esse.

XI. Secundò. Calvino objicit, quòd *non seriò sed ironicè à Christo dictum esse, interpretetur illud* Matth.19,17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, *ut sensus sit, ne serves mandata, quia illorum observatio nec prodest, nec possibilis est*, num.7. Impium, fateor, dogma. Sed ubi hunc sensum reddit Calvinus, *Serva mandata* i.e. *Ne serves mandata*? Quòd ironiam Christo tribuere, sit impium, nondum probavit Becanus. Nec Cajetanus & Emanuel Sà concedent, qui illud Christi Luc.11,41. *Ea quæ adsunt, date in eleemosynam; & ecce omnia vobis erunt pura*, ironicè dictum interpretantur. Calvinum in interpretatione citati textus ironiam Christo impingere, in commentario non video, sed hæc lego, pag.245. *Christus ad propositam quæstionem respondit, quænam sit operum justitia, nempe quam lex definit.* Infrà. *Unde colligimus, legale esse hoc Christi responsum, quia juvenem de operum justitia quærentem priùs doceri oportuit, neminem coram Deo censeri justum, nisi quī legi satisfecerit (quod impossibile est) ut infirmitatis suæ convictus, ad fidei subsidium se conferret.* Si verax haberi velit Becanus, ostendat in Calvino, hunc esse Christi sensum, *Ne serves mandata, quia illorum observatio non prodest.* Si non ostendit, mendacem omnes agnoscunt. Eâdem monstretur operâ, ubi fidenter Calvinus asserat, CHRISTUM IN OMNIBUS ferè REBUS, quæ ad salutem animæ spectant, IRONICE nobiscum agere & CONTRA MENTEM loqui. Ubi Calvinus hoc asserit fidenter? Becanus fidenter ei tribuit, num.7. Probet fortiter, aut confidens impudensque audiat calumniator. Certè l.3.inst.cap.24.§.13. non asserit, quicquid fingat Sophista. Docet, quòd verbi prædicationi alii obediant, alii non obediant, vel eo magis indurentur, etsi id fiat horum malitiâ & ingratitudine, simul tamen tenendum esse, quòd diversitas ista simul pendeat ex arcano Dei consilio, quo altiorem causam inquirere sit nefas. Becanus citat hæc verba, *Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant, lumen accendit, sed ut reddantur cæciores, doctrinam profert, sed ut magis obstupescant, remedium adhibet, sed ne sanentur.* Calvinus proponit admirabile Dei judicium adversus impios & reprobos, idque ex Mose Exod.4,21. ex Ezechiele cap.2,3.& 12,2. ex Jesaia cap.6,9. ex Jeremia c.1,10. ex Johanne, qui dicit de Judæis, cap.12,39.40. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Jesaias, Excæcavit oculos eorum & obduravit corda eorum, ne videant oculis & intelligant, & convertantur & sanem eos.* Hoc vult Calvinus, nil aliud. Aut si aliud, certè contra suam mentem alibi declaratam. Nos aliud nec docemus, nec admittimus, à quocunque tandem homine prolatum.

XII. Jam Becanus excipiat, *Si ita est, quis credat illi dicenti & invitanti, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, Num.7. Certè ita est; Jesaias dixit, dixit Johannes, imò Deus dixit per os suorum servorum. Non potuit Calvinus mutare verba Dei. Becanus si ideo nolit Christo credere invitanti,

tanti, sciat, plures non credere. Nos ad credendum cogere non possumus, qui perire obstinatè volūt, sed novimus, priora dicta esse de improbis, de obstinatis verbi contemptoribus, de reprobis. Inter hos recenseri qui optat, deneget fidem fortiter, & sordescat amplius: Mercedem opere dignam reportabit suo tempore. Christus invitat peccati onere pressos & resipiscentes, quos judicium reproborum non tangit. Si igitur Becanus porrò excipiat contra Christum, quod facit n.7. *tu quidem vocem ad me dirigis, sed ut magis obsurdescam, lumen accendis, sed ut fiam cæcior, doctrinam profers, sed quâ magis obstupescam, remedium offers, sed ne sanus efficiar. Quid ergo te audiam?* Profectò ex animo dolemus! Est enim vox non filii, sed hostis, non credentis, sed desperantis, sed deridentis divinum judicium & illudentis Deo. Ejus personam si induat, si sustineat Becanus, non audemus contradicere. Præsertim cùm res ipsa illi suffragetur. Non n.audit Christum. Obstupescit magis, furit magis ac magis adversus veritatem, q̄ non est nostra, sed Christi. Quod etiam hoc loco insigni specimine confirmat. Cùm enim solidis argumentis destituitur, ad calumniandum se vertit, probrosè traducto Calvini nomine, in quod ut nos baptizati non sumus, ita juravimus nunquam. Ut licet ille impietatis convinceretur, non tamen ideo Ecclesia Evangelica careret vel vera interpretatione, vel vera scriptura, quæ est impudens Sophistæ criminatio, quâ non aliud effecit, quàm quòd suam prodidit impietatem, dum excepit adversus id, quod Deus decrevit adversus pertinaces verbi contemptores.

XIII. Tertiò objicit, num. 8. quòd verba Christi, *Hic est sanguis meus Novi Testamenti*, Matth.26,28. Lutherani sic interpretentur, *hoc vinum est meus sanguis*: Calvinistæ plerique sic, *hoc vinum significat meum sanguinem*. Plessæus, *hæc est acerba illa mors & passio, quam paulo pòst sustinebo.* CHRISTUS de poculo dicit, *hoc est sanguis meus Novi Testamenti.* Præcessit enim, *& accepto poculo dixit.* Interpretem non Lutherum, non Calvinum laudo, sed Lucam, qui vocem τοῦτο ad poculum referri, manifestè docet, verba Christi sic repetens cap.22,20. *Hoc poculum est Novum Testamentum per meum sanguinem, qui pro vobis effunditur.* Ubi per poculum vinum intelligi, patet à Matthæo, qui versu sequente fructum vitis disertè nominat. Vera igitur est interpretatio, hoc vinum est sanguis meus. nempe non per consubstantiationem, non essentialiter, sed sacramentaliter, seu, ut Augustinus loquitur, non rei veritate, sed significante mysterio. Nuda significatio Evangelicis verè catholicis, quos Calvinistas improbè Sophista vocat, affingitur. Qui verò omnem significationem hinc submovet, is & abnegat sacramentorum naturam & Antiquitatē puriorem contemnit. Nostri dicunt, Vinum ex Christi institutione esse sacrum signum, sigillum & medium repræsentandi, obsignandi & in legitimo usu exhibendi sanguinis Christi cum omnibus beneficiis. Hoc multo plus est, quàm, hoc vinum significat sanguinem. Quæ tamen interpretatio si tam prava est, ut eam propter negandum sit, nos habere veram scri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcripturam, quid fiet de Auguſtino diſtinguente inter rei veritatem & ſignificans myſterium? C. *Hoc eſt.* Diſt. 2. de *conſecrat.* Noſtris eripi non poteſt ſcriptura vera hoc argumento, niſi & eripiatur Auguſtino: cum illo nos tueturjus Canonicum.

XIV. Cæterùm ſi volupe eſt, licentioſas verborum torturas easque mirificas ſpectare, cur non domi ſuæ manet Becanus? Primùm voces ipſas videret depravari. Inferciunt enim particulam ENIM, quam ſi ſacerdos ſciens omittat, mortaliter peccat ſecundùm Bielem lib. 4. ſ. d. 9. Pro eo quod dicit Lucas, *Hic calix eſt*, illi dicunt, *Hic eſt calix*, trajicientes vocem calicis è ſubjecto in prædicatum. Et pro eo quod Lucas ait, *Eſt novum teſtamentum in meo ſanguine*, illi dicunt, *Eſt calix ſanguinis novi teſtamenti*; at calix ſanguinis nusquam legitur in ſcriptura. Præterea minimùm novem gloſſas reperiret inter ſuos de unica particula HOC. Gloſſatori Gratiani Diſt. 2. d. *conſecr.* c. *Timorem*, per hanc dictionem, *Hoc*, nihil demonſtratur. Nam ipſe materialiter ponit ibi. Alenſi demonſtratur tantùm ad intellectum, & ei eſt idem, quod ſignatum per hoc. Scoto, Hoc, id eſt, hoc, in quod panis divinâ virtute transmutandus eſt. Aliis ad ſenſum demonſtratur panis, quatenus converſus in corpus Chriſti. Thomæ Aquinati, Hoc quod continetur ſub his ſpeciebus. Thomæ de Argentina demonſtratur corpus, quod tunc ibi erit, cùm panis in id fuerit transſubſtantiatus. Bonavẽturæ l. 4. Diſt. 8. q. 1. Hoc i. e. adhujus verbi prolationem à ſacerdote factam hoc totum transit in corpus meum. Guil. Antiſiodorenſi demonſtratur individuum vagum hoc, i. e. exiſtens ſub hac forma. Bellarmino hoc i. e. hæ ſpecies ſunt corpus meum. Alibi, hoc edulium eſt corpus meum l. 1. de Euchar. c. 11. & tamen dicit demonſtrare panem l. 3. de Euchar. c. 19. Verbum EST Thomæ Aquinati idem valet, quod *continetur*; Bonaventuræ & Richardo, *transmutatur*; Thomæ de Argentina ERIT. Vide Irenicum noſtri Parei cap. 27. Hîc dicat Becanus, Quæ hæc licentia? & verum dicenti applaudemus.

XV. Quartò acerbè exprobrat Bezæ, quòd verba Actor. 2, 27. *Non derelinques animam meam in inferno*, ſic explicet, *Non derelinques cadaver meum in ſepulchro. Quæ hæc*, inquit, *metamorphoſis eſt? Ex anima fit cadaver; ex inferno ſepulchrum? Vix ſimilem invenias in Ovidio. Sed quid non facit deſperatio? Non potuit alio modo eludere argumentum Catholicorum, quo ipſi probant, Chriſtum ſecundùm animam deſcendiſſe ad inferos.* Num. 9. Miretur metamorphoſin animæ in cadaver, & inferni in ſepulchrum, Jeſuita, quantum volet. Etſi in Ovidio ſimilem non invenit, non tamen ideo Bezam huc adegit deſperatio; quod vel hinc cognoſcere poterat Jeſuita, tum quòd qui hanc explicationem non faciunt ſuam, nihilominus Papiſticum commentum de corporali animæ deſcenſu in infernum impugnant, expugnantque, tum quòd nec Beza huic inhæret moroſiùs, ſed diſertè ſcribit, *ſive animam pro ipſo Chriſto, ſive pro vita quæ ſepulchro quaſi obruitur, accipias, eundem manere ſenſum.* Et ſanè aliquando pro perſona accipitur, Gen. 12, 2. 14, 21. 17. 14. Ezech. 18, 20. Rom. 13, 1. Sic Deus dicitur jurare per animam ſuam, id eſt, per ſe ipſum, Amos. 6, 8. Sic vetus interpres animam reddit *mortuum*, Levit. 19, 27. Pro vita ſumitur Pſal. 33, 19. & 89. 49. Matth. 2, 20. Cæterùm Joh. Druſius in comm: ad difficiliora loca Levitici cap. 75. *Qui negat animam pro* cadavere *unquam poni, negat, quod apud eruditos hodie controverſia caret.* Idem de *Scheòl* dictum puta. Ego ſic agnoſco etiam ab eruditis in dubium vocari, ut non exiſtimem ſatis juſtam eſſe cauſam dubitandi.

XVI. Si tamen omnino Jeſuitam turbat animæ & cadaveris metamorphoſis, recolligat vires, & miſſo Ovidio, ducem ſequatur Spiritum Sanctum, ſub ejuſque auſpicio adeat Moſen & Haggæum; intelliget, ſpero, ex utroque, in Spiritus Sancti ſchola inſolens non eſſe, *animam* poni pro *cadavere*. Levit. 21, 1. lex exſtat, quòd ſacerdos ſuper anima ſe contaminare non debeat. Sic textus originalis habet. Græci retinuerunt. Num ſuper anima amicorum corpori oppoſita contaminare ſe prohibetur? Imò ſuper cadavere. Num. 5, 2. populus jubetur ejicere è caſtris *Vecol tame lanapheſch*, i. e. ex Ariæ verſione, *omnem immundum animæ*. Vetus interpres reddidit, *pollutum ſuper mortuo*. In mortuo quid ſupereſt, quo polluaris, præter cadaver? Num. 9, 6. 7. dicuntur quidam bis immundi ſuper anima hominis, ut v. 9. immundi ſuper anima. Eodem, credo, ſenſu, quicquid nonnullis videatur. Quinam illi polluti, & quomodo polluti ſuper anima? Polluti tactu cadaveris. Ideo Hieronymus habet, *pollutus ſuper mortuo*; Thargum Onkelos, *pollutus ad oſſa animæ hominis*. Jonathan, *ad oſſa animæ mortui*. Vide Druſium ad loca difficiliora Num. c. 16. His adde Haggæum cap. 2, 14. Si velit comitem ex Antiquitate, damus Hieronymum, animã de mortuo interpretantem comm: in Haggæum pag. 228. damus Auguſtinum, qui lib. 4. quæſt. ſuper Numer. quæſt. 15. eodem modo explicat. Imò lib. 3. qui eſt ſuper Leviticum, quæſt. 71. diſertè; *Super animam dixit, ſuper funus mortui, ideo de anima quippe dolor eſt, quæ receſſit.* Damus Theodoretum, qui in lib. Num. quæſt. 7. ait: *Quem vocat immundum ſuper anima? Eum qui tetigerat mortuum, aut ad oſſa defuncti proximè acceſſerat.*

XVII. In Ovidio ſimilem metamorphoſin non vident Jeſuitæ. Quid tum? Ille ſignificationum theologicarum mẽſura non eſt. Non tamen planè inſolens eſſe latinis, agnoſcet, qui conſideraverit verba Æneæ apud Virgilium lib. Æn. 11. *Ite ait, egregias animas, quæ ſanguine nobis hanc patriam peperere.* Sed quid fiet Genebrardo? ut Bezæ textus ex Levitico & Numeris citatos eripiat, contendere non erubeſcit, *Moſen animam illic appellaſſe officium ſupremum peractum pro mortuo, nec reſpexiſſe corpus: non enim ejus cauſa parentalia tam ſolenniter fuiſſe peracta.* Pererius doctè reſpondiſſe, ſcribit. Similémne apud Ovidium metamorphoſin vidiſtis Jeſuitæ? Quo auctore, quâ ratione animam vertatis in exequias? Num exequiæ non fiunt propter corpus defuncti? Itáne & rectæ rationi & ſenſui & ſcripturæ bellum indicendum erat à Genebrardo tam impudenter, quaſi non videremus & ſcriptura doceret, corporibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus defunctorum honorem haberi postremum propter spem resurrectionis?

XVIII. Jam non est, ut vel Becanus, vel quisquam complicum tam graviter offendatur, ὡς ἅπαξ de sepulcro exponi. In hebræo enim est *Scheòl*, quod propriâ significatione Hebræis idem quod *Bor*, *Keber* & *Schachhat*, quo utitur David eodē versu, declarare, norunt linguæ periti. Exempla sunt in promptu Genes. 37,35. 1. Reg. 2,6. 9. Jesa. 5,14. Idque huic loco quadrare, ex eo intelligitur, quòd Petrus tantùm mortis, sepulturæ & corruptionis Davidis meminit, non prætermissurus, ut justa esset collatio, descensum ad inferos, in quibus tam diu eū hæsisse, homines isti singunt, si illum hîc agnovisset. Nec in hac causa solus stat Beza, sive de significatione vocis *Scheòl* in genere, sive de hoc textu agatur. Plurimi enim cum ipso docent, sæpe accipi pro sepulcro. Nominatim Augustinus Steuchus, Cajetanus, Pagninus, Vatablus, Lippomanus in Catena, Oleaster, omnes Papistæ, apud Pererium disp. 8. in Genes. 37. quibus adde ex Veteribus Albinum Bedæ discipulum, Caroli Magni præceptorem in quæst: in Genesin. Sic enim explicant locum Gen. 37,35. ubi in Hebræo est *Scheòl*, in Græco εἰς ἅδην. Imò A. Steuchus Eugubinus longiùs provectus ait; *Ubicunque Hieronymus ac Septuaginta infernum interpretati sunt, ibi est Hebraicè* Scheòl, hoc est, *fossa sive sepulcrum. Neque enim eâ voce significatur locus, ubi sceleratorum animas recipi, Antiquitas opinata est.* Si de textu Act. 2. quæratur, assistic Bezæ P. Fagius non damnatæ, quæ est Pererii calumnia, sed beatæ memoriæ scriptor, hebraicè doctissimus. Itemq; Johannes Mercerus, quondam regius Professor, in thesauro linguæ Hebrææ cum Cæsaris & Regis Galliæ privilegio, edito, anno 1577. quamvis non opus sit hîc multorum consensum laudare. Sufficit, eos laudasse, q. metamorphoseos plusquàm Ovidianæ probrum auctoritate suâ diluunt. Uter verò sensus loco quadret, non à voce, sed à textus serie & aliorum collatione petendum est, quod est alterius loci.

XIX. Restat Becani postremus impetus. Objicit Calvino & Bezæ corruptelam verborum Apostoli, Hebr. 13,4. *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus, fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.* Quo argumento convincit eos corruptelæ? Cùm *Apostolus connubium in omnibus suis partibus honorabile nominet, illos* dicit *explicare quòd sit licitum in omnibus, id est, inter quosvis homines, seu cujusvis ordinis homines. Nimirum ut hinc probent, etiam inter Monachos & Moniales honoratum esse matrimonium.* Calvinus & Beza ἐν πᾶσι, fateor, interpretantur de quibusvis omnium ordinum hominibus: Monachorum & Monialium non faciunt mentionem, sed Beza eos perstringit, qui, cùm illorum vita nihil esse fœdius, omnes norint, de virginitate & cælibatu differant. Apostolus duplicem copulam nominat; unam ulciscendam declarat in omnibus, alteram in quibusvis honorabilem. Quæ hîc corruptela? *An etiam*, inquit Becanus, *inter fratres & sorores conjugium est honorabile?* Acutissimè! Quasi verò nos inter vocem Apostolicam, *in omnibus*, seu *in quibusvis* &

Sophisticam illusionem *in quibusvis cum quibusvis*, non didicerimus distinguere. Apostolus legem Dei, naturæ & honestatis, præsupponit. Quod igitur *in omnibus* dicit, de iis intelligi debet, qui per legem Dei, naturæ & honestatem ipsam contrahere possunt. Quod cùm fratres & sorores non possint, ex Lev. 18. quid illos nobis objicit Sophista? qui maturè cogitet de fulcienda hac majore: Quicunque Apostoli verbum Hebr. 13, 4. ἐν πᾶσι, de quibusvis, qui per legem Dei, naturæ & honestatem contrahere possunt, interpretantur, illi non habent veram interpretationem, & consequenter non veram scripturam. Nisi enim hæc fulciatur, frustrà sunt omnia.

XX. His paucis exemplis se obtinuisse, jactat, in Ecclesia Evangelica legitimū scripturæ sensum non esse, sed novum, inauditum & omnibus bonis auctoribus repugnantem. Quantum obtinuerit, non accusator, sed lector pius judicet. Illi permittimus lubentes. Sexcenta alia minatur in progressu: Non terremur. Ex his enim initiis intelligimus, quid nobis de reliquo polliceri debeamus. Ita sanè si argutari liceat, ego præcipuos Patres Græcos & Latinos, imò totam veterem Ecclesiam veram scripturam non habuisse, eodem argumento cōcludam fortiter, quia vix ullus est inter præcipuos ejus Doctores, cujus non exstet nova & aliena glossa in aliquem scripturæ textum, etiam ipsis fatentibus Papistis. De his enim nunc non dicam, cùm aliis argumentis quàm plurimis constet, eos jam pridem veram interpretationem perdidisse, quamvis se solos clavem scientiæ habere, jactitent superbè.

XXI. Jam quomodo probat, nos non posse habere legitimum sensum ac interpretationem, nisi à Papistis accipiamus? Duo jactat argumenta. Primum: *Donum interpretandi non datur nisi in Catholica Christi Ecclesia, quæ toto orbe diffusa est.* 1. Corint. 12, 27. *At Lutherani & Calvinistæ non sunt in Catholica Christi Ecclesia, quæ toto orbe diffusa est, sed ab ea segregati hærent in angulo Europæ, sicut olim Donatistæ in angulo Africæ.* &. Primò non concluditur, quod debet concludi. Dixit Lutheranos & Calvinistas non posse habere legitimū scripturæ sensum, nisi à Papistis accipiant. Hoc non concluditur argumento. Ut enim maximè constaret, nos non habere legitimum sensum, nec habere posse, nisi à Catholica Ecclesia accipiamus, non tamen mox à Papistis accipiendum esse, constaret. Illos enim & quidem solos esse Ecclesiam Catholicam, nondum probavit Jesuita. Secundò distingue inter donum interpretandi *extraordinarium* & *ordinarium*. Illud vigebat in prima illa Apostolica Ecclesia, in qua vivebant Apostoli: Non extra Ecclesiam Catholicam unquam inventum est, non hodie invenitur; soli Catholicæ datum fuit. At semper in Ecclesia Catholica vigere, nec Apostolus loco citato, nec ullus alius Auctor canonicus testatur. Nec quisquam ab *extraordinarii* doni carentia ad *ordinarii* defectum solidè concludet; quod Papista, credo, nobis lubens concedet. Non enim potest Ecclesiæ suæ arrogare donum interpretandi extraordinarium, nisi frontem prorsus perfricet. Jam ordinarium donum interpretandi totam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcripturam, etiam quoad *difficiliora*, rurſum penes Eccleſiam Catholicam eſt; extra Eccleſiam datum eſſe ullis cœtibus, minimè conſtat. Verùm ſi contendas, nullis extra Eccleſiæ Catholicæ communionem conſtitutis contingere donum interpretandi ſcripturam etiam in iis, quæ ſcitu ad ſalutem præcisè ſunt neceſſaria, non video, unde probes. Certè ex Apoſtoli verbis nunquam probabis. Incurres verò in Bellarminum Cardinalem. Is enim veram prædicationem verbi, quæ ſine dono interpretandi fingi nequit, à vera Eccleſia ſeparari, & contrà puram doctrinam ab omni errore in falſa Eccleſia eſſe poſſe, tradit. Prius probat exemplo Eccleſiæ Corinthiacæ & Galatarum; Poſterius exemplo ſchiſmaticorum. lib. 4. de Notis Eccleſiæ cap. 2. Becanus Donatiſtas in cauſæ ſubſidium vocat. Veniant; parùm juvabunt, imò confundent Papiſtam. Fuerunt ſchiſmatici ab initio. Num fuerint extra Eccleſiam, non omnes quidem Papiſtæ conſentiunt; Alphonſus à Caſtro aliique affirmant; At Bellarminus cum aliis negat lib. 3. de Eccl. mil. cap. 5. Idem tamen contendit, eos ab initio integram habuiſſe doctrinam. lib. 4. de Not. Eccl. c. 2. Hîc aut Bellarminus, aut Becanus falſus ſit oportet. Non poteſt uterque eſſe verus.

XXII. Tertiò. Jam pone, Donum interpretandi, quo ſenſu dixi, non quidem non eſſe, niſi in vera Chriſti Eccleſia toto orbe diffuſa; Parùm te juvat. Non enim mox in ea eſt, quia eſt toto orbe diffuſa. Patet. Erat enim olim in Judaica, q̃ toto orbe diffuſa non erat, ſed angustis circumſcripta limitibus. Erat olim in Apoſtolica Eccleſia, cùm nondum per totum orbem eſſet dilatata. Cape exẽplum à textu, quem Sophiſta citat. Alloquitur Paulus verſu viceſimo ſeptimo Eccleſiam Corinthiacam, quæ ſanè non erat toto orbe diffuſa, ſed particularis cœtus Chriſti certis iisque ſatis angustis finibus concluſus. *Vos*, inquiens, *autem eſtis corpus Chriſti & membra ex parte.* Sic erat donum interpretandi in Eccleſia Samaritana, priusquam eò veniſſet quisquam Apoſtolorum. Crediderant enim Philippo diacono, facto Evangeliſtæ, Actor. 8, 12. Dices, *Iſtæ Eccleſiæ erant membra Eccleſiæ Catholicæ toto orbe diffuſæ.* Concedo, fuiſſe membra Eccleſiæ Catholicæ. Sed nego, eam toto orbe tum fuiſſe diffuſam, & obtineo, à diffuſione per totum orbem non pendere judicium de dono interpretandi, quod Sophiſta ſupponit. Nam & falſa Eccleſia toto orbe diffuſa eſt, quæ eſt Diaboli, imò ſemper fuit latior, quàm Eccleſia Chriſti. Totus enim mundus in malo jacet. 1. Joh. 5, 19. & omnes incolæ terræ dicuntur adorare beſtiam, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni illius mactati à jactis mundi fundamentis, Apocal. 13, 8.

XXIII. Quartò. Minor falſa. Cur non ſumus in Eccleſia Catholica Chriſti, quæ toto orbe diffuſa eſt? quia ab ea ſegregati hæremus in angulo Europæ. Quàm verè, tam ſubtiliter! Num hæremus in angulo Europæ? At Bellarminus in gymnaſio Romano anno 1576. non ſine animi dolore in hæc erumpebat verba; *Quis ignorat peſtem Lutheranam* (ſic doctrinam noſtram, Papiſticorum errorum verè peſtem, nominat,) *in Saxonia paulò antè exortam, mox Germaniam penè totam occupaſſe: inde ad Aquilonem & Orientem profectam; Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam abſumſiſſe: tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentiſſima quondam regna brevi tempore populatam: ad extremum Alpes tranſcendiſſe, & in Italiam usq; penetraſſe?* Niſi fortè hæc regna & provinciæ non ſunt niſi aliquis Europæ angulus. Jam vide ſubtilitatem. Si hæreremus in lunæ angulo, ſpecioſiùs nos excluderet ab Eccleſia toto orbe diffuſa. Loquitur enim de orbe terrarum, in quo Europam totam eſſe & omnes ejus angulos, nos quidem ſtatuimus hactenus Jeſuitæ ferulam minimè veriti. Aut igitur Catholica Eccleſia excludit quendam Europæ angulum, aut quòd in angulo Europæ, i. e. in Germania tam ſuperiori, quàm inferiori, in Anglia, Gallia, Scotia, Hibernia, Bohemia, Hungaria, Polonia, Dania, Suecia, Lithuania, Livonia, Moravia, TransSylvania hæremus, & conculcamur miſeri, non ſufficit ad nos excludendos ab Eccleſia Catholica. Quod ut meliùs intelligatur, quæro an Apoſtoli non fuerint in Eccleſia Catholica, quia à ſacerdotibus & ſcribis ſeparati hærebant in angulo urbis poſt obſeratas fores? Johan. 20. Si angulus Judææ Apoſtolos non ſeparavit à communione Catholicæ Eccleſiæ, quomodo Europæ angulus nos ſeparet? Succurrat nobis Nazianzenus ſerm: contra Arianos, *ubinam*, inquiens, *illi ſunt, qui multitudine Eccleſiam definiunt, & exiguum gregem adſpernantur?*

XXIV. Objiciuntur Donatiſtæ: Iſti nihil ad nos. Non angulus Africæ, ſed ſchiſmatis culpa eos gravat. Audi Auguſtinum in Pſalm. 128, (129.) *Aliquando in ſolo Abraham erat Eccleſia, & quanta pertulit ab iniquis novimus. In ſolo filio fratris ejus Loth & in domo ejus in Sodomis Eccleſia erat.* De ſuo etiam nobis conferat Bellarminus ad hanc cauſam. Sic verò ille, l. 4. de Not. Eccl. c. 7. *Quod ſi vel ſola una provincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Eccleſia Catholica.* Non igitur nos ab Eccleſia Catholica ſeparat Europæ angulus, dum fidem Catholicam retinemus. Ceſſet ſeceſſionis improperium. Ab Eccleſia Catholica non ſeceſſimus, ſed in ea manemus, tanquam viva membra in corpore. Apoſtoli discedebant à Judæis, quamvis Eccleſiam jactantibus, cùm reſpuerent verbum Dei, Actor. 13, 47. Sic nos à Papiſtis, idque graviſſimis de cauſis. Verſabatur nobis ob oculos atque etiam verſatur hodie mandatum Dei Epheſ. 5, 11. μὴ συγκοινωνεῖτε, μᾶλλον ἐλέγχετε. Roman. 16, 17. *Declinate ab eis*, Apoc. 18, 4. *Exite è Babylone.* 1. Joh. 5, 20. *Filioli cavete vobis ab idolis.* Hæc Dei voluntas. At Papiſtæ abjecerunt, non retinent veram fidem Chriſti; arrogant ſibi dominatum fidei, contrà Paulum 2. Corinth. 1, 24. non patiuntur, ſi cum eis verſemur, nos purè ac ſincerè Deum colere; prohibent puram prædicationem verbi & adminiſtrationem ſacramentorum: ad idololatriam omnes cogunt ipſi idololatræ adorantes lignum, lapides, panem, & porrò invocant mortuos: Devovent nos diris & excommunicant, perſequuntur fideles carceribus, exiliis, ferro & flam-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& flammâ. Eccleſia illorum verè Babel. Triplex igitur nos urſit neceſſitas, 1. Obediendi mandato Dei, 2. Vitandi peccata, 3. Effugiendi pœnas Babyloni papali deſtinatas. Inde ſeceſſio noſtra à papatu, non eſt defectio ab Eccleſiæ Catholicæ unione, ſed potiùs terminus defectionis & conjunctionis cum tyranno adversùs legitimum Dominum & ad veram Eccleſiæ unionem regreſſio, ac quoddam genus confeſſionis evangelicæ. Error argumenti primarius eſt, quòd Jeſuita Papiſmum habet pro Eccleſia Catholica & Chriſti corpore, cùm non ſit Chriſti corpus, ſed anthrax, ſed hydrops, ſed lepra in corpore. Partem ſanavit caput, cujus ſumus membra, pars adhuc laborat & gemit; illi ſanitatem precamur à Domino.

XXV. Alterum argumentum. *In illa tantùm Eccleſia reperitur hoc donum interpretationis, ubi reperitur donum miraculorum, ut conſtat ex Apoſtolo ibidem: At in Eccleſia Lutherana aut Calviniana non reperitur donum miraculorum, ut manifeſtum eſt; Ergo nec donum interpretationis.* Num. 11. R. primò. Major eſt falſa. Nam duo iſta dona non ſic inter ſe cohærent, ut alterum ſine altero eſſe non queat. De particularibus eccleſiis aut fateri cogitur adverſarius, aut probare, quòd in omnibus ſint conjuncta. Certè Johannes baptiſta habebat donum interpretationis, neque tamen in eccleſia, quam, ut Chriſti præcurſor, colligebat, erat donum miraculorum. Nec enim ipſe ſignum fecit, Joh. 10, 41. nec alii, qui ipſi crediderunt, quod conſtet. Neque de Catholica Eccleſia vera eſt, ratione omnis temporis, quaſi ſemper ſint conjuncta hæc dona. Donum quippe interpretationis ordinariũ eſt omnium temporũ, donum miraculorũ extraordinariũ, ñ omniũ temporũ. Vide Eccleſiã veteris Teſtamẽti. Priusquàm Deus Moſi appareret, ullum miraculum in Israëlitica Eccleſia factum eſſe in Ægypto, non legimus. Ergóne donum interpretationis non habuit Eccleſia? Imò miracula poſſunt adhiberi, ad confirmandam falſam fidem. Probo ex ſcriptura, ex hiſtoria, illuſtro ex Patribus. In ſcriptura Chriſtus dicit, orituros eſſe pſeudo Chriſtos, qui edant ſigna magna & prodigia. Matth. 24, 24. Unde Deus mandavit jam olim, ſi Propheta ſurgat & edat ſignum, & ſuadeat alienos colere Deos, ne illum ſequantur. Deut. 13, 1. 2. 3. 4. Hiſtoriam conſule. Joſephus lib. 8. antiquitatum Judaic. cap. 2. teſtis eſt, Eleazarum Judæum exorciſtam in præſentia Imperatoris Veſpaſiani ab obſeſſo expuliſſe dæmonem. Balſamon ſuper canonem trigeſimum quartum Laodicenum, teſtis, Chriſtianos adiiſſe hæreticorum cœmeteria & ſanitatem recuperaſſe. Illuſtro ex Patribus. Hieronymus comm: in Gal. 3. *Obſervandum*, inquit, *quòd operari virtutes dicantur in his, qui non tenent Evangelii veritatem, ſicut in illis, qui Dominum non ſequentes in nomine ejus ſigna faciebant. Hoc adversùm hæreticos, qui probationem fidei ſuæ ex eo, ſi ſignum aliquod fecerint, arbitrantur.* Chryſoſtomus hom. 29. in Matth. *Miraculorum operatio magis apud eos invenitur, qui ſunt falſi Chriſtiani.* Theodoretus in Deut. 13. *Inſtruimur autem non attendendum eſſe ſignis, quando is qui talia facit, pietati contraria docet.* Secundò Papiſtæ interdum con-

confitentur, donum miraculorum non eſſe perpetuum. Roffenſis de Capt: Babyl. adversùs Luth. c. 10. parte 4. *Promiſit Chriſtus, ut diſcipuli dæmonia ejicerent, quam promiſſionem nullum his diebus effectum ſortiri, dilucidè cernimus. Nemo enim eſt, qui nunc corporaliter dæmonium ejicit, aut morbos ſanat, & tamen minimè ambigimus, quin plurimi ſint, qui fidem eandem & aquè magnã cum priſcis fidelibus habeãt, nec tamẽ inanis illa promiſſio fuit, q̃* NOLUIT EFFICACIAM *habere* PERPETUAM, *ſed pro tempore naſcentis & adoleſcẽtis Eccleſiæ.*

3. XXVI. Tertiò Becanus provocat ad Apoſtolum. Malè. Is enim donorum & varietatem & liberam diſpenſationem prædicat, perpetuam omnium conjunctionem non adſtruit, id quod tum ipſe textus, tum experientia declarat. *Textus*: Conjungit n. ut dona diverſa, ſic quoque functiones, v. 28. Si tu illa omnia omni tẽpore conjuncta eſſe, contendas, conjunctæ quoq; erunt perpetuò functiones. At hoc falſum. Functio enim apoſtolica ceſſavit. Deinde ſi donum miraculorum cum dono interpretationis perpetuò eſt conjunctum in Eccleſia, erit quoque conjunctum donum linguarum perpetuò. Apoſtolus enim uno ſenſu, uno ſpiritu jungit v. 9. 10. 30. Ergo in illa tantùm eccleſia fuerit donum interpretationis, in qua reperitur donum linguarum. Id quod ſi admittas, nusquam erit hodie donum interpretationis, quia nusquam donum linguarum. De omnibus aliis adverſarius concedit haud dubiè. De Papiſtis exploratum: nemo enim inter omnes locutus eſt linguis: idque fatentur Papiſtæ, etiam ubi maximè videbatur donum illud neceſſarium, puta in cõverſione Indorum. Nomino Xaverium. Ille lib. 3. ep. 5. ad ſociet. Goam, ſic ſcribit; *Si nos linguam caleremus Japonicam, non dubito, quin plurimi fierent Chriſtiani. Faxit Deus, ut brevi eam addiſcamus. Tum demum aliquam Chriſtianæ rei navabimus operam; nam nunc quidem inter eos, tanquam* MUTÆ STATUÆ, *verſamur. Multa enim illi de nobis & dicunt & agitant, ad quæ nos obmuteſcimus, patrii ipſorum ſermonis ignari: In præſentia in linguæ hujus percipiendis elementis repueraſcimus.* Suffragatur ergo nobis experientia, dona illa, q̃ Apoſtolus enumerat, nõ eſſe perpetuò cõjuncta in Eccleſia: non igitur illi in mentem venit, perpetuam conjunctionem aſſerere. Conſequens, etſi donum miraculorum non habemus inter nos, non ideo non habere donum interpretationis. Habemus autem in Apoſtolis, qui omnes ſunt noſtri, quia eorum ſenſum ſequimur, non novum afferimus, ut novis miraculis nobis non ſit opus, poſtquàm doctrina noſtra per Apoſtolos ſatis eſt confirmata. Quemadmodum cùm, invento libro legis, Joſia cultum Dei inſtauraret, non opus erat miraculis, quia non inſtituebatur novus cultus, ſed antiquus reſtituebatur. 2. Reg. 23. 2. Chron. 35. Nec conſtat, poſt captivitatem babylonicam miraculis eſſe confirmatam religionem Judæorum in terra Cananæa. Nec opus erat. Non enim erat nova, ſed antiqua. Ita nobis Becanus non nocet; Papali autem Eccleſiæ nocet plurimùm. Cum n. donum miraculorum hodie in ea nusq̃ appareat, concludent cum Becano Papiſtæ, donum interpretationis eam non habere, quod non eſt omnino falſum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXVII. Becanus quasi triumphabundus suum repetit syllogismum; *Illi non habent veram & legitimam scripturam, qui non habent authenticum scripturæ canonem, versionem, interpretationem. Hanc Lutherani & Calvinistæ non habent. E.* Nū. 12. Nos responsionem repetimus nostram. Quòd ulteriùs ex eo infert, *nos ex scriptura disputare, aut ad scripturam provocare non posse*, id tale est, quale id, ex quo infertur, i.e. falsum & calumniosum. Ad refutationem non est ut aliunde argumenta conquiram laboriosè. Jam integro seculo, & quod excurrit, res ipsa ostendit, nostros ex scriptura disputare, & ad scripturam provocare posse. Ne jam dicam, ipsos adversarios rerum experimentis convictos id fateri subinde non obscurè. Compellationem Becani minimè nostri metuunt, compellet alta voce, inclamet pleno gutture, non terrentur, sed respondent. Ille ait, *unde vos, ô boni viri, codicem bibliorum accepistis? Non aliunde quàm à Catholicis.* Isti inquiunt, ô vir bone, codex sacer est thesaurus Ecclesiæ Catholicæ, non Papistarum proprius. Habent etiam Papistæ, sed ut Judæi hostes veritatis, vetus Testamētum habent, ut Babylonii vasa templi Hierosolymitani. Invenerunt igitur nostri codicem in Ecclesia, quam invaserunt Papistæ, vindicarunt codicem possessum ab hostibus veritatis, sicut Judæi à Babyloniis vasa templi & Apostoli veterem codicem acceperūt à Judæis. Quod cum sæpè legerit Becanus, meminisse debebat, quàm ineptè nostris occinat, quòd à Papistis codicem sacrum acceperint. Rapuerant Babylonii vasa templi Hierosolymitani, 2. Chron. 36. Jerem. 52, 17. 18. Sic Papa codicem biblicum, qui est thesaurus Ecclesiæ? Quòd Judæi à Cyro reciperent vasa templi, Esræ 1, 8 9. 10 11. non faciebat, ut Babyloniis assentirentur in cultu idolorum, imò ad usum legitimum convertere tenebantur. Sic nos Papistis assensum præbere non tenemur, hoc nomine, quòd ab illis sacræ scripturæ codicem vindicavimus. Becanus ait, *at quare eundem, quem accepistis, non retinetis?* Retinemus codicem, quem accepimus ab Apostolis, & Ecclesia primitiva; imò etiam quem à Papistis.

XXVIII. Ille ait; *Cur canonem Catholicorum, qui ab Innocentio, Augustino, Gelasio & tota Ecclesia retentus est, repudiatis?* Catholicorum canonem non repudiamus, sed servamus. At canonem Papisticum, quem nec Innocentius sub anathematis fulmine promulgavit, nec Augustinus ex priorum seculorum consensu defendit, nec Gelasius stabilire potuit, nec Ecclesia tota unquam recepit, justis de causis repudiamus, exemplo veterum & recentium doctorum, etiam Papistarum. Ille instat; *Cur novum confingitis, quem Ecclesia nunquam pro legitimo agnovit?* Non confingimus novum, sed veteris Testamenti Canonem tuemur, quem Ecclesia Dei vetus ante Christum agnovit, quem Christus ejusque discipuli approbarunt, quem post Apostolorum tempora Origenes tenuit, quem Laodicenum concilium commendavit, quem veritas ipsa stabilit, cui testimonium perhibent præcipui Patres, imò assurgunt Papistæ nobiles. Ille ait; *Cur antiquam & usitatam editionem rejicitis?* Non simpliciter rejicimus, sed authenticam esse, negamus, quia à Spiritu Sancto non est profecta immediatè, multis scatet erroribus, & ante concilii Tridentini tempora *ἀδιόρθωτον* non obtinuit. *Cur*, inquit, *tot novas inter se pugnantes versiones substituitis?* Quod Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, alii Papistæ suo tentarunt loco, idem nostrates suo. Quisque contulit ad usum Ecclesiæ, quod Deus dederat, omnia sua permittentes judicio Ecclesiæ. *Cur sensum scripturæ falso sensu depravatis?* Cur tu Becane calumniaris? Si qui depravant scripturam, illi luant: Ecclesiæ nostræ non depravant, sed exponunt pro mensura doni. Concludit; *Certè si ex scriptura disputare vultis, ex nostra disputate, quia vestram non admittimus. Nostra legitima & antiqua est: Vestra spuria & novitia. Nostra unica & constans: Vestra varia, multiplex, instabilis.* Num. 12. Sic concludendum erat, ut ultima responderent primis. A calumnia cœptum erat, ideo in calumniam desinit. Nec ex Papistica, nec ex nostra, sed ex Dei scriptura disputare & debemus & volumus. Scripturæ versiones novas inter nostros agnoscimus, scripturam nec spuriam, nec novitiam cuderunt nostri. Jesuita cum zelotis nostras versiones non admittat. Quid tum? Non est illis justa causa. Res agitur pravo affectu. Testes Galli & Hispani theologi, qui Tigurinam versionem, cujus auctorem ignorabant, admiserunt, & in suorum gratiam Lugduni & Salmanticæ recuderunt. Nisi recuderunt diversis locis, quam in disputatione nolebant admittere. Scriptura, quam ille Papisticam vocat, de editione latina vulgata loquens, ut

antiqua sit, legitima non est in omnibus; nullo modo authentica. Nec una, nec sibi constans, sed variè mixta, instabilis, multis modis corrupta; Permittimus igitur illis usum versionis illius latinę. Imò & nos ea utimur, sed ita ut revocetur ad fontes, quoties deflectit, & cedat editioni originali, qui mos mille quingentis annis obtinuit, ut Aloisius Catanęus monet in concilio Tridentino. MS.

XXIX. Hactenus respondimus Becano. Deinceps illi adjiciemus auctarium, ex ipsius hypothesi sic proponentes. Qui non habent authenticum scripturæ canonem, versionem, interpretationem, illi non habent veram & legitimam scripturam. At Papistæ non habent authenticum scripturæ canonem, versionem, interpretationem. Ergo Papistæ non habent veram scripturam. Major est Becani, quæstione sextâ, quam sub manu habemus. Num. 12. Minor facilis est probatu. Primò non habere authenticum canonem, suprà ostendi. Hoc loco id solùm repeto, quòd infarciant libros mendaces, fabulosos, asystatis scatentes, quos nec Ecclesia Dei in veteri Testamento recepit, nec Christiana primis quatuor seculis agnovit, at concilium Laodicenum apertè resecuit, & sequentibus seculis non solùm celeberrimi doctores, sed etiam Romani Pontifices repulerunt.

XXX. Secundò. Non habent authenticam versionem. Habent editionem veris Testamenti Hebræam, novi Græcam; utramque authenticam esse negant, imò multi corruptam esse, clamant. Habent Hispanicam, Gallicam, Germanicam, Italicam, latinas multas; *ἀδιόρθωτον* nulli per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

permittunt, exceptâ solâ vulgatâ. At hanc authenticam non esse, probo paucis. 1. Non est à divino propheticoque afflatu profecta, sed ab humana industria. Tribuunt eam quidam Hieronymo totam, quidam totam denegant, quidam partem illi, partem alii auctori vindicant. Hieronymus propheticum afflatum nec jactavit, nec in se agnovit, linguæ hebrææ cognitionem non consecutus est Apostolorum more, ex inspiratione immediata, sed à præceptoribus. Ipse fatetur epistolâ quartâ, quæ est ad Rusticum de vivendi forma, & sexagesimâ quintâ ad Pammachium & Oceanum. Imò suam versionem authenticam esse, dixit nunquam, nec quidem agnovit. Id quod vel hinc cognoscas, quòd ad eam neminem adstrinxit, sed cujusque permisit arbitrio, sequi, an non sequi velit. Præfatione in Josuam, quæ est epist. 105. *Cesset*, inquiens, *arcuato vulnere contra nos insurgere scorpius, & sanctum opus venenatâ carpere linguâ vel suscipiens, si placet, vel contemnens, si displicet.* Præfat. in Esram, quæ est ep. 109. *Legant, qui volũt, qui nolunt, abjiciant, ventilent apices, literas calumnientur.*

XXXI. 2. Multis locis non est satis apta. Do unum exemplum è veteri Testamento. Jesa. 4. vulgata habet, *Invocetur nomen tuum super vos*: pro *nominetur*, phrasi hebræâ, quam nostri sic rectè exprimunt, *vocemur de nomine tuo*. Do aliquot è novo, & quidem, ubi Papistæ agnoscunt, aptiùs reddi potuisse. Vulgata habet, Matth. 5,5. *Possidebunt terram*; Jansenius in Concord. Evan. cap. 39. *Græcè*, inquit, *est κληρονομήσουσι. Plus autem est hæreditate, vel in hæreditatem accipere terram, quàm possidere terram.* Matth. 6,7. *Nolite multum loqui.* Jansenius in Concord. cap. 41. *Non hîc est πολυλογεῖν & πολυλογία, sed βαττολογεῖν & βαττολογία, quæ dictio non simpliciter multiloquium significat, sed nugacitatem, futilem verborum profusionem, qualis est, cùm idem frequenter sine causa repetitur.* Luc. 1,11. *Apparuit illi angelus Domini.* Jansenius in Concord. Ev. cap. 2. *Græca non habent* ὤφθη, sed ὤφθη, h. e. *visus est, ne intelligatur imaginaria & phantastica apparitio, sed corporalis visio. Apparere enim ea dicuntur, quæ non sunt.* Ib. v. 17. *Incredulos.* Jansenius, *Græcè non est ἀπίστους, sed ἀπειθεῖς, quod nomen etiam significat inobedientes, quomodo magis hic verbi conveniebat.* cap. 7,12. *Unicus matri suæ.* Jansenius cap. 46. *Et quod est majus unigenitus; Græca enim habent μονογενὴς.* cap. 16,26. *Chaos magnum firmatum est.* Jansenius cap. 97. *Notandum, vocem* chaos *valdè impropriè positam, si modo non est vitium scriptorum, quemadmodum vult Budæus.* Prolixum catalogum ex Papistis recentioribus, Luca Burgensi, Jansenio, Maldonato, Salmerone collectum, vide apud Danielem Chamierum, tom. 1. Panstrat. Theol. lib. 14. c. 9.

XXXII. 3. Aberrat à mente Spiritus sancti sæpissimè. Notarunt nostri textus plurimos, Genes. 3,15. cap. 4,13 Num. 36,7. 8. Ps. 7,12. Eccles. 9,1. Joël. 2,13. Mich. 5,2. Johan. 14,26. Rom. 1,4. Eph. 6,13. Heb. 13. 16. Vide Witakerum, Sibrandum, Chamierum, alios. 4. Multa demit ab originali textu. Matth. 6,6. *in propatulo.* cap. 20. 15. *in meis.* Johan. 5,18. *& quærebant eum interficere.* Rom. 11,6. *si autem ex operibus, jam non ex gratia, alioqui opera non essent opera.*

Roman. 14,6. *Et qui non curat diem, Domino non curat.* 1. Corinth. 6,20. *Et in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Plura exempla vide Genes. 17,13. cap. 39,6. cap. 49,30. Exod. 26,19. cap. 36,12. cap. 39. post v. 18. Levit 15. post versum 22. 5. Addit multa originali textui. v. g. Gen. 4,8. *Egrediamur foràs.* Gen. 6,6. *Et præcavens in futurum.* cap. 27,33. *Et ultra quàm credi potest, admirans ait.* cap. 31,32. *Quòd autem me furti arguis.* Matth. 7,21. *Ipse intrabit in regnum cœlorum.* Luc. 10,1. *Designavit Dominus & alios septuaginta DUOS.* Hîc *duos* additum. Actor. 9,29. *loquebatur quoque gentibus.* Vox *gentibus* non est in græco. Roman. 4,2. *Ex operibus LEGIS.* Vox *legis* abundat. Atqui versio, quæ à divino propheticoq; afflatu non est profecta, multis locis non satis apta, à Spiritus mente subinde recedit, demit multa, & multa addit originali textui, ea non est authentica.

XXXIII. Probavi, editionem latinam vulgatam non esse authenticam. Epimetron addam. Probabo, etsi Papista latinam vulgatam pro authentica habere velit, non tamen illi certò constare, quænam potissimùm editio vulgata sit habẽda pro authentica. Dices, *atqui Synodus Tridentina statuit, ut ex omnibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum latinis editionibus, ipsa vetus ac vulgata, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia probata est, pro authentica habeatur.* Audio, nec nego, Tridẽtinam Synodum id decrevisse. Verùm non expressit, quænam illa sit vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia probata fuerit. Variæ enim sunt editiones. Negari non potest. In bibliothecis asservantur; Sunt etiam in multorum manibus, & Sixtus Quintus Papa in sua præfatione non obscurè fatetur. *Hæc autem,* inquiens, *vulgata editio cùm una esset, variis lectionibus in plures quodammodo distracta videbatur.* Imò verè, inquam ego, distracta. Patet à Sixti decreto. Ille omnibus tum manuscriptis, tum impressis Bibliis vulgatæ editionis nominatis, in iis, quæ suæ editioni non consenserint, nullam imposterum fidem, nullamque auctoritatem habitura esse, constitutione perpetuò valiturâ decernit ac declarat. Statuit autem editionem, quæ à Tridentinis Patribus pro authentica sit recepta, hanc ipsam esse, quæ ipsius operâ ex Vaticana typographia prodiit, nec nisi secundùm illud exemplum Biblia deinceps, ullo unquam tempore, imprimi debere, ne minimâ quidem particulâ mutatâ, additâ, vel detractâ, idque sub atrocissimarum pœnarum comminatiõe. Hinc colligo, ante id tempus non satis clarè constitisse Papistis, quænam illa authentica editio fuerit, quam Tridentini commendarunt. Si enim antea satis constitit, quid opus erat declaratione apostolica? Et si constitit, haud dubiè ullum exemplar exstitit, quod cum Sixti editione cõsentiat per omnia. At nullum ejusmodi produci potest à Papistis. Excipies, *saltem à tempore declarationis per Sixtum factæ ea de re constare.* Ergo saltem antea Papistæ non certò sciebant, quænam esset editio authentica. Deinde nec quidem illud concedo. Imò contrarium probo. Sixti declaratio facta est anno 1589. Calendis Martii. Cui non diu superstes fuit; mortuus quippe mense Augusto anno 1590.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Clemens VIII. intra biennium quartus ſucceſſor declaratus, primo Pontificatus ſui anno, novam editionem Bibliorum usque adeò contrariam priori molitur, ut non agnoſcas eandem eſſe. Jam utram habebit Papiſta pro authentica? Sixtíne, an Clementis? Utramque habere non poteſt. Nimis enim multa Clemens addidit, detraxit, mutavit: Idque plerumque ſecutus hebræum & græcum textum, cùm à Sixto ferè ſtent multæ veteres editiones latinæ. Magno labore & ſingulari induſtria hæc annotavit doctiſſimus Thomas Gameſius. Vide bellum Sixti & Clementis ab eo egregiè repræſentatum Londini anno 1606.

XXIV. Ego inde huc afferam paucula additionis, detractionis, contrarietatis exempla. Additionis; Sixtus legit Num. 30. *Uxor in domo viri ſi voverit & juramento ſe conſtrinxerit.* Clemens textum hebræum ſecutus longè aliter, ſic nempe legit, *Uxor in domo viri cùm ſe voto conſtrinxerit & juramento, ſi audierit vir & tacuerit, nec contradixerit ſponſioni, reddet quodcunque promiſerat; Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit, ſi voverit & juramento ſe conſtrinxerit.* Rurſum Clemens Prov. 25, 24. legit: *Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa & in domo communi.* Sixtus omittit hunc verſum prorſus & omnino. Detractionis exempla hæc ſunto. 1. Reg. (Samuel.) 24, 8. Sixtus ſic legit; *Quia Chriſtus Domini eſt. Vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut deſcendens in prælium perierit, propitius mihi ſit Dominus, ut non mittam manum meam in Chriſtum Domini. Et confregit David viros ſuos ſermonibus.* Clemens ſic; *Quia Chriſtus Domini eſt. Et confregit David viros ſuos ſermonibus.* Item Habac. 1, 3. Sixtus legit, *Injuſtitiam contra me? quare reſpicis contemptores, & taces, conculcante impio juſtiorem ſe? & facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem; & factum eſt judicium.* At Clemens; *Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam, & iniuſtitiam contra me? & factum eſt iudicium, & contradictio potentior.*

XXV. Contrarietatis iſta ſunto exempla. Exod. 23. Sixtus, *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ tuæ.* Clemens; *Victimæ meæ.* Deut. 17, 8. Sixtus legit, *Inter lepram & non lepram.* Clemens; *inter lepram & lepram.* Joſ. 11, 19. Sixtus legit, *Non fuit civitas, quæ ſe non traderet filiis Iſraël præter Hevæum.* Clemens; *quæ ſe traderet.* Levit. 27, 23. Clemens legit, *æſtimationem ſuam*; Sixtus, *tuam.* Joſ. 4, 23. ille legit, *Deo veſtro*; iſte, *Deo noſtro.* 2. paral. 24, 5. ille, *Dei veſtri*; iſte, *noſtri.* 1. Reg. 4, 9. ille legit, *vobis*; iſte, *nobis.* cap. 20, 9. ille legit, *abſit à te*; iſte, *à me.* cap. 28, 21. ille legit, *in manu mea*; iſte, *tua.* Similiter 2. Reg. 9, 11. At cap. 22, 36. ille legit, *manſuetudo tua*; iſte, *mea*; 3. Reg. 2, 4. Clemens legit, *vias ſuas*; Sixtus, *meas.* Ezech. 14, 12. ille, *Ecce ipſi ingredientur ad vos*; iſte, *egredientur.* Habac. 1, 13. Clemens, *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes?* Sixtus, *Quare non reſpicis?* Ne ſim multus, tantùm expende contrarietatis exempla in numeris. Exod. 32. legit Sixtus, *Ceciderunt̃ in die illa quaſi triginta millia hominum.* Clemens

mens, *quaſi viginti tria millia.* 3. Reg. 4. legit Sixtus, *& fuerunt carmina ejus quinque millia.* Clemens, *quinque & mille.* 4. Reg. 25, 17. Ille, *tulit quoque ſex viros è vulgo*: Iſte, *ſexaginta viros è vulgo.* 1. paral. 8, 40. Ille, *ad centum quinquaginta millia*: Iſte, *ad centum quinquaginta omnes.* 2. Paral. 25, 4. Ille legit, *invenitq́, triginta millia iuvenum*: Iſte, *trecenta millia.* Nehem. 7. Ille, *Filii Hezeciæ nongenti octo*: Iſte, *nonaginta octo.* Ille ibidem, *Filii Helam mille octingenti quinquaginta quatuor*: Iſte, *mille ducenti quinquaginta quatuor.* Non addo plura. Hæc ſufficiunt. Jam Sixti conſtitutionem perpetuò valituram animo revolvite veſtro, & nobis dicite Papiſtæ, utra editio authentica ſit, Sixtiné an Clementis? Sive hanc, ſive illam eligatis, erroris reus erit Pontifex ſive ille, ſive iſte; quo ſemel conceſſo, actum eſt de Pontificis infallibilitate, id eſt, everſum Eccleſiæ papiſticæ fundamentum.

XXXVI. Tertiò. Papiſtæ non habent ubique veram interpretationem, nec habere poſſunt, niſi noſtris principiis adſtipulentur. Priorem partem paucis exemplis declaro. Lego 1, Sam. 2, 8. in verſione vulgata, *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Hoc allegat Antoninus part. 3. tit. 21. demonſtraturus dignitatem Cardinaliciam: quaſi vocabulum *Domini* ſit nominativi, & non genitivi caſus, pro quo in hebræo eſt, *Jehovæ.* Pſal. 8, 8. 9. lego, *Omnia ſubjeciſti pedibus eius, oves & boves univerſos, inſuper & pecora campi. Volucres cœli & piſces maris.* Orator Florentinus coram Pio 11. applicabat Papæ, interpretatus oves, animas fidelium; boves, elatos Hebræorum jugo literæ legis adſcriptos & inde victimandos; pecora campi, ethnicos & iniquos; volucres cœli, beatos, ut adorentur à cunctis, ſanctorum catalogo adſcribendos; piſces maris, animas defunctorum, ex aquis pœnalibus per indulgentias educendas. Lego Pſalm. 72. *Adorent eum omnes Reges.* Id impletum eſſe in Leone X. aſſeruit Antonius Puccius in concilio Lateranenſi. Nova & abſurda interpretatio. Propheta enim loquitur de Chriſto. Item lego Jeſa. 28, 16. *Deum ponere lapidem probatum in Zione.* Hunc eſſe Epiſcopum Romanum, contendit Bellarminus in præfat. ad tertiam controverſiam. Nova & abſurda gloſſa. Scriptura enim novi Teſtamenti de Chriſto interpretatur. Matt. 21, 42. Marc. 12, 10. Luc. 20, 17. Actor. 4, 11. 1. Petr. 2, 4. 5. 6. 7. Item 2. Corinth. 10. ſcribit Apoſtolus, *Et paratum habemus, quo vindicemus omnem contumaciam.* Hoc pertinere ad Clementis Octavi expeditionem occupandæ Ferrariæ causâ ſuſceptam, & Cardinalium vota, quibus ceu tubis indictum ſit bellum, contendit Baronius in ep. ded. tom. 8. Horribilis tortura! Apoſtolus negat, ſua arma eſſe carnalia; illi ad arma carnalia vocant & trahunt verba Apoſtoli.

XXXVII. Vis plura? Addo; ſed paucula. Eccleſ. 4, 10. legimus, *Ille è vinculis prodit ad regnandum*: Papiſtæ nonnulli ſic exponunt, è purgatorio prodit in cœlum. Ineptum nimis. Comparatur enim puer ſapiens cum rege ſene & ſtolido, quorum ille ex humili ſorte evehatur ad dignitates, iſte dignitate excidat, cujus videbatur eſſe hæres ab utero. Item Dan. 7, 10. legimus, quòd *à conſpectu antiqui*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dierum prodierit fluvius igneus ; Illum de igne purgatorio ridiculè exponunt nonnulli Papiſtæ; quos Bellarminus & Suaretzius refutant. Item Gen. 1,16. legimus, *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius ad præfecturam diei, & luminare minus ad præfecturam noctis.* Hoc ſummus & ἀνυπεύθυνος Papiſtarum interpres, Innocentius Tertius de pontificali auctoritate & regia poteſtate exponit, ut quanta eſt inter ſolem & lunam, tanta inter Pontificem & reges differentia cognoſcatur. c. 6. *Solicita* de *Maior*: & *Obed.* Idem ibidem horribili corruptelâ depravat verba, quibus Jeremiam Deus olim compellavit; *Præſicio*, inquiens, *te hodierno die gentibus ipſis & regnis, ad exſtirpandum & ad demoliendum & ad perdendum & ad deſtruendum, ad ædificandum & ad plantandum.* Cùm enim ea de miniſterio Prophetæ dicta ſint, ille ad poteſtatem Papæ ſuper reges terræ audacter trahit. Apoſtoli dicunt, Luc. 22. *Ecce duo gladii hîc*, quibus Chriſtus reſpondet, *ſatis*. Bonifacius Octavus interpretatur de jurisdictione temporali & ſpirituali, quæ ſit in Eccleſia, id eſt, Romano Pontifice. Gregorius Nonus dicebat, *quod evangelicâ lectione tenemus.* Vide corruptelam! Apoſtoli loquuntur de materialibus gladiis, qui erant iſto loco ; Papa ſubſtituit gladios myſticos, pro iſto loco Eccleſiam, pro Eccleſia ſeipſum. Idem Bonifacius verba Pauli, *ſpiritualis omnia diiudicat, à nemine diiudicatur*, exponit de ſumma ſpirituali poteſtate, id eſt, Papa. Quid Papiſtæ non faciant, cùm ille ipſe promus condus juris divini ſcripturas torqueat tam miſerè? Sexcenta alia ſimilia afferri poſſent; Sed iſta ſufficiant hoc loco. Plura occurrent in progreſſu.

XXXVIII. Nunc addo, quod in poſteriore parte dixi, Papiſtas veram ac legitimam interpretationem habere non poſſe, niſi adſtipulentur noſtris principiis. Nam ex Becani & ſociorum hypotheſi ſic diſputo : In illa tantùm Eccleſia reperitur donum interpretationis, ubi reperitur donum miraculorum. At in Papiſtica Eccleſia hodie ſi reperitur donum miraculorum. Ergo in Papiſtica Eccleſia non reperitur donum interpretationis. Major eſt Becani Num. 11. Minor eſt Epiſcopi Roſſenſis, cujus verba recitavi ſuprà num. 15. Jam addo Acoſtam ſcribentem l. 6. de Salu. Indorum, cap. 4. *Quæ eſt prædicatio noſtra? quæ fiducia? Signa quidem non edimus.* & Franciſcum de Victoria Relect. 5. prop. 5. ſcribentem, *Miracula & ſigna nullo audio.* Porrò ſic arguo. Qui normam interpretationis incertam ſequitur, is de interpretationis veritate certus eſſe nequit : at Papiſtæ normam interpretationis incertam ſequuntur. Ergo. Probo. Quidam faciunt normam conſenſum Patrum, alii Concilii decretum, alii Papam Romanum. At nihil iſtorum ſimpliciter certum eſt. Quia nulli eorum immunitas à fallibilitate competit. Falli poſſunt Patres: poteſt Concilium : poteſt Romanus Papa. Supereſt Scriptura. At hanc criminantur Papiſtæ multis nominibus. Negant, accommodatam eſſe ad omnes errores cavendos; clamant, obſcuram eſſe, & ſolam dirimendis quæſtionibus non ſufficere. Ad explicationem univerſalem in noſtra cauſa non poſſunt tutò confugere. Non enim

enim habent, quæ ſit certa & indubitata. Ad particularem ſi confugiant, rurſum ſunt fruſtrà. Veronius enim expertus ſcribit, *Quicquid dicatur, firmũ hoc ac certũ eſſe, Catholicorũ* (tu Papiſtas intellige) *particulares expoſitiones Scripturæ in ſolida veritate non conſiſtere.*

XXXIX. Inde, ut par pari referamus, porrò cõcludimus, Papiſtas ex Scriptura diſputare, aut ad eam provocare non poſſe, vel ſi omnino velint, hoc vel ſimili modo compellandos eſſe. Unde vos, ô boni viri, codicem Bibliorum accepiſtis? Non aliunde quàm ab Eccleſia Catholica. At quare talem, qualem accepiſtis, non retinetis? Cur canonem omnium ſeculorum teſtimonio nixum repudiatis? Cur alium, primis quatuor ſeculis integris Eccleſiæ prorſus incognitum, & nunquam univerſalis Eccleſiæ decreto approbatum toti Eccleſiæ obtruditis? Cur libros mendaces & fabuloſos pro verè divinis ingeritis, & quidem ſub anathemate, pari pietatis affectu, cum reliquis ſuſcipiendos, quod Catholicum ullum totis quindecim ſeculis tentaſſe, minimè conſtat? Cur textus originalis divinitus inſpirati auctoritatem ſolicitatis convellitisque. Cur verſionem humanâ induſtriâ factam illi antefertis? Cur dignitatem illi, quam quindecim ſeculis habuit, derogatis? Cur vulgatæ latinæ verſioni *divinam*, quam, ante annum Chriſti milleſimum quingenteſimum quadrageſimum ſextum, non habuit, decreto prorſus novo, tribuiſtis? Cur ad verſionem variam & incertam nos adſtringitis? Cur intra quinquennium duas contrarias editiones orbi Chriſtiano commendatis, tanquam authenticas, unam per Sixtum Quintum, alteram per Clementem Octavum? Cur ſenſum falsâ interpretatione depravatis? Cur petitis, ſi ex Scriptura diſputare velimus, ut ex veſtra diſputemus, cùm Scripturam (an non veſtram?) naſum cereum, qui ſe horſum, illorſum, & in quamcunque volueris partem, trahi, retrahi, fingique facilè permittat, appelletis? Num enim cereus naſus ſit vobis legitima diſputationis norma? Cur defenditis, Scripturam abſque Eccleſiæ auctoritate ñ plus fidei habere, quàm habeãt Æſopi fabulæ, vel ritus Livius? Cur hodie novę methodi magiſtri nolunt adverſus nos Scripturam allegari?

XL. Jam pridem ſcilicet Eccius, arcanorum Papiſticorũ optimè gnarus, nõ ſine cauſa Wormatiæ in Comitiis, Imperatore Carolo præſente, ad Lutherum dixiſſe fertur, *Si quispiam Conciliis contradicens ſemel obtineret, ut eſſet convincẽdus Scripturis, nihil nos habituros eſſe certi aut ſtabiliti in toto Chriſtianiſmo.* Tom. 1. Jen. Germ. fol. 445. & apud Foxum pag. 851. Et Bellarminus, omnium dogmatum firmitatem pendere ab auctoritate præſentis Eccleſiæ, & Tridentini Concilii, quæ ſi tollatur, in dubium revocari poſſe totam fidem Chriſtianam, non ſine cauſa ſcribit, lib. 2. de Sacram. c. 25. Fuerũt quidem inter Papiſtas, qui putarent, ex ſola Scriptura noſtram doctrinam refutari poſſe, idque conati ſunt, verùm alii id non ſine cauſa palàm improbant, & hanc agendi rationem diſſuadent. Nomino hîc Wilhelmum Lindanum, qui in præfatione in Panopliam Evangelicam, ad Lectorem eam in rem

Universidad de Deusto
Biblioteca

argumenta confert, ac inter alia sic scribit; *Quod nonnullis probatum video consiliũ, Scripturarum videlicet meris testimoniis hæreses esse refellendas, nobis sanè seu sacrum quoddam Thesei filum, quod dicitur, ad explicandos labyrinthorum istorum errores sufficere, isthac sanè tempestate minimè videbatur.* Infrà; *Taceo quòd nulla Scripturæ testimonia (quæ ut vulgò videre est, ob facilem ipsius in varias sententiarum formas flexum, rectè naso fuit assimilata cereo) ad quæstiones nunc orbem propè universum perturbantes definiendas ita vix proferas aut perspicua, aut efficacia, quibus non oppositionum aliquot plaustra adversarii opponant.* Hinc hodie celebres Papistæ, Cardinalis Perroni⁹, Gontieri⁹, Arnold⁹, Veroni⁹, qui omnes Regi Galliarum à concionibus fuerunt, palàm improbant modum ex Scriptura contra nos disputandi obsevatum à Bellarmino, Valentiano, aliis Papistis, & novum modum producunt disputandi, quo nolunt Scripturam sacram adversus nos allegari. Veronius in præfatione novæ suæ methodi, dicit, modum adversus nos disputandi ex Scriptura planè problematicum esse, Catholicorum (sic Papistas vocare amat) partes multam jacturam pati, quando scripturæ adversus nos allegantur. Nam etsi eveniat, ut hæreticis superiores disputando evadant, auditores tamen eã victoriam non posse deprehendere, videre, percipere.

XLI. Hi magni sunt testes, irritum esse ac inutilem laborem Germanorum, Gallorum, Hispanorum, Italorum, cæterorumque omnium, quem nobis ex Scriptura confutãdis integro seculo, & quod excurrit, impenderunt. Magni testes, causam papisticam contra nos defendi non posse, si Deus in Scriptura loquens audiatur: Multum periclitari, si Deus in Scriptura loquens introducatur in disputatione. Quis enim credat, istos homines novam sine Scriptura disputandi methodum excogitaturos fuisse, si ex Scriptura sive nostra, sive sua (Becanus sic distinguit) nobiscum possent solidè disputare? Non dubium, quin Becanus de nova illa methodo cognoverit, cùm manuale ederet. Et tamẽ nos ad Papistarum Scripturam vocat, *Si*, inquiens, *ex Scriptura disputare vultis, ex nostra disputate, quia vestram non admittimus. Nostra legitima & antiqua est: Nostra unica & sibi constans.* At Veronius & socii nolunt ex sua Scriptura nobiscum disputare. Causam si quæras, queruntur, *in varia incommoda & difficultates incidere, qui ex Scriptura nobiscum disputent. Papistarum partes multam jacturam pati, si Scripturæ adversus nos allegentur. Non posse victoriam à nobis reportare, quam auditores deprehendant, videant, percipiant.* Nec inanis est querela, quam integri seculi experientia ea extorsit. Beneficio Scripturæ vicit ubique veritas, quam tuemur. Becanus, cùm nos ad Scripturam suam vocaret, aut assentiebatur Veronio ejusque sociis, aut dissentiebat. Si dissentiebat, cur non illis persuadebat, ut morem ex Scriptura disputandi hactenus receptum retinerent, tanquam necessarium & causæ papisticæ utilem? Si assentiebatur, cur illudit nobis? Si enim ex Scriptura sua non vult nobiscum disputare, Veronii consilium amplexus, cur nos ad illam vocat? Num nos ferió

ferió ad eam Scripturam vocare potest, ex qua ipse non vult nobiscum disputare? Si quis Bellarmini & aliorum omnium, quibus ex Scriptura contra nos disputarè placuit, reverẽtiâ impulsus, aut ne populus Christianus ex nova methodo in papisticæ causæ in Scripturæ foro desperatæ perditæque suspicionem adducatur, dicat, hanc esse Veronii privatam opinionem, ego cogito, quòd Cardinales, Archiepiscopi & cæteri Proceres Ecclesiæ Gallicanæ eam, ut solidam & utilissimam, publico Diplomate, commendarunt in Synodo Burdigalensi, anno hujus seculi vigesimo primo. Et si hoc parùm esse putes, Papæ Romano libros illos, quibus novam methodum tractat, valde placuisse, ad Auctorem scribit & eum in instituto confirmat Cardinalis Ludovisius Mense Decembri Anno vigesimo secundo. Vide D. Vedelium in Rationali Theologico lib. 1. cap. 3. 4. 5. & in Ecclesiastico Catholico nuperrimè edito.

CONTROVERSIA SECVNDA
DE
TRADITIONIBUS.

SECTIO I.

Status quæstionis formatur, & examinantur, quæ Becanus affert de veteris testamenti traditionibus Pharisaicis.

I. VIsum est Becano de traditionibus agere separatim. Vestigia sequimur, pugnaturi pro Scripturæ divinæ perfectione, quam isti homines eunt impugnatum. Celebris igitur est quæstio, *An præter Scripturam admittenda sit aliqua traditio, quæ parem cum Scriptura authoritatem habeat.*? Vel ut aliqui proponunt, *num præter verbum scriptum sit aliquod verbum Dei non scriptum, seu traditum?* Papistæ, quos solos Jesuita Catholicos esse, rectéque dici, jactat, affirmant. Nostri ante omnia vocis homonymiam excutiunt, deinde suam dicunt sententiam. Traditio accipitur vel pro ipsis rebus traditis, vel pro ratione rerum tradendarum. Res quoque non sunt unius generis; Sunt narrationes historicæ, sunt dogmata fidei & morum, sunt ritus & quidem alii necessarii, alii nec ad salutem, nec ad integritatem fidei necessarii, sed indifferentes. Cùm traditio significat rationem dogmatum tradendorum, quæ fit vivâ voce, agnoscunt illi locum esse debere in Ecclesia, atque esse necessariò, idque probant quotidiana suâ praxi: Concionantur enim, tradunt Catechismum, interpre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pretantur Scripturam, Apostolorum exemplum secuti. Hanc traditionem Scriptura multis locis commendat, nominatim 1. Corinth. 11, 2. 23. cap. 15, 3. Luc. 1, 2. Actor. 16, 4. Nemo Scripturæ perfectioni impugnandæ rectè applicuerit. Historicas traditiones, si à fide dignis proficiscantur, & cum sacra scriptura non pugnent, quales sunt quædam narrationes de morte quorundam Apostolorum, de propagatione Evangelii per varios in variis mundi partibus facta &c. non rejicimus, sed lubenter suscipimus. Nec nostra disputatio est de ritibus & ceremoniis adiaphoris; non enim dubitamus, quin & Apostoli nonnulla ad externum ordinem & decorum Ecclesiæ pertinentia, quæ non sint in Scriptura speciatim consignata, instituerint, & Ecclesia pro variis locis, personis & temporibus, varias possit instituere ceremonias, quarum solum genus in Scriptura continetur. Vide Cõfessionem Augustanam, Helveticam, Gallicam &c. At hoc rerum genus non est necessarium, quia adiaphorum ex hypothesi.

II. De rebus, seu dogmatibus ad fidem & mores adeoque ad salutem necessariis omnino quæstio est. Hîc verò nos docemus, nulla esse dogmata ad fidem & mores adeoque salutem necessaria, extra ea, quæ sunt scripta libris sacris, hoc est, toto canonis Christiani corpore, quippe in quo omnis doctrina fidei & morum tam singulariũ, quàm communium ad salutem necessaria, sive totidem disertis verbis contineatur, sive per proximam, necessariam atque indubitatam consequentiam inde deducatur. Proinde nullas dogmaticas traditiones non scriptas, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, pari pietatis affectu cum verbo scripto suscipiendas esse. Becanus primùm suam falsam opinionem adstruere conatur, & traditionum non scriptarum sic suscipit patrocinium, ut deinde impugnet nostram veritatem, idque tum putidis calumniis, tum solutionibus argumentorum apparentibus. In manuali libro primo, capite secundo. In scholastica Theologia parte secundâ, tomi posterioris tractatu primo, capite quarto. Ab hac methodo ne recedamus, videbimus de utroque.

III. Circa prius duo proponit Becanus, nempe se dicturum esse primò de traditionibus veteris Testamenti, secundò de traditionibus novi Testamẽti. Dicit, & hactenus implet promissum, sed frustrà: id quod manifestè patebit ab examine. De primo, *Judæi*, inquit, *præter Scripturam habebant traditiones; & quidem duplices. Nam aliæ erant Pharisæorum, quas Christus in Evangelio reprehendit, aliæ Mosaicæ, quæ erant laudabiles & ad salutem necessariæ.* Numerat undecim Pharisaicas. 1. Quòd *ante sumptionem cibi lavandæ essent manus*, Matth. 15, 1. 2. Quòd *etiam inter comedendum illa lotio sæpiùs esset repetenda*, Marc. 7, 3. 3. Quòd *venientes è foro, non deberent cibos capere, nisi loti essent*, Marc. 7, 4. 4. Quòd *cum peccatoribus non sumendus esset cibus*, Matt. 9, 11. 5. Quòd *ne quidem permittendum esset, ut quis a peccatoribus tangeretur*, Luc. 7, 39. 6. Quòd *in sabbato non liceret ægros sanare*, Luc. 6, 7. 7. Quòd *famelicæ non*

non possint spicas vellere & comedere in sabbato, Matth. 12, 1. 8. Quòd *frequenter esset ieiunandum & orandum*, Luc. 5, 33. 9. Quòd *omnium rerum etiam minimarum decimæ offerendæ essent Deo*, Matth. 23, 23. 10. Quòd *qui juraret per templum aut altare, non esset reus criminis, qui autem juraret per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, esset reus*, Matth. 23, 11. Quòd *filii non teneantur reipsâ parentes suos honorare, aut illis benefacere, sed quod abundè sufficeret munus aliquod Deo offerre*, Matth. 15, 3. In manuali l. 1. n. 2.

IV. Poterat Jesuita plures numerare. Sed quid opus tàm multis? Extra rem hoc totum dicitur, nisi ego vehementer fallor. Quæritur enim, an post canonem divinum completum exstet aliquod verbum Dei non scriptum, quod in canone nõ comprehendatur? Num sit aliqua traditio, seu doctrina de fide & moribus ad salutem necessaria, non scripta admittenda, quæ parem cum Scriptura authoritatem habeat? quod affirmavit concilium Tridentinum. Num ejusmodi sunt traditiones Pharisaicæ? At Christus omnes reprehendit, ut quidem ab illis urgebantur, & quidem alias verbis, alias facto, alias verbis & facto. Primam, secundam, tertiam, Matth. 15, 3.-20. Marc. 7. v. 6. 7. 8, 9. Quartam, Matth. 9, 12. 13. Quintam, Luc. 7, 40. & seqq. Sextam, Luc. 6, 8, 9. 10, Marc. 3, v. 3. 4. 5. Septimam, Matth. 12, 3.-8, Marc. 2, 25.-28. Luc. 6, 3. 4. 5. Octavam, Matth. 23, 14. Marc. 12, 40. Luc. 20, 47. Nonam, Matth. 23, 23. Decimam, ibidem v. 16.-22. Undecimam Matth. 15. v. 3.-9. Ipse Sophista scribit, Pharisæos ob omnes esse reprehensos à Christo, & quasdam suis se ex suo genere malas, alias indifferentes. Quomodo igitur inde stabilitur verbum Dei non scriptum? traditio non scripta, parem habens auctoritatem cum Scriptura? Pii notent arma Sophistæ. Ad defensionem traditionum Papisticarum affert Pharisaicas, aut ei perit hic labor & totus apparatus. Nos rectiùs hinc impugnamus Papismum, quòd Christus reprehenderit traditiones humanas, quibus onerabantur conscientiæ extra Scripturam.

V. Jam quòd dicit, *quasdam Pharisæorum traditiones bonas fuisse ex suo genere*, non assequor. Oratio quidem ex suo genere est bona; jejunium, indifferens: at oratio & jejunium non erat traditio Pharisaica; legimus enim in Scriptura. Traditio autem Pharisaica de oratione & jejunio, quam Christus reprehendit, non erat bona suo genere, sed prorsus hypocritica, ideoque mala. Instituebant enim orationes ad pompam, Matth. 5, 5. ad lucrum, Matth. 23, 4. ut fatetur Jesuita; quæ institutio non est suo genere bona, sed mala. Distinguendum igitur erat inter orationem per se, & traditionem Pharisaicam de oratione. Illa bona est suo genere: ista non erat. Sic quoque jejunium Pharisaicum ad sanctitatis famam conciliandam erat comparatum, Matth. 5, 13. 16. c. 23, 5.

VI. Porrò mireris non immeritò, Jesuitam causas voluisse memorare, quas propter Christus traditiones Pharisaicas reprehenderit. Num enim in hoc argumento versamur? aut ad opinionem papistæ statuminandam quicquam facit? Ad evertendam potiùs spectat, ut, Deo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita dirigente, homo aliud agens, lectori ostendat, quo loco haberi debeant traditiones Papisticæ. Ovum enim ovo non est similius, quàm Papisticæ Pharisaicis traditionibus, quod declaro, ne Sophista frustrà huc devenerit. Primò. Pharisæi ex suarum traditionum observatione quærebant inanem gloriam & opinionem sanctitatis apud homines, cùm nihil minùs quàm sancti essent; sic ex observatione cœlibatus, monachatus, & in eo diversarum regularum, Dominici, Francisci, Ignatii Lojolæ &c. flagellationis aliarumque rerum, Papistæ quærunt opinionem sanctitatis apud homines, cùm plurimi nihil minùs sint quàm sancti. Prius constat; Vocant enim consilia perfectionis, jactant opera supererogatoria & vendunt aliis. Posterius probatur domestico testimonio Papistarum. Hugo de S. Victore de sui temporis clericis scribit; *Clerici nostris temporibus legem nesciunt, nec discunt, sed vanitates: ocio, comessationibus, ebrietatibus student, terrena capiunt, assiduè in plateis, rarò in Ecclesiis, tardi ad investigandam culpam peccatorum, parati ad sequendum vestigia leporum; velociores sunt ad congregandum canes, quàm ad convocandum pauperes; citiùs porrigunt panem cãibus, quàm pauperibus: citiùs extendunt manum ad taxillum, quàm ad Missæ librum. Ii sunt, quorum thalamus ornatior, quàm altare; scyphus pulchrior calice; equus charior, quàm missale; mappa pulchrior casulâ &c.* Hugo Cardinalis in quadem glossa; *Fertur diabolus duas habuisse filias, avaritiam & luxuriam, illam Judæis, hanc Ethnicis locasse: nunc verò clerici nostri utramvis viris suis eripuerunt.* Didacus Lopez de Zunegua in ep. in India scripta 20. d. Maij Anno 1552. sic alloquitur Episcopum & cæteros Hispanos; *In iis Indiæ regionibus ferè, pessimum hoc animadverti, quod inter vos nulla justitia, nulla virtus, nulla bonitas, nulla castitas superest: quin omne ævum vestris studiis partium, simultatibus, perfidiâ, vanitate, rapinis, dissidiis, invidentiâ, odiis, aleis, lustris, blasphemiis, intestinis bellis, luxu, avaritiâ, aliisq; pessimis libidinibus miserè consumitis. Deniq; qui vestrûm optimus habetur, quanto is se cæteris præstare putat, tanto est omnium deterrimus. Summâ quidem curâ notavi, ac comperi, maximam partem vestrûm, quotcunque in Indiam venistis,* tales esse, ut non dico cœlum atque angeli, sed terra dæmonesque *ipsi vos exosos invisosq; habeant.* Apud Benzonem in Hist. novi orbis l. 2. c. 19 pag. 257. 258. De Monachis similia testimonia exstant apud Papistas, quæ nostri in occasione magno numero producunt. Mihi satis est unius Cassandri Judicium huc referre ad Imperatorem in consultatione Artic. 25. scribentis, *Quàm longè Monachatus hodie à prima sua origine degeneraverit, & quantis abusibus contaminatus & deformatus sit, satis per se est manifestum. Nam paulatim religio vera & solida in superstitionem & inanem speciem religionis conversa est, & accrescentibus opibus decrevit pietas, & in eius locum larvæ ceremoniarum successerunt, in quibus, veræ pietatis operibus penè neglectis, summa totius religionis constituta est, quarum ceremoniarum inanis observatio usque adeò veram apud plerosq; Monachos religionem imminuit & obscuravit, ut nusquam ferè licentior & profanior vita,*

vita, quàm in nonnullis monasteriis reperiatur. Et tamen isti omnes cœlibes & traditionum suarum defensores, non tepidiores, quàm suarum Pharisæi.

VII. Secundò Pharisæi quarundam observatione aucupabantur opes ac divitias, præsertim longis orationibus, quas in eum finem recitabant. Annon captant etiam Papistæ lucrum ex precibus, ex vigiliis, ex missis privatis pro animabus defunctorum? ex indulgentiis? ex jubilæo? Ad illos veniebãt viduæ & orationes emebant pretio; veniunt hodie viduæ, vidui, mariti, maritæ ad Monachos, imò hi veniunt ad illas. In vulgus notissimum. Et quidem Jesuitæ hanc artem, quam Academia Parisiensis coram Regio Senatu eis per Oratorem objicit, apud Thuanum tom. 2. ad Ann. 1565. exercuerunt tam impudenter in territorio Veneto, ut à Senatu sapientissimo idpropter sint pulsi totâ regione ante annos benè multos, edicto publicato, nequis literas ab iis accipiat, aut ad eos scribat. Vide continuationem Thuani ad annum hujus seculi duodecimum. Tertiò. Pharisæi minutiora quædam servabant & alia majora negligebant. Nolebant die Parasceves ingredi prætorium; at Christum innocentem ad mortem petere non verebantur. Sic quoque Papistæ. Abstinent certis diebus ab esu carnium; at permittunt scortationem, eamque in rem erigunt lupanaria, ex quibus Pontifex Romæ vectigal accipit. Ægrè & vix sine pretio Papa esum carnis permitteret diebus interdictis; at Sixtus IV. qui nobile lupanar Romæ exstruxit, mense Junio, Julio & Augusto Sodomiam permisisse familiæ Cardinalis D. Luciæ, scribit Wesselus Groningensis in tract. de indulgent. papal. Quarto. Pharisæi per traditionem hominum transgrediebantur mandatum Dei, Mat. 15, 3. 6. similiter Papistæ. Permittunt enim filiis, ingredi religionem, seu votum monachatus facere, invitis parentibus, cùm Scriptura non solùm jubeat parentes honorare, sed etiam apertè declaret, votum, quamvis jam factum à filia, posse irritum reddi à patre. Num. 30, 5. Scriptura omnium ciborum usum permittit in novo Temento, modò capiantur cùm gratiarum actione, 1. Timoth. 4, 4. Isti ciborum delectum lege constituunt. Scriptura omnium ordinum hominibus conjugium permittit, imò imperatiis, qui donum continentiæ non habent. Isti ordini sacro imponunt legem cœlibatus. Longum esset, omnia recensere.

VIII. Quintò. Pharisaicæ nonnullæ traditiones erant vanæ & superstitiosæ, ut lotiones. Num meliores sunt baptismi campanarum, bombardarum, navium? Calicum consecrationes tam superstitiosæ, ut à laicis non possint, nisi sumptis chirothecis, attrectari? Sextò. Pharisæi penè morosiùs reprehendebant transgressionem suæ traditionis, quàm divinæ legis. Eorum verò posteri eo usque processerunt, ut decretum fecerint, *Qui ait, non esse tephilim, ut violet verba legis, liber est*; Sin verò dicat, *quinque esse totaphot, ut addat verbis scribarum, is tenetur*: quo innuunt, majoris semper fieri debere magistrorum commenta, quàm divina præcepta, atque illorum dictata magis culpæ reum facere, quàm horum. Sic Papistarum præsules multo te puniunt

Universidad de Deusto
376
Biblioteca

graviùs, si feriâ sextâ comedas carnem, quàm si nomen Dei in vanum assumas. Vide taxam pœnitentiarum. Bellarminus l.4.de V.D.c.7. *quædam*, inquit, *sunt traditiones maiores, quoad obligationem, quàm quædam Scripturæ.* Christus ait, *si quis filium blasphemaverit, illi remittetur*, Matth. 12,32. In Papatu violatio Scripturæ facilè dimittitur; at si quis in decreta Romani pontificis commiserit, is noverit, veniam sibi denegari, cap. Si Romanorum. Distin.19.

IX. Septimò. Traditiones suscipiebantur à Judæis, Pharisæorum discipulis, quòd persuaderentur, non omnia ad fidem & mores necessaria in veteris Testamenti scripturis contineri. Prætextus erat, quæ Patriarchæ & Prophetæ docuissent & fecissent, licèt scripta non essent, pari tamen reverentiâ cum Scriptura esse suscipienda. Sic quoque prorsus Papistæ. Octavò. Thalmudistæ tradunt, si Propheta dicat, violandum esse unum ex omnibus præceptis, quæ recensentur in lege, vel præcepta multa tam levia, quàm gravia ei auscultandum esse, exceptâ idololatriâ; at si quis eradicârit aliquid, quæ traditione acceperunt istum tanquam Pseudoprophetam laqueo perimendum esse, etsi fecerit signum. Vide R. Mosis Maimonidis constitutiones de fundamentis legis cap.9.num 5.& 8. Sic Papistæ facilè concedunt, contra legem scriptam lupanaria aperiri, & Reges sibi minùs æquos occidi; at si quis traditioni detrahat, exterminatur.

X. Nonò. Thalmudistæ fingunt, Mosen in monte Sinai à Deo accepisse non tantùm ea, quæ scripsit, sed etiam mysticam explicationem legis, quam nec scripserit, nec scribere voluerit, sed tantùm viva voce eam tradiderit & ita posteritati per manus tradendam commendaverit. Fingunt iidem continuam seriem, qua traditiones istæ sint propagatæ, donec tandem scriberentur. Moses, inquiunt, eas tradidit Heli sacerdoti; Heli, Samueli Prophetæ; Samuel, Davidi Regi; David, Achiæ Prophetæ; Achias, Eliæ; Elias, Elisæo; Elisæus, Jojadæ Pontifici; Jojadas, Zachariæ Prophetæ; Zacharias, Hoseæ; Hoseas, Amos; qui eam tradidit Esaiæ; Esaias, Micheæ; Micheas, Joeli; Joel, Nahum Prophetæ; Nahum, Habacuc; qui eam tradidit Zephaniæ; Zephanias, Jeremiæ; Jeremias, Baruch scribæ; Baruch, Esdræ. Ab Esdra ponunt continuam successionem illustrium virorum usque ad Hillelem, Simeonem justum, Gamalielem & alios, donec Thalmud scribi cœperit circa annum Christi 150. Sic Papistæ gloriantur, traditiones esse perpetuâ Pontificum successione conservatas & per manus majorum à Christo & Apostolis acceptas.

XI. Decimò. Thalmudistæ magnis verborum ampullis traditiones majorum supra legem scriptam extollebant. Inde R. Meir in Avoda Kodesch cap. 24. scriptam legem vestimento, ossibus atque corpori assimilat, Kabalam, animæ. In eundem sensum ajunt in Midrasch Chazit; *Dilectiora sunt verba scribarum, quàm verba legis.* Addit in eodem capite; *Qui tantummodò in legis corpore & vestimento studet, & inquit nihil esse præter hæc, certè is animam tollit, & falsi arguit legis radicem. Væ autem illi; melius enim ipsi esset, si non*

non fuisset creatus. Papistæ non solùm suas traditiones extollunt supra Scripturam sed & hanc contemnunt. Ludovicus canonicus Lateranensis in Concilio Tridentino (citat Ivellus in Apol. Anglic.) dixit, *Scriptura est quasi mortuum atramentum.* Gordonus Huntlæus (citante D. Gerhardo) controv.1.c.3. *Verbum Dei scriptum minimam partem verbi Dei continet nimirum solam literam, sed verbum Evangelizatum & traditum præcipuam verbi Dei partem conservat. & proponit, nimirum veram & germanam literæ intelligentiam,* Plurima dicta, quibus traditiones Scripturæ præferunt, vide apud D. Gerhardum in Confess. Cathol. lib.2. Generali par.2.c.5. membro 6. Undecimò. Thalmudistæ, Pharisæorum discipuli, malunt suos cum errantium multitudine insanire, quàm manifestæ veritati paucorum acquiescere. Exemplum habes in Bava Meziha, ubi de R. Eliezare & Josua narrant, illos acriter inter se contendisse, & auditum fuisse oraculum ejusmodi; *Quid nobis negotii est cum R. Eliezare? Ubique locorum constitutio ex ejus sententia rata habeatur.* Sed huic se opposuit R. Josua & respondit oraculo; *Non est in cœlis;* sc. *decisio contra plurium definitionem.* Vide de hoc & præcedente notas Wilhelmi Vorstii ad constitutiones Majemonidis. num.13. Quis ignorat, Papistas similiter cum errâtium multitudine insanire malle, quàm veritati manifestæ acquiescere à parvo Evangelicorum grege defensæ? Vide causam trium Regum, Christophori, Georgii Cappadocis, Catharinæ, Ursulæ & undecim millium virginum. Non alias traditiunculas nunc tangam. Duodecimò, ut ad Pharisæos redeam, quos Becanus in subsidium vocat, eorum traditiones, inter alia hoc nomine, à Christo reprehendebantur, quòd cum opinione cultus divini ac necessitatis obtruderentur, cùm essent mandata hominum. Matth.15,9. Par ratio traditionum Papisticarum, & nemo eas reprehendat?

Sect. II.

Expenduntur, quæ de Mosaicis traditionibus Becanus in medium proponit.

I. Becanus Mosaicas, de quibus potissimùm hîc agatur, tres præcipuè traditiones fuisse, dicit. Primam nominat, quòd *omnes & singuli libri, qui in canone Judæorum consignabantur, essent verè divini & à Deo inspirati.* Secundam, quòd *fœmellæ haberent aliquod remedium contra peccatum originale, non minùs, quàm masculi, qualecunque istud fuerit.* Tertiam, quòd *cruenta Judæorum sacrificia significaverint mortem Christi. Hæc*, inquit, *credebant Judæi, neque tamen ullibi scripta sunt in veteri Testamento.* num.6. Respondeo primò. Jam prodit homo, se traditiones Papisticas stabilire voluisse Pharisaicis, i.e. illis, quas Christus reprehendit, ipso fatente. Si enim de Mosaicis hîc *potissimùm* agitur, quod dicit, ergo etiam de Pharisaicis. Sunt ergo hæ pars argumenti, quod probè notet lector. Non enim sic commendat, sed potiùs suspectam reddit traditionum Papisticarum causam. Scilicet tam dubia est, ut Pharisæorum commenta sint in subsidium vocan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

da. Secundò. Etsi tria ista, quæ Jesuita sub traditionum titulo proponit, non exstarent in veteri Testamento, non tamen hinc argueretur Scriptura canonica imperfectionis solidè. Vetus enim Testamentum tantùm est pars totius Scripturæ, de qua quæritur. Præterea sermo est de tempore statuque Ecclesiæ Christianæ & completi canonis. Nisi igitur probet, aliquid eorum, quæ credenda sunt, non esse scriptum in toto sacro codice, nihil agit. Probo. Etsi non cognosceremus ex veteri Testamento, libros illos, qui sunt consignati in canone Judæorum, esse verè divinos, cognosceremus tamen ex novo, ubi legimus testimonium Christi & Apostolorum idque multiplex, Luc. 24, 44. 2. Timoth. 3, 16. 2. Petr. 1, 21. Legimus quoque significationem sacrificiorum veterum passim inprimis in Epistola ad Hebræos & Colossenses descriptam.

II. Tertiò. Non necessum est, ut totidem legatur syllabis, quod scriptum dicitur; Imò & illud scriptum rectè censetur, quod ex scripta litera per justam & invictam consequentiam deducitur: quo sensu falsum est, tria ista quæ Jesuita objicit, de canone librorum, remedio fœminarum, & significatione sacrificiorum non esse scripta. Libros, qui erant in Judæorum canone, esse verè divinos & canonicos, non tantùm Judæis, quibus primùm commendabantur à Prophetis, inde constabat, quòd à Prophetis scripti commendarentur & insererentur canoni, sed etiam posteris tum è Scriptura cõstabat eo ipso, quòd singuli essent in Scripturæ corpore, tum à succedentium Prophetarum testimonio, qui eos laudabant. Nobis autem constat inde, quia Christi & Apostoli testantur. Utrisque constat ex criteriis insitis, nempe ex scopo supernaturali, ex doctrinæ genere prorsus divino, styli majestate admirabili, omnium partium consensu, & doctrinæ efficacia, quibus accedit vaticiniorum complementum, & internum Spiritus sancti testimonium fidelibus Scripturæ divinitatem persuadentis. Bellarminus veritati succumbens scribit, l. 1. de verbo Dei c. 2. *Scripturas, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, divina continere oracula, quarto testis est ipsa Scriptura, cujus si veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, ut eventus postea comprobavit, cur vera non sint rerum præsentium testimonia? Verum igitur est, quod ait David*, 2. Samuel. 1, 23. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. *Verum, quod ait Zacharias* Luc. 1. Benedictus Dominus Deus Israël &c. sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum ejus. *Verum, quod ait Petrus* 2. Pet. 1. Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. *Et Paulus* 2. Timoth. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata. *Verum denique id, quod omnes Prophetæ idem repetunt*, Hæc dicit Dominus. Quartò. Quomodo Becanus traditionem Mosaicam vocat, qui libri sint in veteri canone? Num Moses tradidit? Atqui primò Becanus infrà contendit, ab Esra demum fuisse consignatum. Si ab Esra demum consignatus, quomodo est Mosaica traditio, qui libri sint in canone? Deinde præter Pentateuchum nulli exstiterunt Mosis tempore, nisi fortè librũ Jobi excipias, quem aliqui ante Mosen vixisse, censent? Num vocas traditionem Mosaicam, quòd Moses prædixerit, qui non essent futuri in canone? Nugæ. Non igitur potest dici traditio Mosaica.

III. De remedio fœmellarum sic habendum. Illo nomine vel intelligitur efficacia, quâ delentur peccata, vel ejus efficaciæ signum aliquod externum sacramentale. Posteriori sensu, nego pro fœminis ullum à Deo fuisse institutum, aut usurpatum à fidelibus. Neque tamen illis præcidebatur spes gratiæ salutiferæ, quippe quæ non est sic alligata sacramentis, ut non queat etiam sine illis in quosvis agere liberè. Priori significatu remedium pro fœminis Scriptura non tacuit, puta gratuitam remissionem peccatorum ex misericordia Dei per sanguinẽ Christi, quæ omnibus credentibus erat communis, sine sexus discrimine, & continebatur istâ promissione, *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* Genes. 17. Hæc non solùm maribus, sed etiam fœminis obsignabatur per circumcisionem, ut patet ex institutione, cujus hæc sunt verba; *Stabilio autem fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te, per ætates suas, ut fœdus sit perpetuum, me esse tibi Deum & semini tuo post te.* Genes. 17, 7. Et poste. *Hoc est fœdus meum inter me & vos & semen tuum post te, quod servabitis, ut circumcidatur vobis omnis mas. Circumcidetis ergo carnem præputii vestri, ut sit sigillum fœderis inter me & vos.* ℣. 10. 11. Hîc circumcisio dicitur signum fœderis. Fœdus non tantùm cum maribus erat initum, sed cum Abrahamo & semine ejus, in quo non minùs continebantur fœminæ, quàm mares. Inde non dicit, *Ero Deus tuus & seminis tui masculini*, sed *seminis tui* sc. tam fœminei, quàm masculini. Circumcisio igitur facta in Abrahami corpore, significat, Deum non tantùm illius, sed etiam seminis ejus esse Deum. Ergo etiam fœminarum, quia & illæ erant semen. Ideo admittebantur ad esum agni paschalis, & ad sacrificia nõ minùs, quàm mares, Exod. 12, 3. 4. 1. Sam. 2, 24. Lev. 22, 13. à quibus incircumcisi excludebantur, Exod. 12, 48. Opponebantur incircumcisis non minùs, quàm viri, Gen. 34, 14. & appellabantur filiæ Abrahami Luc. 13, 16. Verbum Apostoli, *qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abrahamo*, Gal. 3, 9. non tantùm in novo Testamento verum est, sed etiam fuit in veteri.

IV. *Credebant*, inquit Becanus, *Judæi, fœminas salvari non posse, nisi per aliquod remedium à Deo institutum.* Non credebant, inquam ego, Judæi, salvari non posse fœmellas, nisi per aliquod remedium à Deo institutum, quod à remedio marium esset diversum. Proba, credidisse. Quo teste tandem probabis? Unum maribus & fœminis promissum semen mulieris, unus Messias, ex virgine nasciturus, pro utrisque moriturus, & utrorumque peccata luiturus. Una gratia remissionis peccatorum, una fides marium & fœminarum, una circumcisio, quæ exstabat in carne marium, sed ei addita promissio complectebatur tam fœminas, quàm mares. *Debebant*, inquit Becanus, *scire in particulari, quod & quale esset hoc remedium, alioqui omnes fœmellæ periissent sine remedio, at nusquam scriptum est in veteri*

Universidad de Deusto
Biblioteca

teri Testamento, quale id fuerit, ergo per solam traditionem sciebant, quæ erat necessaria ad salutem, qualecunq; illud fuerit. num.7. Unde nobis confirmas, Judæos scire debuisse in particulari, quodnam & quale esset illud remedium à marium remedio distinctum ? Sciebant Judæi, externum remedium esse circumcisionem marium ; illam enim sic demandaverat Deus masculis, ut promissionem additam ad semen masculinum non adstringeret. Extendebat igitur ad fœminas quoque. Fedus erat commune utrisque, signum imprimebatur carni marium. Nec absurdum videri debet, efficaciam circumcisionis latiùs produci, quàm signi applicationem. Id enim habet institutio. Baptismi & cœnæ alia est ratio, quia aliud postulat institutio, quæ in his rebus unicè est spectanda. Sic si exempla velis, sanguine agni conspergebantur postes ædium, & tamen proderat hominibus in ædibus. Exod.12,7.13. Filum dibaphi suspensum è fenestra datum fuit Rahab meretrici, in signum salutis. Ideo servati sunt omnes, qui erant in domo, quamvis nemo gestaret filum in proprio corpore ; Sic enim convenerat. Josuæ 2,18. Jam dicat Becanus, nusquam esse scriptum remedium in veteri Testamento ; imò scriptũ in institutione circumcisionis, non habetur ex traditione non scripta, sed ex verbo scripto.

V. Cruenta Judæorum sacrificia significasse mortem Christi, nos quidem clarè legimus in scriptura novi Testamẽti. Non igitur est traditio non scripta, vide Galat.3,24. Hebr.8,5. cap.9,9. c.10,1. At non legitur in veteri. Si totidem syllabas requiras, concedo, non legi. At non ideo res non habetur, quamvis obscuriùs, quia oportebat esse illustre discrimen inter lucem veteris & novi Testamenti. Exod.24.v.6.7.8. effusione sanguinis juvenci oblati Deo confirmatur fedus inter Deum & populum, quod non erat ratum, nisi in Christo. Glossa Interlinearis in hunc locum, hæc verba, *Hic est sanguis fœderis*, sic declarat, *quasi morte Christi, quæ in hoc sanguine significatur, testamentum confirmabitur.* Hanc fidem ex inspiratione Dei & traditione habebant pii, antequàm ulla exstaret scriptura, sicut de omnibus aliis ad salutem scitu necessariis. Non tamen ideo posteà semper mansit traditio non scripta. Ipsa enim institutio sacrificiorum & lex de eorum iteratione ostendebat, ea quidẽ expiare, at ñ expiare peccata virtute propriâ ; Significare igitur aliud, nempe mortem Messiæ, omnium nostrûm peccata in se suscepturi, quæ ipsis etiam primis parentibus fuit prædicata in paradiso, Gen.3,15. & explicata deinceps sæpiùs inprimis Jesa. 53. Nec dubitem, quin sacerdotes hanc explicationem populo inculcaverint, & ostenderint, sacrificiis mortem & satisfactionem Messiæ adumbrari. Non verò opus est, omnem interpretationem totidem verbis in ipsa legi Scriptura. Neque tamen ideo exsurgit dogma non scriptum. Nam interpretatio scriptorum dogmatum non continet nova dogmata, sed revera nihil est aliud præter ipsa dogmata scripta. Cùm igitur Paulus significationem sacrificiorum clarè explicet, & tamen testetur, se nihil dixisse extra ea, quæ Moses & Prophetæ futura prædixerunt, illa significatio in dogmatibus scriptis cẽsenda. Sed vide, quomodo homo se implicet. Dicit, traditionem fuisse de præfiguratione mortis Christi necessariam ad salutem, non tamen necesse fuisse, ut singuli de populo crederent, sed ut aliqui crederent, præsertim sacerdotes & doctores. Quasi verò alii articuli fidei sint pro singulis de populo, alii pro aliquibus. Illud Apostoli, *una fides*, Eph.4,5. tam in veteri Testamento verum fuit, quàm in novo, quamvis utrobique semper fuerint in credentibus distincti cognitionis gradus. Cùm igitur agnoscat, non omnibus fuisse illam præfigurationem ad salutem scitu necessariam, alios Papistas deserit, qui contendunt, sine illius notitia salutem obtinere non potuisse.

VI. Jesuita ex dictis concludit, *Judæos habuisse quædam per scripturam, quædam per traditionem.* Num.9. Quin per traditionem, quæ fit vivâ voce, multa habuerint, nos quidem non dubitamus. Eadem enim vivâ voce tradebantur, quæ scripta erant. Nec negare velim, habuisse aliquas historiarum circumstantias non scriptas ex traditione, quò forte referas, quòd Paul⁹ magos Mosis adversarios, Jannem & Jambren nominat, 2.Timoth.3,8. Itemque quòd Moses, cùm monti appropinquasset, dixerit, *expavefactus sum ac tremebundus*, Hebr.12,21. de quo nihil in veteri Testamento scriptum legitur. At de iis nostra non est quæstio. Quòd dogmata quædam fidei ad salutem ipsis necessaria inprimis canone completo per solam traditionem non scriptam, habuerint, ex dictis non concluditur legitimè.

VII. Jam quòd dicit, *magis traditione usos esse Judæos, quàm scriptura, non solum in iis rebus, quæ habebantur per solam traditionem, sed etiam in iis, quæ erant scripta.* Num.9. facilem habet explicationem ex distinctione vocis. Quòd usi sint traditione i.e. tradendi ratione, quæ fit vivâ voce, certum ; Atque hoc sensu magis Judæos esse usos traditione, quàm scriptura, immediatè, si concedam, quid juvat adversarium ? Obtinebit, plures institutos fuisse vivâ voce, quàm legisse scripturam. Sicut hodie multo plures audiunt doctrinam, vivâ voce à ministris traditam, quàm ipsimet legunt in scriptura, idque quòd multo plures ignorent literas, quàm norint. Num hoc tangit nostram controversiam ? Quòd usi sint Judæi traditione, id est, habuerint dogmata fidei non scripta, falsum. Multo falsius, quòd hoc sensu magis sint usi traditione, quàm scriptura. Nisi plura dogmata recenseat nobis Becanus, quæ ex sola traditione non scripta habuerint, quàm quæ habuerint ex scriptura. Adde, quòd traditio, quæ fiebat vivâ voce, tempore scripturæ editæ, utebatur nitebaturque scriptura, id est, docebat ea, quæ in scriptura continebantur, juxta illud, *ad legem & testimonium.* Jes. 8. Adeò ut non tantùm ii, qui scripturam legebant, sed etiam qui vivâ voce docebantur, uterentur scriptura, saltem mediatè. Omnes igitur & semper utebantur scriptura. At ii, qui scripturam legebant, utebantur quoque traditione : Verùm non semper ; nempe cùm legebant ; Unde omnes intelligunt facilè, majorem fuisse usum scripturæ, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm traditionis, tempore Scripturę jam editæ.

VIII. Opponit adversarius dicta scripturæ Exod.13,8. Deut.32,7. Jud.6,13. Ps. 44,1.2. Psalm.68,5. Et hinc infert, 1. *traditionem fuisse Judæis à Deo mandatam.* 2. *Etsi multa ex iis, quæ jubebantur docere & discere, apertè habebantur in Scriptura, tamẽ remissos esse non ad Scripturam, sed ad traditionem.* num.10. &. primò. Traditionem, id est, institutionem, quæ fit vivâ voce, mandatam esse, ex dictis constat, & nos agnoscimus lubenter. At traditionem, id est, dogmata fidei non scripta citatis dictis Deus Judæis non commendavit, quod ab ipsis textibus clarescit. Exod.13, 8. *Et annunciabis filio tuo die illo, dicendo, propter hoc fecit ista Iehova mihi, cùm exirem ex Ægypto, ut sit tibi in signum ad manum tuam* &c. Narrationem hîc præcipit, quæ fit vivâ voce. Num verò rei non scriptæ? Imò scriptæ in Exodo & ideo scriptæ, jussu Dei, ut continuâ ætatis serie testata esset Dei veritas, & vivâ voce tradi posset in perpetuum; confer Exod.17,14. c.34,27. Deut.35,9.10.11.12.13. 2. Reg.23.2. Nehem.8,9. Deut.32,7. sic lego; *Recordare dierum seculi, animadverti to annos cujusque generationis, interroga patrem tuum, ut annunciet tibi, seniores tuos, ut dicant tibi.* Quid verò? Hoc omisit Becanus, ut fraus lateret. Nos addimus ex Mose, qui subjicit versu octavo, *cùm possessionem distribueret Excelsus gẽtibus, cùm dispararet filios Adami; statuit terminos populorum, pro numero filiorum Israëlis.* At hoc beneficium scriptum est à Mose, idque diligentissimè. Nullum igitur hîc dogma non scriptum. Id ratum habet Glossa ordinaria, patres interpretans doctorem legis & prædicatorem Evangelii. Lex enim & Evangelium scripta sunt.

IX. Jud.6,13. Gideon ait, *ubi sunt mirabilia ejus, q̃ enarrabant nobis patres nostri, dicendo, nõne fecit, ut ex Ægypto adscenderemus, Iehova?* Hîc clarum, illa mirabilia, quæ patres narrarunt, non esse alia, quàm quæ facta sunt in eductione ex Ægypto. At hæc scripta esse, norunt omnes. Non igitur intelliguntur dogmata non scripta, de quibus agit nostra disputatio. Similiter Psalm.44. Propheta in scriptam historiam intendit digitum, quòd patet clariùs, si conjungas versum secundum & tertium. *O Deus, auribus nostris audivimus, majores nostri narraverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis; manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.* Nonne hoc scriptum legimus in Mose & Josua? Vide Numer. c. 21. & 25. & 31. Jos.11. ubi nominantur Reges unus & triginta. Verba Psalmi septuagesimi octavi adhuc sunt clariora, si non truncemus cum Becano, sed legamus integra. Sic autem habent ex versione Ariæ Montani; *Et suscitavit testimonium in Iahacob, & legem posuit in Israël, quæ præcepit patribus nostris ad notificandum ea filiis suis. Ut cognoscant generatio novissima, filii nascentur, surgent & narrabunt filiis suis.* Loquitur Deus de lege, quam debent patres inculcare filiis. Illam scriptam esse, num quis ignorat? Et scriptam, ut in futurum posset rectè doceri? & juxta illam Dei cultus exerceri, ac vita institui? Vide Jos.23,6. 2. Chron.23,18. c.31,3. Esræ 3.2. 4. Nehem.10,35.37. 1. Chron.16,40. 2. Chron.

2. Chron.25,4. Ita Glossa interlinearis. Legem enim interpretatur testimonium, & in ea lege dicit, mandasse Deum patribus nota facere filiis, nempe Deut. 4. & 6. Nicolaus Lyra, *Quanta audivimus sc. Dei beneficia collata populo Judaico in egressu de Ægypto, & in progressu per desertum & in ingressu terræ promissionis, quæ diffusè scripta sunt in libris Mose & Iosuæ ejus ministri.* Bellarminus in commentario sic habet, *patres nostri narraverunt nobis, tum scriptis literis, tum ore proprio.*

X. Quòd Jesuita dicit, *multa, quæ jubebantur docere, vel discere per traditionem, apertè fuisse scripta,* verum est: Imò nihil jubebantur docere, vel discere in fide & moribus extra ea, quæ erant scripta, vel scribebantur, vel scribenda erât postea. Ut igitur verum est, ad traditionem, id est, institutionem, quæ vivâ fit voce, fuisse remissos Judæos, sic non remissos esse ad Scripturam, falsum est. Aliud enim testatur ipsa Scriptura Jos.1,8. *Ne discedito liber iste legis ex ore tuo, sed meditaberis de eo interdiu & noctu, ut cum observantia facias omnino, prout scriptum est. Tunc enim prosperaberis in viis tuis, & tunc secundaberis.* Quod ne uni Josuæ applices, audi psaltem Psalm.1,2. *Beatus, cujus oblectatio est in lege Iehovæ, & qui de lege illius meditatur interdiu & noctu.* In quem locum Lyra scribit, *consequenter concludit* (sc. Propheta) *quòd in fidelibus debet esse exercitium Scripturæ.* Hieronymus, *meditatio*, inquit, *legis est non solùm in legendis Scripturis, sed etiam in his, quæ scripta sunt, faciendis.* Jesaias cap.8. ait; *Ad legem & testimonium.* Malachias jubet legem requirere ex ore sacerdotis, cap.2,7. Inde Moses omnes ad legem scriptam adstringit, Deut.27,27. c.30.10. Christus jubet Scripturas scrutari, Johan.5,39. Id quod fecerunt Berhoënses non citra laudem, Act.17,11. Non erat nova obligatio, sed vetus. Imò institutio pariter & observatio ad legem scriptam alligatur, Deut.6, 6. 7. 8. 9. cap. 11. ℣. 18. 19. 20. cap. 17, 10.11.

XI. Supersedere igitur poterat Becanus comminiscendis rationibus, quas propter Judæi ad traditionem, non ad Scripturam fuerint remissi. Quæ enim sint rationes mendacii justæ? Quas ille quidem affert, falsæ sunt. Prior hæc est, quia *eo tempore Scriptura nondum fuerit redacta in formam integri voluminis, sed dispersa in variis chartis & annalibus, ut commodè ab unoquoq; legi non posset, donec primus Esras post captivitatem Babylonicam eam redigeret in formam voluminis.* num.10. Atqui primò legem totam, id est, libros Mosaicos in formam justi voluminis redactos fuisse ante captivitatem, cognoscimus ex eo, quòd Moses librum legis accepit & legit, audiente populo, Exod.24,7. Quòd Levitis dedit ponendum à latere arcæ fœderis, Deut.31,24. 25. quòd eum commendat tum Regi, Deut.17,18. tum sacerdotibus & senioribus populi, Deut.31,9. Itemque Deus Josuæ c.1,8. confer Deut.27,27. Galat.3,10. Deut.28,58.29,21. Jeremias omne verbum Dei ad se factum descripsit in uno volumine manu famuli sui Baruchi, Jer. 36,32. idque ex mandato Domini v.2.28. Secundò falsum, totam Scripturam usque ad Esræ tempora dispersam fuisse in

Universidad de Deusto
Biblioteca

variis chartis: nec probari potest à Jesuita. Tertiò. Etsi non in uno volumine omnes libri essent descripti, poterant tamen legi à fidelibus commodè. Quid obstaret? Imò quia non in uno volumine erant descripti, poterant commodiùs. Si morosè neges, ubi exstat papisticarum traditionum volumen? Si Papistæ remittuntur ad traditiones non comprehensas uno volumine, cur nõ Judæi remitti poterant ad scripturas, priusquàm in unum volumen omnes colligerentur? Quartò. Esram canonem veterem recensuisse, testimonio suo Ecclesiæ commendasse, & additis Haggæi, Zachariæ & Malachiæ vaticiniis compleviſſe, facilè do, at primum Scripturam in formam voluminis redegisse, non do, cùm Scriptura nec dicat, nec quidem dicat, unde illud sequatur. Dicitur legis peritus promptus in lege Mosis, Esræ 7,12. Quo verbo peritia legis commendatur, non factum singulare & admirandum, quod sine dubio non tacuisset Scriptura, quæ multo minora memoravit. Nehemiæ 8,2,3. dicitur, petente congregatione populi, attulisse librum legis & legisse coram omni populo: librum à se paratum attulisse non dicitur. Veteres quidem nonnulli, nominatim Tertullianus de habitu mulie. Basilius in epist. ad Chilonem, Eusebius in Chronic. videntur restitutionem penitùs perditorum librorum Esræ tribuere: Verum illi nituntur apocrypho libro quarto Esræ cap. 14. ubi tamen non libri deperditi denuò scripti dicuntur, sed libri ducenti quatuor. Nec omnes Patres illis assentiuntur. Athanasius in Synopsi sacræ scripturæ alios aliter sentire ostendit, *Narratur*, inquiens, *& hoc de Esra, quòd cùm libri S. per incuriam populi ac diuturnam captivitatem periissent, ipse illos, cùm vir esset honesti studiosus, industrius & lector, apud se omnes custodiverit, & tandem protulerit, omnibúsque tradiderit, atque ita servaverit.* Huic narrationi, quòd protulerit librum, suffragatur Scriptura; alteri, quòd omni veteri scripturâ deperditâ, de novo dictaverit, ex Spiritus sancti immediata inspiratione, Scriptura non suffragatur. Nec constat, totam Scripturam tempore captivitatis fuisse sic deletam, ut nullum supereſſet exemplar. Daniel certè legit Scripturam in captivitate, Dan. 9. Et Josephus lib. 11. Antiq. c. 1. testis, Cyrum lectione Jesaiæ, qui nomen ipsius expresserat, commotum fuisse, ut Judæos è captivitate dimitteret, ad ædificandum templum Jehovæ. Nec probabile quidem est, nullum exemplar apud ullum vel Prophetam, vel fidelem fuisse reliquum. Inde ipse Bellarminus, lib. 2. de V. D. cap. 1. *Sunt*, inquit, *scio, qui reparationem totius Scripturæ tribuant Esræ: sed ego quæro, quibus tribuant argumentis.*

XII. Altera ratio est ejusmodi, quia *liber Deuteronomii, qui erat præcipuus inter libros veteris Testamenti, non habebatur passim à populo, sed unum exemplar à Rege, alterum à sacerdotibus custodiebatur in arca Domini, qui septimo quoq; anno jubebantur illud populo prælegere*, Deut. 31,9. *Et hi ipsi sacerdotes tam fuerunt negligentes in eo custodiendo, ut longo tempore amissum fuerit, & tandem ab Helzia Pontifice, tempore Iosiæ Regis, inventum & populo prælectum*, 2. Reg. 22,8. *Unde necesse est, populum in plerisque usum esse traditione*, Num. 10. &

primò. An liber Deuteronomii præcipuus fuerit inter libros veteris Testamenti, hîc non disputo. Nulla certè hanc in rem Becanus adducit argumenta. Quòd enim liber Deuteronomii solus intelligatur Deut. 31,9. non constat certo argumento; Quin potiùs interpretationem legis quatuor libris comprehensam intelligi, planum. Omnes quippe libri Mosis vocãtur uno nomine lex, Matt. 11,13. c. 22,40. & hæc formula usurpatur, *sicut scriptum est in lege*, cùm memorantur, quæ scripta in Exodo, Levitico, Numeris & Deuteronomio, Nehem. 10,30. 35. 37. & seqq. Secundò; Non sequitur, liber Deuteronomii non habebatur passim à populo: Ergo ad traditionem non ad scripturam remittebatur. Debebat enim lex scribi in postibus domus, in portis, in magnis lapidibus, ut ab omnibus quotidie legeretur, Deut. 6,9. c. 27,2. 3. 8. Tertiò. Nimis diluta est argumentatio, librum legis non habuisse passim populum, quia unum exemplar à Rege, alterum à sacerdotibus custodiebatur. Neque enim putandum, sic apud Levitas fuisse legem depositam, ut el eam supprimerent, vel unum tantùm exemplar exstaret, cujus ipsi soli essent custodes. Verùm si indifferenter omnes esset hortatus ad eam legendam, vix quisquam applicasset suum studium. Sic enim fieri solet, ut quod in genere omnibus mandatur, singuli negligant. Ergo nomophylaces creantur Levitæ, qui, in aliorum contemptu, vel negligentia, sedulò advigilent, ne intercidat Dei cognitio. Habuerunt ergo illi πρωτότυπον, tanquam irrefragabilem testem adversùs omnes corruptelas, Deut. 31,21. à quo & Rex & reliqui describant, quod factum fuisse testatur historia. Habuerunt apographa Judæi, tum tempore Maccabæorum afflicto, 1. Macca. 1,59. 60. tum Christi tempore, in quibus legerent, Johan. 5, 39. Habuerunt Berhoënses, Actor. 17,11. Idem confirmant Rabbini; unde Maijemonides in constitutionibus de fundamentis legis, cap. 6. num. 10. inter Scripturam, quam exscripsit Israëlita cum sanctitate, & quam Israëlita Epicuréus exaravit, distinguens, illam cremari, vel manu perdi prohibet, istam flammis tradi vult, quia non crediderit in sanctitatem nominis Dei, neque descripserit in nomine Dei, sed sibi imaginatus sit, librum legis esse instar reliquorum verborum. Hæc sanctio locum non habebat, si non describebant Judæi in suũ usum librũ legis. Certè ab ipso Mose jussi erant describere canticum præscriptum; quod Maijemonides de tota lege interpretatur.

XIII. Quartò. Anni septimi mentio non debet eò rapi, quasi reliquo tempore manere debuerit lex apud Levitas abscondita; quin potiùs constituuntur quotidiani doctores. Absurdum enim fuisset, legẽ totis septẽ annis sepultã jacere, frigida deinde fuisset auditio in tãta multitudine, memoria quoq; facilè evãuisset, si ñ suis locis & tẽporibus repetita fuisset lectio. Denique perquàm exiguus fuisset ceremoniæ fructus, si reliquo tempore lex prælecta non fuisset. Certè Jacobus dicit, Mosen in Synagogis per singula Sabbata legi ab antiquis ætatibus, Actor. 15,21. Sed ne hæc exercitatio obsolesceret

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam fastidio populi, quàm sacerdotum ignaviâ, solennis ritus adjunctus fuit, ut septenis quibusque annis, cùm vacabant ab omni opere, renovaretur legis promulgatio, quæ lectioni, tum privatæ, tum Sabbatariæ pessimo exemplo opponitur. Quintò, fuisse amissum librum legis, & inventum Josiæ Regis tempore, testatur Scriptura; quàdiu amissus fuerit, non testatur. Ad Achazi tempus refert Rabbi Salomon, apud Lyranum, more suæ gentis fingens, cùm ille omnes libros sacros ad ignem peteret, hunc fuisse occultum ab ejus manu. Sed non est probabile, sub Hiskia & Jesaia non exstitisse librum legis. Alii igitur referunt ad tempus Manasse & Ammonis. Verùm diu amissus fuerit liber Deuteronomii Mosis manu scriptus, de quo aliqui accipiunt; Ergóne alii non exstiterunt libri sacri? Ergóne edocti sunt Judæi dogmata, quæ neque ante illud tempus exstiterunt, neque hodie exstant scripta? Ergóne populo dogmata non scripta sacerdotes proposuerunt? Id jam nego, nisi recessisse dicas à veritate doctrinæ. Sed usos esse traditione, id est, institutione, quæ fit vivâ voce, hinc clarum, & à nobis non negatur. Denique, ut sermonem concludam, quæ sequela est, Judæi, amisso libro legis, magis ad traditiones non scriptas, quàm Scripturam, sunt remissi, ergo in novo Testamento, canone Scripturæ completo & exstante, traditiones non scriptæ sunt pari pietatis affectu cum Scriptura recipiendæ? Hoc enim agitur.

* * *

SECTIO III.

Becani conclusio prima, de novi Testam. traditionibus apostolicis in genere, examinatur.

I. IN veteri Testamento traditiones nõ scriptas frustrà quæsivit Becanus, & hactenus cucurrit strenuè extra orbitã. Convertitur ergo deinceps ad novum Testamentum, an ibi inveniat præsidium causæ, idque magno conatu. Primò in genere contendit, exstare aliquas traditiones divinas & apostolicas, quæ parem cum Scriptura auctoritatem habeant. Secundò in specie multas recenset, quarum aliquas ad fidem, alias ad mores & ritus externos pertinere, dicit. Tertiò disputat, præter has esse alias Ecclesiasticas, quæ tametsi parem auctoritatem non habeant, meritò tamen à Christianis sint servandæ; idque tribus agit conclusionibus. Nos expendemus singulas.

II. Conclusione primâ affirmat, *exstare aliquas traditiones apostolicas, quæ expressè in Scriptura non habeantur, sed tamen parem cum Scriptura auctoritatem habeant*; Idque probare conatur *auctoritate Concilii Tridentini sess. 4. Pauli Apostoli* 2. Thessal. 2, 13. *& quorundam Patrum*, num. 12. Ut triplex sit in universum probatio. Prima & tertia, humano; secunda, divino nititur testimonio. Sed hîc ambiguitatis fucus diluendus est in ipso limine. *Expressè* enim in Scriptura haberi dicitur, vel quod totidem exstat syllabis, vel quod quoad sensum continetur in Scriptura & inde per invictam consequentiam elicitur, sive totidem literis ibi legatur, sive non legatur. *Priori* notione libenter agnoscimus, esse nonnulla dogmata, quæ *expressè* in Scriptura non leguntur, & tamen parem cum scriptis auctoritatem habent. Sic τὸ ὁμοούσιον & *Trinitas* totidem literis non legitur, & tamen res legitur. *Posteriori* sensu, qui est hujus loci, negamus, exstare traditiones non scriptas, quæ parem habeant cum Scriptura auctoritatem. Obiter quoque noto, in ingressu Jesuitam jactare traditiones *divinas* & *apostolicas*. In conclusione hac prima tantùm *apostolicas* nominat, itemque conclusione secunda. *Divinarum* non meminit ampliùs, nisi in responsione ad objectionem sextam, ubi jactat divinas & apostolicas, quæ sint enumeratæ. Hîc fraus latet. Bellarminus enim distinguit inter divinas & apostolicas. Becanus nullas divinas recensere potuit, quas ab apostolicis distingueret. Num ideo abstinet in conclusionibus isto nomine, quo tamen utitur bis toto capite, ne videatur negligere sapientiam Bellarmini? Sed fraus patet. Sophista hæret. Jam appellet ille auctoritatem Concilii Tridentini, atque etiam appellet primo loco. Nos non metuimus, imò ne quidem agnoscimus. Conciliabulum fuit hostium veritatis, non concilium legitimum. Principes Germaniæ rejecerunt jampridem gravibus de causis; quin etiam exteri Reges. Nec hodie possunt admittere bonâ conscientiâ. Suo igitur servet foro Jesuita Alphonsus à Castro post Concilium Tridentinum scripsit, & tamen disertè negat, traditiones apostolicas parem auctoritatem cum scripturis

divinis habere, argumento hoc addito, quòd præceptiones divinas nulli liceat evertere, aut immutare, Apostolorum autem canones, novis succedentibus causis, in multis antiquatos esse, lib. 1. adversus hæres. Nisi fortè canones Apostolorum non continent apostolicas traditiones.

III. Jesuita facilè intelligit nos non stringi vinciúque Tridentini Concilii auctoritate. Vellet igitur Apostolum traditionibus non scriptis, quas impugnamus, patronum excitare, hoc nomine, quòd ait 2. Thessal. 2, 14. *Itaq, fratres state & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* &c. His verbis hortatur Apostolus Thessalonicenses, ut perseverent in omni doctrina abs se tradita, sive eam ex præsentis viva voce, sive ex absentis scripto hausissent. Docuerat enim eos præsens, & absens ad eos scripserat, non omnia dogmata epistolâ priore complexus, sicut nec hac posteriore. Thessalonicenses enim speciatim alloqui, manifestum à textu. Illi non habebant scriptum totum evangelium isto tempore. Ut nec alii. Nondum enim exstabant libri novi Testamenti, sed veteres, id est, prophetici, extra quos tamen se nihil dixisse, affirmat Act. 26. 22. Plura igitur tum vivâ voce eos docuerat, quàm scripto. Imò ab initio totum evangelium erat non scriptum. Sed qui hinc concluderet, exstare nostro tempore dogmata non scripta, næ is magnum erraret errorem. Distinguenda enim sunt tempora. Sed & ille halucinaretur graviter, qui ex eo, quòd non omnia dogmata fidei scripta sint ad Thessalonicenses, inferret,

Ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ergo non in toto sacro codice. Norunt enim pii distinguere inter partem canonis & totum canonem. In una epistola ad Romanos multa habemus, quæ non sunt in epistola ad Thessalonicenses. Multo plura in toto canone, quem cùm Dei beneficio habeamus, à Thessalonicensium conditione ad nos nimis ineptè arguitur.

IV. Præterea si nimis morosè urgeat, non omnia esse scripta, quia Thessalonicenses jubentur retinere traditionem, quam sive per epistolam, sive per sermonem sunt edocti, similiter hinc cõtendet alius, non omnia esse tradita vivâ voce. At hoc non admitterent Papistæ. Jactant enim, omnia esse tradita. Quid? si concedam, non omnia esse scripta, quomodo probabunt, hæc illa esse, quæ ipsi circumferunt? Non esse, vel inde constat, quòd traditiones non scriptas non omnibus promiscuè, sed certis quibusdam hominibus perfectis esse commendatas, declamitant. At in quæ Paulus intendit digitum, ea omnibus Thessalonicensibus tradita fuisse, patet ex eo, quòd omnibus dicit, *Retinete traditiones.* Sed non est, ut tam longè progrediamur.

V. Sophista dicet, *Apostolum illis prædicasse de Antichristo & docuisse, quando esset venturus; at hoc nusquam esse scriptum.* Imò quod docuit, id scriptum est tum in Apocalypsi, tum hoc, de quo agimus, capite. Nam sic ait Apostolus; *Jam enim peragitur mysterium iniquitatis; tantum qui nunc obstat, obstabit, usque dum è medio sublatus fuerit, & tunc revelabitur impius ille* v. 7. 8. Quibus tamen verbis, si tempus quoddam individuum, sive diei, sive anni, sive etiam seculi descriptum esse, putes, falleris. Nisi fortè Papistæ possunt nominare diem & annum: dicunt enim, se habere omnes traditiones Apostolicas. At non possunt. Notavit igitur potiùs adventus circumstantiam, quâ tempus, cùm adveniisset, agnosceretur, aut potiùs tanquam non longè absens exspectaretur. Illam autem nosse potuerunt Thessalonicenses, etsi non præcisè nossent, quo die, anno, seculo esset venturus Anti-Christus. Sicut olim Judæi norant, sceptro à Juda ablato, venturum esse Messiam; quo anno, quo seculo esset venturus, non noverant.

VI. Excipiet, *non multum referre, sive scripta postea, sive non scripta fuerint, quæ Apostolus docuerit: quòd non promittat, se vel alium ea scripturum, quæ ore tradiderat, sed simpliciter præcipiat, ut non minus observent, quæ sine scripto acceperant, quàm scripta.* Admonendus est lector status controversiæ. Non quæritur, an teneri debeant, quæ traduntur vivâ voce? Ita enim Apostolorum præconium vocaretur in dubium. Quod crimen à nobis esse alienum, ipsa docet praxis. Docemus enim vivâ voce Ecclesiam. Num hodie extent dogmata necessaria de fide & moribus non scripta, quæritur. Id nos negamus, Sophista verò ex Paulo non potest affirmatè concludere.

VII. Confugit ergo ad Chrysostomum, Epiphanium, Basilium, Damascenum. Ex Chrysostomo citat verba, quæ integra sic habent; *Hinc patet, quòd non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista. Itaq; traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus.* Agnoscimus verba, & concedimus quidem, nec omnes sermones de rebus fidei tempore sui curriculi habitos, nec instituta ecclesiastica omnia Apostolos tradidisse scriptis; sed quæ ad substantiam fidei pertinent, scriptis idque perfectissimè complexos esse, asserimus cum Chrysostomo dicente eodem loco Homil. 3. *omnia clara sunt & plana ex Scripturis divinis, quæcunq; necessaria sunt, manifesta sunt.* Quæ igitur non complexi sunt scriptis, ea non sunt necessaria dogmata fidei, sed ad œconomiam ecclesiasticã spectant, cujusmodi multa scimus ab Ecclesia esse instituta postea, quæ Apostoli ne quidem vivâ docuerunt voce. Jam quidem sermones omnes ab Apostolis habiti eadem fide digni, qua epistolæ. Sed traditiones rituum atque ceremoniarum Apostolis tributæ ab Ecclesiasticis viris eandem cum apostolicis scriptis mereri fidem atque auctoritatem, si dictum Chrysostomo, dictum profectò inconsideratiùs, & indignum tanto Patre: quod vel inde obtinebo, quòd dogmata fidei apostolicis scriptis comprehensâ omnibus seculis citra omnem mutatiõem servãda sunt, at instituta ritualia mutationẽ admittunt. De dogmatibus rectissimè idem Chrysostomus Homil. in Psalm. 95. *Non*, inquit, *oportet quicquam dicere sine testibus, solâq; animi cogitatione. Nam si quid dicitur absq; Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem, ut frivolum, aversans, interdum ut probabilem rejiciens. Verum ubi è Scriptura divinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Interim non negamus, quod Chrysostomus affirmat, Ecclesiæ traditionem fide dignam esse, modò nitatur certis testimoniis; parem cum Scriptura auctoritatem habere, negamus, quod Chrysostomus non affirmat, & licet affirmaret, non tamen probaret; proinde à nobis minimè recipiendũ.

VIII. Epiphanii verba, Hæres. 61. sic habent; *Oportet autem & traditione uti; non enim omnia in divina Scriptura possunt accipi. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt.* R. Epiphanius ad traditionem provocat sæpiùs, sed in historicis & ritualibus, quæ à fidei dogmatibus apertè discernit in doctrina compendiaria. Loco citato agit de statu virginitatis, non de fidei dogmate, ac dicit, tradidisse Apostolos, peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias converti; quod tamen nullo probat teste fide digno. Conatur quidem per consequentiam è Scriptura deducere; verùm, ut dicamus, quod res est, deducendo deficit. Vide ipsum contextum. Nobis non opus est alio argumento. Nobis igitur Epiphanii verba non sunt infesta, quippe qui fatemur ultrò, non omnia posse sumi à Scriptura, sc. omnes ritus & ceremonias, quarum prolixum catalogum texit in compendiaria doctrina, ubi, ut dixi, ab iis, quæ ad fidem pertinent, manifestè secernit. Tu igitur primò cave, ne ad fidei dogmata rapias, quod de ritibus dictum est; 2 Deinde ne rituum traditiões opponas Scripturæ, sed subjicias. Illâ monitâ salvâ, salva res est.

IX. Basilius Becano & sociis est instar multorum, unicumque ex eo dictum instar

Universidad de Deusto
Biblioteca

stat omnium. Id repetitur ex lib. de Spiritu Sancto cap. 27. his verbis, *Dogmata, quæ in Ecclesia servantur & prædicantur, partim ex scripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione, in mysterio ad nos delata, recipimus. Quæ utraq; eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem ecclesiasticorum jurium experientiam habet.* Græcè sic; Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδεθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παραλαμβάνομεν. Hîc δόγματα & κηρύγματα, ut summi judicii & multiplicis lectionis vir D. Chamierus observavit, non sunt unum idemque Basilio, quò latina lectorem ducit versio, sed differunt; Ait enim paulo pòst, Ἄλλο γὰρ τὸ δόγμα, ἄλλο τὸ κήρυγμα. Et rursum, τὰ μὲν γὰρ δόγματα σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται, id est, *dogmata tacentur, prædicationes* (si sic reddere placet) *publicantur*. Sunt κηρύγματα Basilio articuli fidei; δόγματα, ritus, seu ceremoniæ. Illorum originem ad scripturam, horum ad traditiones refert. Patet, quia in memorandis δογμάτων exemplis, non sunt, nisi quæ ad ritus pertinent, signum crucis, conversio ad orientem, benedictio aquæ baptismatis, trina immersio, genu flexio, statio &c. non sunt doctrinæ capita. Adde, quòd in regulis brevioribus canone primo, cùm dixisset, esse τινὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ γραφῇ διεσαλμένα, τινὰ δὲ σιωπηθέντα, id est, *quædam in Scriptura comprehensa, quædam tacita*, ea, quæ sunt secundi generis, declarat observari liberè: περὶ, inquiens, τῶν σιωπηθέντων κανόνα ἡμῖν ἐξέθετο ὁ ἁγιώτατος Παῦλος εἰπὼν, πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει, πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. Et res ipsa id confirmat, quòd cùm ille conversionem precantium ad orientem commendet, contrà Antiocheni, teste Socrate lib. 5. hist. Eccles. cap. 22. ad occidentem conversi precarentur.

X. Interim quatuor hîc annoto. Primum est, quòd Basilius nondum justâ ratione confirmavit, ritus, quos memorat, esse ab Apostolis traditos Ecclesiæ. Alterum est, in hoc censu inveniri, quod ab Apostolis non sit profectum. Nomino ritum standi inter preces, à paschate usque ad pentecosten. Illum ritum quo jure dicemus apostolicum, cùm Paulus Apostolus, flexis genibus, oraverit paucis diebus ante pentecosten, Actor. 20. v. 16. 36. cap. 21, 5. Neq; enim fas est credere, quòd Apostoli aliud fecerint ipsi, aliud tradiderint faciendum. Tertium. Quædam à Basilio hîc recensita, apud Papistas in desuetudinem abierunt, quod non licebat, saltem in ipsorum Schola, si tradita essent ab Apostolis. Verbi gratiâ, non termergunt. Malè, si trina mersio est, quod affirmat Basilius, apostolica traditio. Quartum, quòd scribit, optimus alioqui pater, τὰ δόγματα καὶ τὰ κηρύγματα *eandem* ad pietatem vim habere, vix quisquam pius negabit, dictum esse duriùs. Quis enim credat, conversionem precantis ad orientem, vel trinam immersionem in baptismo, vel signum crucis, vel genu flexionem parem cum fidei articulis vim habere ad pietatem? Immersionem trinam jam pridem Papistæ fecerunt indifferentem; Num ritus reliquos æquabunt articulis fidei? videbimus.

XI. Præ-

XI. Præterea, vir emunctæ naris, Erasmus in epistola dedicatoria huic libro Basilii præfixa ad Episcopum Culmensem scribit, postquàm dimidium operis in eo vertendo absolvisset, visam sibi esse phrasin alium referre parentem, aliumq; spirare genium, & subiisse animum suspicionem, studiosum quempiam, quo volumen redderet auctius, multa intertexuisse. Quid si inter hæc sit illud, de *pari vi ad pietatem*? Adscribam integrum summi viri judicium, quo de multis moneri, & in tractandis Patribus cautiores reddi possumus, eo nomine dignum, quod hîc legatur, quamvis prolixiusculum. Sic igitur scribit; *Non hîc sumam operam in prædicandis Basilii laudibus, ne audiam, τὸ τίς αὐτὸν ψέγει; non silebo tamen, quid mihi intervertendum acciderit. Visus mihi sum in hoc opere deprehendisse factum, quod in celeberrimis quibusque laudatissimisq; Scriptoribus, velut in Athanasio, Chrysostomo & Hieronymo factum & videmus, & indignamur. Quid ist-huc, inquis? Posteaquàm dimidium operis absolveram citra tædium, visa est mihi phrasis alium referre parentem, aliumque spirare genium. Interdum ad tragicum cothurnum intumescebat oratio, rursus ad vulgarem sermonem subsidebat. Interdum subinane quiddam habere videbatur, velut se ostentantis se didicisse, quæ Aristoteles in libris de enunciatione & prædicamentis, Porphyrius in libello de quinque vocibus prædicabilibus tradiderunt. Adhæc subinde digrediebatur ab instituto, nec satis concinne redibat à digressione. Postremo multa videbantur admiscere, quæ non admodum facerent ad id quod agitur: quædam etiam repetuntur oblivione veriùs, quàm judicio: cùm Basilius ubique sit sanus, simplex, & candidus, sibi constans, atque etiam instans, nunquam ab eo, quod agitur, excurrens temere, nusquam divinis mysteriis admiscens Philosophiam mundanam, nisi per adversarios coactus, idque contemptim: sed ubique placidus ac virgineo quodam pudore incedit, ab omni ostentatione alienissimus, ne in pugna quidem ab ingenii lenitate recedens. Ex his rebus subiit animum meum suspicio, studiosum quempiam, quo volumen redderet auctius, multa intertexuisse, vel ex aliis auctoribus decerpta emblemata (Nam hoc argumentum à compluribus Græcis accuratè tractatum est) vel ex sese reperta. Sunt enim in his quædam erudita, sed à charactere Basilii discrepantia, quædam rursus ejusmodi, ut indole referant parentem suum, videlicet eum, qui doctissimis Athanasii libellis, de Spiritu Sancto, suas loquaces, sed elumbes attexuit nænias, quique in epistolam ad Corinthios posteriorem, & in Apostolorum Acta Chrysostomus haberi studuit. Porrò sceleratissimum contaminandi genus est, egregiorum virorum clarissimis purpuris, suos pannos intertexere, aut ut melius dicam, generosa illorum vina suis vappis corrumpere; quod in divi Hieronymi commentariis, quibus enarrat Psalmos, intolerabili sacrilegio factum esse, clarius est, quàm ut negari possit.*

XII. Denique Becanus laudabat Damascenum. Verùm hunc ei facilè permittimus scriptorem satis recentem, quippe ex octavo seculo productum, & εἰκονολάτρην, quem traditiones non scriptas adsciscere ad defensionem idololatriæ, quâ scriptura ei denegabat, nos nec mira-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mur, nec moramur. Illud potiùs videamus, quòd monstrare conatur, *quomodo traditio possit habere parem auctoritatem cum Scriptura. Nempe sicut mandatum principis eandem vim habet apud subditos, sive scripto, sive vivâ voce proferatur.* Num. 13. Simile non excutiemus prolixè. Concedo, vocem Dei loquentis & Scripturam ejusdem esse auctoritatis. In hanc resolvitur fides nostra: Resolvitur quoque in illam. Inde veteres ante legem Mosis tam Deo ad se loquenti credere tenebantur, quàm postea Scripturæ. Similiter Apostolorum concionibus non minùs tenebantur credere, quicunque volebant servari, quàm epistolis. Æquè enim præconium eorum erat Dei verbum, ac Scriptura, quia & loquebantur & scribebant acti à Spiritu Sancto, seu ex inspiratione Dei. Andreas, Philippus, Bartholomæus, Matthias, Thomas, Simon Cananites, unus Jacobus, Lebbæus cognominatus Thaddæus, prædicarunt tantùm, non scripserunt; alii quoque scripserunt, nempe Paulus, Petrus, Johannes, Jacobus frater Domini, Judas. Illi æquè testes infallibiles, ac isti. Præelecti enim omnes pariter. Actor. 10, 41. Hoc verò totum quid ad præsentem causam confert Jesuitæ? Num hîc agitur, *an ejusdem auctoritatis sit verbum ab Apostolis prædicatum & scriptum?* an non potiùs quæritur, *num hodie exstet verbum Dei non scriptum?* Prius affirmamus constanter. Posterius, id est, hodie exstare verbum Dei, quod in libris propheticis & apostolicis non sit scriptum, id verò nego constantissimè. *Traditio apostolica*, inquit Becanus, *omnino est verbum Dei.* Numer. 13. Respondeo: quod Apostoli vivâ voce docebant, tam erat Dei verbum, quàm quod scribebant. At ego inficior, ullum dogma Apostolos de fide & moribus tradidisse, quod non contineatur in Scriptura. Audi Irenæum lib. 3. cap. 1. dicentem, *Non per alios salutis nostræ dispositionem cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Tradiderunt præterea quædam ritualia ἀδιάφορα, quæ quidem non sunt scripta. At primò nego, hæc ab iis esse tradita, ut universa Ecclesia perpetuò illis obligetur; quin potiùs tradiderunt, sicut variis, sive locis, sive personis, sive temporibus, videbant congruere & expedire, quorum aliqua in epistolis suis attigerunt obiter. Deinde de adiaphoris non est nostra quæstio. Frustrà igitur huc quisquam ingerat.

Sect. IV.

Becani secunda conclusio de Novi testam: traditionibus apostolicis dogmaticis in specie expenditur.

SEcundâ conclusione contendit Jesuita, *speciatim loquendo certas quasdam esse traditiones apostolicas de dogmatibus fidei, quasdam de ritibus externis.* At suprà Num. 11. promiserat, se dicturum, esse aliquas divinas & Apostolicas traditiones. Ubi divinæ? Illas enim recensere ne conatus quidem. Num fortè ab apostolicis divinæ non sunt distinctæ? At di-

distinguit Bellarminus. Nos ullas planè de dogmatibus fidei exstare traditiones apostolicas non scriptas, de ritibus aliquas certò apostolicas exstare, negamus. Ille, ut hoc obtineat, primùm dicit, tria esse principia fidei maximè necessaria, deinde octo fidei dogmata, denique novem ritus, qui non habeantur in Scriptura, sed per traditionem. Principia fidei hæc nominat. Primum, quòd *tota Scriptura veteris & novi testamenti simul sumpta sit Dei verbum.* Secundum, quòd *tota illa Scriptura, præsertim in iis, quæ ad fidem & salutem necessaria sunt, maneat nobis salva & incorrupta.* Tertium, quòd *habeamus verum & legitimum illius sensum. Si admittimus*, inquit Becanus, *hæc principia fidei, necessario admittimus traditionem, per quam illa accepimus. Si non admittimus, vana est nostra fides.* In manuali lib. 1. cap. 2. num. 14. In Scholast. Theolog. par. 2. tom. poster. Tract. 1. cap. 1. num. 14.

II. Non quidem jam vocabo in dubium, non tamen video, quo jure tertium fidei principiis Becanus annumeret; neque enim omne id, sine quo fides nostra vana est, mox est fidei principium. Resurrectionem Christi nomino. Absque ea fides nostra vana est, 1. Corinth. 15, 14. nec tamen est principium, sed dogma fidei. Inter hæc enim Becanus distinguit. Jactant Papistæ, se habere verum Scripturæ sensum, se habere, jactant Anabaptistæ, jactant Ariani; quòd nos habeamus, illi negant, nos affirmamus & probamus. Ideo si accuratè loquaris, non est principium, sed conclusio. Sed hoc transeat. Secundò. Becanus dicit, si admittamus hæc principia, necessariò admittere traditionem, per quam acceperimus. Quin necessariò aliquam admittamus traditionem, non negamus. Ipsa enim Scriptura est quædam traditio. Quo sensu Tertullianus ait epistolâ ad Pompejum: *Unde ista traditio? Utrúmne de dominica & Evangelica auctoritate?* Hanc traditionem lubenter admittimus, imò urgemus contra Sophistas quoscunque. Sed de traditione apostolica non scripta Becanus disputat. Talem non admittimus necessariò, nec ulla exstat, per quam tria illa acceperimus. Patet de singulis. De *primo*. Hîc cùm totam Scripturam veteris & novi testamenti simul sumptam nominat, intelligit æquè controversos illos libros Judith, Tobiæ, Maccabæorum &c. ac reliquos. Illos verò esse Dei verbum, ubi & quando tradiderunt Apostoli? Non tradidisse, vel inde constat, quòd tum concilia, tum præcipui veteres Patres pro Dei verbo ñ agnoscunt. Nec sunt Dei verbum, ut antea manifestè probatum. Non igitur Apostoli esse tradiderunt. Falsum enim tradidissent; quod est absurdum. De *secundo*. Quomodo exstet traditio apostolica non scripta, totam Scripturam in iis, quæ ad salutem sunt necessaria, nobis esse salvam & incorruptam, cùm ante tot secula ipsi obierint? Qualis ad nos pervenire debuerit, viderunt; qualis pervenerit, non viderunt. Omnium postremus in vivis esse desiit Johannes: Ejus Apocalypsin reliqui Apostoli non viderunt. Quomodo igitur tradidissent, salvam nobis manere? Ipse Johannes vidit, qualem Ecclesiæ reliquerit; non vidit, qualis ad nos pervenerit. Non igitur illius exstat traditio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nobis salvam esse & incorruptam. Si illius traditio hac de re non exstat, à quo prodierit hac de re apostolica traditio non scripta?

III. *Tertiò.* De Scriptura prophetica, quòd sit Dei verbum, testatur Petrus 2. Petr. 1,19.20. De tota veteri & nova suo tempore exstãte, testatur Paulus, 2. Tim. 3,15.16. in specie de epistolis Paulinis, Petrus 2. Petr. 3,15. Primum igitur principium ex ipsa Scriptura patet, sicut ex mandato principis scripto & sigillato, constat, esse principis mandatum. Bellarmini verba recitavimus paulo antè, quibus probabat, contra Enthusiastas & Suencfeldianos, Scripturam propheticam & apostolicam esse divinam, ex ipsa Scriptura. At Scriptura prophetica & apostolica est tota Scriptura simul sumpta. Si igitur propheticam & apostolicam Scripturam divinam esse, ex ipsa constat Scriptura, ergo Scripturam veteris & novi Testamenti simul sumptam esse Dei verbum, è Scriptura constat. Nisi fortè Becanus in eo pedem figat, quòd nusquam in Scriptura totidem literis legatur, *tota Scriptura veteris & novi Testamenti simul sumpta est verbum Dei.* Figere non potest citra puerilem lusum. Nos enim nunquam diximus, omnia credenda *totidem syllabis* in Scriptura legi. Satis est, per invictam consequentiam inde deduci. Jam probatio Bellarmini contra Enthusiastas & Suencfeldianos aut est solida, aut non est. Si est, habemus, quod volumus; si non est, cur eam opponit hæreticis?

IV. Secundum similiter constat ex Scriptura. Invenimus enim in ea omnia dogmata ad fidem & salutem necessaria exactissimè. Habemus in ea totam Legem, & Evangelium integrum, vetus & novum testamentum. Non partem, sed totum habemus testamentum. Unde nemo Papistarum tam audax fuit hactenus, ut Scripturæ titulum mutaret, quo vetus & novum testamentum appellatur. Prætèrea veteris testamenti scripturas incorruptas usque ad Christi tempora perveniisse, inde colligimus, quòd nec Christus, nec Apostoli ullius depravationis accusarunt Judæos, sed ad scripturas remiserunt, Johan. 5,39. 2. Timoth. 3, 15.16. Non enim probabile est, ad corruptas, sine ulla præmonitione & corruptionis indicina, remisisse. His per omnia conveniunt novi testamenti scripturæ. Literas principis salvas & incorruptas ad manus nostras venire, ex ipsis literis & sigillo nobis constat, sic in literis Dei ad Ecclesiam: quas veras esse, testantur ipsæ; corruptas esse, quoad essentialia, non potest probari solidè, nec quidem justa est causa suspicandi; id quod nobis sufficit. Accedit insuper testimonium Ecclesiæ, tanquam argumentum secundarium, nunquam à nobis contemptui habitum. Quod cùm dico, non potest hinc inferre Sophista, necessaria esse dogmata non scripta, quod vel hinc cognoscat. Judæus Thalmudista, cum Judæo, Thalmudicas traditiones jam suspectas habente, congressus dicat, aut Thalmudicas traditiones amplecti te oportet, aut probare non potes, scripturas Mosaicas & propheticas ad nos perveniisse incorruptas. Unde enim hoc scias sine traditione? Si in hoc traditionem admittis, cur non

non in cæteris? Quid huic Thalmudistæ respondendum, putabit Jesuita? Num argutiolæ locum dabit? Si det, jam obtinebunt fabulæ Thalmudicæ; si non dare velit, quid nobis insultat suâ argutiolâ in causa simili?

V. Tertium principium, quod ille vocat, planissimè constat ex ipsa Scriptura. Sensus enim Scripturæ non est separatus à Scriptura. Est enim anima verborum. Sensus dogmatis scripti est ipsum dogma scriptum. Nisi dogma fingas sine sensu, quod tam absurdum est, ut ipsi etjam exsibilent pueri. Ut igitur universa dogmata ad salutem necessaria habemus in Scriptura, sic quoque sensum eorundem. Hoc nos Apostolus docet scribens, sacras literas hominem posse sapientem reddere ad salutem, 2. Timoth. 3,15. Suggerunt igitur verum sensum, sine quo non consistit sapientia solida. At *Scriptura est ambigua.* Sint quædam ambigua; at sunt multo plura perspicua & distincta, ex quibus ista ritè explicari queunt. Jam si quæstio sit, num Papistæ, an Protestantes Evangelici verè Catholici, habeant verum Scripturæ sensum, hîc ineptus sit, qui urgeat, sibi in Scriptura monstrari hæc verba, *Protestantes habent verum sensum Scripturæ*; sicut & is ineptus, qui sibi velit monstrari in Scriptura istam propositionem, *Papistæ habent falsum Scripturæ sensum.* Papistæne tamen, an Protestantes Catholici habeant verum Scripturæ sensum, de eo fideliorem testis non potest esse, quàm Scriptura. Illa testatur de se ipsa. Num confugiemus ad traditionem apostolicam non scriptam? Illa nec docet, nec quidem potest certò ac infallibiliter docere, utra pars habeat sensum Scripturæ genuinum.

VI. Dices, *nusquam scriptum est, nos habere verum sensum Scripturæ.* Respondeo. Neque vel à Christo, vel ab Apostolis, vel ab universa Ecclesia traditum est extra Scripturam, vivâ voce, te habere verum Scripturæ sensum. Berhoënses certè, cùm scire vellent, an Paulus haberet verum Scripturæ sensum, non consulebant traditiones Judaicas, sed quotidie inquirebant in Scriptura, an hæc ita sese haberent, eo nomine laudati, Actor. 17,11. De qua re Hilarius lib. 1. de Trinitate, *Optimus,* inquit, *lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potiùs, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. Cùm itaque de rebus Dei erit sermo, concedamus cognitionem sui Deo, dictisq; ejus, piâ veneratione, famulemur. Idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est.* Si ex dictis exspectandus sensus, si referendus inde, si Deus sibi testis est in Scriptura, hinc igitur non solùm verum sensum consequimur, sed etjam nos secutos esse, intelligimus. Etsi igitur firmiter persuasi sumus, totam Scripturam propheticam & apostolicam esse Dei verbum, esse in iis, quæ ad fidem & salutem sunt necessaria, incorruptam, denique nos ejus habere verum sensum, non tamen cogimur admittere traditiones non scriptas, pro quibus pugnant Papistæ.

VII. Porrò præter tria illa, quæ nominare ipsi libuit principia, octo deinceps recensèt dogmata, quæ non habe-

antur

Universidad de Deusto
Biblioteca

antur ex Scriptura, sed per traditionem. Primum, quòd *Symbolum fidei sit verè canonicum & apostolicum.* Secundum, quòd *Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio.* Tertium, quòd hic articulus verus sit, *Filius à Patre solo est, non factus, non creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quartum, quòd *infantes sint baptizandi.* Quintum, quòd *baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi.* Sextum, quòd *in baptismo pronunciari debeat hæc forma verborum*, Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, *& nisi pronuncietur, baptismus non sit validus.* Septimum, quòd *certus ac determinatus sit Sacramentorum numerus in novo Testamento.* Octavum, quòd *B. Maria mater Christi semper manserit virgo, etiam post partum.* Numer. 15.16.17.18.19.20.21.22.

VIII. Respondeo de *primo.* In Symbolo apostolico considero doctrinam, verborum structuram seriemque, & structuræ illius auctorem. Capita doctrinæ omnia & singula in Scriptura proponuntur, nullum reperitur non scriptum. Cyrillus Hieros. Catechesi quinta; *Non enim pro arbitrio hominum composita sunt res fidei: Verùm ex universa Scriptura, quæ potissima, collecta, perficiunt unam fidei disciplinam.* Eucherius Homil. 1. de Symbolo; *Ecclesiarum Patres de populorum salute soliciti ex diversis voluminibus Scripturarum collegerunt testimonia divinis gravida Sacramentis. Disponentes itaque ad animarum pastum salubre convivium, collegerunt verba brevia & certa expedita sententiis, sed diffusa mysteriis & hoc Symbolum nominaverunt. De canonicis itaque lectionibus facta est in unum pretiosa collatio, angusta sermonibus, sed divisa sensibus, & de utroque testamento totius corporis virtus, in paucas est diffusa sententias.* Idem sentit Thomas Aquinas 2.2.quæst.1.art.9.ad 1. Idem confirmat, aliud tamen agens, Bellarminus l.4. de Verbo Dei non scripto cap.11. ubi ait, *Ad testimonium illud ex Augustino de Doctrina Christiana secundo, capite nono*, in his quæ apertè posita sunt in Scriptura inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, *respondeo; loquitur de illis dogmatibus, quæ necessaria sunt omnibus simpliciter, qualia sunt, quæ habentur in Symbolo apostolico & in Decalogo.* Verùm eandem totidem verborum structuram non tenemur monstrare in Scriptura. Non enim ad essentiam fidei & salutem est necessaria.

IX. Sic intelligendus est Basilius cùm dicit, lib. de Spir. Sancto, *omitto cætera, ipsam fidei professionem, quâ credimus in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, è quibus Scripturis habemus?* Si enim hæc quæ Becanus Num.15. objicit, ad ipsam doctrinam trahas, manifestè falsus erit Basilius, cùm omnia & singula in Scriptura habeamus. Professionem igitur fidei interpretatur istum verborum complexum, quo olim Catechumeni, ante baptismum, suam profitebantur fidem, atque hunc in Scriptura διαρρήδην non exstare, ostendit, idque ne hæretici δοξολογίαν illam respuerent, quâ laus dicebatur Patri & Filio & Spiritui Sancto, quia in Scriptura canonica non legeretur totidem syllabis. Distinguit enim inter ἄγγεσιν ἀποδεικτικὸν & ἀναγκαῖαν καὶ ἄρρητον ἀκολουθίαν, seu τὸ τῆς εὐσεβείας ἀκόλουθον. *Illam* vocat, quæ sit totidem syllabis è Scriptura; *hanc*, quæ à canone dominicæ doctrinæ quidem proficiscitur, sed non legitur totidem syllabis in Scriptura. Falsus est autem Jesuita, cùm dicit, Basilium ibi multa doctrinæ capita recensere, quæ credamus, non quia scripta sint, sed quia ab Apostolis tradita sint. Denique quòd Symbolum isto ordine digestũ sit ab Apostolis, suam symbolam singulis conferentibus, priusquàm ad docendas gentes à se invicem discederent, incertum est, si non omnino falsum? Certè ad salutem scitu non est necessarium; dogma fidei non est. Etsi igitur scriptum non sit, nec tamen ideo imperfecta est Scriptura, nec præter Scripturam necessaria est traditio non scripta.

X. Inquis, *atqui à tota Ecclesia appellatur Symbolum apostolicum.* Appellatur sanè, non quòd singuli Apostoli singulos articulos contulerint, sed quòd doctrinæ, quam ab Apostolis ex scriptis eorum fusiùs habemus, summa quædam sit & breve compendium. Si opinioni contrariæ inhæreas, quid fiet de Symbolo Romanæ Ecclesiæ, in quo ut & in Orientis Ecclesiis articulum de descensu Christi ad inferos non fuisse, scribit Rufinus in expositione Symboli. Quem in isto Symbolo articulum contulerit Thomas, cui illum de descensu vulgò tribuunt Papistæ? Sed & hodie in Symbolo, quod libro septimo constitutionum apostolicarum, quæ sub Clementis Romani nomine circumferuntur, capite 41. legitur, non reperio sepulturam & descensum ad inferos.

XI. De *Secundo.* Spiritum Sanctum à Patre procedere, totidem syllabis dicit Scriptura, Johan. 14,26. idque fatetur Sophista. Eum procedere à Filio, non est, ut demum hauriamus ex traditione non scripta. Probatur enim Scripturæ testimoniis. Augustinus ex Scriptura probat Tract. 99. in Johan. probant nostri. Imò etiam Papistæ. Lombardus 1. s. d. 11. c. 1. *Quòd autem*, inquit, *ab utroque procedat, multis divinorum eloquiorum testimoniis comprobatur.* Alphonsus à Castro lib. 5. adversus hæres. in vocabulo *Deus*, hæres. 12. *Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, quia ab utroque productus est. Quod si aliud illis significat, procedere ab alio, quam produci ab illo, aut derivari ab illo, tunc de voce contendimus, & ignoramus, de qua re loquantur. Si verò nobiscum sentiunt de vocis significatione, apertè illis ostendemus ex Sacris Literis, Spiritum Sanctum procedere à Filio sicut à Patre, quoniam producitur à Filio, sicut à Patre.* Bellarminus, *ex Scripturis*, inquit, *ostenditur, Spiritum Sanctum à Filio procedere*, lib. 2. de Christo cap. 22. ubi allegat hæc dicta, Johan. 16,15. c. 17, 10. c. 16, 14. 15. c. 15, 26. c. 20, 22. Rom. 8, 9. Galat. 4, 6. Ex iisdem eandem veritatem demonstrat Gregorius de Valentia Com. in 1. p. Thomæ Disp. 2. Gen. quæst. 10. puncto 2. Horum probatio aut est recta & solida, aut frivola. Si recta & solida, processio Spiritus Sancti à Patre & Filio est dogma scriptum; Si frivola, cur Græcis opponitur ab Ecclesia Latina?

XII. Becanus objicit; *non legimus expressè in Scriptura, quòd procedat à Filio; non habemus igitur ex Scriptura, sed per tra-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

traditionem l.1.num.16. Falsa est consequentia. Rectè enim Thomas 1.parte.q. 36.art.2.ad 1. *De Deo*, inquit, *dicere non debemus, quod in sacra Scriptura non invenitur, vel per verba, vel per sensum. Licet autem per verba non inveniatur in sacra Scriptura, quòd Spiritus Sanctus procedit à Filio, invenitur tamen quantum ad sensum.* Isidorus epist.4.ad Claudium; *Spiritum verò Sanctum esse Patris & Filii & à Patre & Filio mitti, atque procedere ab utroque, sanctæ Scripturæ testimoniis clarius demonstremus.* Et post lectos locos; *His itaque plenariè declaratur, Sancti Spiritus missionem & à Patre & à Filio esse.* Petrus Damiani lib.3.epist.1. *Cùm Filius dicit, Ego & Pater unum sumus; quomodo potest Spiritus Sanctus ab eo, quod unum est, & procedere & non procedere? Sed res ineffabilis, quæ nullo valet humanæ rationis ingenio concipi, nullo potest mentis intuitu vel consideratione discerni, ex divinorum* duntaxat *eloquiorum debet sententiis colligi.*

XIII. De *Tertio.* Respondeo primò. Ita, fateor, loquitur Athanasius in suo symbolo. Etsi verò *totidem syllabis* in Scriptura non potest demonstrari, quoad singulas particulas, potest tamen è Scriptura demonstrari, quoad singulas. Quædam etiam possunt monstrari ἀυτολεξεί. Secundò. Quòd Filius sit à solo Patre, inde constat, quia in Scriptura ubique nominatur filius Patris, nunquam filius Spiritus Sancti. Pater dedit Filio vitam habere in seipso. Johan.5,26. Non dedit Spiritus Sanctus. Tertiò. Quòd Filius nec sit factus, nec creatus, ex Scriptura Augustinus concludit lib.1.de Trin.cap.6. quia Filio creationem omnium tribuit, Joh.1, v.3. *Omnia per hunc sermonem facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum sit.* Coloss.1,16. *Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra sunt.* &c. confer Hebr.1,10.cum Ps.102, 26. Creator autem non est factus & creatus. Sic Bellarminus lib.1.de Christo c.6. p.405. Quartò. Quòd Filius sit genitus, nimis clarè Scriptura dicit, Johan.1,14. *Spectavimus gloriam ejus, ut unigeniti à Patre.* Psalm.2. *Ego hodie genui te.* Confer Actor.13,32.33. Inde dicitur splendor gloriæ Patris, Hebr.1,3. imago Dei, Col.1,15. Quintò. Quòd Spiritus Sanctus sit à Patre & Filio, docet Christus, Johan.15,26. cap.16,7.15.cap.17,10. Paulus Rom.8,9. 11. Gal.4,6. idque fassi sunt Papistæ suprà. Sextò. Quòd Spiritus nec factus, nec creatus sit, è Scriptura constat duobus argumentis. Primum eo, quòd nusquam in Scriptura dicitur creatura, aut factus, cùm tamen multis locis enumerentur omnes præcipuæ creaturæ, quo utuntur Patres. Justinus lib.de recta fidei Confess. Basilius lib.de Spir.S.cap.18. Epiphanius in Ancorato, & Chrysostomus tom.5.Hom.in illud, *Tunc & ipse Filius subjicietur*, apud Bellarminum, libr.1. de Christo cap.13. Deinde illo, quòd Spiritui Sancto adscribitur creatio, Job. 33, 4. Psal.33,6. Imò quòd Spiritus Sanctus non sit genitus, liquidò constat è perpetuo Scripturæ hac de re silentio. Item, quòd nusquam appellatur Filius, sed à Filio distinguitur, Matth.3,16.17. Johann.14.15. Denique quòd sit procedens, totidem syllabis scriptum legimus, Joh.15,26.

XIV. De *Quarto.* Pædobaptismum esse ἄῤῥητον, effatum est nimis audax. Probo con-

fessione adversariorum & à reipsa. Adversarii sic. Bellarminus lib. de bapt.c. 9. dicit, deduci evidenter ex Scripturis, & multa argumenta è Scriptura duxerat, capite octavo. Similiter Catechismus Romanus ex Scriptura probat. Quid? Becanus ipse part.3. Theol. Schol. tract. 2.c.10.de Sacr. in specie q.1. infantes esse baptizandos, hinc probat 1. Quia sunt capaces gratiæ & gloriæ, juxta Scripturam 2. Ex verbis Domini, *Sinite parvulos venire ad me.* 3. Ex praxi Ecclesiæ. 4. Ex illis Scripturæ locis, ubi dicuntur baptizatæ integræ familiæ. 5. Quia in veteri Testamento circumcisi sunt infantes. A reipsa. Ista argumentâ, quibus Papistæ utuntur, aut firma sunt, aut infirma. Si infirma, cur proferunt? Si firma; habemus, quod volumus. Et sanè pædobaptismus ex eo solidè concluditur, quòd Christus jussit omnes gentes baptizare, Matth.28. Quòd dixit, *Sinite pueruloς ad me venire*, Matth. 19. quòd pueruli veteres rectè sunt circumcisi, & nostri non minùs sunt gratiæ capaces, quàm adulti. Hinc concludo, Becanum malâ conscientiâ scribere in Manuali, pædobaptismum nos non habere è Scriptura. Legerat enim argumenta in Bellarmino & sociis, imò transcripserat in Theologia Scholastica, & commendaverat Ecclesiæ contra Anabaptistas tum ibi, tum in Manuali lib.4.cap.2. Neque eum liberat Origenes, vel Augustinus, quos laudat num.18. Nec enim Origenes, nec Augustinus usquam dicit, pædobaptismum non haberi ex Scriptura. Ecclesiam ab Apostolis accepisse hanc traditionem, dicunt. Ille in cap.6.Rom. hic lib.10.de Genes.ad Lit.cap.23. non dicunt, accepisse, ut dogma non scriptum, non dicunt, accepisse extra Scripturam, aut sine Scriptura. Imò Origenes Homil. 14. in Lucam probat ex verbis Christi Johan.3. *Nisi quis renatus fuerit.*

VV. De *Quinto.* R. Decretum de non iterando baptismo, non est cur monstremus in Scriptura. Sufficit nobis, iterationem baptismi in ea non exstare, quippe quam nec præcipit, nec ullo commendat exemplo, nec alio suadet argumento. Hinc inferimus, iterandum non esse. Accedit, quòd fedus gratiæ, quod baptismo obsignatur, est perpetuum, ad quod resipiscenti semper patet aditus post offensas; quæ causa est quòd resipiscentibus promissio & consolatio baptismi semel suscepti proponitur, 1.Corinth.6,11.Gal. 3,26.27.Tit.3,5.7.1.Pet.3,21. Præterea circumcisio, cui nostrum Sacramẽtum successit, Coloss.2,11.12. non repetebatur. Imò etiam ea, quæ à decem tribubus idolatriæ jam addictis, seu Samaritanis erat administrata, à Judæis habebatur pro vera circumcisione. Nec qui ab illis tribubus ad Judæos migrabant, vel iterum circumcidebantur, vel ullâ lege ad circumcisionis iterationem obligabantur. Sic Augustinus lib.1.contra Crescent. c.1. & hoc argumẽto utitur Becanus in Scholastica Theologia. Et denique una regeneratio, sicut una est generatio carnalis. Patres citant illud Apostoli; *una fides, unum baptisma*, Ephes.4,5. *Absit*, inquit Optatus Milevitanus libr. 5. de Schismat: contra Parmenian: *ut iteremus, quod semel est, aut duplicemus, quod unum est. Sic enim* SCRIPTUM *est, Apostolo dicente, unus Christus, una fides, una tinctio.* Rationes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus repetitionem nonnulli pingebant, pugnant cum Scriptura.

XVI. Becanus objicit Augustinum, qui dicat lib. 2. de Baptism. contra Donat. c. 7. *Quam consuetudinem (non repetendi baptismum) credo ex apostolica traditione venientem.* & lib. 5. cap. 25. *consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum traditione, exordium sumpsisse, credenda est.* Frustrà. Idem enim Augustinus eodem capite vigesimo tertio ad Scripturam provocat in hac causa, inquiens, *contra mandatum Dei esse, quòd venientes ab hæreticis, si jam illic baptismum Christi acceperunt, non baptizantur, quâ Scripturarum auctoritate sanctarum ostenditur?* Cyprianus ad traditionem apostolicam provocabat, sed scriptam, ut apparet ex Augustino ibidem capite vigesimo sexto. Imò patet ex ipso Cypriano, qui traditionem apostolicam nominat, quòd sit unus Deus, & Christus unus, & una spes, & fides una, & una Ecclesia, & baptisma unum. Nec est, cur Becanus *traditionis* nomen urgeat morosiùs. Augustinus enim, cùm dicit, *multa esse, quæ non sint scripta*, hoc loco intelligit, quæ non sunt totidem syllabis scripta, sed per bonam consequentiam è scriptis deducuntur. Probo, quia in eadem causa dicit, *ne videar humanis argumentis agere, ex Evangelio profero certa documenta*, lib. 1. cap. 7. at lib. 5. cap. 4. provocat ad præteritam Ecclesiæ consuetudinem, ad posterius robur concilii plenarii ad tot tantaque Scripturæ testimonia & perspicuas rationes veritatis. Adde, quòd alibi disertè dicit, *in his, quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur omnia, quæ fidem morésque vivendi continent*, lib. 2. de Doct. Christ. cap. 9.

XVII. Quid? Jesuita hîc non debet nobis molestus esse, postquàm in indice Bibliorum, Sixti Papæ operâ editorum, ita legit, *Baptismus non est iterandus*, Ad Ephes. 4, 5. Ad Hebræos 6. v. 6 cap. 10, 26. *Idem declarat ipsius figura*, Gen. 17, 14. 1. Corinth. 10, 2. Aut enim fallit index, aut non fallit. Si fallit, quomodo non falsus Papa, qui eum approbavit? Si non fallit, falsus ergo Jesuita. Ille enim docet è Scriptura, quod iste ad solam traditionem non scriptam refert. Sic interpretor. Si enim sic ad traditionem referat, ut simul ad Scripturam, nobiscum non pugnat. Quamvis nondum satis cõstet, hoc dogma, eos, qui ab hæreticis baptizati sunt, non iterum esse baptizandos, ad salutem esse scitu necessarium. Contrà constat, multos esse servatos, qui hanc controversiam prorsus ignorarunt. Imò spes est, aliquos servatos esse, qui negarunt. Huc refero Cyprianum Martyrem, cujus error à Patribus in hoc notatur, salus in dubium non vocatur. Obiter nota, Becanum à se ipso dissidere. Hîc dogma de non iterando ab hæreticis administrato baptismo appellat traditionem apostolicam. In Scholastica Theologia part. 3. tractatu secundo cap. 5. quæst. 5. ad traditionem & consuetudinem Ecclesiæ refert. Hæc non cohærent. Magnum enim discrimen inter traditionem apostolicam & ecclesiasticam ab ipso Becano h. l. num. 11. & 28. & aliis Papistis ponitur.

XVIII. De *Sexto* respondeat pro nobis Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini & jussu Pii v. Pontificis primùm editus, parte secundâ cap. 2. quæst. 10. *Pastores*, inquiens, *docebunt, hanc esse perfectam & absolutam baptismi formam; Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ita enim à Domino & Salvatore nostro traditum est, cùm Apostolis apud Matthæum præcepit, Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Becanus objicit, quòd *hæc verba pronunciari debeant, non aliunde, quàm ex traditione & perpetua Ecclesiæ praxi, probari posse.* At Bellarminus fatetur, colligi ex Evangelio. Catechismi verba multo sunt clariora, quæ citavi. Si enim sic traditum est à Domino in institutiõe baptismi, certè aliunde quàm ex traditione non scripta constat. *At etiam ex traditione*: Concedo; nec tamen Ecclesiæ nostræ sententiam defero. Sunt enim aliæ traditiones cum Scriptura, aliæ præter Scripturam. Non illas, qualis est hæc, de formula baptismi, sed istas impugnamus, quoties, tanquam necessariæ, & eodem pietatis affectu cum Scriptura tenendæ, nobis obtruduntur. Obiter nota. Jesuita dicit, *nos admittere, nisi pronuncietur hac forma verborum*, Ego te baptizo &c. *baptismum non esse validum.* Num. 20. Non dicimus; Imò dicimus, validum esse baptismum, etsi more Græcorum pronuncies, *Baptizetur servus Dei in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Ille igitur testis mendax. Ne nostram damnet sententiam, meminerit, se hac parte idem nobiscum sentire: *Utraque forma legitima est*, inquit parte 3. Scholast. Theol. tract. 2. cap. 8. q 3. Nec potest aliter. Sic enim declaravit Concilium Florẽtinum, quod reveretur.

XIX. De *Septimo*. Binarium propriè dictorum Sacramentorum novi Testamenti habemus è Scriptura, quicquid ogganniat Jesuita. Probatio facilis. Baptismum & sacram cœnam propriè dicta esse Sacramenta, Scriptura docet, fatentibus Papistis. Plura non monstrat; nedum septenarium papisticum. Jesuita profitetur. Inde habemus, quod volumus. Fictitio numero obtendat traditionem, quamdiu volet; per nos licet. Divinam, aut apostolicam obtendit immeritò; de quo suo loco. Interim concilietur Cardinali Bellarmino, qui docet, septenarium è Scriptura probari, lib. 2. de Sacr. cap. 24. *Sufficit*, inquiens, *si ostendamus ex Scripturis & Patribus, definitionem Sacramenti convenire ritibus non paucioribus, nec pluribus, quàm septem.* Præcisè numerum septenarium à Lombardo repetit, tanquam primo auctore, id est, ultra annos quadringentos non assurgit, deinde à Concilio Florentino (hoc celebratum est anno 1439) & Tridentino. Quid igitur Becanus ad apostolicam traditionem refert. Quis Patrum sic vocat? Quo argumento nobis probat, esse traditionem apostolicam? Regula sanè Bellarmini ei non competit, *quando*, inquientis, *universa Ecclesia aliquid, tanquam dogma fidei, amplectitur, quod non invenitur in divinis literis, necesse est dicere, ex Apostolorum traditione id haberi.* Non enim universa Ecclesia septenarium numerum, tanquam fidei dogma, suscepit. Non enim suscepit prima apostolica Ecclesia. Deinde in Scripturis inveniri, non tantùm Bellarminus, quamvis falsò, sed etjam Becanus affirmat in Scholastica Theolo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ologia parte 3. tract. 2. cap. 6. q. 1. num. 3. ut Sophista sit sibi ipsi reconciliandus. Bis enim à se dissidet. Nam primò hoc loco dicit, numerum Sacramentorum in Scriptura definitum non esse: In Scholastica Theologica affirmat, Scripturam de septem Sacramentis partim expresè loqui, partim obscurè. Secundò. Hic promisit exempla certarum traditionum apostolicarum, quas numero undecimo divinas appellat, atque in hunc ordinem refert septenarium Sacramentorum numerum. Numero autem vigesimo primo non potest traditionem apostolicã monstrare, sed prætendit, se habere ex traditione Ecclesiæ, quò etiam confugit in Theologia Scholastica. At Ecclesiastica traditio ab apostolica multum differt in Becani schola: Illam enim cum ista parem auctoritatem non habere, profitetur hîc numero undecimo.

8

XX. De *Octavo*. Virginitas Mariæ consideratur in partu & post partum. Quòd virgo conceperit absque ulla viri copula, & pepererit virgo, est articulus fidei in Scriptura positus apertè, quod ne ipsi quidem Jesuitæ negant. Quòd post partum virgineum à viro manserit intacta, non est articulus fidei, & propterea non traditum in Scriptura. Basilius Hom. de Nativitate Domini, *Non enim*, inquit, *cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum. Hoc verò nunc suspicionem generat, ne forsan, posteaquam puritate suâ generationi dominicæ, per Spiritum Sanctum administratæ, servivit, tum demum nuptialia opera viro Maria non negaverit. Nos verò, licet nihil hoc doctrinæ pietatis officeret (nam donec dispensabatur Christi generatio, virginitas erat necessaria, quid verò postea sit factum, ad mysterii hujus doctrinã non* anxiè conjungendũ, aut ut alii reddunt, *curiosius investigandum est.) Veruntamen ne hoc eorum, qui Christum amant, ferre cogantur aures, quòd genitrix Dei desierit aliquando esse virgo, has rationes sufficere putamus. Ad hoc quidem, quod dicit,* & non cognovit eam, donec filium suum unigenitum peperit, *illud dicimus, quòd* donec, *etsi temporis alicujus terminum circumscribere videtur, verè tamen infinitum aliquod præ se fert. Sic, ecce ego vobiscum*, Matth. 28. Hic nos Basilius non habet adversarios, lector verò prudens notet, primò, quòd Basilius disertè docet, si quis dicat, Mariam post nativitatem Christi dedisse operam liberis, id non officere doctrinæ pietatis. Secundò, quòd perspicuè distinguit inter tempus nativitatis, & quod eam est secutum. Virginitatem fuisse necessariam, quousque servitum esset nativitati Christi. De reliquo non affirmat, necessariam fuisse. Tertiò, quòd de reliquo tempore monet, non esse curiosè inquirendum. Hinc sole ipso clarius, virginitatem Mariæ, post natum Christum, perpetuam non fuisse dogma fidei in schola Basilii. Fruſtrà igitur eum patronum laudant Papistæ.

XXI. Cæterùm etsi non est dogma fidei, nos tamẽ lubẽter amplectimur sententiã, q̃ ab ultima antiquitate Christianis placuit, & contradicentes improbamus, cum Hieronymo & Augustino, sive Helvidium, sive Jovinianum, sive Antidicomarianitas. Neque enim tam morosi sumus, ut in iis, quæ non sunt de fide, magnam esse Ecclesiæ auctoritatem, inficiemur. Imò agnoscimus ultrò; modò, nec Scripturæ contradicat, nec absurdum proferat. Interim ne Papistæ fruſtrà in traditionum negocio Basilii auxilium imploraverint, in eadem homilia exemplum occurrit, unde mediocriter patet, quàm certa sint, quæ sub traditionum titulo circumferuntur. Basilius ex traditione refert, Zachariam patrem Johannis occisum à Judæis, quòd Mariam post partum collocarit in templo inter virgines. Sic quoque Cyrillus Alexan. adversus Anthropomorphitas, & Origenes. At Hieronymus de his (fatente Baronio tom. 1. ad annum 1. num. 54.) in Matth. c. 23. *Alii*, inquit, *Zachariam patrem Johannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quòd propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicaverit adventum, hoc quia à Scripturis non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Petrus Alexandrinus Can. 3. in Reg. Eccles. dicit, occisum ab Herode, quòd ad necem quæsitum filium subtraxisset. Baronius dicit, ex apocryphis hoc esse sumptum. Inde videtis Traditionarii, quàm sint certa, quæ sub traditionis titulo commendantur.

XXII. Conscientiæ homini dictabat, nullum articulum fidei produci potuisse, quem nos non monstraremus in Scriptura fundatum; Ne igitur seipsum deferat, objectionem ipse formet, *aliqua ex his punctis probari posse ex Scriptura*, & respondet, *aliqua posse probari ex Scriptura, quando constet de vero & legitimo Scripturæ sensu. At sæpe non constare, quis sit verus & legitimus sensus, nisi ex traditione & praxi Ecclesiæ.* Num. 23. & 24. Primò. Non aliqua, sed omnia puncta, quæ quidem necessariò creduntur, probari posſunt è Scriptura. Nullum producere potuit Becanus, quod non monstraverimus in Scriptura fundatum. Nullum socii poterunt nominare. Secundò. Fieri potest, ut unius loci sensus verus non satis pateat, si solus citra collationem aliorum consideretur: At sæpe ex tota Scriptura non constare, quis sit verus & legitimus sensus, nisi ex traditione & praxi Ecclesiæ, falsum est. Scriptura est suiipsius interpres. Quod alicubi obscuriùs dicitur, id alibi clariùs exponitur. Testem audivimus Augustinum suo loco. Loquimur de fidei dogmatibus necessariis.

XXIII. Becanus tria puncta proponit, quæ ex Scriptura probari nequeant, eo quòd de vero & legitimo sensu Scripturæ non constet, nisi ex traditione & praxi Ecclesiæ. Primum est, quòd infantes sint baptizandi. Secundũ, quòd in baptismo pnunciari debeãt hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Tertium, quòd Spiritus S. procedat etiam à Filio. Hîc non obtinet causam. Num enim pædobaptismus ex Scriptura non potest sufficienter probari? Atqui tum Bellarminus, tum ipse Becanus suprà probabat contra Anabaptistas. Num defecerunt probando? Probarunt etiam nostri sufficientissimè ex sola Scriptura.

XXIV. Ille regerit, *si constaret, hæc verba*, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, *non habere alium sensum, quàm hunc; Nisi quis baptizatus fuerit baptismo aquæ; jam optimè sequeretur, etiam infantes indigere baptismo. At hoc non constat, nisi ex traditione. Nec Calvinus, qui negat illum sensum esse istius loci, potest à Catholicis aut confutari ex sola Scriptura,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptura, sed ex eo solùm, quòd sensus ille à majoribus nostris per continuam traditionem ad nos pervenerit. Num. 24. Hîc tu, Christiane lector, vide mihi insignem Sophistam. Primò mutat quæstionem. quæstio est, *an ex Scriptura probari possit, quòd infantes sint baptizandi?* Patet à numero vigesimo tertio. Ille numero vigesimo quarto substituit, *an infantes indigeant baptismo.* Ubi non qualemcunque indigentiam, sed absolutam adeoque talem intelligit, ut sine baptismo infantes non serventur. Hoc ex eo patet, quòd Calvini confutationem urget, qui indigentiam vel necessitatem baptismi qualemcunque nunquam negavit, sed tantùm negavit absolutam necessitatem. Quis non intelligat, duas illas quæstiones plurimum differre? Secundò confundit probationem ex *certo* loco Scripturæ, cum probatione ex *tota* Scriptura. Dicit, ex verbis Johan. 3,5. non probari, quòd infantes indigeant baptismo, quia ibi de baptismo aquæ agi, nonnisi ex traditione constet. Pono, ex hoc loco non probari; an ideò probari nequeat ex tota Scriptura, quòd infantes sint baptizandi? Nugæ. Constat vel ipsius Calvini exemplo; Etsi enim hunc locum de baptismo aquæ non accipit, solidè tamen pædobaptismum probat è Scriptura.

XXV. Tertiò vel quæritur, *an verba Christi de baptismo aquæ sint accipienda*, vel, *an inde concludatur, infantes indigere baptismo?* Prius affirmatè concludi potest ex sola Scriptura. Non enim recedendum est à litera, nisi urgente necessitate. At hîc nulla urget. Tenemus igitur literam, Calvini honore salvo. Posterius quoque inde concluditur. Qui enim indigent regeneratione, iidem indigent baptismo, quippe qui est lavacrum regenerationis. Neque est, cur hac parte confutent Calvinum sive Papistæ, sive Lutherani. Non enim negat, infantes indigere baptismo. Negat absolutam necessitatem. Hîc verè diceret Becanus, Calvinum nec à Catholico Papistis, nec à Lutheranis confutari posse ex sola Scriptura. Si tamen ulli Lutherani hodie absolutam necessitatem asserunt. Nota triumphum veritatis de mendacio. Hoc hoc est, quod Calvinus inprimis negat. Ex sola Scriptura confutari non potest, fatente Becano. Num ex perpetua traditione confutant Papistæ? Monstrent primorum trium seculorum traditionem. Non possunt. Quæ seculo quinto eam in rem disputata sunt, minimè probant, traditionem perpetuam ab Apostolis acceptam.

XXVI. Secundum videamus. *Hic*, inquit, *si constaret, Christum, cùm dixit*, Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, *præcepisse Apostolis, ut pronunciarent hac verba, Ego te baptizo in nomine Patris*, & Filii & Spiritus Sancti, *jam res esset salva. Ac hoc non constat ex nudis Scripturæ verbis. Nam sicut Christus dixit*, Baptizate eos in nomine Patris &c. *Ita alicubi dixit*, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Et similiter Apostolus*, 1. Corinth. 10, 31. Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Domini facite. *Et tamen necesse non est, ut is, qui petit aliquid à Patre in nomine Christi, pronunciet hac verba, Ego hoc vel illud peto in nomine Christi. Neque ut is, qui comedit, aut bibit, pronunciet hæc verba, Ego comedo & bibo in gloriam Dei; sed satis est, internè mente id cogitare. Quod ergo in primo casu de baptismo necessaria sit prolatio verborum, non item in his duobus, hoc solùm habemus ex usu Ecclesiæ, qui per traditionẽ apostolicam ad nos pervenit.* Num. 25.

XXVII. Iterum mihi vide Sophistam, quem ad eludendam Scripturam fictum factumque dicas. Primò vel in istis vocalibus primæ & secundæ personæ, *Ego te baptizo*, hæret, & contendit, eas præcisè usurpandas ac ex Scriptura probandas esse, vel in diserta appellatione Patris, Filii & Spiritus Sancti. Istarum vocularum usum præcisè necessarium esse, ex Scriptura, fateor, non constat. Num verò necessarius præcisè? Nego; alioqui Græci non haberent veram baptismi formam, quippe qui tertia persona utuntur. Si tantùm urget disertam appellationem Patris, Filii & Spiritus Sancti, cur ex sola Scripturâ eam non probare possumus? An non sufficit Christi institutio? an usquam alia forma præscripta? an alia usquam ab Apostolis adhibita? Quid? Bellarminus scribit, hanc esse veram & necessariam formam baptismi, colligi ex Evangelio. Lib. 1. de Baptismo cap. 3. Si ex Evangelio colligitur, quid ampliùs desideras? Secundò. Evidentiam si desideres, num ex traditione apostolica probare potes evidentiùs? Dicis, *nos solùm habere ex usu Ecclesiæ, qui per traditionem apostolicam ad nos pervenerit.* Unde probas traditionem apostolicam, quòd non dicendum sit, *Baptizetur*; sed *Ego te baptizo*. Græci enim negant. De Trinitatis appellatione habemus verba Christi.

XXVIII. Tertiò nimis est iniqua comparatio exemplorum. In baptismo fedus cum Deo nobis obsignatur, nos ad cultum Patris, Filii & Spiritus Sancti, solenni actu, obstringimur. Hunc omnes intelligunt, mutum esse non debere, sed certâ verborum formâ administrari. Cur nobis permittamus aliam ab ea, quâ Christus baptismum instituit? Alia & quidem longè alia est ratio precationis; quæ non necessariò verbis conceptis profertur: Mens orare potest sine prolatione verborum; non potest rectè orare, nisi fundet in nomine Jesu Christi. Num tu speres exaudiri, nisi mente saltem petas in nomine Jesu Christi, quæcunque petis? Ab Apostolo tantùm omnium actionum nostrarum finem exprimi, 1. Corinth. 10. patet ab ipsis verbis, quam ad rem non opus est pronunciatione horum verborũ, *hoc facio in gloriã Dei.* Hinc ad baptismi formam argumentari, nimis ineptum. Unde probas traditionem apostolicam non scriptam, ex qua sola cognoscamus, opus non esse, ut in omni externa actione dicamus, *hoc facio ad gloriam Dei*, & omnis, qui petit, expressis verbis dicat, *in nomine Jesu Christi?* An hoc non habemus ab ipsa Scriptura?

XXIX. Tertium restat, de quo Becanus sic philosophatur; *Si ex verbis Scripturæ constaret, missionem Spiritus Sancti à Filio significare processionem ad intra, res salva esset. At Ecclesia Græca id negat, asserens, significare missionem externam ad homines, per donorum largitionem. Quod sic explicant. Filius dat nobis fidem, spem, charitatem & alia dona supernaturalia, quæ dicuntur dona Spiritus Sancti; ac pro-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

inde quando dat. hujusmodi dona, censetur dare seu mittere Spiritum Sanctum ad nos, cui ista dona per accommodationem tribuuntur. Quòd verò Latini rectiùs sentiant, quàm Græci, constat ex definitione Conciliorum, quæ sensum Scripturæ juxta traditionem apostolicam interpretata sunt. Num. 26. &. primò. Pluribus testimoniis Scripturæ probatur veritas, quàm quibus missio memoratur. Secundò. Bellarminus & Gregorius de Valentia exceptionem Græcorum de missione, respectu donorum primùm refutant ex ipsa Scriptura; deinde demum addunt auctoritatem Patrum. Et sanè non attendendum est, quid Græci hac in re negent, affirmentve, sed quid contra negantes è Scriptura possit concludi. Nisi fortè ex Scriptura non constat, quod Græci negant. Si ex Scriptura non potest concludi solidè processio à Filio, cur scribit Becanus part. 1. Schol. Theol. tract. 2. c. 6. q. 2. *Licet expressè non habeatur in Scripturis, potest tamen* evidenter *inde deduci.* Num ex Scripturæ verbis non constat, quod evidenter inde potest deduci? Si potest inde concludi solidè, quid tergiversatur? Tertiò. Concilia quædam, fateor, defenderunt veritatem: Sed interpretationis normam fuisse traditionem apostolicam non scriptam, quod fingit Jesuita, vel defendisse, tanquam dogma non scriptum, nego constanter, & exspecto, quo tandem teste confirmet adversarius. Vel unum nominet Concilium, si potest.

XXX. Interim ego inter dogmatis cujuscunque Christiani originem, & probationem distinguo. Originem refert ad solum Dei verbum, hodie & quidem plenè solâ Scripturâ comprehensum. Probatio semper petitur ex Scriptura, quandoque etiam à ratione, item q; à testimoniis Conciliorum & Patrum. Illa est primaria; ista secundaria. Illa gignit πληροφοριαν sinè ista. Ista sine illa minimè. Concilia Latina contra Græcos citarunt quidem Patres vetustiores Græcos, ut evincerent, recentiores ab Antiquitate defecisse: at nec isti traditionem agnoscebant, imò negabant, nec illa hîc quiescebant, sed ad ipsam Scripturam progrediebantur. Unico exemplo contentus hîc ero, prolaturus plura, si sit opus. In Concilio Florentino quæstio variè est agitata. Latini non nudè provocarunt ad Patrum dicta, sed ad Scripturam. Probo verbis Johannis Magistri, qui causam Latinorũ egit, Mitylenensis Antistitis & ipsius Papæ Romani. Johannes Magister sess. 23. sic ait: *Num illa Basilii sententia ex his Evangelii verbis* (De meo accipiet, & annunciabit vobis) *non dependet? Num in ratione pietatis ac veritatis, quam in traditione baptismatis Servator noster protulerat, benè fundata non existit? Imò si diligenter P. R. prospexeris, quòd in XV. Johannis Evangeliorum capite dicitur* (qui à Patre procedit) *id in subsequenti capite, quonam pacto intelligi debeat, ab eodem Johanne expositum* clarè *reperies, ubi dicit,* (omnia, quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis) *siquidem igitur auctoritates ipsæ, quas citavi, & argumenta nostra* Ex Sacra Scriptura *sunt, magnum profectò inconveniens esset, & huic sacro Concilio non mediocri dedecori, si postpositis ipsis, ac nullâ per vos ad argumenta nostra*

vestra responsione habitâ, ad eas veniremus auctoritates, quas modò protulisti. Mitylenẽsis Antistes in Græcorum conventu, ut sess. 25. narratur, dixit, *An non videtis, quemadmodum divinum Symbolum ex Scriptura sacra depromptum fuisse, ita etiam illud* Ex Filioque, *ex eadem ipsâ Scriptura à Latinis expressum esse?* Denique cùm Græci, salvo utriusque partis dogmate, alium conjunctionis modum quærerent, missis ad Papam nunciis, ille inter quatuor conditiones hanc primam illis proposuit, ut Latinorum ex libris sacris demonstrationibus habitis acquiescant, ita ut profiteãtur in posterum, Spiritum ex Patre Filioque procedere; quod quamvis luce clariùs sit demonstratum, se tamen velle, si Græci adhuc dubitent, adhuc magis patefacere, ut ipsis meliùs satisfiat. Vides demonstrationes petitas ex Scriptura. Hæ aut rectæ & firmæ, aut non rectæ, firmæque sunt. Si rectæ & firmæ sunt, cur Jesuita fingit, esse dogma non scriptum? Si non rectæ firmæque, erravit ergo Ecclesia Latina atque adeò ipse Romanus Pontifex, quippe qui demonstrationes illas, & quidem tanquam luce clariores, approbavit suo suffragio. Nihil ergo hîc Papista obtinet, nisi universæ suæ structuræ fundamentum, id est, Papæ Romani infallibilitatem, evertat. Utrum velit, eligat.

****
*****
*

Sect. V.

De traditionibus apostolicis ritualibus, quas Becanus vocat.

I. Hactenus Becanus traditiones Apostolorum dogmaticas, non scriptas, frustrà conatus est nobis obtrudere. Jam quod attinet ritus, idem deinceps contendit, multos ab Apostolis per solam traditionem acceptos esse, quales potissimùm sint hi. 1. Exorcismus & aliæ ceremoniæ in baptismo. 2. Trina immersio in baptismo. 3. Ut chrisma singulis annis renovetur. 4. Mixtura aquæ & vini in Eucharistia. 5. Ut Eucharistia sumatur à jejunis. 6. Ut in sacrificio missæ oretur pro defunctis. 7. Ut signum crucis formetur in fronte. 8. Ut ad Orientem versi precentur. 9. Ut aqua benedicatur. Num. 27.

II. Respondeo in genere, primò. Atqui nostra controversia est de dogmatibus fidei & ad salutem necessariis. Num hujusmodi sunt enumerati ritus? Ipse Jesuita distinguit à dogmatibus. Etsi igitur concederem, aliquas exstare traditiones de ritibus, non tamen sequeretur, exstare aliqua dogmata de fide & moribus non scripta, de quo inter nos quæritur. Secundò, hactenus ratio certa non monstrata est, quâ constet, hos, illos, istos ritus, quos Papistæ jactant, Scriptura autem non tradit, ab Apostolis esse institutos. Thomas Waldensis non audet hoc affirmare, sed dicit, vel ab Apostolis, vel ab eorum successoribus institutos. *Ritus*, inquiens, *sacros & sacramentales observan-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tias reverentur, ut traduntur, tenere jubemur, quos omnes, ut apostolicos colit Christiana fidelitas, quia ab Apostolis, vel succedentibus in eorum sedem Episcopis indistinctè eos accepimus, Tit. 5. de sacrament. c. 47. Facilem traditionum apostolicarum dignoscendarum viam nobis promittunt Sophistæ, nempe 1. si quid in universa Ecclesia omnibus retro seculis servatum sit, 2. si doctores omnes communi consensu doceant, aliquid ex apostolica traditione descendere, sive in concilio congregati, sive seorsim scribentes in libris. 3. Denique si quid pro tali habeatur in illis Ecclesiis, ubi est integra & continuata successio ab Apostolis. Verùm hanc incertam esse, facilè probo. Nam in apostolicis traditionibus numerantur delibatio lactis & mellis, pedum lotio post baptismum, vestis candida, pacis osculum, abstinentia carnium vinique. 1. Num hæ omnibus retro seculis observatæ in universa Ecclesia? Num sic omnes 2. doctores docent? Per Ecclesiam intelligunt Romanam. At in ea non est continua successio, sed multis modis interrupta. Pamelius in annot: in Tertullianum 3. dicit, prægustationem lactis & mellis fuisse particularem consuetudinem. Tertullianus annumerat, quòd dominico die jejunare nefas sit: at hodie totâ quadragesimâ jejunant, etiam die dominico.

III. Tertiò. Licet ista nobis monstraretur ratio, nondum tamen constaret, ab Apostolis ritus illos esse institutos, ut ab universa Ecclesia omni tempore pariter necessariò observentur. Hoc probant ipso facto Papistæ. Recensent multos ritus circa baptismum, quos in desuetudinem abiisse, norunt omnes, puta delibationem lactis & mellis, apud Tertullianum de corona militis, & Hieronymum in Jes. 55. Pedum lotiõem post baptismum, apud Ambrosium lib. 3. de sacram. cap. 1. Vestem candidam, apud eundem Ambrosium de iis, qui initiantur, cap. 7. & Augustinum de temp. sermon. 157. pacis osculum, abstinentiam carnium vinique, apud Augustinum de fide & oper. cap. 6. Si Apostoli omnes hos ritus instituerunt in perpetuum observandos, Papistica Ecclesia suprà nominatos malè omisit. Si rectè omisit, quomodo instituerunt Apostoli observandos perpetuò? Si eos, quos Papistæ retinent, Apostolos perpetuò observari voluisse, quos omiserunt, tantùm ad tẽpus observari voluisse, dicas, unde fidẽ facies? Quartò. Multo minùs constat, Apostolos eâ lege ullos ritus instituisse, ut quicunque, labentibus annis, dubitet, an ab Apostolis sint instituti ad perpetuum usum totius Ecclesiæ, incredulitatis damnetur, sicut incredulitatis reus est, qui de Scripturæ divinæ veritate dubitat ullo tempore. Quintò. Denique distinguunt traditiones in divinas & apostolicas, quarum illæ à Christo, istæ ab Apostolis sint profectæ: quâ ratione nobis probabunt, quæ à Christo, quæ ab Apostolis immediatè venerint.

IV. In specie de *primo* respondeo primò. Tertullianus libro de corona militis, quem jam Montanista factus scripsit, ceremonias quasdam in baptismo usitatas suo tempore memorat; Verùm nec inter eas memorat exorcismum, nec dicit, ab Apostolis esse institutas. Quin potiùs

dicit, *hanc (rationem divinam) nunc expostula solo traditionis respectu, quocunque traditore censetur, nec auctorem respicias, sed auctoritatem & inprimis consuetudinis ipsius.* Baronius tom. 1. ad annum 58. num. 102. de Ecclesiæ traditione exponit; Imò verba sic recitat, *ex antiqua Ecclesia traditione*; Ergo non ex traditione apostolica. Hæ enim differunt à se invicem nostro Jesuitæ. Præterea Tertullianus quasdam nominat, quæ in desuetudinem abierunt hodie, sicut multas, quas urgent Papistæ, ignoravit Tertullianus. Unde Renatus Laurentius in annot. pag. 336. censet, harum aliquas post Tertulliani tempora fortassis esse institutas.

V. Secundò. At exorcismum nominat Basilius. Nominat sanè lib. de Spirit. s. cap. 27. Verùm non sequitur, ergo est ab Apostolis traditus. Id probo manifesto exemplo. Eodem censet loco stationem precantium inter paschа & pentecosten. Num id statuerunt Apostoli? Nos legimus, Apostolum & fideles orasse, genibus flexis, paulò ante pentecosten, Actor. 20, 6. 1636. cap. 21, 5. nisi fortè cum Baronio dicas, Apostolum nequaquam Christiano more pentecosten celebrasse. Quis autem ferat istam impudentiam?

VI. Tertiò. Nos certi sumus, exorcismi usum in baptismo ad Apostolos suam originem non referre. Pugnat enim cum verbo Dei scripto multis modis, ut suo ostenditur loco. Exorcistæ illo tempore dicebantur, qui corporaliter obsessos à malis liberabant spiritibus. Cum eo quid commune habet exorcismus à Papistis quorumvis baptismo adhibitus? cui non eosdem natales ubique Becanus tribuit. Hîc enim ad ipsos Apostolos refert, quasi illi hanc ceremoniam baptismo conjungẽdam docuerint vivâ voce. In Scholastica Theologia part. 3. tract. 2. cap. 13. quæst. 3. numer. 4. & 5. in Ecclesiæ instituto gradum figit. Si demum Ecclesia instituit, non igitur est apostolica traditio. Si apostolica traditio, quomodo Ecclesia instituit? Nam Becanus duas traditionum classes constituit, in una apostolicis, in altera ecclesiasticis collocatis.

VII. De *secundo*. Trinam immersionem jam olim fuisse usitatam, constat ex Tertulliano aliisque veteribus; ab Apostolis esse præceptam, non constat satis clarè. Liber canonum Apostolorum dicit, sed illum apocryphum declaravit jampridem Gelasius Distinct. 15. Can. *Sancta Romana*. Basilius dicit, non probat. Nec sanè probabile est, ter mille uno die pentecostes, ter mersos esse, cùm baptizarentur, Actor. 2. Alium autem tum baptizandi ritum observasse, alium præcepisse postea, quis nos doceat? Bellarminus dicit, ab Apostolis traditum intelligi, quod omnibus retro seculis à tota Ecclesia uniformiter tenetur. At trinam immersionem non omnibus seculis tenuit ubique in omnibus Ecclesia universa. Adspersioni & perfusioni alicubi fuisse locum, testis Cyprianus lib. 4. Epist. 7. ubi neutram improbandam esse, ostendit. Inprimis habebat locum in ægris, etiam ubi alioqui immersio vigebat. Non dubitem, in gravidis & recèns enixis similiter obtinuisse, quibus baptismum administrandum, censet Gregorius. Multi erant tempore Pelagii Papæ, qui unâ mersione baptizabãt C. *multi* Dist. 4. de Consecr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secr. Jam ille quidem trinam mersionem urgebat, verùm non tanquam traditionem apostolicam non scriptam, sed ut in Evangelio præceptam à Domino, Matth. 28. Contrà Gregorio successori visum est, ut in Hispania una mersio fieret. c. de *Trina*, Dist. 4. de *Consecr.* quod paulo pòst confirmavit Concilium Toletanum IV. circa annum 643. cap. 5. Sic inter se consentiunt Papæ. Nunc autem pro regionum varietate vel una, vel trina mersio adhibetur, inquit Bellarminus libr. 1. de Bapt. cap. 26. pag. 496. Imò (addo ego) vel trina adspersio, in quam illa mutata est, idque pòst tempora Gregorii Magni, si credas Pamelio, in annot. in librum Tertulliani de Baptismo. Aut igitur illa non est traditio apostolica, aut regula Bellarmini falsa. Addo, quòd Gregorius trinam immersionem refert inter consuetudines Ecclesiæ, quæ, salvâ fide, possunt esse diversæ, citato capite. Non igitur apostolica traditio. Sophistæ quippe contendunt, esse planè necessariam, non liberam, perpetuam, & servari ab universa Ecclesia toto orbe: Nos assentimur Gregorio; Nec tamen Becanum juvat Pelagius, quamvis Gregorio contrarius. Multiplex enim mendacium, veritas simplex. Verba Gregorii; *De trina mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa.*

VIII. De *tertio.* Fabianum Episcopum Romanum & Martyrem agnoscimus, sed epistolam secundam ad Orientis Episcopos, unde annuam chrismatis innovationem Becanus arcessit, non agnoscimus. Est enim, quales Decretales cæteræ, in quas aliquos errores irrepsisse, nec negat, nec indubitatas affirmare audet Bellarminus lib. 2. de Pontif. Rom. c. 14. pag. 992. Ideo Baronius scribit, se consultò, cùm agendum nobiscum de ecclesiasticis controversiis, ab illarum citatione abstinere, ne unis his armis indigere credatur, quorum acies nostris objectionibus retusa videri possit, tom. 2. ad ann. Chr. 102. num. 7. Multò pudentior, quàm Turrianus & Becanus ille noster. Et sanè nec stylus horrid⁹ respõdet isti ætati, nec argumentũ convenit tẽporibus, nec probatiões & Scripturæ citationes, quas ibi legim⁹, dignæ sunt istis Episcopis; imò historiæ veritas, pdit suppositionẽ. Ætas illa loquebatur purè; Stylus epistolarum est sordidus barbarusque. Illis temporibus ignotæ erant ceremoniæ multæ, quas epistolæ commendant; contrà persecutionibus omnia plena, quas ne quidem verbo attingunt. Scripturæ dicta perverturtur & torquentur, ex illis malè infertur. Historiæ veritas illis prorsus est lethifera. Non exagitabo Clementis secundam, in qua scribitur de morte Petri ad Jacobum, qui septem annos ante Petrum erat mortuus, & quidem scribibitur, tanquam ad vivum. Non dicam, quòd Anterus in sua meminit Eusebii Alexandrini Episcopi & Felicis Ephesini, qui ne nati quidem tunc fuerunt. Postea enim, sæculo altero, vixerunt. Vide Centuriam Magdeburgensem tertiam c. 7. Col. 178. & seq. Witakerum de Rom. Pont. quæst. 4. Jacobum Cappellum lib. 3. de Sedis Romanæ fide cap. 5. & seqq. De Fabiani epistolis dicam. Secundam certiorem prima nec ipse dixerit Becanus. At

At ista mendax. Tangit enim adventum Novati in Italiam, quem, mortuo Fabiano, Cornelii tempore, demum eò venisse, certum ex Cypriano epist. 49. 56. 76. itemque ex libro de Romanis Pontificibus in vita Fabiani & Cornelii, tom. 1. Concil. pag. 354. 365. Unde Baronius spuriam penitus censet, nisi quædam in illa corrigantur, tom. 2. ad annum Dom. 238. num. 9. Ex illo repetit Joh. Gabriel Biscíola in Epitome.

IX. Habeat igitur Becanus sibi, quòd fictitius ille Fabianus fingit, Christum pòst cœnam Apostolos chrisma conficere, docuisse, Apostolos autem præcepisse, vetere combusto, quotannis novum parare. Nobis non persuadet, qui scimus, ne quidem illud obtinuisse omnibus retro seculis in universa Ecclesia; tantum abest, ut à Christo institutum esse, constet. Lotionem pedum describit Johannes in suo Evangelio cap. 13. Et tantum chrismatis sacramentum, sic Fabianus personatus appellitat, non memoraret, si instituisset Dominus? Alios quàm Christum & Apostolos habere auctores, testis nobis est Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis c. 26. *Sciendum*, inquiens, *primò simpliciter in pluviis, vel fontibus baptizatos credentes.* Et paulo pòst; *Sicut autem suprà ostendimus, crescente, progressu temporum, religionis honore, institutionum ecclesiasticarum usque ad plenitudinem decus creviisse: ita & hujus mystici lavacri gradatim per temporum augmenta, in majus celebratio crevit. Addiderunt alii chrismatis unctiones, alii exorcismos, alii consecrationem frontis, alii salis, vel salivæ infusionem, alii catechumenorum ordinabilem instructionem, alii scrutinia diligentissima ad tantum mysterium præparationis statuerunt.* Erasmus lib. de puritate tabernaculi dicit, olim simplici aquâ baptismum celebratum esse, sed Patres postea chrisma adjecisse. Cogita, si Apostoli à Christo docti erant conficere chrisma, an nulla in Actibus Apostolicis fieret mentio confectionis? Num Fabiani supposititii ratio nobis persuadet? Hanc affert, quia lotio pedum nostrum significet baptismum, quando sacri chrismatis unctione perficitur atque confirmatur. Imò hæc ipsa prodit impostorem. Num n. Sanctus Martyr ita ineptiat?

X. De *quarto.* Hoc est per se indifferens. Judicandum igitur ex usu præsenti. In vino Christus administravit: id colligimus è Scriptura, quæ genimen vitis nominat, aliud non nominat, Matth. 26. Negas? At colligimus, solam aquam esse materiam baptismi, quia aquam nominant Evangelistæ, non aliud elementum. Richardus, *Non legimus, Dominum apposuisse aquam*, 4. s. d. 11. q. 1. art. 3. ad 1. *Manifestum est, & evidens exemplum veritatis evangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet*, inquit Julius Papa Rom. C. *cùm omne.* Distinct. 2. de *Consecr.* Quid? qui aquam miscent, etsi inter se sententiis discrepent, plerique tamen docent, non esse de necessitate sacramenti, apud Bellarminum libr. 4. de Eucharist. cap. 10. Quis igitur credat, aquæ mixtionem, eodem pietatis affectu, cum usu vini esse suscipiendam? At Cyprianus traditionem Dominicam appellat, ut calix mixtus vino offeratur, l. 2. ep. 3. Appellat, sat scio. An non scriptam? Id jam

Universidad de Deusto
Biblioteca

jam nego. Imò intelligit mandatum Domini ab Apostolo ejus repetitum 1. Cor. 11. *Hoc facite in mei commemorationem.* Et dicit, mixtionem illam Dominum exemplo suo magisterii docuisse. Memineris verò, disputare Cyprianum contra Aquarios, qui nolebant uti vino, sed mera aqua utebantur. Urget igitur usum vini, tanquam necessarium ex Matth. 26. niti verbo Dei & quidem scripto, nos quidem minimè dubitamus.

XI. Inquis, *Cyprianus docet, solo vino non posse celebrari Eucharistiam.* Docet quidem, si sunt genuina Cypriani verba, & non aliquis impostor Sancti viri generoso vino vappam admiscuit, quod in præcipuis Patribus factum esse, Erasmus suprà querebatur, & hîc Cyprianum passum esse, ex eo aliqui non temere suspicantur, quia hæc cum præcedentibus non satis cohærent, & in sequentibus tantùm urgetur vini necessitas. Verùm mandatũ Domini non habet sive Cyprianus, si ipse dixit; sive interpolator; nec quidem exemplum citra dubitationem; ñ provocat ad traditionem Apostolorũ. Origenes illi coævus scribit, Christum discipulis meracum poculum propinasse. Si tamen mixtum propinavit, respondet Thomas, id probabiliter factum propter consuetudinem terræ illius, in qua ut temperetur fortitudo vini, ab omnibus vinum bibitur aqua mixtum. Comm. in 1. Corinth. 11. Ideo passim docent Papistæ, non esse de necessitate sacramenti, nominatim Thomas, 3. par. q. 77. art. 2. Bõaventura, 4. sen. d. 11. q. 3. quos sequuntur recentiores. Imò Bellarminus dicit, opinionem illam Cypriani, quod ad rem attinet, non esse catholicæ Ecclesiæ, lib. 4. de Eucharist. cap. 11. Et tamen illam promulgavit Julius Papa C. *Cùm omne*, Dist. 2. de *Consecr. Non*, inquiens, *potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.* Unde intelligis, Papam Romanum posse è Cathedra docere doctrinam, quæ non sit sententia Ecclesiæ Catholicæ. De quo quicquid sit, certè vel Christum, vel Apostolos præcepisse admixtionem aquæ, & quidem ad significandam unionem Christi cum populo, non ullo constat indubitato argumento. Durandus in Rationali l. 4. c. 30. Platina in Alexandro, Polydorus Virgilius l. 5. c. 10. Concilium Triburiense can. 19. ad institutionem Alexandri Primi Papæ referunt. Julius Papa refert ad canonum præcepta, seu ad antiquorum sententiam conciliorum, laudato cap. *Cum omne* de *Consecr.* A Christo & Apostolis non esse, arguit moris diversitas. Aliqui miscuerunt, apud Cyprianum, aliqui vini meri calicem habuerũt, apud Origenem Homil. 9. in c. 13. Jerem. Concilium Triburiẽse anno 895. (secundùm alios anno 899.) decrevit, ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi. c. 19. Inde Innocentius III. accusat Græcorum Ecclesiam, quòd non apponat aquam sacramento, lib. 4. de offic. mis. c. 32. Et de Armeniis certum, usque ad Concilium Florentinum vinum merum administrasse. Ut igitur morem miscendi non vituperamus, si absit superstitio, & maneat libertas, quam Christus suis dedit, sic ad Christi Apostolos præceptum referre, temerarium.

XII. De

XII. De *Quinto*. Christus post cibum instituit suam cœnam; Ut jejuni deinceps celebrarent non præcepit. Certum, nullum exstare præceptum divinum, quo teneamur jejuni accedere ad hoc sacramentum. Sic Becanus ipse in Schol. Theologia part. 3. tract 2. cap. 23. quæst. 3. Porrò Apostolos & fideles Apostolorum tempore, jejunos celebrasse cœnam, nullo constat testimonio fide digno. Quin potiùs vespertino tempore post cibum celebrasse, colligimus ex Actor. 20, 7. 11. Præterea Paulus in Corinthiis reprehendit abusum agaparum, 1. Corinth. cap. 11. Quòd post cibum convenirent ad mensam Dominicam, non reprehendit, imò permittit non obscurè, v. 22. *Enimvero*, inquiens, *num domos non habetis ad edendum & bibendum?* & v. 34. *quod si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem conveniatis.* De administranda jejunis postea præcepisse, ex eo non constat, (quod tamen Augustini ep. 118. id opinantis veniã dictum velim) quòd dicit, *cùm venero, reliqua ordinabo.* Num enim Corinthi ordinaret aliud, quàm hîc præcipit & observabat ipse Troade? Actor. 20, 11. & quod Troade, citra dubium alibi quoque. Toto primo seculo non exstat testimonium in contrarium; Consuetudo invaluit postea.

XIII. Becanus in Scholastica Theologia nostria docere dicit. Primò, Ecclesiam non potuisse jejunium præcipere ante communionem. Secundò, consuetudinem illam esse contemnendam. Tertiò, melius esse aliquid cibi sumere ante communionem, quia moderata sumptio cibi multum conferat ad opera devotionis. Homo injuriam nobis facit. Non negamus, Ecclesiam præcipere potuisse jejunium, sed negamus, potuisse præcipere, tanquam partem divini cultus. Nec præferimus sumptionem cibi jejunio, sed, tanquam in re indifferenti, unicuique permittimus libertatem suam, ita ut nos ferè jejuni accedamus. Nec ulli, quod sciam, è nostris dictum, quòd cibi sumptio ad opera devotionis conferat. Denique nos consuetudinem non simpliciter rejicimus, sed & superstitionem & opinionem necessitatis præcidimus, cùm sola Christi vox nobis sit servitus & necessitas. Deinde sic ab Apostolis præceptum esse, non intelligimus, imò non esse, intelligimus; quod etiam porrò colligo ex duobus. Unum est, quia Carthaginense Concilium tertium circa annum Christi 397. excipit diem aũiversarium, quo cœna Domini celebratur, de quo vide Augustinum Ep. 118. ubi liberum permittit, ut faciat quisque, quod in Ecclesia, in quam venit, invenerit. Si verò Apostolorum exstaret præceptum, num liceret Carthaginensi Concilio diem ullum excipere, vel Augustinus cuivis permisisset, velletné illo die jejunus, an pransus celebrare? Certè si non-nisi jejunis communicare licebat per legem apostolicã, ne quidem die anniversario agendum aliter. Alterum, quia, teste Socrate lib. 4. cap. 21. Ægyptii, Alexandriæ vicini & Thebaidos habitatores postquàm fuerunt epulati, circa vesperam oblationem communicarunt. Alii addunt, quòd ipsi Papistæ concedant ægris communionem post cibum, juxta doctrinam Thomæ par. 3. q. 80. art. 8. Et sanè hinc patet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eucharistiam cibo communi non pollui adeoque Apostolos non ordinasse, ut non nisi jejuni communicent, metu pollutionis. Mihi sufficiunt, quæ dixi.

XIV. De *Sexto*. Ut in sacrificio missæ oretur pro defunctis, non dicit Tertullianus, traditum esse ab Apostolis, lib. de Coröa militis. Imò ne quidem ibi nominat missæ sacrificium, sed Eucharistiæ sacramentum. At oblationes pro defunctis nominat. Num ex his facias orationes pro defunctis in missæ sacrificio? Nimis audacter. Reclamat Tertulliani litera. Oblationem illam faciebant singuli, & tantùm annuis diebus: Commemorationem in missa facit solus sacerdos, idque quotidie. Erant autem oblationes sportulæ eleemosynarum, quas cum ad traditionem referre, scio; ad apostolicam traditionem referre, nego. A gentilissimo potiùs habet. Gentiles pro genethliacis offerebant: hunc morem nonnulli inter Christianos imitati offerebant pro defunctis. Indicat sermo: *oblationes pro defunctis, pro genethliacis*, id est, *in locum genethliacorum, facimus annuâ die*. In quem locum Renatus Laurentius, *opus autem*, inquit, *erat olim multa Christianis indulgere, qui plerunque jam senes de paganismo ad nostram religionem convertebantur, difficulter ea relinquentes, quibus per omnem vitam assueverant*. Item. *In celebrando natali die genialis Ethnicorum lætitia à Christianis præsulibus rectè in oblationes, quæ in eleemosynam pauperum conferebantur, mutata est*. Viden' traditionis originem?

XV. Quamvis si referret ad traditionem apostolicam Tertullianus, quid tum? An nescimus, illum jam tum factum fuisse Montanistam, cùm hunc scriberet librum? Nec mirum, à magistro in genere traditionum haufisse multa discipulum. Liber hominem revincit, quippe in quo in Catholicos invehitur, quòd prophetias Spiritus respuerent, nempe quas jactabat Montanus! Jam olim dicebat Hilarius can. 5. in Matth. *Consequens error hominis, detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*. Hieronymus, cùm Helvidius ei Tertullianum objecisset, *De Tertulliano*, inquit, *nihil amplius dico, quàm Ecclesiæ hominem non fuisse*; Augustinus lib. de hæresibus inter hæreticos numerat. Inter Papistas Baronius tom. 2. ad annum Christi 201. num. 13. de illo; *In credendo magna erat animi facilitate præditus, adeò, ut quandocunque muliercula se aliquid secundùm visum accepisse diceret, mox tantam illi præstaret fidem, ut cùm alioqui eruditissimus esset, omnem illi posthaberet doctrinarum veritatem. Est ea de re potens exemplum ab ipso descriptum in lib. de anima c. 9. quo quidem apertissimè demonstratur, insanisse planè hominem, dum arbitrio mulierculæ à cardine dimovetur, non tantùm Christianæ theologiæ, sed etiam humanæ philosophiæ, ut animam corpoream, coloratamque anthropomorphitamq; crediderit, tantumq; valuisset apud eum fanaticæ fœminæ quælibet efficta & affectata relatio, ut omnia pro illa neglexerit Catholica dogmata atque scientias.* Talem testem in causa traditionum nobis laudet Becanus; Præsertim cùm illis Montanum ipsum æquè cum catholica Ecclesia usum esse, dicat Baronius I. I. num. 19. Cæterùm, ut hoc obiter adspergam, Gregorius lib. 7. Epist. 63. testis, Apostolos ad solam orationem Dominicam Eucharistiam consecrasse: idque ab initio fecisse, fatetur Bellarminus libr. 2. de Missa cap. 19. Postea mutasse, unde probabunt solidè?

XVI. De *Septimo*. Bellarminus nominat signum crucis in fronte & pectore. Alii addunt scapulas, aliaque membra. Jam quidem signum crucis inter Christianos mox ab initio in usu fuisse, non nego, & fortè isto tempore non alienum erat, hoc signo ostendere se Christianum medios inter gentiles. Verùm signi illius usum, cum efficacia pellendi dæmones, quam ætas citerior illi superstitiosè magis quàm religiosè affinxit, ab Apostolis esse traditum, & sacramentis additum, non dicit Basilius, quem testem laudat Becanus, nedum probat. Nec quidem potest. Non enim verum. *At inter traditiones refert*. De signo crucis in fronte fateor. Becanus inter apostolicas refert. Illud ibi non lego. Sunt etiam traditiones humanæ, quò pertinet probatio perpetuæ virginitatis Mariæ petita à nece Zachariæ, apud Basilium Homil. de nativ: Christi. Baronius dicit ex apocryphis sumptam; Hieronymus, ex apocryphorum somniis. Vereor, ne ex iisdem emanarit, quod Tertullianus de crucis usu memorat. Quod moneo, ne imprudenti imponat *traditionis* mentio. Certè ex Abdia deducit Renatus, *exstat*, inquiens, *Abdiæ liber à Julio Africano latinus factus, quem ille scripsit de rebus gestis Apostolorum, quarum conscius ipse quidem fuit, cùm eorum esset discipulus & assecla, ibi invenies, signum crucis traditionem esse apostolicam Apostolosq; frequenter se & alios in frontibus cruce signasse*. Quis autem sit ille Abdias, ne ipsi quidem Papistæ nostri seculi potuerunt tacere. Baronius tom. 1. ad ann. Christi 44. num. 44. Inter apocryphos censet. Similiter alii Papistæ.

XVII. De *Octavo*. Non inficior, jam olim vulgò Christianos ad Orientem versos orasse. Mos idem gentilibus usitatus. Et quidem Græcis, teste Pindaro. Ad quem alludit Apulejus, *Tum*, inquiens, *in Orientem obversus, vel incrementa solis augusti tacitus imprecans*. Apud Romanos Numa præcepit, ut sacerdotes ad Orientem conversi vota facerent. De Persis notum similiter. Ideo tępla versus Occidentem exstruebant, ut ad statuas conversi spectarent Orientem, memorante Clemente Alexandrino lib. 7. Strom. Jam quis nobis persuadeat, morem illum vel à Christo, vel ab ejus Apostolis esse traditum, ut ab universa Ecclesia observetur, tanquam mysterium? Nec Christus inter precandum certam cœli plagam delegit spectandam, nec Apostoli, quod constet testimonio fide digno. Tantum abest, ut eam in rem perpetuam legem dederint.

XVIII. At Justinus Quæst. 118. affirmat, ab Apostolis traditum. Quid tum? Ille suppositicius. Nam Quæstione 82. & 86. citat Origenem Quæstione 115. Irenæum laudat & vocat Martyrem, cùm Justinus sit utroque prior. Agnovit jam pridem Possevinus in Apparatu, & Baronius incertum auctorem nominat, tom. 1. ad annum Chr. 58. num. 106. Objicis Athanasium Quæst. 37. ad Antiochum. Et iste suppositicius. Fraudem jampridem agnoverunt Papistæ, Sixtus Senensis, Possevinus, Maldonetus in c. 4. Johan. v. 25.

Universidad de Deusto. Biblioteca

Bellarminus in recognitione suorum operum. Possevinus inde probat, quia Epiphanius, Greg: Nyssenus ab eo tanquam auctores antiqui citantur, quos Athanasius præcessit. Vide doctissimi Riveti Criticum sacrum. Basilius, fateor, inter traditiones numerat; apostolicam esse, non probat; Ratio ritus, quam affert, frivola. Dicit, *nos ad Orientem verti, quòd Paradisus, quem quæramus, fuerit versus Orientem.* Quasi verò nos Paradisum terrenum quæramus, & non potiùs cœlestem, in quo non est Orientis & Occidétis distinctio. Supposititius Athanasius tres affert causas; Primam proponendam Judæis, nempe *quia Spiritus S. præcepit, ut adoremus ad locum, ubi steterunt pedes ejus; at illi steterunt in monte Oliveti:* Alteram Gentibus, *quia Deus est lux vera:* Tertiam Christianis, *de Paradiso.* Si ñ aliunde, hinc agnoscerem' impostorem. Num enim verus Athanasius tam infirmis ratiunculis niteretur? Quæ sequela, Paradisus fuit ad Orientem: Ergo ad Orientem versi orare debent Christiani? Num ad illum adspirent? Nonne Deus tam lux vera est ad Occidentem, quàm ad Orientem? Quid de illis fiet, qui monti Oliveti sunt Orientales? Num illi ad Orientem se vertent, an ad Occidentem, inter preces? Si illud dicas, fallit prima ratio; si istud, fallit traditio. Accedit, quòd non ubique mos idem videtur obtinuisse. In Antiochenorum templis altare non ad Orientem, sed ad Occidẽtem spectabat, teste Socrate lib. 5. Histor. Eccles. c. 21. Num illos se ab altari avertisse dicemus, quoties orarent? Et tamen Petrus septẽ annos Episcopus ibi sedisse dicitur.

XIX. Cæterùm quâ occasione ista superstitio nonnullos Christianos invaserit, Leo 1. serm. 7. de Nativitate Dom. mediocriter ostendit, dum conqueritur & reprehendit, quòd converso corpore ad nascentem se solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Verba sunt, *Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multùm tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam fortè creatorem potiùs pulchri luminis, quàm ipsum lumen, quod est creatura, venerantur, abstinendum tamen est ab hujusmodi specie officii, quam cùm in nostris invenit, qui deorum cultum reliquit, nõne hanc secum partem opinionis vetustæ tanquam probabilem retentabit, quam Christianis & impiis viderit esse communem? Abjiciatur ergo à consuetudine fidelium damnanda perversitas, nec honor uni Deo debitus, eorum ritibus, qui creaturis deserviunt, misceatur.* Non magis appositè cõversionem precantis ad Orientem poterat refutare.

XX. De *Nono.* Nos non tantùm aquam, sed omnem omnino creaturam, quâ utimur, benedici, id est, precibus sanctificari debere, novimus. Habemus mandatum generale 1. Timoth. 4, 5. Habemus exemplum Christi in convivio cum communi, Luc. 9, 16. tum sacro, Matt. 26, 26. Habemus exemplum Ecclesiæ, 1. Cor, 10, 16. At hoc totum habemus è Scriptura. Basilius, cùm benedictionem aquæ vocat traditionem, loquitur de aqua baptismi, quam benedicendam esse, ut nunquam negavimus, sic, ut dixi, didicimus è Scriptura. At Jesuita molitur fraudem, cùm

cùm sic recitat, *ut aqua benedicatur*, pro quo Basilius, *aquæ baptismatis benedicimus.* Nempe cum suo Bellarmino & sociis reliquis, ad aquam sale conspersam, id est, lustralem vellet trahere, quod Basilius de aqua baptismatis pronunciavit, nos autem non rejicimus. Lustrali enim applicat Bellarminus, ut eam vindicet, l. 4. de V. D. c. 3. libr. 3. de Eccles. Triumph. c. 7. lib. 2. de Missa cap. 15. Verùm ejus usum ad Apostolos referre non audet Andreas Vega lib. 14. de justific. c. 5. sed consistit in Alexandro primo, qui sedit circa annum Chr. 120. & clara sunt verba Sigeberti Gemblacensis in Chronico ad ann. 688. dicentis: *Alexander Sextus* (sc. à Petro) *instituit aquam benedici & adspergi.* Facessat fraus & iniqua detorsio. Nisi anabaptismi velint convinci Sophistæ. Si enim aqua lustralis est aqua, de qua Basilius loquitur, & aqua, de qua idem loquitur, est aqua baptismatis, ut revera est, jam anabaptismi convincuntur tot argumentis Papistæ, quot vicibus aquâ lustrali adsperguntur. Lustralis enim aqua erit aqua veri baptismi. Rebaptizantur igitur baptismo Christi, quoties illâ adspergunturJam non persequor, quàm verè Alexandro tribuatur consecratio aquæ sale conspersæ. Multi, scio, dicunt: Sed ex Pseudo Alexandri epistola & Pseudo Damaso hauserunt, quos falsarios esse, non veros auctores, quorum nomina præ se ferunt, nostri demonstrant, nominatim Magdeburgenses centuriâ secũdâ, Rainholdus tom. 2. Censur: in libros apocryphos, prælect. 179. & 180. Jacobus Cappellus lib 3. de Sedis Romanæ fide, sive Stellionatu cap. 9. Si dicas, te Basilium non interpretari de aqua lustrali, sed baptismi, cujus benedictionem, qualem Papatus adhibeat, ille referat ad Apostolos, nullus eris. Papisticam enim benedictionem, quam Durandus in Rationali describit, Basilio cognitam fuisse, nullo constat argumento.

XXI. Inquis; *Clemens l. 8. Constit. c. 35. testatur, Apostolum Matthæum instituisse illam benedictionem.* Nititur quidem illo Bellarminus & Baronius, quamvis hic non tam confidenter, tom. 2. ad annum Christi 32. num. 3. Verùm Clemens ille non est idoneus testis, quippe in mendacio deprehensus fæpiùs. Fingit, Jacobum filium Zebedæi interfuisse Concilio Hierosolymitano, l. 6. c. 14. quem antea occisum esse, nos discimus ex Scriptura Act. 12. Fingit, Apostolos in Concilio in canone veteris Testamẽti numerasse tertium librum Maccabæorum. Num verum? Cur igitur Sixtus Pontifex in editione suorum Bibliorum ait, *Tertium Maccabæorum prorsus explosimus.* Denique octo libros Constitutionum in canone novi Testamenti sic ponit, ut Actis apostolicis præponat canone septuagesimo quinto. Tam stupidus quisquam sit, ut hoc pro apostolico decreto agnoscat? Falsus igitur testis & indignus, qui audiatur in traditionum causa. Quod cùm dicimus, nobis non res est cum Clemente Petri & Pauli familiari, Philip. 4, 3. sed cum falsario, qui alienum mentitus nomen obrepere voluit Ecclesiæ exceptus à multis, defensus à Fr. Turrião, magno nisu, effectu nullo. Ne nos criminentur zelotæ Papistici, audiant Baronium. Is librum Constitutionum censet esse Clementinam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam, sic appellatam Athanasio in Synopsi, tom. 2. ad annum Christi 102. num. 9. Idem Clementinam inter apocryphos numerat, tom. 1. ad ann. Chr. 44. num. 42. & ostendit, ejus auctoritatem declinari posse, honesto de apocryphi exceptione confugio, ibi ad annum Chr. 32. num. 19. Jam credat, qui volet, Matthæum benedictionem papisticam instituisse, præscriptâ precularum formâ, quâ rogetur Deus, ut aquæ & oleo benedicto tribuat vim sanandi & depellendi morbum, fugandi dæmones & expellendi insidias. Nos nec credimus, nec cogi possumus auctoritate scripti apocryphi, quippe quod alienum à doctrina Apostolorum scripta.

XXII. Omnibus ritibus hucusque examinatis ut tanto majorem auctoritatem conciliet & obtineat Becanus, illos ab Apostolis per solam traditionem esse acceptos, verba Tertulliani commendat dicentis, *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Non dicit, *has disciplinas tradiderunt Apostoli.* Sed dicit, *traditio tibi prætenditur auctrix.* Hoc ab altero plurimum differt. Non enim quævis traditio est apostolica, nec quævis prætensio vera. Cape argumentum à Tertulliano. Opinioni suæ, cui tuendæ librum istum de Corona militis, paravit, prætendebat consuetudinem auctoratam. Catholici, contra quos scribit, urgebant Scripturam sacram, quæ cùm coronam capite gestare non prohibeat, licere judicabant. Jam quidem ille excipiebat, Scripturas nusquam præcipere coronationem, sed cùm esset nimis infirma exceptio, ad traditionem non scriptam se recipit, eamque sufficere contendit, Catholicis Scripturam postulantibus. Cum illis nos facimus. Contra nos stat Tertullianus pro Papistis. Nempe testis quo caderemus, non dignior alter. Montanista primus dixerat testimonium, dicit idem postremus, in credendo tam facilis, teste Baronio, ut cuivis mulierculæ sua narranti somnia mox tacitam præstaret fidem, ut illi posthaberet omnem doctrinarum veritatem. Quàm benè rebus suis consulunt Sophistæ, in causa traditionum apostolicarum non scriptarum. Ille talis & tantus testis contrà nos ducit ordinem. Accedunt Pseudo Fabianus, Pseudo Justinus, Pseudo Athanasius, Pseudo Clemens, qui ne dejiciantur de ponte, ordinem claudit Tertullianus, verus quidem ille, sed jam factus Montanista. Atque utinam non longiùs progrederentur Papistæ, quàm vellet ille ordinum ductor locis citatis! Ille enim tantùm disciplinis, id est, ritibus mobilibus traditionem non scriptam obtendebat. Dogmatibus fidei non obtendebat. Isti etiam fidei dogmata non scripta jactant.

****
*****
*

SECT.

SECTIO VI.
De Traditionibus Ecclesiasticis.

I. JEsuita deinceps assuit conclusione tertia traditiones Ecclesiasticas. Sed hoc totum ab hac causa alienum est. Quæritur enim, ipso teste, hîc inter nos, *an præter Scripturam sit admittenda aliqua traditio, quæ parem cum Scriptura auctoritatem habeat*, seu, *an præter verbum Dei scriptum sit aliquod verbum non scriptum, quod in scripto minimè contineatur?* Id dixit, affirmare Papistas, nos negare: nec longiùs in hac causa progreditur Bellarminus. Id igitur debuit probare. In subsidium vocavit è veteri testamento tum pharisaicas, tum Mosaicas traditiones. In illis cùm pedem figere non posset satis firmiter, confugit ad novi Testamenti traditiones apostolicas, quas partim dogmaticas, partim rituales fingebat. Quàm recto talo incesserit, quàm steterit firmè, quàm egregiè probaverit, ab Apostolis ad nos pervenisse, audivistis hactenus. Tandem jactat traditiones Ecclesiasticas, id est, post Apostolorum tempora à prælatis Ecclesiæ introductas. Fatetur, parem eas cum apostolicis auctoritatem non habere. Unde intelligitis, afferri aliena, ad quæ multis respondere non sit opus, cùm nobis hîc sufficiat, nos obtinuisse Scripturæ divinæ perfectionem, illum non obtinuisse aliquas traditiones non scriptas, quæ parem cum Scriptura habeant auctoritatem. Nullum proponere potuisse dogma fidei ad salutem necessarium, quod in Scripturâ prophetica & apostolica non contineatur.

II. Jam seipsum evertat Becanus. Verbum Dei non scriptum eandem habet auctoritatem cum verbo scripto: sic Becanus, cæterique Jesuitæ. At traditiones Ecclesiasticæ non habent parem auctoritatem cum scripto Dei verbo. Sic Becanus. Traditiones igitur Ecclesiasticæ non sunt Dei verbum non scriptum. Si non sunt, hoc loco absque ingeruntur, ubi quæritur, an sit aliquod verbum Dei non scriptum; Meritò observari debere Ecclesiasticas traditiones à Christianis, quod Becanus affirmat, nos in dubium non vocamus; Imò docemus ipsi, Ecclesiam potestatem habere, quæ ad externam politiam pertinent, ordinandi, nec in cujusvis arbitrio esse, leges rectè traditas ausu privato abrogare, aut impunè contemnere: Ita tamen ne Ecclesia quicquam instituat, quod Dei verbo scripto adversetur, ne cultus divini prætextu onerentur conscientiæ & in servitutem redigantur, quos Christus asseruit in libertatem. Non frustrà dixit Christus, *frustrà me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum*, Matth. 15, 9. Non frustrà S. Paulus, *In libertate igitur qua Christus nos liberavit, perstate*, Galat. 5, 1. cum quibus conferimus, quæ scribit Col. 2, 8. 16. 20. 21. 22. 23. nec cuiquam Dominium in Ecclesia permittimus, sed solum Christum Dominum agnoscimus & veneramur.

III. Nihil affert pro his traditionibus, præter Augustini sententiam ex Epist. 118. quæ nobis non nocet. Sic enim ait. *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observan-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vãtur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri; sicut quòd Domini passio & resurrectio & adscensio in cœlum anniversariâ solennitate celebrantur. Etsi aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quocunque se diffundit, Ecclesia. De quibus subdit, Insolentissima insania est, disputare, an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia, num. 28. R. primò. Augustinus non agit nisi de ritibus: at Papistæ etiam traditiones dogmaticas tribuunt Ecclesiæ. Ab illis ad has, non est recta consequentia. Secundò, ritus, de quibus agit Augustinus isto loco, non sunt ad fidẽ necessarii, sed sunt observationes liberæ. Tertiò, Festa, quæ memorat, instituta esse ab Apostolis, non constat, nec probabile est, cùm Apostolus, Gal. 4, 10. damnet, qui dies observarent & tempora, tanquam res necessarias. Ne quidem in conciliis universalibus instituta esse, constat, sed invaluerunt potiùs per imitationem, sicut occidentales imitati sunt orientalium psalmodiam: vel per propagationem, cùm qui plantabant novas Ecclesias, in eas introducebant ritus, qui in illis observabantur, unde ipsi venerant.

IV. Becanus sermonem gloriatione claudit. Gloriatur, hanc esse Catholicorum sententiam de traditionibus tam apostolicis, quàm Ecclesiasticis, quæ Apostoli & Sanctorum Patrum auctoritate sit confirmata. Gloriatio inanis. Papistarum hæc est sententia? Verè Catholicorum esse, non constat. Nec confirmata est Apostoli, & Sanctorum Patrum auctoritate. Pro apostolicis traditionibus laudavit quidem Apostolum, sed invitum ac refragantem. At pro Ecclesiasticis ne quidem laudare ausus est. Et tamen hîc scribit, sententiam de traditionibus, tam apostolicis, quàm Ecclesiasticis Apostoli auctoritate confirmatam esse. Gloriatio igitur bis terve mendax.

SECT. VII.

Diluitur multiplex Becani calumnia de Evangelicorum consensu cum hæreticis, dissensu inter se & mendaciis.

I. DEmoliti sumus, bono cum Deo, tum arietes, quibus Becanus Scripturæ divinæ perfectionem pulsabat, tum præsidia, in quibus traditionum non scriptarum spem collocaverat. Deinceps Evangelicorum sententiam sic asseremus, ut primùm diluamus atroces calumnias, quibus causam veritatis suspectat adversarius, deinde argumenta in medium proposita vindicemus ab exceptionibus.

II. A calumnia ducit exordium, ut præoccupet incauti lectoris animum, priusquàm veniatur ad arcem ipsius causæ. Struit autem potissimùm quadruplicem. Primò, quòd *nostri hac in re imitentur antiquos hæreticos*. Secundò, quòd *inter se dissentiant*. Tertiò, quòd *multa falsò & mendaciter affingant Catholicis*. Quartò, quòd *ineptissimè ex quibusdam Scripturæ locis argumententur contra traditiones*. Ille paratus fidem facere. Nos videamus, quàm sit paratus,

III. Pri-

III. Primam calumniam non nudè producit, sed egregiâ exornatam antithesi, nempe pleno suos laudat gutture, ut nostri tanto appareant fœdiores: *Sicut*, inquiens, *Catholici in asserendis traditionibus sequuntur communem consensum antiquorum Patrum, sic adversarii in iisdem rejiciendis sequuntur communem consensum antiquorum hæreticorum*. Num. 31. Quod de communi consensu antiquorum Patrum infert, inanis est jactantia. Illum enim hactenus nec Becanus obtinuit, nec quisquam Papistarum alius in hac causa. Id quod mediocriter patet è dictis, atque patebit è dicendis intrà clariùs. Quòd autem objicit hæreticos, antiquos eorumque imitationem, id ex malitiæ officina proficiscitur, & totum ad conflandam invidiam planè est compositum. De quo ego sic. Primò. Qui veritatem non ex *personis* æstimant, sed ex *seipsâ*, sic judicant: Nec omne, quod hæretici tenent, rejiciendum, nec omne tenendum, quod rejiciunt hæretici. Nullus enim unquam tam desperatus prodiit hæreticus, qui Deum esse, negaret: ad unum omnes dicunt docentque, esse Deum, & quidem colendum, esse aliquam sacram Scripturam & similia. Nec tamen illa idcò sordent fidelibus, quia tenentur ab hæreticis. Rursum illi rejiciunt idololatriam Gentilium, & sacrificia Judaica: quis Christianorum ea inde facit sua? Videndum igitur, quid bene maléve sive teneant, sive rejiciant hæretici.

IV. Secundò. Certè quoties hæretici ad Scripturas provocarunt in probandis fidei dogmatibus, non improbati sunt à Patribus antiquis, sed magis approbati. Hilarius lib. 3. de Trin. pag. 43. *Bene habet, ut in iis, quæ scripta sunt, contentus sis*. Augustinus lib. 5. de Bapt. contra Donat. c. 26. de Cypriano iterationem baptismi asserente, scribit, *quòd autem nos admoneret, ut ad fontem recurramus, id est, apostolicam traditionem*, (id est, Scripturam, ut liquidissimè patet ex Cypriano) *& inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est & sine dubitatione faciendum*. Bellarminus quidem reprehendit Cyprianum inter hæreticos, hoc nomine, quòd in illa causa à traditione ad Scripturam provocaverit; Verùm quod Jesuita reprehendit, id non tantùm approbavit Augustinus disertè, sed & provocationis formulam juri canonico, tanquam regulam, illatam esse videmus, Cap. *Cõsuetudo*. & C. *Si solus*, Dist. 8.

V. Tertiò. Provocationem ad Scripturam habuerunt hæretici cum Catholicis communem; imò ab his habuerunt illi, tanquam legitimam veritatis indagandæ viam. Catholici non ideo non provocarunt, quòd etiam ad eam aliqui provocarent hæretici. Nos igitur non hæreticorum imitatores dici possumus, cùm simus Catholicorum. Sic Origenes tractat. 25. in Matth. *Debemus ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ quasi confirmantem, quem exponimus sensum*. Constantinus M. apud Theodoretum l. 1. Hist. Eccles. cap. 27. *Depositâ*, inquit in Concilio Nicæno, *hostili discordiâ, literarum divinitus inspiratarum testimoniis res in quæstionem adductas dissolvamus*. Illius vestigia premens Probus, disputationis Athanasii cum Ario moderator, hanc

Universidad de Deusto
Biblioteca

fert legem in ipso collationis ingressu; *Dignemini evidentioribus Scripturæ Divinæ testimoniis assertionum vestrarum sententias communire*; quam non minùs accepit Athanasius, quàm Arius. Athanasius lib. contra Gentes; *Scripturæ sufficiunt ad veritatis institutionem, sive institutionem.* Basilius, cùm provocaretur ab Arianis ad consuetudinem & Scripturam, illam mox abnuit, hanc adoptat judicem. Verba sunt Epist. 80. *Culpandi gratiâ hoc dicunt, quòd sit contra ipsorum consuetudinem, & Scriptura non adstipuletur. Quid ergo ad hoc dicimus? Non putamus, æquum esse, ut quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet consuetudo, licet & nobis omnino illos hac in re imitari. Stemus itaque arbitratu inspiratæ à Deo Scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia,* Quod Theodoretus suo adversario ingerit dialogo primo, *Ego,* inquiens, *me solâ Divinâ Scripturâ persuaderi patiar.* Hos Catholicos imitamur dum ad Scripturam provocamus, eo nomine minimè infamandi à Jesuitis.

VI. Quartò. Communi consensu antiquos hæreticos provocasse ad Scripturam & traditiones respuisse, non probat adversarius solidè. Quot hæreticorum familias Ecclesia vidit? Unus Epiphanius octoginta numerat, Augustinus nonaginta. Becanus ex omnibus vix quinque potuit nominare, nempe Arianorum, Macedonianorum, Eunomianorum, Eutychis & Pelagii. Isti hæreticorum greges hominem non juvant. Ex illis enim nondum evincitur communis consensus hæreticorum. Illi respuerint traditionem: Non ideo antiqui hæretici communi consensu respuerunt. Deinde istorum factum nos non gravat, quod patebit à consideratione singulorum.

VII. Primò igitur de Arianis dicit, quòd *disputâtes de Divinitate Christi, nihil voluerit admittere, nisi Scripturam, teste Augustino lib. 1. cõtra Maximinum.* Num. 32. R. Ariani non admittebant dogmata, nisi ipsas etiam voces totidem syllabis & apicibus in Scriptura legerent. Catholicirem, id est, Patrem & Filium unius esse substantiæ, probabant è Scriptura, vocem, ὁμοούσιον, non monstrabant, sed amplectebantur commendatam à Concilio Nicæno; Importunè contradicebant Ariani. Clarum è verbis Maximini; *si quid de Divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, ut audiamus. Hæ verò VOCES, quæ extra Scripturã sunt, nullo casu suscipiuntur.* Hanc morositatem meritò improbabant Patres. Nam voces, quæ continebant Scripturæ sententiam, repudiabant, interim ex alienis à Scriptura verbis struebant impietatem, teste Athanasio, apud Theodoretum lib. 1. Hist. Eccl. c. 8. Illæ enim voces *de nihilo* & *Fuit aliquando cùm non esset,* non sunt scriptæ. Improbamus igitur & nos.

VIII. Patres docebant, id, tanquam scriptum, esse suscipiendum, quod ex his, quæ legimus, intelligitur. Similiter nos. Augustinus lib. 3. cõtra Maximinum c. 3. *Sed da,* inquis, *testimonia, ubi adoratur Spiritus Sanctus, quasi non ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus.* In editione Colonienſi hîc insigne sphalma; Ea enim sic habet. *quasi non ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus.* Quòd autem dicebant, se contentos esse Scripturâ in dogmatibus, id approbat Augustinus, imò & eam disputandi legem ipse multoties figit adversario, & tenet ipse. Cùm provocaret Maximinus ad traditionem Ariminensis Concilii, respondet Augustinus libr. 1. mox ab initio; *Noli me mittere ad ea scripta, quæ aut præ manu non sunt, aut eorum auctoritate non teneor.* Infrà; LEGE *autem tu mihi, subjectum Christo Spiritum Sanctum, quod paulò antè dixisti.* Postea; *si de singulis interrogemur, utrum Pater sit Deus, respondemus, Deus: utrum Deus sit Filius, respondemus, Deus; utrum Deus sit Spiritus Sanctus, respondemus, Deus. Cùm autem de omnibus interrogati fuerimus, utrum tres sint, referimus nos ad DIVINAM SCRIPTVRAM, dicentem:* Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Lib. 2. c. 9. *Nono loco abs te quæsivimus, ut per* SCRIPTURAS DIVINAS *ostenderes, si valeres, utrum adoret Patrem Spiritus Sanctus.* Cap. 12. *Duodecimo loco admonuisti, ut proferres, si posses, quâ* divinâ auctoritate *sit dictum, quòd unum sint, ubi diversæ sunt substantiæ.* Libr. 3. c. 22. *Tu si vis aliquid respondere, ostende secundum* SCRIPTURAS *Sanctas, de aliquibus rectè dictum, unum sunt, quarum est diversa substantia.* Infrà; *scrutare Scripturas canonicas, veteres & novas, & inveni, si potes, ubi dicta sunt aliqua, unum sunt, quæ sunt diversæ naturæ & substantiæ.* Cap. 26. *Si oras & petis, ut dicis, discipulus esse divinarum Scripturarum, ad rem pertinentia, testimonia divina considera.* In fine; Cùm collegisset multa è Scripturis, subjicit: *His atque hujusmodi testimoniis, si pacificè acquiescas, eris, quod orare & optare te dicis, divinarum Scripturarum discipulus, ut de tua fraternitate gaudeamus.* Jam an Augustinus ad Scripturam non provocaverit, si è dictis nondum intelligis, adde illud ex lib. 3. cap. 14. *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris, Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

IX. Non solus Augustinus, sed & alii Patres in Arii, Samosateni & complicum causa provocarunt ad Scripturam, non provocarunt ad traditionem non scriptam, quæ auctoritate Scripturæ careret. Instar multorum esto Magnus ille Athanasius, qui de Incarn. Christi Arianos sic alloquitur; *Aut negate sacras Scripturas, aut eas agnoscentes abstinete à verbis diversis à Scriptura, quæ prorsus habent insanabilem impostúram.* Infrà; *Si discipuli estis Evangeliorum, ne loquamini contra Deum iniquitatem, sed per Scripturas incedite. Quod si diversa à Scripturis fabulari vultis, cur nobiscum concertatis, qui neque loqui neque audire sustinemus, quod extraneum sit ab istis?* Similiter alii. Sic prorsus & nos. An nobis non licet incedere viâ, quam Athanasius commendat?

X. Jam num Ariani & Samosateniani traditionem respuerunt? ad traditionem non provocarunt? Traditionem Nicæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni Cõcilii respuerunt quidem; q̃ nitebatur Scriptura, non erat dogma non scriptum. Verùm nihilominùs traditionis prætextu suum dogma commendabant aliis. Vis exempla? Dabo. Artemon ille, cujus delirium Samosatenus postea renovare conabatur, Christum Dei Filium, cùm merum hominem esse, doceret, ita quoque Apostolos prædicasse, affirmabat, huncque in modum Ecclesiam Catholicam sensisse usque ad Victorem Romanum, sed per Zephyrinum, illius successorem, doctrinam esse corruptam. Refert Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. c. 25. Eusebius Nicomediensis, Ariani incendii pernicios us incentor, & alii, ejusdem factionis, in Conciliabulo Antiocheno, Episcopi damnatam illam dudum Arii doctrinam veterum quoque non dubitaverunt adstruere traditione. Sic Nicephorus lib. 9. cap. 5. Ex utroque repetit Wilhelmus Lindanus lib. 2. Panopl. c. 11. ubi probandum suscipit, *Hæreticos priscos traditionibus quoque fuisse nixos in dogmatibus stabiliendis*, & in specie addit, totam cohortem Arianam jactasse traditionem. Utri hîc credemus, Becano? an Lindano? Becanus non habet testem idoneum. Lindanus habet Eusebium & Nicephorum, quibus accedit tertius, utroque longè major, Athanasius. Is enim Orat. 2. contra Arian. tale Arii crapularum & vaniloquentiæ exordium recitat; *Ex secundum fidem electis Dei, peritis Dei pueris Sanctis, rectigradis, qui Sanctum Dei Spiritum acceperunt, ista didici ego ex sapientiæ consortibus, ab hominibus Dei discipulis, per omnia sapientibus, horum per vestigia cum eadem dogmatum opinione incessi ego ille perinclytus multa passus.* Breviter: Ariani contemnebant traditionem, quæ erat cum Scriptura, & volebant sibi apices ὁμουσίου in Scriptura ostendi; jactabant interim traditionem, quæ verè erat contra Scripturam. Sic Papistæ volunt, sibi hodie monstrari hos apices in Scriptura, *non est purgatorium, missa non est sacrificium.* Non contenti sunt argumentis è Scriptura confutari. Contrà traditiones urgent, quæ fundamentum in Scriptura non habent, imò quarum aliquæ ei repugnant.

XI. Secundò de Macedonianis & Eunomianis, quos objicit num. 33. sic res habet. Nolebant hanc admittere locutionem, *Gloria Patri & Filio cum Spiritu Sancto*, eo, quòd non haberetur in Scriptura, teste Basilio libr. de Spir. S. c. 26. & 29. Et tamen ipsi utebantur forma, quæ conjunctim tali ordine posita non inveniebatur in Scriptura. Testis idem Basilius c. 25. *Omnino*, inquiens, *lubens ab ista sapientia didicerim, qualem glorificationem Apostolus absolverit per hanc dictionem, IN, juxta formam, quam isti nunc è Scriptura proferunt; Nequaquam enim invenimus dictum*, tibi Patri honor & gloria per unigenitum tuum in Spiritu Sancto, *qui sermo modò istis usitatior est ipsa, ut ita loquar, respiratione. Horum enim singula separatim invenire licet, conjunctim posita in tali ordine nequaquam poterunt ostendere. Itaque si exactè urgent ea, quæ in Scripturis habentur, ostendant, unde ista dicant? Quod si concedunt consuetudini, ne nobis faciant negocium.* At Eunomiani petebant præfractéque urgebant, istam præpositionem, Cum, in Scriptura sibi monstrari, non

non tam quòd à vocibus non scriptis abhorrerent, quàm quòd dogma scriptum negarent, quod istâ voce efferebatur significantissimè.

XII. Alioquì si de voce tantùm lis fuisset, facilè acquievissent Catholici, ut inquit Basilius; *Si hactenus de his est nobis controversia, haud quaquam multis verbis opus esset, nobis adrespondendum, nunc verò neque de syllabis, neque de hoc, aut illo dictionis sono disputant, sed de rebus, juxta vim & veritatem maximo inter se discrimine dissidentibus.* Ideo Eunomii falsum dogma ad Scripturam examinabat Basilius, sicut dicit lib. 2. contra Eunom. in initio. *Sed quis inquisitionis modus justior fiat, quàm ut his documentis, quæ à Spiritu nobis tradita sunt (διδάγμασι δεδομένοις) orationem*, (ab Eunomio de Deo habitam) *conferamus? Si quid illis congruum inveniamus, id suscipiamus: quod verò adversus illa proficiscitur, id ut nobis inimicum effugiamus.* Quod ne aliò quàm ad Scripturam trahatur, subjicit: *Quæ primum illud ostendat, quinam è Sanctis genituram & facturam Christum dixerunt? quas Scripturæ voces in demonstratione habet?* Contrà ipse rem demonstravit è Scriptura, formam loquendi approbavit ex usu Ecclesiæ. Ubi tamen notandum, quòd inculcat multoties, quòd illa dictio vim habeat Scripturis congruentem c. 25. quòd æquipolleat dictioni scriptæ c. 27. quòd confirmet rationem nobis Apostolus, indifferenter utrâque voce usus, *interdum ita loquens; in nomine Domini Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*: & rursus, *congregatis vobis & meo Spiritu cum virtute Domini nostri Jesu: nihil interesse ratus ad nominum coniunctionem sive utaris conjunctione, sive præpositione.* c. 27. Basilii verba capite vigesimo quinto sic sunt, *Nos enim ambas dictiones è fidelium usu mutuati, ambabus utimur, glorificationem quidem ex æquo per utramque impleri persuasi: eis verò, qui depravant veritatem, magis obturari os credimus propositâ (cum) dictione, quæ cùm vim Scripturis congruentem habeat, non est amplius ad contraria accommodabilis.* Sic planè nostri. Jam constat, quàm iniquè comparemur Eunomianis à Becano, quibus Papistas esse multo similiores, si dixero, non abs re dixero. Ut enim illi urgebant, particulam, Cum, monstrari debere in Scriptura, sic etiam Papistæ de particula, *sola*, ingentem excitant pulverem, quòd non legatur in Scriptura, in qua tamen aperte legitur dictio æquipollens. Præterea Eunomius pomposè jactabat doctrinam Patrum, & suæ dissertationi præsupponebat piam traditionem Patrũ, quamvis reipsâ eam convelleret, qua in re passim eum imitantur Papistæ. Jactant traditionem Patrum; Scripturæ consentaneam in multis convellunt.

XIII. Tertiò de Eutyche, quem num. 34. nobis objicit, brevissimè. Mamas presbyter refert Actione, non quintâ, quod Becanus fingit, sed sextâ Concilii Constantinopolitani relectâ in Chalcedonensi Concilio Act. 1. quòd Eutyches dixerit, *Ego à sanctis Scripturis non didici de duabus naturis.* quàm ineptè verò hinc concludas, Ergo ad solas Scripturas provocat respuens traditiones! Quòd ut intelligas tanto clariùs, repeto responsum integrum ex ore Theophili unà cum Mama missi. Is sic refert verba eâdem Actione; *In qua Scriptura iacent duæ natu-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ræ? *Deinde verò quis sanctorum Patrum exposuit Deum Verbum habere duas naturas?* Quin imò cùm urgeretur Eutyches à missis, ostenderet, ubi contineatur homousion, aut quæ Scriptura hoc dicat, respondit; *Non continetur in Scripturis, in expositione verò Patrum iacet.* Et tamen admisit homousion, ut apparet ex Confessione oblata Synodo. Vide Act. 1 Chalced. Concil. tom. 2. Conc. pag. 744. Quid? In eadem Confessione ad traditionem provocat; *hæc*, inquiens, *ab initio à meis progenitoribus discens credidi.* Non igitur ad solas Scripturas provocavit, sed in eo erravit, quòd veritatem in Scriptura satis clarè traditam nollet amplecti humiliter. Dolendum verò est, ex iis, qui soli Catholici videri volunt, easdem hodie audiri voces, quas olim in Eutyche condemnabant verè Catholici. Dicebat ille, *A sanctis Scripturis non didici de duabus naturis*: Hodie clamant nonnulli Papistæ nominatim Stapletonus, apud Chamierum; *Duas esse in Christo naturas, non constare è Scriptura, sed esse traditionem nõ scriptam.* Hi cum Eutyche cæci in Scripturis, quæ naturarum dualitatem satis clarè docent. Johan. 1, 14. Rom. 1, 3. 4. 9, 5. 1. Pet. 3, 18.

XIV. De Pelagianis num. 35. refert ex Augustino l. de Nat. & Grat. cap. 39. quòd dixerint, *credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus, adstruere, quod de cunctis etiam dixisse sufficiat.* Augustinus de Pelagio refert & generaliter dictum non admittit. Regerit enim, nec omne quod legimus, nos credere debere, quia Apostolus dicat, *Omnia legite, quod bonum est, tenete.* 1. Thessal. 5. & adstruere aliquid, quod non legimus, nefas non esse. Posse enim nos aliquid bonâ fide testis adstruere, quod experti sumus, etsi fortè non legimus. Sed de sanctis Scripturis dictum admittit Augustinus, de his enim subjicit, *O utinam non dico aliud, quàm in illis literis legit, verùm contrà id quod legit nihil vellet adstruere!* Sed hîc rursum deprehenduntur Papistæ πελαγιανίζειν. Pelagius dicebat, peccatum originale in Scripturis non legi: Papistæ idem dicunt. At in eo differunt, quòd ille non crederet peccatum originale, hi dicant, se credere. Quamvis inter hos quoque aliqui dicant, peccatum originis non esse propriè, sed abusivè peccatum. Nos iniquè comparamur Pelagio. Ille negabat, Abelem peccasse, quia Scriptura non diceret, nempe in specie. Nos non ita insanimus. Sufficit nobis, per bonam consequētiam è Scriptura deduci. Sed et nimis ineptè impingitur Pelagio, quòd traditionem non scriptam respuerit. Num enim traditio non scripta exstabat, Abelem peccasse. Originale peccatum, quod negabat, non erat traditio non scripta, sed scripta, ut ibidem ostendit Augustinus.

XV. Jam manifesta est calumnia Becani, clamantis, hæreticis antiquis in hac causa nos esse similes, num. 36. quæ vel hoc uno revincitur fortissimè, quòd hæretici impugnabant Scripturæ dogmata, nos omnia amplectimur integerrimè, ut eodem spiritu agitari nos & illos tum demum verè sit dicturus Becanus, cùm obtinuerit, eundem esse spiritum veritatis & mendacii. Quid? quòd ne quidem communem consensum antiquorum hæreticorum in hac causa docuit? Imò præ-

præter Pharisæos, multos veteres hæreticos ad traditionem confugisse, constat testibus fide dignis. Primò de Pharisæis testis Scriptura Matth. 19. itemque Josephus lib. 13. Antiq. Jud. c. 18. De discipulis Simeonis Magi memorat Irenæus libr. 1. adv. Hær. c. 1. quòd glorientur de iis, quæ non sunt scripta, sed vivâ solùm voce tradita. Secundò de Carpocratianis idem Irenæus dicit lib. 3. c. 2. *cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dictæ & quia ex his non possit inveniri veritas, ab his qui nesciant traditionem, non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem.* Num meliùs describi queat Papistarum ingenium? qui iisdem armis traditiones suas defendere satagunt, quibus utebantur hæretici. Hi urgebant de traditionibus dictum ab Apostolo, *sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Similiter Papistæ. De iisdem scribit idem Irænæus lib. 1. c. 24. quòd commenta sua hoc prætextu defenderint, quòd Dominus Jesus Christus talia privatim Apostolis in mysterio locutus sit, Apostolos autem, Christo postulante, non omnibus, sed solùm dignis & assentientibus ista seorsim tradidisse.

XVI. Tertiò. Basilides Glauciam sibi adscribebant magistrum, qui fuisset interpres Petri Apostoli. Quartò. Valentinus jactabat, se audivisse Theodadum Pauli familiarem, & Origenes traditiones Valentini traducit tract. 29. in Matth. c. 24. Quintò. Marcionitæ gloriabantur, se Matthiæ discipulos habuisse magistros eorumque obtinere sententiam, & traditam doctrinam. Vide Clementem Alexandrinum l. 7. Strom. pag. 353. 354. Sextò. Artemonis, de quo suprà dixi, num. 10. sectatores negantes Deitatem Christi, jactabant traditionem antiquam. Unde de illis apud Eusebium l. 5. Hist. Eccl. c. 25. sic lego: *Dicunt, majores omnes, etiam ipsos Apostolos ea sensisse ac docuisse, quæ ipsi nunc dicũt, servatamq; eam prædicationis veritatem usq; ad tempora Victoris.* &c. Septimò. Ariani provocabant πρὸς τὴν συνήθειαν, ad consuetudinem & Scripturam. Basilius epistolâ octogesimâ non longè deliberans consuetudinem recusat, Scripturam adoptat judicem. Verba suprà recitavi. num. 5. Felicianus hæreticus in causa fidei, magis rationibus, quàm Scripturarum testimoniis utendum esse, contendebat apud Augustinum. In hoc posteriore Papistæ eum imitantur. Octavò. Ptolomæus hæreticus in scripto suo ad Floram doctrinæ suæ obtendit traditionem apostolicam, quam ex successione acceperit, apud Epiphanium, hæres. 33. p. 72. Nonò. Quòd Papias errores disseminaverit sub traditionum prætextu, notissimum est. Inprimis etiam de Millenario. Testis est Eusebius lib 3. Hist. Eccl. c. 36.

XVII. Denique ne sim longior, hæreticorum ingenium Patres variè describunt. Tertullianus, adhuc Orthodoxus, hæreticos vocat lucifugas Scripturarum, lib. de Resurr. Car. Clemens Alex. libr. 7. Strom. scribit, quòd Scripturas valere jusserint. Hieronymus in Hagg. 1. quòd alia absque auctoritate & testimoniis Scripturæ quasi *traditione apostolicâ* reperiant, atque confingant, quæ percutiat gladius Dei. Ut alios omittam, describit

cos

Universidad de Deusto
Biblioteca

eos his verbis Augustinus, *Omnes insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione evangelicæ sententiæ colorare nituntur, ubi Dominus ait:* Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, *quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant.* Tract. 77. in Johan. Nolo hîc exempli causâ Tertullianum jam Montanistam factum introducere. An non sic ad amussim Papistæ? Certè Bellarminus lib. 4. de verbo non scripto cap. 5. hoc ipso textu opinionem Papisticam colorare studet. Nunc eat Becanus, aut quivis alius Papista, & clamitet, communi consensu antiquos hæreticos respuisse traditiones, quâ re eos imitemur. Wilhelmus Lindanus causam traditionum hoc argumento fulcire conatur; quòd hæretici prisci nixi sint traditionibus in dogmatibus stabiliendis. Ita haud obscurè declarat, nosne simus eorum imitatores, an Papistæ.

XVIII. Altera calumnia, de dissensione nostrorũ in hac causa, facilè diluitur. Becanus dicit, *Calvinum & Ultraiectensem Synodum sine ulla exceptione omnes omnino traditiones reiicere, sive ad fidem, sive ad externum Dei cultum pertinent. Chemnicium quasdã saltem admittere. Alios distinguere inter traditiones de rebus adiaphoris, & eas, quæ sunt de rebus ad salutem necessariis: Illas admittere, istas non admittere. Denique secundum Lutherum admittendam esse aliquam traditionem de re ad salutem necessaria.* Num. 37. Respondeo de postremo priùs. Non proponitur Lutheri sententia de traditionibus, quod erat hujus loci, sed ex aliena quadam sententia, quam prioribus annis prolatam postea abjecit, nec titur consequentia. Hoc Sophisticum. De cætero non est vera dissensio. Quod, spero, agnoscent pii, si breviter ostendam, quæ Calvinus & Ultrajectenses docent, ea cæteris non improbari, & quæ cæteri docent, in rei summa Calvinum non rejicere in traditionũ causa.

XIX. Primùm igitur quæ Calvinus docet, ea approbant cæteri. Nam primò non agnoscit hodie verbum Dei nisi scriptum. Verba Lutheri sunt; *neq; alia doctrina in Ecclesia tradi & audiri debet, quàm purum verbum Dei, h.e. sancta Scriptura.* Verba Calvini; *Est firmum axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, cui in Ecclesia detur locus, quàm quod lege primùm ac Prophetis, deinde scriptis apostolicis continetur, nec alium esse ritè docendi in Ecclesia modum, nisi ex eius verbo prescripto & modo,* libr. 4. Instit. c. 8. §. 8. Nec Chemnicius, nec quisquam Evangelicorum alius, aliter. Bellarminus verò Lutheri verba ex comm. in Gal. 1. recitat lib. 4. de Verbo Dei c. 3. & consensum ejus cum Calvino aliisque nostris memorat. Secundò. Calvinus cultus electitios improbat, *Deus*, inquiens, *non modo irritum habet, quicquid colendi sui studio præter mandatum suum suscipimus, sed palam quoque abominatur.* Lib. de necessitate reform. Ecclesiæ. Sic Chemnicius, sic reliqui Evangelici in confessionibus publicis. Nominatim in Saxonica; ἐθελοθρησκείαι *excogitatæ ab hominibus sine mãdato Dei, nec fuerunt, nec sunt cultus Dei. Nequaquam probat Deus hanc audaciam hominum,*

num, quæ tamen semper usitata fuit fingendi cultus, id est, opera, quorum finis immediatus sit, ut Deus per ea honore afficiatur. Ideo exclamat vox divina, Frustrà colunt me mandatis hominum. Tertiò. Calvinus legitimæ reformationis normam purum Dei verbum nominat, in Epist. 87. ad Protectorem Angliæ. Num quisquam Evangelicorum aliter? Quartò. Ultrajectina Synodus non aliam vult amplecti doctrinæ regulam & mensuram fidei vitæque Christianæ, quàm solum Dei verbum, quod in libris veteris & novi Testamenti continetur. Non aliter cæteri Evangelici. Consensum agnoscit & prædicat Bellarminus, multò candidior, hac parte, quàm Becanus.

XX. Rursum quæ Chemnicius docet, ea rectè intellecta non displicent Calvino & cæteris. Nam primò Chemnicius hanc traditionem, quâ nobis in manum dantur Scripturæ libri, reverenter accipit. Num Calvinus repudiat? Imò accipit non minùs, quàm Chemnicius. Est enim traditio non præter, sed cum Scriptura, id est, cujus fundamentum habemus in ipsa Scriptura, quippe quæ testatur, se esse verbum Dei, fatente Bellarmino lib. 1. de verbo Dei c. 2. Secundò. Chemnicius recipit, quod Origenes & Augustinus affirmant, baptismum parvulorum esse traditionem apostolicam, nempe quia per traditionem intelligit doctrinam, quæ licet non totidem syllabis, quoad sensum tamen in Scriptura continetur. Hoc enim significatu Patres alicubi appellare traditiones, monet part. 1. Exam. Concil. Tridentini pag. 75. Hoc Calvinus non repudiat, nos verò lubenter accipimus, & optaverimus, traditiones papisticas sic esse comparatas: Certè susciperemus omnes animo promptissimo. Tertiò. Chemnicius docet, quòd Apostoli ritus quosdam ordinaverint & tradiderint Ecclesiis, ex scriptis eorum certò constare, & verisimile esse, quosdam etiam alios externos ritus, qui in Scriptura non sunt annotati, ab Apostolis traditos esse. Nusquam Calvinus & cæteri nostrates hoc negarunt; imò fatemur omnes. Bellarminus l. l. p. 255. scribit, hoc Calvinum clarè docere libr. 4. Instit. c. 10. §. 20. qui si non mentitur, certè mentitur Becanus, Num. 38.

XXI. Quòd verò tertiam illis sententiam Num. 39. affingit, qui distinguunt inter traditiones rerum adiaphorarum, & necessariarum, quarum illæ admittendæ, istæ non admittendæ, non est nova sententia à prioribus distincta; quod abundè constat vel ex solo Chemnicio, quippe qui, fatente & affirmante Bellarmino l. l. idem clarè docet, & sæpissimè repetit, hunc esse statum quæstionis, *an Scripturæ contineant omnia dogmata ad salutem necessaria*, quod nos affirmemus, Papistæ negent. Becanus dicit, *illos manifestè repugnare Luthero & Chemnicio.* Falsum. *At Chemnicius reverenter accipit traditionem, quâ nobis in manus datur Scriptura. At Scriptura secundùm Lutheranos est res necessaria*; Ergo *illi de re necessaria traditionem admittunt.* Num. 39. Est sanè res necessaria Scriptura, quicquid oblatrent impuri canes. Quòd verò Chemnicius traditionem illam accipit, id explicatum paulò antè. Non est traditio præter Scripturam, sed quæ nititur ipsa Scriptu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ra. Nobis cum Papistis controversia est de traditionibus præter Scripturam, & Scriptura minimè nitentibus.

XXII. De Luthero sic tenendum. Jesuita impingit illi, quòd *infantibus infundatur fides vi exorcismi ante baptismum.* Hinc infert; *Exorcismum esse necessarium ad salutem. Pergit; At exorcismus est traditio; Ergo quædam traditio est de re ad salutem necessaria.* Num. 40. Egregiè. Primò exorcismus papisticus non est traditio apostolica, sed humanum inventum. Deinde tolle sententiam Lutheri, & ruet inanis consequentia. Dixerit semel; aliter sensit postea, ut apertè constat. Nec quisquam Lutheranorum, ut Becanus ipse alibi agnoscit, defendit. Imò aliqui exsertè repudiant memores monelæ, à Luthero tomo primo operum præfixæ, de libris suis cum judicio & cum multa miseratione legendis. Ideo Bellarminum puduit hoc movere, sed agnoscit Lutheri consensum cum Calvino in traditionum causa. Sed ne quidem dixit libro de Capt. Babylon. quem locum citat Becanus, in Manuali lib. 2. c. 2. fidem vi exorcismi infundi, sed dixit, fidem infantibus obtineri per orationem Ecclesiæ.

XXIII. Tertia calumnia est de mendaciis. Objicit tria. Primum, quòd nostri dicant, Papistas docere, *Scripturam sine traditionibus humanis insufficientem esse ac imperfectam.* Num. 41. Nego esse mendacium. Ille quidem jactat, suos distinguere inter *apostolicas & ecclesiasticas* traditiones, & docere, Scripturam per se non sufficere sine traditionibus apostolicis. Verùm is merus est fucus. Probo. Sub Apostolorum nomine nobis obtrudunt multas traditiones, quæ verè sunt humanæ, & tamen sine his Scripturam non sufficere, contendunt. Mementote, quas nobis suprà commendaverit traditiones. 1. Ut chrisma quotannis renovetur. 2. Ut trina fiat mersio. 3. Ut exorcismus fiat in baptismo. 4. Ut aqua vino misceatur. 5. Ut eucharistia celebretur à jejunis. Sine his Scripturam per se non sufficere, contendit Sophista. Quis non exhorrescat blasphemiam? Ad quam excusandam non valent quicquam ratiunculæ, quas obtendit. Illas expendemus, ubi addidero, nonnullos Papistas, titulo Apostolicarum traditionum, nobis commendare transubstantiationem, Purgatorium, coelibatum sacerdotum, Missæ sacrificium, orationes pro mortuis, invocationem Sanctorum, cultum imaginum, quæ omnia sunt meræ humanæ traditiones, & tamen sine illis negant, Scripturam sufficere.

XXIV. Jam neutra ratio quicquam valet. Non *prior*, quòd scilicet *sæpe non constet de Scripturæ sensu, nisi ex apostolicâ traditione.* Nam sensus Scripturæ in rebus ad salutem scitu necessariis ex ipsa satis patet Scriptura, ut non opus sit externo supplemento, ut probatum suprà. Illa via cognoscendi veri sensus est plana, tuta, brevis. Scripturam enim verbum Dei esse, certis constat argumentis; Non est tam prolixa, quin legi à Christianis possit; potest ab omnibus facilè comparari. At via, sine qua verum sensum sæpe cognosci non posse, Jesuita contendit, est variè impedita, admodum longa, minimè tuta, ac ita prorsus comparata, ut Christiani vel nulli, vel pauci admodum per

per eam verum sensum assequi possint, nisi edatur codex integer ac minimè suspectus omnium apostolicarum traditionum. Hunc si habent Papistæ, cur differunt tot populorum spem atque desiderium? Cur non in lucem producunt? Ita cessaret omnis difficultas. Ita foret via plana & expedita. Si non habent, manet utique via impedita, longa & minimè tuta. Declaro. Si de sensu Scripturæ quæritur, atque is nonnisi ex apostolica traditione hauriri potest, unde Christianus de apostolica traditione certior reddetur, ex qua sensus verus unicè potest haberi? Jam enim non quæram, unde cognoscat, Apostolos omnium dictorum, quorum sensus ex Scriptura haberi nequit, explicationem vivâ voce dictasse & hominibus commendasse, usque ad consummationem seculi sine scripto conservâdam? Tantùm quæro, quomodo de traditione certior reddatur Christianus? Num hîc sufficit Parochi cujusvis testimonium? Num plurium? Si sufficit, vide mihi fundamentum fidei! Num satis tutum putabis? Si non sufficit, quid igitur? Unde cognoscet Christianus, etiam plebeius, veritatem? Dices, *quem universa Ecclesia sensum tenet, eum ab apostolica traditione manasse, statuet.* Audio. Sed heus tu, quibus difficultatibus objicis Christianum? Unde cognoscet, quem teneat Ecclesia universa? Num totum orbem obibit, omnesque ac singulas Ecclesias interrogabit? Num perquiret omnia secula à Christo hucusque elapsa? Num evolvet omnium Patrum Græcorum & Latinorum monumenta? Quot annorum spacio unius dicti sensum cognoscet ex apostolica traditione? An fortè non opus est, ut Christianus certus sit de traditione apostolica, & ea res solos spectat clericos? Quomodo igitur Christiano populo hoc casu consuletur?

XXV. Non plus valet posterior ratio; Quòd enim jactat, *multa credi à Christianis, quæ non habeantur ex Scriptura, sed ex apostolica traditione*, id omnino falsum est. Octo exempla suprà propõebat, quibus probaret assertionem: nos ostendimus, quicquid Christianis de singulis credendum est, id totum haberi ex Scriptura. Jam distinguo Christianos orthodoxos à Neo-Romano-Papisticis. Christiani orthodoxi nihil credendum sibi esse, statuunt, quod non habeatur ex Scriptura, saltem per bonam consequentiam: non agnoscunt articulum fidei ullum solâ traditione apostolica non scripta nixum, non nixum Scripturæ auctoritate. Neo-Romano-Papistas, qui Christianorum titulum sibi penè solis superbè arrogant, multa credere, quæ non habentur ex Scriptura, non iverim inficias. Quin potiùs accipio luculentam Jesuitæ confessionem de Papistis, ni fallor, loquentis, eamque cupio à cordato lectore probè notari. Hinc enim veritas gloriosè triumphat. Nos imitamur S. Paulum Apostolum, Ille credebat omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, Act. 23, 14. Ille nihil dicebat extra ea, quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt, Act. 26, 22. Sic nos credimus omnibus, quæ scripta sunt in Prophetis, Evangelistis & Apostolis. Nihil dicimus extra ea, quæ Prophetæ, Evangelistæ ac Apostoli scripserunt. Papistæ, dum fatentur, se multa credere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ non habentur à Scriptura, produnt malam causam. Sicut enim Apostolus suam doctrinã ab erroris suspicione liberabat, quòd nihil diceret extra ea, quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerant in Scriptura: Ita non potest non esse suspecta doctrina, quæ multa continet, quæ non habentur à Scriptura. Quod de apostolica traditione addit, inanis est gloriatio. Inde Papistæ non habent dogmata, quæ credunt, quamvis non habeant à Scriptura. Si vel Papista de plebe, vel nostrates quærant, quomodo probabunt, se habere ab Apostolica traditione? Certum, multa sub Apostolorum nomine jam olim prolata esse, quæ ipsorum non erant. Tanto magis opus est clara demonstratione. Eam nobis promant Papistæ. Promant traditionem apostolicam, si possunt, ex qua habent cultum imaginum & invocationem Sanctorum.

XXVI. Dicunt, inde constare de vera apostolica traditione, si *universa Ecclesia aliquid, tanquam fidei dogma, amplectitur, quod non invenitur in divinis literis; si universa Ecclesia aliquid servat, quod nemo, nisi Deus, instituere potuit, & tamen nusquam inventur scriptum*; si *quid in universa Ecclesia & omnibus retrò seculis servatum est*; Si *omnes doctores Ecclesiæ communi sensu docent, aliquid ex traditione apostolica descendere, sive in Concilio generali congregati, sive scribentes seorsim in libris*; si *quid denique pro tali habetur in Ecclesiis, ubi est integra & continuata successio.* Ego hîc non excutiam indicinarum sinceritatem; Alii eruditissimè excusserunt, & pii, me tacente, intelligunt, si Ecclesia universa dicatur, quæ est *omnium* temporum hucusque à Christo, nihil eum eredidisse, nihil servasse, quod quidem, nisi à Deo constitui non potuerit, quod non sit scriptum; Sin *unius* seculi, non esse certam indicinam. Nimis n. constat, unius seculi Ecclesiam falli posse. Pii intelligũt, de omnib° retrò seculis, omnibus omniũ temporũ Doctoribus, ac successione doctrinali, & personali simul juncta, rem quidem per se bene habere; at hodie frustrà tentari, tum quia non potest monstrari omnium & singulorum seculorum observatio universalis, tum quia nec omnia omnium Doctorum scripta supersunt, nec omnes scripserunt, nec qui scripserunt, de omnibus & ubique eadem scripserunt; tum quia hodie nusquam gentium invenitur Ecclesia, quæ successionem doctrinæ simul & personarum habeat integram & illibatam. Id hoc loco tantùm dicãt Jesuitæ, vires expediant suas, & nobis monstrent traditionem apostolicam cultus imaginum, invocationis Sanctorum, cœlibatus sacerdotum, transsubstantiationis, sacrificii missatici. Applicent hîc sive regulas, sive indicinas suas. Num universa omnium seculorum Ecclesia ista credidit, tenuit, observavit omnibus seculis ubique pariter? Num omnes omnium seculorum Doctores, ista ex traditione apostolica descendere, testantur unanimi consensu? Nisi fortè unius seculi Doctores soli sufficiant. Sed quis legem tam iniquam ferat? Breviter, si indicinis traditionis apostolicæ standum est, quas ipsi Papistæ commendant, nunquam probabunt, se ex apostolica traditione habere, quæ præter & extra Scripturam credunt.

XXVII.

XXVII. Secundum mendacium Becanus impingit Philippo Melãchthoni in Apol. August. Confess. scribenti, Papistas docere, quòd *per traditiones humanas mereamur gratiam justificationis & remissionem peccatorem, & habere illas traditiones pro suo Mediatore & justificatore.* Num. 42. Melanchthon non scribit, Papistas nominare traditiones humanas suum Mediatorem & justificatorem, sed agnoscere. Non verba, sed sensum spectat, quem è verbis per rectam consequentiam concludi, existimat. Spectat traditiones, quatenus observantur. Num earum observationi Papistæ non tribuerunt, quod Scriptura tribuit Christo Mediatori? Non longè ibimus. Melanchthon nominat gratiam justificationis & remissionem peccatorum. Illam Scriptura Mediatori vindicat. Num Papistæ sub controversiæ initium non tribuerunt humanis traditionibus? Id si monstrari nequit, mendax esto Melanchthon: Si potest, verax esto Melanchthon, Becanus mendax. Primas teneat multorum præsultor, Sylvester Prieras, Lutheri adversarius: Is hanc propositionem apertè posuit; *Indulgentiæ non innotuere nobis, auctoritate Scripturæ, sed Ecclesiæ Romanæ & Romanorum Pontificum.* Jam verò Johannes Tezelius indulgentiarum præco à Papa missus anno 1517. tandem contendebat, nullum esse adeò magnum peccatum, etiamsi quis per impossibile matrem Dei violasset, quin possit solvi; animas de Purgatorio statim evolare, ubi contributio in cista fuerit conjecta, nolle se de potiori loco in regno cœlorum cum Petro optionem inire, cùm suis indulgentiis plures ab interitu animas redemerit, quàm Petrus Evangelii sui prædicatione. Sleidanus lib. 1. Hist. Lutherus tom. 1. operum.

XXVIII. Non obscurum, quid humanæ traditioni tribuerit Tezelius. Ne tamen habeas, quod desideres, addo Johannem à Daventria. Is tam clarè, tam exactè sui temporis sensum exprimit, ut vix quisquam alius possit clariùs. In Apologia Aug. Confessionis Melanchthon sic scribit, *tunc Scriptura vocat traditiones doctrinas dæmoniorum, quando docetur, quòd sint cultus utiles ad promerendam remissionem peccatorum & gratiam. Tunc enim obscurant Evangelium, beneficium Christi, & justitiam fidei.* Ad hæc Daventrianus respondet; *Recipimus Scripturam, quasdam hæreticorum traditiones doctrinam dæmoniorum appellantem, sed damnamus istorum opinionem, qui fingunt, traditiones Patrum Spiritu S. auctore institutas, tunc doctrinas esse dæmoniorum, quando docetur, quod sint utiles ad promerendam remissionem peccatorum & gratiam, ut suum hæreticum institutum statuant, quo docent, solâ fide in Christum remissionem peccatorum obtingere, &c. At nos docemus, quòd sine peccato negligi non possint sancta Patrum decreta. Si est in negligentia peccatum, certè erit in observantia meritum. Et nullâ dicendi arte possunt hoc refellere. Si autem in observantia* meritum *est, quod nemo negare potest, quomodo non conferant ad* remissionem peccatorum, *& ad* gratiam promerendam? *Neque qui traditiones illas, divino Spiritu institutas, dicunt ad remissionem peccatorum & gratiam promerendam pertinere, Judaizant, quod isti nequiter dicunt, neque doctrinâ dæmoniorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum obruunt Evangelium, sed sanâ doctrinâ illustrant gloriam Christi. Porrò Apologiæ auctores sic scribunt; *Nulla traditio à sanctis Patribus hoc consilio instituta est, ut mereatur remissionem peccatorum, aut justitiam, sed sunt institutæ propter ordinem bonum in Ecclesia & propter tranquillitatem.* Daventrianus respondet; *Hîc, quia sine ulla probatione falsum dicunt, nulla sunt responsione digni: Constat enim instituisse sanctos Patres, ut vel semel saltem annuatim omnia peccata nostra sacerdoti proprio confiteamur, utque semel annuatim Eucharistiam saltem accipiamus: Cur ita? nisi ut per sacramentorum bonum usum gratiam mereamur & remissionem peccatorum. Constat proinde, & ferias aliquot ab Ecclesia esse institutas, non ob aliud, quàm ut, positis temporariarum rerum curis, Deo liberiùs vacantes, gratiam & remissionem peccatorum peteremus, & petentes acciperemus. Eâdem ratione indicta sunt ieiunia, solennes preces & canonicæ laudes, ut huiusmodi mediis divinam gratiam & remissionem peccatorum ab unico mediatore Christo mereamur.* Cum Protestantes scripsissent, *Nec habent Episcopi potestatem instituendi cultus, tanquam iustificantes, aut necessarios ad iustificationem,* Daventriensis respondet; *Hanc adversariorum sententiam si simpliciter vertas & dicas, Habent Episcopi potestatem instituendi cultus, tanquam iustificantes, & necessarios ad iustificationem, nihil omnino pecces, imò catholicam protuleris sententiam.* Hæc qui citra præjudicium contulerit expenderitque, illius æquitati permitto, num Melanchthon, an Becanus sit mendax & calumniator.

XXIX. At Becanus Melanchthonem falsitatis inde arguit, quòd *Papistæ apertè doceant, nullo modo nos mereri justificationem, aut remissionem peccatorum, sed eam gratis nobis conferri per merita Christi, iuxta Concilium Tridentinum* sess.6.cap.8.&. primò. Melanchthon, cùm Apologiam scriberet, nec decretum, nec sensum, nec colorem Tridentinorum Patrum præsentire poterat: Scribebat adversus sui & superiorum temporum Papistas. Non igitur mentitus, si aliter loqui cœperunt Tridentini Patres. Secundò. Si Papistæ corrigerent & linguam & mentem, hac parte sileret accusatio, & gratularemur omnes Ecclesiæ de erroris emendatione. Si rem probè expendas, Decretum Concilii Tridentini est merus fucus. Distinguunt enim isti Patres inter justificationem primam & secundam; illam gratiæ tribuunt, hanc operum meritis; quamvis etiam in prima agnoscant meritum de congruo. Sic verba molliuntur, error vetus non planè abdicatur.

XXX. Id Bellarminus non obscurè prodit. Nam lib.2.de Pœn.c.12. Concilii Tridentini verba, quibus homo gratis, sine merito, justificari dicitur, de merito ex *condigno* explicat, & ostendit, hoc solùm negari, non negari meritum ex *congruo*. At is est error Scholasticorum, qui pœnitè etiam non tantùm dispositionem, sed & meritum de congruo justificationis esse, docebant. Ipse nominat Lombardum 2.sent. dist.27. Thomam 2.s. dist. 27.quæst.4.ad 4. Bonaventuram, Albertum, Scotum, Durandum, Gabrielem. Ex recentioribus addit Andream Vegam, Concilii Tridentini defensorem; atque hæc

hæc sententia illi verior videtur, quàm Capreoli & Dominici à Soto diversum sentientium. Quæ omnia cùm Becanus legerit, non immeritò mireris, quòd in Schol.Theol.par.2.tom.1.tract.4. de justif.c.3.q.4.num.3. scribere ausus sit, hunc esse consensum omnium Catholicorum, quòd nemo per opera justificationis gratiam promereatur, & miretur, quòd nostri contrarium illis imponant. An non docent multi Papistæ, hominem de congruo mereri justificationem? Nonne Bellarminus multos nominavit? Dissentiat Becanus; Quid tum? Dissentit igitur à Concilio Tridentino, si credas Bellarmino. Jam cùm ad justificationem secundam, quam vocant, sermo convertitur, an omnes Papistæ negant illius meritum? At ipse Becanus diserte asserit l.l.c. 4.quæst.8.num.3. & omnes Catholicos, tu Papistas intellige, consentire, dicit, quòd homo justus augmentum gratiæ justificantis mereri possit ex condigno l.l.cap.5.quæst.4.num.1. Quid? A justificatione prima solùm removet meritum ex condigno. l.l.c.4.quæst 3. Aut igitur contra socios negat, meritum de congruo, esse meritum, aut omnes intelligunt, ipsum aliquod meritum remissionis peccatorum agnoscere. Aliquos & quidem non paucos Papistas, agnoscere, ne quidem bipedum impudentissimus facilè negabit.

XXI. Tertium mendacium Becanus nominat, quòd Calvinus scribat, *Papistas traditiones suas omnes habere pro apostolicis.* Scripsit, fateor, Calvinus de Romanensibus magistris libr.4.instit.c.10.§.19. Becanus falsum esse, clamat num.43. Frustrà. Non noverat Calvinus, quid agnituros dicturosque esset Becanus, quem ne futurum quidem esse noverat: Loquitur de magistris Romanensibus, & quidem in negocio missatici apparatus & ceremoniarum universalium, ubi objiciebant Romanenses, *fuisse hanc olim persuasionem, quæ in Ecclesia universa uno consensu fierent, ab ipsis Apostolis prodiisse.* Illos confutat, illorum jactantiam reprimit. An ista persuasio non fuit magistrorum Romanensium, cum quibus Calvino res est? Post mortem Calvini neget Becanus, negent alii. Quid tum? Affirmarunt tamen alii. Wilhelmus Lindanus lib.2. Strom.cap.13. contra Chemnicium scribit; *Nullas traditiones suscipiendas cum Scripturis, docet* Concilium Tridentinum, *nisi quæ sunt certissimæ: nisi à Christo, eiusque Spiritu Sancto magistro Christianis AB INITIO usque traditæ; nisi CONTINUA successione non Romæ tantùm, non Parisiis, Arelatæ, Narbonæ, non Toleti, Treveris, Moguntiæ aut Coloniæ tantùm; sed in Catholica Christi Ecclesia sunt conservatæ.* Si nullas docet suscipiendas cum Scripturis traditiones, nisi quæ ab *initio* traditæ sunt à Christo ejusque Spiritu Sancto, divinæ erunt aut saltem Apostolicæ, (has enim ab illis Bellarminus distinguit,) quascunque Tridentini Patres cum Scripturis suscipiendas docent. Accedat, qui instar multorum esse potest, Petrus à Soto, *Infallibilis*, inquiens, *est regula & catholica; Quacunque credit, tenet & servat Romana Ecclesia & in Scripturis non habentur, illa ab Apostolis esse tradita.* Num fortè Petrus à Soto non erat magister Romanensis? Sed Calvinus pugnat cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Melanchthone. Nam hic vocat omnes Papistarum traditiones humanas: Calvinus omnes apostolicas. Non pugnat. Melanchthon judicat ex rei veritate, Calvinus loquitur de opinione vel saltem gloriatione Papistarum, adeoque non quales sint, sed quales fingantur esse. Num hîc pugna ulla?

SECT. VIII.

Pro veritate testimonia scripturæ Veteris Testamenti producuntur & vindicantur.

I. POstquàm multiplicem Jesuitæ calumniam diluimus, deinceps veniendum est ad arcem causæ, id est, probanda solidè sententiæ nostræ veritas, nempe omnem doctrinam fidei, & quicquid ad salutem est necessarium, contineri verbo Dei scripto, neque necessum esse, ut verbum scriptum suppleatur per traditiones non scriptas. Omnis probatio procedet è Scriptura, ratione & Patribus. Scripturæ primas deferimus.

II. E Scripturæ testimoniis primum. Moses ait, Deut. 4,2. *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo, ut servetis præcepta Jehovæ Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* & cap. 12,32. *Unamquamque rem, quam ego præcipio, eam observantes facite: ne addito ei, neque detrahito ex ea.* Hos textus conjungimus & inde concludimus; Ad quod nihil debemus addere, & de quo nihil debemus detrahere, hoc perfectè continet omnia ad salutem necessaria. *Illud enim*, inquit Nicolaus Lyra, *perfectum est, quod nihil habet superfluum, nihil diminutum.* At verbo Dei scripto nec addere, nec detrahere quicquam debemus. Ergo. Peccant igitur Papistæ, fingentes verbum quoddam Dei non scriptum, sine quo scriptum non sufficiat ad salutem.

III. Becanus dicit, nos hinc colligere, omnes traditiones repudiandas. Inde excipit, *ineptissimè nos concludere, quia dum impugnare volumus Papistas, oppugnemus Apostolos, à quibus traditiones acceperint, præsertim Paulum, qui dixerit,* tenete traditiones, quas accepistis; *Oppugnemus Augustinum & alios Patres, qui traditiones sint amplexi, denig; nos ipsos, qui traditionem de Scriptura, de exorcismo & alias plures reverenter accipiamus, ut loquatur Chemnicius.* Concludit; *Si ergo Catholici (Papistæ) peccant admittendo traditiones; peccant etiam Apostoli, Patres, Lutherani ipsi. Aut si hi innocentes sunt, cur illi damnantur?* Num. 44. &. primò. Nos non sic colligere, patet à dictis. Non repudiamus omnes traditiones; quæ sunt cum Scriptura, non repudiamus. Secundò. Inaniter jactant Apostolorum nomen, qui scripta Apostolorum doctrina, quam ab illis profectam esse, certò novimus, non contenti, provocant ad aliam doctrinam traditam, quam ab illis profectam esse, non constat certis argumentis. Tertiò, Jesuita Thalmudici Judæi personam induit. Si Thalmudicas traditiones impugnes, mox clamat Thalmudista, te impugnare Mosen, & Prophetas, à quibus traditiones secretò acceperint; Similiter tuetur Becanus suorum commenta. Si dicas, Thalmudistam istam traditionum suarum originem nondum probasse; idem Papistæ sibi dictum putent. Quid jactant? probent suas traditiones, quas impugnamus, ab Apostolis se accepisse, priusquàm nos cum Apostolis committant. Jactantia non est justa probatio, quæ tentata sæpe, nunquam præstita. Quartò. Exemplis illustro. Dicunt, cælibatum sacerdotum esse traditionē apostolicam: quis Apostolorum tradidit? Num fortè Paulus, cùm diceret Timotheo, 1. Timoth. 3,2. *Oportet igitur Episcopum irreprehensum esse, unius uxoris virum* &c. vel Corinthiis, 1. Cor. 7,2. *Propter fornicationem quisque uxorem suam habeat.* v. 9. *Quòd si non continent, matrimonium contrahant.* Aquam lustralem, qua pellantur dæmones & deleantur venialia peccata, quo argumento referunt ad Apostolos? Imaginum cultum à quo acceperunt? Num fortasse à Johanne scribente, *Filioli fugite idola*, 1. Johan. 5,4. Quibus testibus orationes pro mortuis Apostoli tradiderunt? Quibus argumentis probant, quadragesimam & jejunium quatuor temporum, ut hodie Papistæ observant, Apostolos tradidisse?

IV. Quintò. Paulus sophisticè huc trahitur, & confunditur tempus divini canonis inchoati & completi. Illo scribit Apostolus: *Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per Epistolam.* Ad hoc rapiunt Papistæ. Si diceremus, omnia ad salutem scitu necessaria contineri in Epistola Thessalonicensibus inscripta, fortè impugnaremus Apostolum: at id non dicimus. De toto veteris & novi Testamēti codice loquimur. Præterea qs ignorat, eandē rem vivâ voce & scripto tradi posse? Diversus tradendi modus ñ infert rei traditæ diversitatem. Thomas in illa verba, *eadem scribere vobis me quidē haud piget*, sic cōmentatur, *Eadem, q̄ dixi in præsentia, non est mihi pigrum scribere in absentia.* Nō igitur impugnamus Apostolos, sed apostolicæ doctrinæ falsarios. Illi innocentes; hi non innocentes; inde hi damnandi; illi minimè. Nec hi cum illis justè comparantur. Apostolis invitis alienos fœtus supponunt.

V. Sextò. De Augustino & aliis Patribus dictum suprà. Illi sæpe traditiones vocant, quæ à Christo & Apostolis priùs vivâ voce tradita, postea ab his scripta sunt. Sic Cyprianus. Sæpè sic vocant, quæ totidem quidem syllabis in Scriptura non legebantur, at inde certâ consequentiâ deducebantur. Quo sensu Augustinus & Origenes pædobaptismum traditionem appellant. Hîc nobis pugna non est cum Patribus, qui si alicubi lapsi sunt, id non debet præjudicare simplici veritati. Sic Papias nonnulla, tanquam ex vivâ traditione accepta, disseminabat, nec tamen veretur Eusebius appellare fabulosa. Sextò. Denique non impugnamus nos ipsos. Nam traditio de Scripturæ canone non est apostolica traditio, sensu Papistico, sed Ecclesiæ testimonium, q̄ admittimus suo loco & habemus reverenter. Libros cānonicos esse divinos, est dogma scriptū, q̄ habemus ex ipsa Scriptura. Exorcismū etsi recipit Chemnicius, ñ tamen recipit, ut traditionem apostolicam: Nos omittimus, tanq̄ humanū commentū, atq; à doctrina prophetica & apostolica alienum.

VI. Secundò excipit, *nos non intelligere sensum dicti Mosaici.* Doceat ergo; Discemus lubentes. Hunc depromit: *Ego do vobis præcepta cæremonialia & judicialia,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ debetis integrè & perfectè servare, ex collatione Deuter. 17,20. c. 28,14. Jos. 1,7. Unde infert, *hæc tria idem valere. 1. Integrè & perfectè servare præcepta Mosaica. 2. Non declinare ab eis vel ad dextram, vel ad sinistram. 3. Nihil in eorum observatione vel addere, vel detrahere. Quod non sic esse intelligendum, monet, quasi non liceret addere nova præcepta, (alioqui non licuisset addere præcepta evangelica, de fide Trinitatis, de Baptismo, de Eucharistia) sed quòd præcepta Mosaica, in sui observatione non sint, corrumpenda, vel additione, vel detractione.* Num. 45.46.

VII. Laudo Becanum, quòd deserit exceptionem Bellarmini regerentis, *Mosen non loqui de verbo scripto, sed tradito.* Nimis enim manifestum, loqui de verbo, quod à Domino acceperat, & populus custodire debebat, Exod. 24,3. Deut. 28,1. c. 27,26. c. 32,46. quod scriptum esse, patet ab ipsa Scriptura, Exodi 24,4. Gal. 3,10. Deut. 28.58. Adde, quòd vix duobus mensibus ante obitum hunc sermonem habuit Moses. De cætero satis infelix doctor, quippe qui dum alios accusat ignorantiæ, suam prodit ipse. Primò enim restringit, omine infausto, ad ceremonialia & judicialia, quod non minùs ad moralia pertinere, clarum est ab ipso textu. Nisi fortè tantùm ceremonialia & judicialia dedit Deus præcepta, ñ moralia. Aliud nos legimus Exod. 20. Deut. 5. & hoc capite de quo agimus, v. 8.13.14. & passim alibi.

2 VIII. Secundò integram observationem, quam præcipi, non est dubium ex citatis textibus, nimis coarctat. Ad integram enim illam observationem pertinet, non solùm ut omne id, quod præceptum est, servetur, sed etiam ne aliud quicquam deligatur, in Dei cultu observandum, humano arbitrio, præter id, quod Deus præcepit. Hoc omisit Sophista, quia rebus ipsius nocet. Nos retinemus. Deus enim hîc illud de non addendo & non detrahendo manifestè distinguit ab observatione, *Ne addite*, inquiens, *ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo, ut servetis præcepta Jehovæ Dei vestri.* Sic & alibi mentem suam declaravit Deus sæpius, quando ad legem omnes obligavit Jesa. 8. & mandata hominum disertis improbavit verbis Jesa. 29. Ideo glossa Ordinaria sic explicat, *Docet normam æquitatis & omnem hæresin percutit. Vetat enim rectæ doctrinæ aliquid pravæ intentionis addere, vel aliquid veritatis subtrahere.* Similiter Veteres. Basilius in Asceticis; *Quid proprium est hominis fidelis? Nempe assentiri verbo Dei summâ persuasione, nihil rejicere, aut superaddere. Nam si quod non est ex fide, peccatum est, & fides ex auditu, auditus verò ex verbo Dei, tum quicquid non ex Scripturis depromitur, peccatum est.* Auctor operis imperfecti in Matthæum Homil. 20. *Omnis doctor servus est legis, quia neque supra legem addere potest aliquid de suo sensu, neque subtrahere aliquid secundum proprium intellectum, sed hoc tantummodo prædicat, quod habetur in lege. Nec enim potest mens humana dirigere, id est, extra rectum facere, scilicet perversum, vel malum ostendere, quod sapientia divina dictavit.* Thomas 3. p. q. 60. art. objicit sibi; *Videtur, quòd nihil liceat addere verbis, in quibus consistit forma sacramenti. Non enim minoris sunt necessitatis hujus verba sacramentalia, quàm verba sacræ Scripturæ. Sed verbis sacræ Scripturæ nihil licet addere, vel minuere. Dicitur enim* Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor; neque auferetis ab eo.* Respondet; *Ad verba Scripturæ non licet aliquid apponere, quantum ad sensum; sed quantum ad expositionem sacræ Scripturæ, multa eis verba à Doctoribus apponuntur. Non tamen licet verbis sacræ Scripturæ apponere, ita quòd dicantur esse de integritate sacræ Scripturæ: quia hoc vitium falsitatis argueret.* Nihil igitur omnino debet in cultu Dei usurpari, quod ipse non præcepit, sicut nihil omitti debet, quod præcepit. Quod hinc quoque patet. Si enim is sensus est, cavendum, ne singula præcepta observatione corrumpantur, aliquid eis addendo, non autem, ne omnibus novum superaddatur præceptum, tum ex altera parte sensus quoque erit, singula præcepta non esse corrumpenda in observatione, eis aliquid detrahendo, quamvis ex toto corpore aliquod præceptum detrahere liceat. At hoc est absurdum. Ergo & illud, quod est Becani glossema.

IX. Inde in fumum abit, quod de puerpera profert. Illi lex erat data, si marē pareret, ut immunda esset septem diebus, & puer octavo die circumcideretur, Levit. 12,2. *Huic*, inquit, *non licebat addere vel auferre, id est, non licebat nec ante, nec post diem octavum circumcidere infantulum. Nec immundicia matris poterat paucioribus vel pluribus diebus durare, quàm septem.* Nimis restrictè. Nusquam ità restrinxit Deus. Non sic potest restringi. Nisi licebat omnibus præceptis novum addere, & ex omnibus unum detrahere, quod omnes Christiani aversantur. Nos hinc intelligimus, fortissimè elidi Dei verbis traditionum non scriptarum auctoritatem. Nam qui ad illorum scriptorum præceptorum observationem homines adstringit, is excludit alia, quæcunque homines possent vellentve excogitare. Neque sanè possunt ab hominibus excogitari nova præcepta de Deo colendo, quin vel ad dextram, vel ad sinistram deflectant. At hoc prohibuit Deus.

X. Tertiò. Jesuita Pharisæorum patrocinium suscipit imprudens. Isti multas habebant traditiones, quas recitavit Jesuita suprà. Jam lotiones, quas præcipiebant, per se non pugnabant cum lege. Erant tamen additamentum propter opinionem necessitatis, judice Chrysostomo Homil. 52. in Matth. & reprehenduntur à Christo. Chrysostomi verba sunt; *Tu considera, quomodo* (Pharisæi) *ab ipsa interrogatione capiuntur: non enim dicunt, cur legem Mosi, sed cur traditionem Seniorum transgrediuntur? Unde patet, multa fuisse à sacerdotibus innovata: & quamvis Moses magno terrore comminatus fuerit, ne quid addant, aut auferant. Non adjicietis enim ad verbum*, ait, *quod ego dico vobis hodie, nec auferetis ab eo; plurima tamen nova induxerunt. Ex quibus illa erant, ne illotis comederent manibus, calices ac vasa ænea & seipsos baptizarent.* Infrà diserte dicit, hanc traditionem legi non fuisse contrariam. 3.

XI. Quartò. Nimis ridiculus est Sophista, cùm objicit additionem præceptorum evangelicorum. Num illa homines agnoscit auctores? Num Deus sibi legem dedit? Deus non sibi, sed hominibus 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus dedit legem. His quicquam addere non licet: Deo semper est integra potestas statuendi, quicquid visum fuerit. Fides Trinitatis in Evangelio quidem clarissimè proponitur, at non prorsus tacita in veteri Testamento. Imò in Mose & Prophetis, quamvis obscuriùs, Genes. 1. & 19. Jesa. 48, 16. cap. 63, 8. 9. 10. c. 6, 3. confer Joham 12, 41. Act. 28, 25. 26. scripta. Hinc hauserunt fidem Patriarchæ, cæterique fideles ante Christum. Id agnoverunt Patres Ecclesiæ Christianæ, fatentur multi Papistæ, & si negent, testatur res ipsa. Idem dico de aliis fidei dogmatibus. Nullum est in novo, quod non etiam contineatur in veteri. Paulus enim nihil dixit extra Mosen & Prophetas, Act. 26, 22. Augustinus in Psalm. 103. dicit, vetus Testamentum in novo revelatum esse, novum in veteri velatum. Idque non ut arbor in semine, quæ est glossa sophistarum, sed ut arbor, licet in veteri non tam patulis diffusa ramis, quàm in novo, id est, non tam perspicuè. Inde Irenæus l. 4. c. 66. *Legite diligentius id quod ab Apostolis & Evangelistis nobis datum, & legite diligentius Prophetas, & invenietis universam actionem & omnem doctrinam & omnem passionem Domini nostri prædicatam in ipsis.* Nempe per modum prædictionis. Nihil Apostoli & Evangelistæ de Christo in carne manifestato dicunt, quod Prophetæ non prædixerint. Baptismus & Eucharistia frustrà objiciuntur. Non enim inducunt novum dogma, quod Scripturæ testimonio destituatur, sed sunt nova divinæ gratiæ & beneficiorum Christi per Prophetas promissorum signa & sigilla.

XII. Tertiò excipit, *testimonium Mosi nihil ad rem facere, nisi velimus sic argumentari: Judæi debebant integrè & perfectè servare præcepta Mosaica; Ergo Christiani non debent admittere traditiones apostolicas, sed sola Scriptura esse contenti, quæ consequentia sit absurda & ridicula.* Num. 47. Mosis testimonium ad rem facere, jam ostendimus: nec tamen est, cur ab adversario capiamus argumentandi legem formamque. Absurdam nominet, quam formavit ipse, idque assâ voce proclamet; per nos licet; non nostram, sed suam conclusionem exagitat. Nos nec ex illo, nec ex alio quocunque dicto concludimus, non debere admitti traditiones apostolicas. Nec illud inter nos unquam fuit controversum. An hodie existent aliquæ apostolicæ traditiones, non scriptæ, ad fidei essentiam & salutem necessariæ, id quæritur, & negatur à nobis. Cæterùm nos sola Scriptura contentos esse debere, sic concludimus: Quicunque verbo Dei scripto nihil debent addere, ii sola Scriptura debent esse contenti, nec traditiones non scriptas, tanquam necessarias & partem divini cultus, Ecclesiæ obtrudere. At omnes federati Dei verbo Dei scripto nihil debent addere, nihil demere. Ergo omnes federati Dei sola Scriptura debent esse contenti, nec traditiones non scriptas, tanquam necessarias & partem divini cultus, Ecclesiæ obtrudere. Sic exponit Glossa Interlinearis. Ad hæc enim verba, *Non adderis*, subjicit, *sicut Scribæ & Pharisæi, qui propter traditiones suas reliquerunt verbum Dei*, Matth. 15. Sed quærit Sophista, *hoc testimonium pertineat-ne ad solos Judæos, an etiam ad Christianos?* l. l. Imò pertinet & ad Judæos & ad Christianos. Quod si negat Sophista, ostendit, se vel Christianum non esse, sed Judæum; Vel si Christianus, Antinomum tamen esse. Judæum quidem, si ad solos Judæos restringit dictum Mosis, & tamen observat decem verba Mosis, quæ hoc dicto comprehendi, clarum. Antinomum autem se ostèdit, si dictum Mosaicum proscribit à Christianismo, quod impium est. Mosen enim istis verbis comprehendere legem moralem, ipso sole est clarius ex textu. Nominat enim totam legem v. 8. in specie decem verba. v. 13.

XIII. Instat. *Si etiam ad Christianos pertinet, cur non servemus præcepta Mosis? Cur non circumcidamur? Cur alias ceremonias legales intermittamus? Cur denique sicut contra illos urgemus illam particulam,* Non addetis, *non similiter contra nos urgeamus,* Non auferetis. *Hìc nos hærere,* ib. num. 47. Non hæremus, quod faxo, ut intelligant omnes pii. Distinguendum inter præcepta moralia, ceremonialia & judicialia. Omnibus tenebantur Judæi, nos non omnibus, sed tantùm moralibus tenemur; ideo servamus tantùm moralia, Deo gratiam conferente. Non circumcidimur, non alias ceremonias Mosaicas observamus, quia nobis non præscriptæ; quia umbra erant rerum futurarum, Col. 2, 17. Hebr. 10, 1. quia ad fedus vetus pertinebant, cui novum fedus erat subrogandum, Jerem. 31, 31. 32. 33. 34. quia completæ sunt in Christo & ab eo sublatæ, Gal. 3, 24. 25. Sed & disertè dixit Apostolus, *In libertate igitur, quâ Christus nos liberavit, perstate, & ne è contrario implicamini servitutis jugo. Ecce, ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil nobis profuturum,* Gal. 5, 1. 2. Neq; tamen auferimus quicquam de lege Mosis, cùm non servamus istas ceremonias, uni genti terræ illius, in qua locum Dominus nomini suo sacrum elegerat, quia Legislator sapientissimus ne quidem à Judæis volebat istas observari perpetuò, sed usque ad Christum; tantum abest, ut à nobis aliisque omnibus populis, per totum orbem terrarum dispersis, exegerit. Fœminæ Judæorum non auferebant de lege quicquam, licet in carne sua non circumciderentur, quia circumcisionis lege tantùm tenebantur mares. Et tamen omnibus tam fœminis, quàm viris dictum erat, *Neque addite ei, neque detrahite de eo.* Tenebatur enim sexus & ordo quisque eâ ceremoniâ, quæ ipsi erat præscripta. Sic omnes tenemur illo præcepto, *Neque addite, neque auferte,* etiam hodie; neque tamen obligamur hodie ad ceremonialis, sed tantùm ad moralis legis observationem. Rex publicat mandatum, quo sancit leges diversas, quasdam perpetuas, alias temporarias. Illi non detrahunt subditi, qui elapso tempore, quod statuit Rex, non observant ampliùs leges tempori certo adstrictas. Sic non auferimus quicquam de lege Mosaica, cùm non observamus hodie ceremonias, quas solùm usque ad Christum servari voluit ipse Legislator; Imò si observaremus hodie, adderemus ei plurimum. Becanus clamabat, nos hìc hærere. Ubi hæremus?

XIV. Quartò dicit, *nimis ineptè colligi à nobis, omnes traditiones & præcepta humana esse irrita & contemnenda.* Num. 48.

Nos id non colligimus, sed calumniatur Jesuita. Calumniam liberè sonoreque voco, quia nemo inter nos auditus est hanc edere vocem, *omnia humana præcepta esse irrita & contemnenda.* Aliud testantur nostræ familiæ, Respublicæ, Ecclesiæ, quas qui vidit vel è longinquo, damnat citra dubium spiritum mendacii, à quo in diversum rapitur Jesuita. Nos præceptis humanis suum concedimus locum in Oeconomia, Politia Civili & Ecclesia. Deus parentibus & dominis auctoritatem dedit in familia: Magistratui, in societate civili: Illorum igitur præcepta non sunt irrita, nec contemnenda, quando sunt verbo Dei consentanea. Idem Ecclesiæ suam dedit auctoritatem; potest igitur statuere tum de cohibenda legum divinarum transgressione, sive fidem, sive mores spectent, tum de externæ politiæ ordine & decoro, juxta regulam Apostoli 1. Corinth. 14. Quod cùm facit juxta canonem apostolicum, ejus mandata nec irrita putamus, nec à quoquam leviter contemnenda. At novos fidei articulos & cultus instituere, iisque tanquam necessariis obligare hominum conscientias, id verò hominibus, quamvis sint Pastores gregis, non concedimus, sive solitariis, sive congregatis in Concilio. Non sunt legislatores Ecclesiæ; Unus est, hoc sensu, legislator, nempe qui potest servare & perdere, Jac. 4, 12. Non sunt Domini Ecclesiæ, 1. Petr. 5, 3. Sunt alligati mandatis Christi, Matth. 28, 20. Hos limites semel præscriptos non debent transilire. Cur enim præscripti, si transilire licet? Non sunt summi, sed subalterni judices. Vices gerunt unius summi judicis. Ille condidit articulos fidei omnes & omnem cultum. Nusquam dedit illis potestatem condendi novas leges fidei ac cultus Divini. Nec pii Pastores id sibi arrogant, Ecclesia Christi id sibi non sumit, quatenus Christo obtemperat. Quapropter metus non est, ne veræ & Christum sequentis Ecclesiæ præcepta hac in re contemnantur. Hominum præcepta hâc parte contemni debere, nobis auctor est, non homo nudus, sed Deus-Homo, Christus Matth. 15, 9. ex Jesa. 29, 13. Videantur confessiones nominatim Argentinensis, Wirtenbergica, Scoticana.

XV. Frustrà igitur nobis objicit Sophista, Judæos præceptum de festo Encæniorum observantes, frustrà Rechabitas, frustrà Apostolos, nominatim Paulum, frustrà magistratus, frustrà Ecclesiarum nostrarum consuetudinem. Num. 48. Imò quòd novit, in Synodis nostris cõdi leges & statuta ecclesiastica, quæ serventur, ex eo Diabolicæ calumniæ convincitur manifestè. Tam stupidi enim non dum sumus, Dei beneficio, ut sanciamus inter nos ecclesiasticas leges, & tamen clamemus, omnia humana præcepta esse contemnenda. Idem de Republica civili dictum esto. Et judicent homines probi, magisne honoretur magistratus apud nos, qui omnem animam illius mandatis & jurisdictioni subjectam esse, docemus ex Paulo, Roman. 13, 1. an inter Papistas, ubi magna potestatis pars ei derogatur & subditorum pars non exigua eximitur frivolè? Cæterùm institutio Encæniorum, ut ecclesiastica fuit, ita rectè observari potuit, non ut pars divini cultus, sed ut pars ordinis, & exercitium quoddam, quo

quo ad gratitudinem excitarentur. Similiter apud nos festa celebrantur, quamvis non divinitus, sed humanitus instituta. Mandatum Jonadabi de abstinentia à vino perpetua Jer. 35, 6. non erat ecclesiastico, sed œconomico politicũ; quales leges erant Lycurgi Spartanorum Regis, qui auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam tollebat; juvenibus non ampliùs una veste uti toto anno permittebat: pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci præcipiebat, ut primos annos, non in luxuria, sed in opere & in laboribus agerent. Nihil eos somni causâ substernere, & vitam sine pulmento degere, neque priùs in urbem redire debere, quàm viri facti essent, statuit. Huc igitur non pertinet Jonadabi mandatum. Si simile Becano & sociis sive naturalis, sive spiritualis pater Lojola præceperit, observent per nos licebit, modò cultum Dei hîc non fingant.

XVI. Apostolicum decretum de abstinentia à sanguine & suffocato, Act. 15. admodum ineptè hîc memorat. Nam primò illud erat scriptum. Secundò licet scriptum non fuisset, non tamen erat additamentum Scripturæ, sed Scripturæ recta applicatio. Scriptura prohibet scandalum, præcipit charitatem; Illam legem declarabant hoc decreto Apostoli. Tertiò. Bellarminus decretum Apostolorum appellat verbum Dei à Deo profectum, mediantibus Apostolis lib. 4. de verbo Dei c. 2. pag. 254. Becanus inter humana præcepta enumerat. Sic quod Romæ agnoscitur Dei verbum, id Viennæ humanum censetur, aut gratis ingeritur, ubi de humanis sermo est.

XVII. Cæterùm quòd dicit Jesuita, *Paulum inter Christi & sua præcepta distinguere* 1. Corint. 7, 12. hoc loco alienum est, ubi ingessit præcepta humana. Num enim Paulus suum à Christi præcepto, tanquam humanum à divino, distinxit? At non ex suo cerebro loquitur, sed ex Spiritu Dei, quo se instructum dicit v. 40. Rectè noster Aretius; *Spiritus Sancti est regula, cujus organum est Apostolus.* Christus enim in Paulo loquebatur 2. Cor. 13, 3. & Paulus non sustinebat quicquam loqui, quod non efficeret Christus per ipsum, Roman. 15, 18. Illius igitur, quod v. 12. præcipiebat, non minùs divina erat auctoritas, quàm quod, tanquam à Domino præceptum, proponit v. 10. Differentia tantùm est in eo, quòd illud de divortio in genere, Dominus ore suo protulit immediatè Matth. 5, 32. 19, 9. Mar. 10, 11. At hoc de divortio fidelium & infidelium, per os sui Apostoli. Quid? quòd apostolica præcepta Bellarminus agnoscit divina, quia non sine Spiritu Dei edita, l. 4. de ver. Dei c. 2. pag. 252. Non igitur humana, sicut blasphemat Becanus. Huc igitur afferuntur ineptissimè, ubi sermonem suscepit de humanis.

XVIII. Quartò excipit, Deut. 12. *agi speciatim de uno præcepto ceremoniali, nempe de præcepto sacrificii integrè servando, nempe ut id tantùm offerant Deo, quod præscripsit, scilicet ex animalibus, oves, capras, hædos &c. ex fructibus terræ, panem, similam, thus, salem, manipulum spicarum virentium & triticum; ex liquoribus, sanguinem, vinum, aquam. Ne addant quicquam ex sacrificiis Gentilium, nec minuant ex eis, sc. quæ jam enumerata sunt.* Num. 49. 50.

Universidad de Deusto
Biblioteca

49.50. R. Hîc agi de ceremoniali præcepto sacrificii, & describi ejus materiam, verum est; sed multa falsa miscentur. *Primum*, quòd de nulla alia re hîc agi fingit, quàm de ceremoniali isto præcepto. Aliud docet textus, in quo Moses agit tria. Primò mandat Israëlitis, ut idola Cananæorum tollant è medio, & contrà præcipit, quo loco & quomodo externum Dei cultum exercere debeant, v. 13-14. Deinde exponit, quos cibos edere liceat, quos non liceat, & quo loco, nempe aliquos in portis cujusque civitatis, alios tantùm in loco divinitus electo, v. 15-27. Denique excitat ad sincerum Dei cultum, & dehortatur à cultu idolorum à v. 28. usque ad finem. Postrema pars non est merè ceremonialis, sed etiam moralis. Becanus quærit erroris latibulum in textu, quòd legat v. 30. *Cave, ne imiteris eas (gentes) & requiras ceremonias earum dicens, sicut coluerunt gentes istæ Deos suos &c.* At originalis textus sic habet, *ne requiras Deos earum dicens*, &c. id quod Græci rectè retinuerunt,

XIX. *Secundum, τὸ facere* exponit per *offerre*, cùm in originali textu sit, *custodite ad faciendum*; quod non est offerre, sed multò patet latiùs. Significatur enim idem, quod dixerat versu vicesimo octavo, *Observa, ut auscultes omnibus verbis istis; & cùm feceris, quod bonum & rectum videtur in oculis Jehovæ Dei tui.* Ne dubites, cogita, quòd eodem sensu eadem phrasis multoties capitur, *ut discatis illa & observantes faciatis illa.* Cap. 5, 7. 6, 25. 7, 11. 8, 1. 11, 32. 13, 18. Becanum in hunc errorem videtur induxisse, quòd legit, *facito Domino*; cùm vox, *Domino*, non sit à Mose, quem sequuntur Græci, sed à latino Interprete. *Tertium.* Particulam *hoc* restringit ad materiam sacrificii, contra textum, cujus verba sunt generalia, *omne verbum, quod ego præcipio vobis, illud custodietis ad faciendum.* At non tantùm de materia sacrificii egerat, sed etiam de fuga idololatriæ, ad quam etiam extendit Cornelius à Lapide. Imò hæc clausula non solùm hoc caput, sed etiam præcedentia respicit, in quibus moralia occurrere, clarè constat. Ne mireris; Lyranus monet in glossa, in initio capitis undecimi poni conclusionem respectu prædictorum à principio capitis sexti. *Quartum.* Interdictum, *ne addito ei*, nimis ineptè ad sacrificia Gentilium adstringit, itemque alterum, *neque detrahito ex ea*, ad solam materiam sacrificiorum. Ergone licebat aliunde aliquid addere pro lubitu populi? Certè licebat, si Jesuitæ glossa vera. At juxta Scripturam non licebat. Malè igitur ad sacrificia Gentilium restringitur. Nos generaliter interpretamur de qualicunque additione & detractione in Dei cultu humano arbitrio suscepta.

XX. Tot adversarii glossa scatet erroribus. Ille tamen securus nos in scenam producit deridendos ab omnibus, idque quòd non videat, quid obtineamus à Mose, nisi sic inferamus, *Judæi debebant ea tantùm offerre in sacrificium, quæ à Deo erant determinata. Ergo Christiani non debent servare præcepta humana, sive civilia, sive ecclesiastica.* Non immeritò sanè subjicit, *spectatum admissi risum teneatis amici.* Num. 51. Nisi enim maturè præoccuparet animos, quis non rideret miserum Sophistam, qui ubi vult esse omnium bipedum oculatissimus, talpa cæciorem se ostendit. Nos tam stulti non sumus, ut doceamus, Christianos servare non debere præcepta humana, sive civilia, sive ecclesiastica. Contrarium docere, tam exactè novit blatero, quàm suos digitos. Tantum abest, ut absurdissimum dogma à Mose cupiamus obtinere, cujus verba & sensum corrupit scœdum in modum nugator ille noster, Becanus. Qui si non videt, quid ex Mose concludamus, an nos cæcitatem hominis præstabimus? Iniquum certè, nobis inde affingi alienam sententiam, quam abominamur toto pectore. Colligimus autem illud; si omne Dei verbum scriptum sic observare debemus faciendo, ut nec addamus ei quicquam, nec detrahamus, utique verbum scriptum omnia continebit ad fidem & vitam necessaria. Prius verum. Ergo & posterius. Vel: Qui omne Dei verbum scriptum sic observare debent faciendo, ut nec addant, nec detrahant quicquam, ii contenti esse debent verbo Dei scripto, nec est, cur recipiant dogmata non scripta, tanquam ad cultus divini substantiam, seu ad fidem & vitam necessaria. At omnes federati sic debent verbum Dei scriptum observare faciendo, ut nec addant, nec detrahant ei quicquam. Ergo.

canus è Novo sibi objicit. In his primum (Becanus tertiam objectionem nominat) est Gal. 1, 8. 9. *Sed etiamsi nos aut Angelus è cœlo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto. Ut antea diximus, etiam nunc iterum dico. Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema esto.* Locus illustrissimus, in quo nota primò, quòd Evangelium sit doctrina scripta. Secundò, quòd non dicit, *si quis vobis evangelizaverit contra id*; sed, *si quis evangelizaverit præter id.* Illud est angustius, hoc multò latius. Tertiò, quòd non dicit, quod *evangelizabitur* vobis, quod *accipietis*; sed, quod *evangelizavimus* vobis, quod *accepistis*. Quartò, quòd & sibi & Angelis ipsis anathema dicat, si diversum afferant Evangelium. Hinc intelligitur, multo minùs alios quoscunque homines esse audiendos, si, præter Evangelium Christi, quicquam afferant.

II. Tria posteriora membra non indigent probatione. Primum inde probatur, primò, quia Apostolus nihil prædicavit extra ea, quæ Moses & Prophetæ futura prædixerunt Actor. 26, 22. Sed Evangelium, quod Deus antè promiserat per Prophetas in Scripturis sanctis Rom. 1, 2. Unde dicitur declaratum per Scripturas propheticas Roman. 16, 26. Secundò. Quod prædicarunt, idem scripserunt Apostoli. Paulus, *eadem*, inquit, *scribere vobis me quidem haud piget, vobis autem tutum est*, Philip. 3, 1. Johannes, *Quod vidimus & audivimus, id annunciamus vobis*, 1. Johann. 1, 3. *Et hæc scribimus vobis* v. 4.

III. Tertiò. Patres sic exposuerunt.

Sectio IX.

Testimonia Novi Testamenti proponuntur & vindicantur.

I. VIndicavimus testimonia Veteris Testamenti; Sequuntur, quæ Be-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chrysostomus pro Evangelio Scripturam substituit Comm. in h.l. *Abraham*, inquiens, *igitur cùm rogaretur, ut admitteret Lazarum, respondet*, habent Mosen & Prophetas: si illis non crediderint, neque mortuos resuscitatos audituri sunt. *Hæc autem Christus ipse inducit in parabolam, loquentem Abraham declarans, se velle, plus fidei habendum esse Scripturis, quam si mortui reviviscant. Paulus verò, porrò cum Paulum dico, rursum ipsum Christum dico; hic enim erat, qui mentem illius agebat: etiam Angelis de cœlo descendentibus præponit Scripturas, idque valdè congruenter. Siquidem Angeli, quamlibet magni, servitamen sunt & ministri. Cæterùm omnes Scripturæ non à servis, sed ab universorum Domino Deo venerunt ad nos.* Eodem modo Augustinus l.3. contra literas Petiliani cap.6. *Sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei qui dixit; Licet si nos, sed quod omnino secutus adjecit*, Si Angelus de cœlo vobis annunciaverit præterquàm quod *in Scripturis legalibus & evangelicis* accepistis, anathema sit. Nec aliter Basilius in moralibus summ.72.c.1. Sic igitur arguimus. Illud, præter quod nihil aliud debet doceri in Ecclesia, sub anathemate, perfectam habet salutis doctrinam: Sed Evangelium scriptum est illud, præter quod nihil debet doceri in Ecclesia, idque sub anathemate. Ergo Evangelium scriptum habet perfectam salutis doctrinam. Actum igitur de Papisticis traditionibus, quas Apostolus non evangelizavit, Galatæ non acceperunt. Non sunt pars Evangelii. Hoc enim totum habemus in Scriptura, illas non habemus.

IV. Becanus primò retorquet in nos argumentum hoc modo: *Adversarii evangelizant aliquid præter id quod Apostolus evangelizavit, quia oppugnant traditiones, contra id quod Apostolus dixit*, tenete traditiones. *Ergo anathema sint.* Num. 52. Antecedens est falsum. Probatio incepta. Non enim quicunque impugnat traditiones, evangelizat contra id, quod Apostolus dixit, *tenete traditiones.* Christus enim, Apostoli, & prisci Catholici impugnarunt traditiones. Num ideo anathema? Blasphemum. Christus impugnavit traditiones Pharisæorum, Math.15. Apostoli, Pseud Apostolorum: Catholici, Hæreticorum, nominatim Carpocratianorum, Montani, Tertulliani, postquàm ad Montani scholam transiissent, aliorum. Distingue igitur traditiones apostolicas ab humãis. Qui apostolicas impugnat, v.g. traditionem de Eucharistia 1. Corinth. 11,23. & seqq. de morte, sepultura & resurrectione Christi 1. Corinth. 15,3.4. Is pugnat cum Paulo. Id nos non facimus, sed impugnamus humana commenta, quæ sub mentito Apostolorum nomine venditantur. Agnoscit Bellarminus scribens, *non est quæstio, quanta sit vis divina, aut apostolicæ traditionis, sed an sit aliqua traditio verè divina & apostolica?* l. 4. de verbo Dei cap.2. Cæterùm Apostolus illo tempore traditiones nominabat doctrinam, quam partim priore epistolâ scripserat, partim vivâ voce tradiderat, cùm nondum omnia complexus esset canon novi Testamenti. Tum extitisse traditiones non scriptas, minimè negamus; an diversæ fuerint à doctrina, quæ hodie continetur in toto canone, quæritur, & negatur à nobis. Rectè igitur tenebant Thessalonicenses, illas traditiones: sed de papisticis non intelligi potest. Thessalonicenses enim non acceperant eas à Paulo. Quomodo igitur tenerent? neque nos impugnamus traditiones Paulinas, quas acceperunt Thessalonicenses, sed papisticas, quas non acceperunt, quippe multo recentiores. Unicam igitur vocula m captant Sophistæ, sensum non tenẽt.

V. Secundò excipit, *ex scopo Apostoli æstimandum esse, an damnentur hoc loco traditiones, nec ne? Scopum autem hunc esse, quòd agat contra falsos Apostolos, qui docebant, eos non posse salvari per fidem in Christo, nisi ceremonias Mosaicas observarent, cùm ipse docuisset, neminem posse servari per has ceremonias, sed per fidem in Christum. At hinc non sequi, traditiones apostolicas esse rejiciendas, sed potiùs observandas, quia non sint præter aut contra illud, quod Paulus evangelizaverat Galatis de justificatione, sed potiùs sint illud, quod Thessalonicensibus evangelizaverit*, tenete traditiones. Num.54. R. Primò agit, fateor, Apostolus contra eos, qui contrariam docebant doctrinam. Verùm in eo errat graviter Jesuita, quòd opinatur, Apostolum suam negativam non extendere ad opera legis moralis. Etsi enim de ceremoniis cœpisset primùm controverti, progressa tamen est disputatio deinde longiùs, adeò ut cum ad synodum esset ventum, Pseudapostoli à circumcisione paulatim provecti ad moralia legis opera, hæc ipsa ad justificationem requirerent Act.15,5. dicentes, *oportet eos circumcidi & observare legem Mosis.* Et sanè de eadem lege hîc agi, de qua agitur ad Romanos, dubium non est. Ibi vide. Totus contextus tam clarè monstrat, etiam intelligi moralia, ut multi Papistæ id sentientes nova quærant diverticula.

VI. Secundò. Apostolus in progressu ostendit Galatis, Pseudapostolorum dogmata suis esse contraria. At hîc præmittit axioma generale, nihil esse admittendum præter id, quod ab ipsis Apostolis sit evangelizatum, idque tum ut veritatem sui Evangelii immutabilem asserat, tum ut audaciam hæreticorum suis additionibus & corruptelis Evangelium invertentium compescat, tum denique ut cõsulat omnibus fidelibus Galatis. Nihil enim erat facilius, quàm discernere, quæ docuerat, ab iis, quæ non docuerat. Quod tenendum est, ne particulam *præter* per *contra* interpreteris, quod esset alienum. Etsi enim quicquid contra Evangelium est, etiam sit præter; non tamen quicquid est præter, est etiam contra Evangelium, saltem directè. Apostolus non sine gravi causa vocem generaliorem delegit; nempe ut præcideret diverticula, quæ tam anxiè quærunt novorum dogmatum inventores. Chrysostomus Comm. in Gal. c.1. *Neque*, inquit, *dixit, si contraria annunciaverint, aut totum Evangelium subverterint; Verùm si vel Paulum evangelizaverint præter Evangelium, quod accepistis, etiamsi quidvis labefactaverint, anathema sint.* Theophylactus repetit, *Nec*, inquit, *dixit, pugnantia prædicent, cæterùm si parùm quiddam annunciẽt præter id, quod annunciavimus.*

VII. Tertiò. Jesuita verba animis angustè

Universidad de Deusto
Biblioteca

gustè explicat, cùm ad justificationem restringit. Apostolus enim de toto suo Evangelio loquitur, quo certè plura capita comprehendebantur, neque tamen sic effugit fulmen anathematis apostolicum. Quòd enim Papistæ aliter nos instruant, quàm instruxit ille, ipso sole clarius est. Hic enim justificationem absque operibus docuit, illi miscent opera & fidem. Quartò. Sanè non sequitur, traditiones apostolicas esse rejiciendas, quas Paulus evangelizavit sive Galatis, sive Thessalonicensibus, & sive hi sive isti ab illo acceperunt; neque nos ullam earum vellemus rejicere; Imò amplectimur reverenter, & eas nos habere, certi sumus. Evangelium enim, quod prædicavit Paulus, idem scripsit. Audivimus Irenæum suprà dicentem lib. 3. c. 1. *Non enim per alios dispositionem salutis agnovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidē tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* At verò quales sunt traditiones Papisticæ? Num eas evangelizavit Paulus vel Galatis, vel Thessalonicensibus? Id probet Papistarum cohors argumentis certis ac immotis.

VIII. Quintò. Nimis frivolum est, quòd garrit, *non esse præter, aut contra id, quod Paulus de justificatione Galatis evangelizavit.* An non sit contra doctrinam Pauli, quòd per observationem mandatorum Ecclesiæ, id est, humanas traditiones, hominem justificari, asserit Concilium Tridentinum sess. 6. c. 10. interpretante Andradio mandata Ecclesiæ de præceptis Papæ? Sed hoc dicere nunc quidem supersedeo. Num solâ justificationis doctrinâ absolvitur totum Pauli evangelium? Viam habemus facilem. Si Papisticæ traditiones non sunt præter Pauli evangelium, ostendant ergo in doctrina Pauli scripta. Non enim dubium est piis mentibus, totum Evangelium esse scriptum; partem tantùm esse scriptam, quis æquis admittat auribus? Delectus ciborum, cultus imaginum, veneratio reliquiarum, aqua lustralis sale conspersa, ejusque in delendis peccatis venialibus efficacia, cælibatus sacerdotum, orationes pro mortuis, si non sunt præter evangelium Pauli, quid præter illud esse possit? Et tamen ista traditionum nomine commendantur à Papistis. Jesuita dicit, *traditiones esse illud, quod Thessalonicensibus evangelizaverit Apostolus.* Ergone ciborum delectum, jejunium quadragesimæ & quatuor temporum, imaginum cultum, reliquiarum venerationem, aquam lustralem sale conspersam, annuam chrismatis innovationem, exorcismum aquæ, orationem versus Orientem evangelizavit Paulus Thessalonicensibus? Num comprehendit istâ voce: *Tenete traditiones, quas didicistis*? Ergo vel per epistolam, vel per sermonem. Ubi iste sermo, & quo teste habitus? In epistola enim non habemus; imò in toto canone non habemus, in quo tamen habemus totum Evangelium à Paulo prædicatum. Ipsi Papistæ distinguunt inter traditiones divinas, apostolicas & ecclesiasticas, ex quibus has nec ad Deū, nec ad Apostolos, sed ad Ecclesiæ prælatos, inprimis Rōanos referūt, & tamē obtrudūt tanq̄ necessarias. Illas impugnamus, Illas rejiciimus, quatenus p̄ter Evangeliū, imò contra Evangelium sunt, si non directè, saltem tamen indirectè, quatenus, tanquam necessariæ, obtruduntur. Num & illas evangelizavit Apostolus? Num acceperunt Galatæ? At hoc pugnat cum hypothesi; distinguuntur enim ab apostolicis, & historia testatur, sequentibus seculis irrepsisse in Ecclesiam. Licet igitur has examinare, bonas retinere liberè, pravas respuere, semper salvis traditionibus apostolicis, ad fidem & vitam necessariis, quas habemus in Scriptura.

IX. Secundum. Apocal. 22, 18. 19. *Enimverò contestor unicuique audienti verba prophetiæ hujus libri, si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit aliquid ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ.* Becanus quartam objectionem nominat. Hîc nota primò, verbo *addendi* non tantùm prohiberi contraria, sed etiam qualecunque auctarium, quamvis non contrarium, modò sit præter ea, quæ Johanni erant revelata. Secundò. Privilegium hoc non esse privatum Apocalypseos Johannææ, sed commune totius divini canonis; quemadmodum explicat Paulinus (Episcopus Aquilegiensis) in Concilio Forojulien. tom. 3. conc. p. 669. inquiens; *Nam in Apocalypsi Johannes Apostolus sub unius libri appellatione de tota utriusque Testamenti serie contestatus est, dicens: Si quis apponet ad hæc, apponet Deus omnes plagas, scriptas in libro hoc, & si quis diminuerit de verbo libri prophetiæ huius, auferet Deus partē illius de libro vitæ, & de civitate sanctā.* Hæc sententia publicè dicta omniumque applausu excepta est in Concilio, quod à Romana Ecclesia approbatum esse, constat. Pariter Andreas Cæsariensis Com̄: in h. l. agnoscit horrendam imprecationem adversus corruptores divinarum Scripturarum. Et Thomas Comm. in 1. Timoth. c. 6. lect. 1. probaturus, Scripturam esse regulam intellectus nostri, citat inter alia hoc dictum apocalypticum. Tertullianus verò eo tanquam universali axiomate impugnat Hermogenem, *An autem, inquiens, de aliqua subiacente materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse, docet Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adiicientibus, aut detrahentibus destinatum.*

X. Becanus excipit primò, *hîc condemnari Lutheranos, qui non solùm diminuant de verbis huius libri, sed totum pro apocrypho agnoscant, non tamen condemnare traditiones, quia non prohibeat, ne præter prophetiam apocalypticam admittatur aliquid aliud, (alioqui non liceret addere prophetias Jesaiæ, Jeremiæ & aliorum prophetarum veteris Testamenti, nec item evangelia, epistolas, Symbolum fidei) sed solùm prohibeat, ne verba prophetiæ apocalypticæ ab aliquo depraventur, idque vel ut apponat aliquid quasi illius sit pars, quæ revera pars non est, vel partem detrahat, quasi non sit pars, quæ revera est pars, id quod non faciant Papistæ, sed nos faciamus.* Num. 55. 84. primò. Nostri omnes hunc librum in canonicis numerant, cum his hodie non pauci faciunt Lutherani; aliqui adhuc dubitant, magis tamen de auctore, quàm de libri auctoritate. Si qui de auctoritate dubitarunt, ea in re secuti sunt quosdam Veteres, apud Eusebium lib. 3. Hist. Eccl. c. 22. Inprimis Græcos, qui adhuc Hieronymi ætate contra communem Latinorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

norum consensum de ea dubitabant. Epist.129.ad Dardan. Secundò. Jesuita nihil augustius tribuit huic libro canonico, quàm cuique libro non canonico. Nam nulli libro licet quicquam addere, tanquam ab auctore scriptum, aut detrahere partem, quasi ejus pars non sit. Coram hominibus est crimen falsi, quod & Deus abominatur, & homines pœnis mulctant. Si tamen sic interpreteris, hoc saltem inde constabit, verbis *addere & detrahere*, non tantùm prohiberi contrariorum additionem, sed quorumcunque additionem, præter ea, quæ scriptori sunt revelata.

XI. Tertiò. Illud de Symbolo & libris Jesaiæ, aliorumque Prophetarum veteris Testamenti, itemq; de Evangeliis & epistolis valdè est insulsum, partim etiam ridiculum. Primùm enim Symbolum apostolicum non Scripturæ additum, sed ex Scriptura sumptum. Deinde lex figitur creaturæ, non creatori, cui semper liberum est plura revelare. Prophetiæ veteris Testamenti tot jam annis exstabant in Ecclesia; Quis igitur furor, huc revocare, quòd non licuisset illas addere, si Apocalypsi nihil liceat superaddere? Quæ jam exstabant in canone, quomodo adderentur? Evangelia Matthæi, Marci & Lucæ jam antè Johannes legerat, teste Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis. Similiter epistolæ reliquorum Apostolorum jam erant scriptæ. Excesserant enim omnes ex hac vita. Evangelium post Apocalypsin scriptum esse, putant aliqui; non satis constat. Variant n. Auctores. Athanasius in Synopsi dicit, edictum Ephesi per Cajum, non Ephesi scriptum. Metaphrastes (apud Baronium tom. 1. ad annum 99.num.3.) scriptum in Insula Pathmo, editum Ephesi. Hippolytus Episcopus Portuensis (apud Cedrenum in Nerva) videtur indicare, Ephesi scriptum Evangelium & Apocalypsin. Certè sicut libri Mosaici, qui vestibulum sacri canonis occupant, hoc passim signaculo muniuntur, *Nihil addetis ad verba, quæ ego præcipio*, &c. Sic liber apocalypticus, quasi posticum claudens, pari munitur signaculo, ut omnes meminerimus contenti esse divino canone, ne quicquam addamus de nostro. Quartò. Etsi Papistæ nullam partem huic libro addant, non tamen culpa vacant. Commune enim est privilegium totius canonis, monente Paulino in Concilio Forojulensi, in quem injurii sunt, cùm ob tritas suarum traditionum merces sub ementito Spiritus Sancti signo nobis obtrudunt, eodem pietatis affectu, cum Scriptura divina suscipiendas.

XII. Quintò. Probatio Sophistæ est ridicula: *Prophetiæ de duobus testibus*, Apocal.11. *Papistæ nihil addunt, Evangelici autem addunt, dicendo, hos esse Lutherum & Calvinum. Ergo Papistæ non incurrunt in sententiam Dei descriptam à Johanne verbis citatis*, c.22.v.18.19. Primùm enim quid juvat Papistarum causam, si Evangelici quid addunt de suo? Aliorum culpa non est illorum innocentia. Secundò. Falsum, Evangelicos addere partem aliquam Prophetiæ, quæ non sit vera pars. Inspiciantur omnes codices nostri, an in ullo ulla, etiam minima, particula inveniatur addita. Tertiò. Evangelici non exponunt præcisè de duobus individuis; tantum abest, ut de Luthero & Calvino præcisè exponant; sed de paucis Evangelii præconibus accipiunt, quos Christus Antichristo quâque vice opponet veritatis testes, inter quos Lutherum & Calvinum fuisse, etsi fortè non agnoscit Jesuita, Papatus tamen, ni fallor, magno cum rerum suarum detrimento sensit.

XIII. Quartò. Non obstat, quòd objicit, *Lutherum & Calvinum non fuisse amictos saccis, nec habuisse potestatem claudendi cœlum.* Num.56. Nam testes illi duo non magis literaliter amicientur saccis, quàm secundùm literam erunt duæ oleæ, duo candelabra; nec magis secundùm literam claudent cœlum, ne tempore suæ prophetiæ pluat corporaliter, quàm ore spirabunt ignem. Spiritualiter potiùs intelligenda. Si tamen omnino velit corporaliter intelligi, Jesuita, à suo Nicolao Lyra discere poterat, notari vilia vestimenta. Num ea à Luthero & Calvino fuerunt aliena? Profectò Phrygionicus, Dalmaticus, Undulatus, byssinus, deauratus & deargentatus, quo prælati pompatici Papistici mundum fascinant, illis non fuit usitatus. Quintò. Cæterùm si explicatio nostra est additio damnata à Johanne, quo loco habenda est Lyræ glossa de Sylverio Papa & Menna Monacho? Quo plerisque Papistis approbata fabula de Enocho & Elia? Num magis Sylverius & Menna, vel Enochus & Elias nominatur, quàm Lutherus & Calvinus à Johanne? Et cogitet quisque, num totus mundus intra triduum sit Hierosolymam convolaturus, ut videat Enochi & Eliæ cadavera? Inde Papistæ eunt in partes. Bellarminus quidem tam morosè tenet fabulam, ut contrariam sententiam hæresin, vel hæresi proximam proclamet l.3. de Rom. Pontif. cap.6. sed Alcasar recens scriptor de sapientia & sanctitate prædicatorum Evangelii in primitiva Ecclesia contra Judæos interpretatur. Glossa Ordinaria per Eliam & Enoch prædicatores alios intelligi, dicit. Lyra hæret in suo Sylverio Papa & Menna Monacho.

XIV. Tertium, 2.Timoth.3.16. *Tota Scriptura est divinitus inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem & institutionem, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.* Sophista quintam objectionem nominat, & dicit, aliquos sic arguere, *Omnis Scriptura est utilis ad docendum & arguendum, Ergo supervacaneæ sunt traditiones.* Alios sic, *Omnis Scriptura est utilis, id est, sufficiens, Ergo supervacaneæ traditiones.* Priore formâ argumenti, qua dividuntur, quæ conjungit Apostolus, nos non utimur, qui novimus, hoc non esse integrum encomium, quo canonem sacrum Paulus ornat. Nec posterior est nostra eo sensu, quo proponit Jesuita, qui particulam *Omnis* distributivè accipit, ut suis cavillis paret locum. Qui sic arguant, ille noverit. Nos sic arguimus; Quod ad omnes sacri ministerii functiones, id est, doctrinam, redargutionem, correctionem, & ad institutionem in justitia utile est, ut sit homo Dei perfectus, & ad omne opus bonum perfectè instructus, id continet omnia ad salutem necessaria. Tota Scriptura ad hæc omnia utilis est, ita ut homo Dei hunc finem assequi possit, teste Apostolo; Ergo continet omnia ad salutem necessaria. Ex eo autem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem quòd Scriptura continet omnia ad salutem necessaria, manifestum, traditiones non scriptas ad salutem non esse necessarias.

XV. Jam audiamus sapientiam Jesuitæ; Bellarminus excipiebat, *Scripturam perfectè instruere, quia multa expressè continens, unde reliqua petenda sint, indicet.* Ejus puduit nostrum Jesuitam. Et sanè perinde est, ac si dicas, hypodidascalum, qui nec omnia te doceat, nec quidem docere possit, te perfectè docere, quia traditis elementis primis indicet magistrum, à quo discas plura, si velis: Vel si eum lac habere dicas, quod infanti alendo sufficiat, qui nutricem indicat, vel cibis abundare, qui monstrat alicubi mensam esse opiparam. Becanus non ausus hanc sapientiam venditare, reliquas exceptiones hausit è Bellarmino & interpolat. Primò autem captat *utilitatis* voculam & *perinde nostrum argumentum habere clamat, ac si dicas, omnis cibus est utilis ad nutriendum. Ergo supervacaneus est potus.* Vel, *omnis eleemosyna est utilis ad salutem, ergo supervacanea oratio.* Quam argumentationem non sine magnæ commiserationis erga auctores testificatione introducit. Num. 57. &. Jam semel dixi, eam arguendi formam non esse nostram. Noverit ille, quorum hominum ipsum misereat. Certè si qui sic arguerunt, illos dubio procul miseret Jesuitæ tam misericordis! Nec immeritò. Quî enim eos non misereat hominis æquiparantis tam imparia? Potum ad nutriendum hominem non minùs esse institutum, quàm cibum, tam altè impressum est naturæ, ut etiam norint pueruli palmares, vix egressi ex utero matris, quorum exemplo jubemur sac illud sermonis sincerum expetere, 1. Pet. 2, 2. Illud fugimus ab uberibus matris nostræ, quæ sunt vetus & novum Testamentum. Quod ne corrumpat vafer Sophista, addo, suggerere eandē Scripturam lac infantibus & escam adultioribus. Sic jam olim Gregorius M. lib. 1. Moral. in Jobum cap. 7. *Scriptura*, inquiens, *sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur & mandendo glutitur. Potus verò est in locis apertioribus, quia ita sorbetur, sicut invenitur.* Repetit Homil. 10. in Ezechielem. At extra completum Scripturæ canonem porrò ex Dei voluntate ordinatas esse traditiones non scriptas, quibus necessariò nutriamur ad salutem, non probatum est hactenus argumentis solidis. Sic corruit prior ἔνστασις. Altera non est melior. Nemo enim tam hospes est in rebus fidei, ut ignoret orationem & sacramenta, tanquam ad salutem utilia, nobis commendari in Scriptura. Tam rudis nemo, ut putet, eleemosynam ad salutem ita esse utilem, ut sufficiat. At Deus nusquam ullas traditiones, tanquam ad salutem necessarias, commendat, quæ hodie non contineantur in Scriptura. Dices, *ergo ab utili ad sufficiens concludes, quod rident Philosophi.* Rideant, qui volent, non moramur. Nos nemini permittimus, ut à quocunque utili ad ἀυτάρκειαν progrediatur. Est utile totale, est partiale. Illud est πρὸς τὰ πάντα; istud πρὸς τινά. *Illud*, per quod res sic juvatur, ut non ampliùs egeat, sed benè habeat; *Istud*, per quod res quidem juvatur, sed non omnis indigentia tollitur. Ab utili totali rectè pro-

progredior ad τὸ αὐτάρκες; à partiali non itē. At Apostol' Scripturā sic utilē vocat, ut sufficienter utilem declaret si obscurè.

XVI. Secundò quærit, quænam sit hæc interpretatio? an idem sint *utilem esse*, & *sufficientem esse*? Negat, & duobus exemplis probat, sumptis ex 1. Timoth. 4, 8. 2. Timoth. 4, 11. Inde exclamat, totam Scripturam corrumpi & adulterari posse, si hæc licentia interpretandi semel admittatur. Num. 50. &. primò. Qui ubique in Scriptura *utile*, per *sufficiens* exponeret, is sensum Scripturæ corrumperet; quapropter in eum invehi, Jesuitæ per nos semper esto integrum. Nobis nec ubiq;, nec simpliciter idem sunt *utile* & *sufficiens*. Inutiliter ergo probat exemplis, quod nos minimè negamus, agnoscentes utilitatem duplicem, unam adæquatam, quæ dicitur sufficiens, alteram partialem, quæ non est sufficiens. At si neges, utile quoddam esse sufficiens, jam facilè errorem confuto, idque definitione Aristotelis præsuppositâ. Ille lib. 1. Rhetor. c. 6. sufficiens sic definit; τὸ αὐτάρκες ἐστὶ τῷ παρ' ἑνὸς ἓν τι διάφορα καὶ αὐτάρκως ἔχει, id est, *sufficiens est, quo præsente res aliqua benè & sufficienter constituta.* Subsumo. Atqui nonnulla utilia sic sunt comparata, ut iis præsentibus, res benè & sufficienter constituta sit. Ergo nonnulla utilia sunt sufficientia. Vis exemplum? Do. Utile est Christiano, sincerè credere & piè vivere. Nonne hoc ipsum ad Christianismum sufficit? Utile est discipulo, ut sit par magistro. Nonne id ei sufficit? Id affirmat Christus Matth. 19, 25. Quid multis? Omnium Logicorum consensu universalis affirmans in particularem convertitur. At universalis vera est; Omne sufficiēs est utile. Ergo & particularis, Quoddam utile est sufficiens. Sicut rectè disputo, Omne animal est substantia. Ergo quædam substantia est animal.

XVII. Secundò cùm quæritur de textu præsente, docemus, Scripturam esse sufficiēter utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia. Cui si opponat Becanus verba Apostoli 1. Tim. 4, 8. *Pietas ad omnia utilis*, & 2. Timoth. 4. v. 11. *Marcus est mihi perutilis ad ministerium*, quem non misereat disputatoris tantò miserioris, quantò sibi videtur felicior? Quæ enim consequentia: Vox *utilis* non est idem quod sufficiens 1. Tim. 4, 8. & 2. Timoth. 4, 11. Ergo 2. Timoth. 3. 16. non potest capi de utilitate sufficiente. In syllabis non est hærendum, sed spectanda series textus totius, nisi horribilem confusionem velis invehere in Scripturam. Chrysostomus Hom. 13. in c. 7. Rom. sic effert, *Non simpliciter dictionibus, sed sententiæ dicentis ubique attendere, exactamque dictorum differentiam cognoscere necessarium est.* Nos vim argumenti non collocamus in una vocula, sed in toto contextu, qui non obscurè indicat, sed clarè sonat utilitatem adæquatam. Primò enim negari non potest, hunc scopum Apostolo fuisse propositum, ut perfectè Timotheum suum instrueret, monstratâ normâ, quam sequi debeat. At non aliam illi, quàm Scripturam commendat, imò hanc ei sic commendat, ut ab aliis haud obscurè avocet. Cùm enim ad lectionem obstringit, satis ostendit, ἐνδιαφόρως exspectandos non esse. Cùm verò hortatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad permanendum in sacris literis, ψευδώνυμον γνῶσιν & παραδόσεις ἀγεγράφους, id est, falsò nominatam scientiam & traditiones non scriptas insuper habēdas esse, docet.

XVIII. Secundò non nudè dicit, Scripturam ad hæc utilem, sed utilem non in aliquibus, sed in omnibus, imò singulis partibus, quæ sunt homini Dei adeoque homini Christiano necessariæ. Res Christianæ religionis consistunt tum in γνώσει, seu theoria, tum in praxi. Ad γνῶσιν, seu theoriam pertinet demonstratio veri & falsi cōfutatio. Illa, διδασκαλία, ista, ἔλεγχος dicitur Apostolo. Ad praxin refero virtutum commendationem & vitiorum correctionem; Illam Paulus παιδείαν, istam, ἐπανόρθωσιν appellat. His occupatur omnis boni ministri cura; hæc si præstat, officium probè facit. Eadem Christiano sufficiunt ad salutem. Cùm igitur ad hæc omnia Scriptura sit utilis, quis non agnoscat, sufficere eam ad salutem? Adde tamen tertiò, quòd Apostolus Scripturam sic vocat utilem, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. Latinus vulgatus quidem vertit, *instructus*; sed major est vis verbi græci ἐξηρτισμένος; quod vel radix ἄρτιος doceat; significat enim perfectum. *Non simpliciter particeps, sed diligenter instructus*, inquit Chrysostomus Hom. 9. in h.l. At quod est sic utile, ut simul perficiat & perfectè instruat in omnibus, id est sufficiens, imperfectum autem esse nequit. Effectus enim perfectus ex perfecta pendet causa. Scriptura illo modo est utilis. Ergo sufficiens. Neque est, ut dicas, *hîc tantùm agi de ministro*; Ita vis argumenti non eliditur. Nam Scriptura, quæ ministrum facit perfectè instructum ad omne bonum opus, ea est citra dubium sufficiens. Nam ubi minister omnia invenit, quæ ad suum munus sunt necessaria, ibi & populus omnia sibi ad salutem necessaria invenit. Ratio, quia nihil necessarium populo est ad credendum, quod non sit necessarium ministro ad docendum. Eadem est mensura & regula doctrinæ in ministro & fidei in populo. At Scriptura ministrum facit ἄρτιον: Ergo & populum. Ipsa igitur perfecta, cui nihil desit.

XIX. Cæterùm nos non commenti sumus hanc ἑρμηνείαν è nostro cerebro. Habemus calculum Patrum, & confessionem adversariorum. E Patribus Chrysostomus Hom. 9. in h.l. *Ad docendum*, inquit, *si quid vel discere, vel ignorare opus sit, illic addiscemus: si arguere falsitatem, inde arguemus: si corrigi, si castigari ad exhortationem, ad solatium si quid desit, & oporteat adipisci, ex ea nihilominùs discimus. Prome*, inquit, *scripturas habes, si quid addiscere cupis, hinc potes.* Theophyl. Comm. in h.l. *Prodest nobis, docens nos, si quid sit discendum. NIHIL enim est, quod non possit Scriptura sacrâ dilui.* Adversarii confitentur. Gabriel Biel in Can. Missæ lect. 71. *Quomodo anima hominis vivere posset vitâ justitiæ & gratiæ, nisi cognosceret Dei voluntatem, & quæ secundùm hanc justa sunt, vel injusta, quæ agenda & quæ fugienda, quæ amanda & quæ contemnenda, quæ timenda & quæ audenda, & quæ credenda & spectanda, & cætera saluti nostræ necessaria, quæ ~~OMNIA SOLA~~ docet sacra Scriptura.* Guilelmus Pepin Dominicanus dom. 2. adventus, conc. 1. *Sola hæc Scriptura docet ~~PERFECTE & PLANE~~, quid credendum,*

dum, ut sunt articuli fidei; quid agendum, ut sunt divina præcepta; quid fugiendum, ut sunt vitia; quid timendū, ut sunt æterna tormēta; quid accipiendū & desiderādū, ut sunt cœlestia gaudia. Augustinus Villavicētius lib. 1. de ratione studii Theol. c. 3. *Scripturæ, & quidem solæ, possunt nos ad salutem erudire.* Claudius Espenſæus Comm. in 2. Tim. 3. *Scripturæ, si quid scire, si quid agere opus est, verum docent, falsum coarguunt, reducunt à malo, inducunt ad bonum: Nec verò qualitercunq; bonum faciunt, sed perficiunt, eaque possunt hominem ad salutem erudire & SUFFICIENTER doctum reddere.* Vide Rivetum in Catholico Orthodoxo.

XX. Tertiò excipit, *Apostolum loqui de Scriptura veteris Testamenti, & sic argumentari, Omnis Scriptura divinitus inspirata est utilis ad docendum subditos & redarguendum adversarios. At Scriptura veteris Testamenti, quam à puero nosti, est divinitus inspirata. Ergo est utilis ad docendos subditos & redarguendos adversarios. Cùm ergo cognitione illius Scripturæ instructus sis, magnum ex ea præsidium habes ad præstandum, quod dixi. Ex eodem principio idem rectè concludi de Scriptura novi Testamenti, Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum & redarguendum. At Scriptura novi Testamenti est divinitus inspirata. Ergo est utilis ad docendum & arguendum. Qui ergo hujus Scripturæ cognitione instructus est, magnum ex ea præsidium habet ad utrumque præstandum.* Num. 60. 61. & Apostolus non sic argumentatur, sed Jesuita quatuor modis torquet ejus verba. Primò ad subjectum refert, quod est Apostolo peculiare prædicatum. Duo enim iste prædicat de Scriptura, nempe 1. originem divinam, cùm ait: *divinitus inspirata.* 2. Utilitatem, seu ad quem usum sit comparata. Utrumque conjungit particulâ, καὶ; cum ait, πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος. Prius in subjecti locum rejicit Jesuita contra Thomam, qui dicit in Com. h.l. Paulum commendare Scripturas ratione *principii*, ratione *effectus utilis*, & ratione *ultimi fructus & profectus.* A quo non discedit Cornelius à Lapide sic commentans, *Græca interserunt* καὶ, *ut sit sensus; Omnis Scriptura, scilicet sacra, est divinitus inspirata, est & utilis ad docendum.* Secundò truncat prædicatum apostolicum. Integrum sic habet: *Est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.* Sic explicatur utilitas non qualiscunque, sed plenaria & adæquata, quæ est sufficientiæ. Jesuita vix tertiam partem producit non sine insigni fraude. Tertiò. Omnem Scripturam distributivè exponit, cùm Apostolus collectivè ponat. Quartò. Utilitatem ad partem quamcunque Scripturæ transfert, quam Apostolus de tota Scriptura, seu toto Scripturæ corpore prædicat. πᾶσα γραφὴ enim hîc est tota Scriptura.

XXI. Dicet, novum & hoc loco alienum esse, particulam, πᾶσα, reddi, *tota.* Nec novum, inquam ego, nec hoc loco alienum est. Non *novum*, sive profanos, sive sacros scriptores spectes. Si profanos & quidē Græcos; Thucydidi lib. 6. dictum, παντὶ ἤδη τῷ στρατεύματι. Homero Iliade θ. ἦ κε τρύνοντ' ἀκέοντε λαὸν ἅπαντα ἔκτορ', id est, *an non incitantem audiris exercitum totum Hectorē?* Si latinos; quoties Ciceroni

Universidad de Deusto
Biblioteca

toni *omne* idē valet, quod *totum*. In Pisonem; *Erat non solùm domus mea, sed totum palatium Senatu, Equitibus Romanis, civitate omni, Italia cuncta refertum.* Sin sacros adire lubet, occurrunt exempla plurima in veteri & novo Testamento. In veteri; Genes.7,1. καὶ πᾶς ὁ οἶκός σου, & omnis domus tua. c.13,9. πᾶσαν τὴν γῆν, omnem terram. In novo; Matth.3,5. πᾶσα ἡ Ἰουδαία, omnis Judæa. cap.13,2. πᾶς ὁ ὄχλος, omnis turba. Luc.1,10. πᾶν πλῆθος τοῦ λαοῦ, omnis multitudo populi. Luc.21,32. πᾶς ὁ λαός. Coloss.2,9. πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος. Rom.4,16. παντὶ τῷ σπέρματι. Et sic sæpiùs vertit vulgatus interpres latinus. Vide Genes.31,7. ἐν τῇ πάσῃ ἰσχύι μου, totis viribus meis. c.47,13. ἐν πάσῃ τῇ γῇ, in toto orbe. Matth.8,34. πᾶσα ἡ πόλις, tota civitas. Similiter Eph.4,16. Hebr.2,15. Nempe sicut *totum* duplex, unum genericum, alterum integrans; Sic etiam *omne*, quod toti æquipollere dicitur Aristoteli lib.3. Phys. cap.7. t.64. duplex asserendum; Unum generis, alterum integri. Unde particula, *omnis*, nūc distributivè, aliâs collectivè capitur. *Distributivè*, cùm toti generico tribuitur; *collectivè*, cùm totum integrum notat. Diversitatis ratio non est obscura, hæc scilicet, quòd natura generis communicatur omnibus speciebus, at natura integri non competit cuilibet parti integranti.

XXII. *Non alienum hoc loco*; Nam utilitas, qualem hîc Apostolus Scripturæ tribuit, non convenit singulis ejus partibus. Non nego, singulas Scripturæ partes esse utiles; at singulas eam utilitatem, quam hîc prædicat Apostolus, præstare, nego. Probo. Singuli psalmi, imò singulorum psalmorum periodi singulæ sunt Scriptura θεόπνευστος. Vide Marci 15,28. Luc.4,21. Johan.19,24. ubi notatur psalmus vigesimus secundus. Neque tamen ex singulis periodis homo Dei omnibus rebus instruitur, ut nihil illi desit, quod hîc Scripturæ tribuitur. θεόπνευστον esse, competit toti Scripturæ, & singulis partibus. Eadem enim causa totius & singularum partium. Sic veritas est communis affectio Scripturæ divinitus inspiratæ; ideo rectè concludo, singulos libros, singulasque partes divinitus inspiratas esse veras. At utilitas, quam Apostolus describit, est affectio totius, quatenus totum est. Quod autem toti, ut toti, tribuitur, id de singulis partibus non rectè prædicatur. Consensum habemus quorundam Papistarum. Antonius Scaynus in Annot. in hunc locum, *Græci*, inquit, *ita legunt & interpretantur, quòd omnis Scriptura, id est, tota est divinitus inspirata, item eadem utilis ad plura, quæ prosequitur hoc loco Apostolus.* Estius in Comm. in h.l. (citante Riveto) agnoscit, non id velle Apostolum, quòd una quæque pars Scripturæ sit utilis ad illa omnia, hic enim sensus liquidò falsus esset; sed quòd in universa Scriptura hæ quatuor utilitates reperiantur. Dionysius Carthusianus, *Omnis*, id est, *tota Scriptura canonica.* Non alia mens fuit Hugoni Cardinali sic explicanti, *Omnis Scriptura*, id est, *sacra Scriptura, quæ est de omnibus necessariis ad salutem.*

XXIII. Atqui *Scriptura novi Testamenti nondum exstabat, cùm Timotheus esset infans; sermo ergo est de Scriptura veteris Testamenti, de qua dicebat Paulo antè, quòd possit eum sapientem reddere ad salutem.*

Num.

Num.59.&.Esto. Ponamus, solam Scripturam veteris Testamenti exstitisse, cùm infans esset Timotheus. Non negabo. Et de illa dici; quòd eam noverit à puero, clarum à textu. Concedo quoque, Scripturam veterem, quamvis solam, potuisse hominem sapientem reddere ad salutem; imò assero. Hoc totum autem non juvat adversarium, sed potiùs subvertit. Primò enim Scriptura veteris Testamenti, etsi hodie est pars totius corporis, cùm tamen sola exstaret, erat integrum Scripturæ corpus, cui competit prædicatum apostolicum. Deinde fortiùs adstringo nodum. Quod potest hominem sapientem reddere ad salutem, hoc continet perfectam salutis doctrinā. Vetus Testamentū potest hominē sapientē reddere ad salutem. E. vet. Testamentū continet perfectā salutis doctrinā. Si Scriptura veteris Testamenti, quanto plenius continebit omnem salutis doctrinam utriusq; Testamenti Scriptura conjuncta?

XXIV. Tertiò. Apostolus non ideo versu decimo sexto de sola Scriptura veteris Testamenti disserit, quia illa, Timotheo puerulo, exstabat sola. Prædicat enim hanc quadruplicem utilitatem de Scriptura, quæ exstabat, cùm ista scriberet. At non sola vetus exstabat, sed etiam nova. Bellarminus excipit, *nondum exstitisse Apocalypsin & Evangelium Johannis.* Non exstiterint. Non nocet causæ nostræ. In illis enim non proponitur ullum novum dogma fidei, quod non habeamus in cæteris, quæ jam tum exstiterunt. Exstabant Evangelia saltem tria. Reliquæ epistolæ Pauli omnes, eæque Timotheo non ignotæ, quarum una inscripta Timotheo. At sex ipsius nomen præ se ferunt, nempe posterior ad Corinthios, & quæ Philippensibus, Colossensibus, Thessalonicensibus & Philemoni inscriptæ, Philip.1,1. Coloss.1,1. 1.Thess.1,1. 2.Thessal.1,1. Philem. v.1. unde colligo, nec posteriorem ad Corinthios ei incognitam fuisse; etsi fortasse per illum non missa sit, quod habet tum de illa, tum de epistola ad Hebræos vulgaris subscriptio. In epistola ad Romanos salutantur à Timotheo Romani c.16,21. denique si fuit Episcopus Ephesiorum, quod affirmant Papistæ, utique epistola ad Ephesios scripta, ignota illi non erat. Breviter, aut Apostolus non commendavit Scripturas novi Testamenti, quæ tum exstabant, id est, omnes, præter Apocalypsin, & fortè Evangelium Johannis, aut etiam ejusdem epistolas, aut non loquitur de sola Scriptura veteris Testamenti. Quis dicat, non commendasse novas Scripturas, quæ exstabant, ne quidem epistolam priorem inscriptam Timotheo?

XXV. Quid si textus apostolici cohærentia evincat aliud? Ad hujus considerationem vocamur. Consideremus. Jesuita dicit, *hoc capite Apostolum hortari Timotheum, ut suos subditos instruat in fide & operibus, adversarios redarguat.* Num. 59. Hæc non est summa textus. Ad textum provoco. Cornelius à Lapide summam capitis sic proponit; *Describit mores impiorum hæreticorum à v.1. usque ad v.10. inde hortatur Timotheum ad constantiam, patientiam & martyrium usque ad v.14. A v.14. ad finem usque, eundem incitat ad studium sanctæ Scripturæ, tanquam quæ utilis sit, ut perfectus sit homo Dei, & ad omne opus*

Universidad de Deusto Biblioteca

bonum instructus. Nec subditorum fit mentio, nec an eos, & qua in re instruere debeat, nec de redarguendis adversariis hîc verbum lego. Præmonet Apostolus Timotheum de exorituris in Ecclesia hypocritis & falsis doctoribus, quos aversari jubet, proposito turpi eorum exitu, à versu primo usque ad decimum. Inde hortatur eum, ut exemplo Apostoli constans sit in doctrina, & omnibus virtutibus Christianis. Ideo ante omnia proponit suum exemplum, Timothei experientiam appellans v.10.11. deinde communem piorum conditionem v. 12. ut & impostorum v. 13. denique sacræ Scripturæ consensum. Quâ occasione non solùm Scripturam veterem v.15. sed etiam totam, quæ isto tempore exstabat, illustri ornat encomio, commendans tum divinam originem, tum quadruplicem ejus utilitatem v.16. in qua perfectio muneris docendi in Ecclesia consistat v. 17. Idque facit, ut Timotheus intelligat, etsi vivum doctorem sit amissurus, abundè tamen sibi prospectum, cùm in Scriptura divina habeat, quæ ad munus obeundum & salutem sunt necessaria. Unde Chrysostomus Homil.9.in h.l.scribit, *prome, inquit, Scripturas habes, si quid addiscere cupis, hinc potes.* Ex illo Corneli° à Lapide sic exprimit Apostoli sensum; *Ego jam morior, & ad martyrium tendo, non amplius me doctorem audies, ô Timothee, dolebis, me sublato, perinde ut doluit Elisæus, sublato in cœlum Eliâ magistro: sed age animos resume, vice mei sacras Scripturas tibi relinquo, quasi doctorem & consultorem, ut in eis Deum loquentem & docentem audias, utque ex iis, neque in tristibus animum contrahere neque in latis inflari discas.* Si hæc consolatio fuit solida, non minùs igitur omnia scitu necessaria ex Scriptura cognoscere poterat Timotheus, quàm ex ore Pauli; Si non poterat, consolatio nimis fuit diluta.

XXVI. Ex dictis patet, Jesuitæ discursum in fumum abire, quem magno nisu moliebatur, sed & molem, quam superstruit. Num.62. Quis nisi vel Manichæi discipulus, vel Enthusiasta, neget, tres propositiones veras esse, secundùm Apostolum, quas ex suo discursu patere jactat, nempe has 1. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, est utilis ad docēdum & redarguendum.* 2. *Scriptura veteris Testamenti utilis est ad docendum & redarguendum.* 3. *Scriptura novi Testamenti utilis est ad docendum & redarguenaum.* Nec nego, ex Apostolo posse demonstrari. At Apostolus longè aliter disserit, ut ostendi num.9.& seqq. Sed videamus molem, cui erigendæ vires omnes impendit hactenus Jesuita. Illa est, *sicut non sequitur, Scriptura veteris Testamenti utilis est; Ergo Scriptura novi Testamenti est supervacanea: nec contrà, Scriptura novi Testamenti est utilis; Ergo Scriptura veteris Testamenti est supervacanea: sic etiam non sequitur, utraque Scriptura est utilis; Ergo traditio est supervacanea. Aliàs supervacaneum esset, quod dicit Apostolus, tenete traditiones.* Hîc non assumi prædicatum apostolicum integrum, ipsi advertant pueri. Mirum igitur non est, à Jesuita pueriles inde strui consequentias, quas mox uno difflet halitu,

ὡς ὅτε τις φάμαδον παῖς ἄγχι θαλάσσης
Ὅστ' ἐπὶ οἱ πολίοισι φόρμαπι πιπτέποισ.

Ad

Ἀλ. ἄνδρ συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν, ἀδύεσιν.
Homerus Iliad.o.

XXVII. Respondeamus tamen. Primum non sequitur; non quasi non omnia necessaria continuerit, & ad formandam fidem moresque populi non sufficerit; sed quia Scriptura veteris Testamenti, quamvis omnia dogmata ad fidem necessaria contineat, non tamen tam dilucidè continet, quàm in Scriptura novi Testamenti sunt exposita, quæ ideo est divinitus inspirata, ut, jam exhibito Messiâ, omnia fiant clariora. Ut enim ætatis Ecclesiæ, sic quoque lucis in ea radiantis diversos esse gradus, voluit Deus, qui novit optimè, quid cuique ætati ac tempori conveniat. Secundum non sequitur; non quòd in Scriptura novi Testamenti non contineantur omnia dogmata ad fidem & vitā necessaria, sed quia Evangelica doctrina ex veteri Scriptura debebat confirmari Johan.5,39.45. Act. c.18,28.c.26,22.Rom.16,26. 1. Corinth. 15,3:4.2.Petr.1,19 20. Tertium non sequatur. Quid tum? Sic à Sophista concipitur, non autem sic formatur à nobis. Nec antecedens, nec consequens est nostrum. Non *antecedens*; non enim arguimus à quavis utilitate, sed plenaria, à qua pendet perfectio, id est, qualem descripsit Apostolus. Non *consequens*; Primùm enim non simpliciter traditiones impugnamus. Imò dicimus, Ecclesiam traditione, quæ fit vivâ voce, carere non posse, puta concionibus & institutione, quæ fit vivâ voce. Quod traditionum genus apud nos viget, juxta Scripturam, & quidem magis quàm apud Papistas. De dogmatibus non scriptis ad fidem & vitam necessariis est quæstio. Deinde non promiscuè quæritur de omni tempore, sed de nostro, postquàm completus est divinus Scripturæ canon. Sic ergo habet nostrum argumentum. Tota sacra Scriptura est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus perfectè instructus; Ergò omnia doctu scituque ad salutem necessaria in Scriptura continentus, nec ulla dogmata non scripta sunt ad salutem necessaria.

XXVIII. Neque tamen vel supervacaneum est, vel rebus adversarii quicquam confert, quòd dicit Apostolus, *tenete traditiones.* Non est *supervacaneum*: Non enim loquitur tantùm de traditionibus non scriptis, quandoquidem facit tam epistolæ, quàm vivæ vocis mentionem: Papistæ autem tantùm intelligunt traditiones non scriptas. Deinde agit de epistola Thessalonicensibus scripta, in qua omnia contineri, nemo nostratium unquam affirmavit. Sed & id scribebat, cùm nondum exstaret integer canon novi Testamenti. Multa igitur vivâ voce tradiderat, quæ tum nondum erant scripta Thessalonicensibus; ut meritò moneret de traditionibus tenendis, quas sive per sermonem, sive per epistolam apostolicam essent edocti. Quòd autem diversæ fuerint traditiones à doctrina sive jam tum ad alios, sive postea scripta, id nos negamus constanter. *Rebus adversarii nihil confert.* Nam Apostolus agit de traditionibus, quas edocti erant Thessalonicenses. At traditionum farraginem, quam Papistæ hoc velatam nomine nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis obtrudunt, Thessalonicenses à Paulo accepisse, nondum constat. Probandum igitur firmis & indubitatis argumentis, idque ante omnia. Quòd enim debeant præter eas traditiones, quas sive per sermonem, sive per epistolam apostolicam edocti erant, plures tenere, id Apostolus non præcipit, ut hoc argumentum coronidis loco nobis inde surgat; Illas traditiones tenere jubemur ab Apostolo, quas Thessalonicenses, sive per sermonem, sive per epistolam Apostoli erant edocti. At traditiones non scriptas, quas hodie Papistæ, sub Christi, Apostolorum & Ecclesiæ nomine, nobis obtrudunt, non erant edocti Thessalonicenses, sive per sermonem, sive per epistolam Apostoli. Ergo illas tenere non jubemur ab Apostolo. Exempli gratiâ. Venerationem imaginum & invocationem Sanctorum inter traditiones referunt Papistæ. At nec illam, nec istam Thessalonicenses edocti sunt à Paulo. Probo & quidem ex Papistarum confessione. De imaginibus dicit Georgius Cassander in consult. art. 21. *Certum est, initio prædicati Evangelii & aliquo tempore post, imaginum usum NON fuisse.* De Sanctorum invocatione Eccius in Enchiridio, loco de veneratione Sanctorum; *Nec hoc licuit in primordio Ecclesiæ in novo Testamento, ne Gentiles recèns conversi se iterum ad idololatriam induci paterentur.*

XXIX. Quartum. (Becanus sextam objectionem vocat.) CHRISTUS dicit Math. 15,3. *Quare vos transgredimini mandatum Domini per traditionem vestram?* v. 6. *irritum feciſtis mandatum Dei per traditionem vestram.* v. 9. *Fruſtrà me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.* Verba versus quinti sibi objecit Becanus, sed versus noni verba non sustinuit citare, quamvis multoties à nobis producta. Non enim inveniebat, quod honestè obtenderet. Nos addamus plura: Col. 2,8. *Videte, ne quis vos deprædetur per inanem Philosophiam & inanem deceptionem secundùm traditionem hominum.* 1. Petr. 1,18. *ut qui sciatis, vos non caducis rebus, argento vel auro fuisse redemptos, ex vana vestra conversatione, & patrum traditionibus accepta.* Hinc arguimus: Si omnia damnantur, quæ præter Scripturam religioni adduntur, Scriptura continebit omnia ad fidem & salutem necessaria, traditiones autem non scriptæ in Dei cultu non erunt admittendæ. At prius verum, Ergo & posterius. Consequentia per se patet. Antecedens probatur dictis allegatis.

XXX. Becanus excipit, *Christum & Apostolos solùm loqui, vel de traditionibus Judæorum, quibus Pharisæi malè utebantur, vel de traditionibus Gentilium, quæ fidei Christianæ repugnabant. At tales non esse, quas defendant Papistæ, qui defendant divinas & apostolicas suprà enumeratas.* Num. 63. R. primò. Apostoli sententia est generalis, ut ostendit textus, quam Sophista ad traditiones Gentilium, quæ fidei Christianæ repugnent, fruſtrà restringit. Nominantur traditiones hominum Col. 2,8. ἀναστροφὴ ἐκπαραδότου, conversatio ex patrum traditione accepta. Secundò. Christus quidem de traditionibus Judæorum, quibus malè utebantur Pharisæi, agit Matth. 15. v. 3. 8. Num aliæ Judæorum traditiones fuerunt non scriptæ, quas

quas Christus non tetigit? Sic Bellarminus & Baronius. Atqui sententia Christi est generalis, & versu nono sic concepta, ut omnes agnoscant, eam patere latiùs. Nisi fortè Christiani utiliter colunt Deum, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum, soli Judæi fruſtrà Deum colunt, docentes mãdata hominum. Quod cùm primâ fronte falsum appareat, versum illum suppressit Jesuita. Nos supprimi non patimur. Cùm enim Christus citet Jesaiæ verba, omnes intelligunt, non tantùm de Pharisaicis traditionibus, sed generaliter loqui. Nam Jesaiæ tempore nondum nati erant Pharisæi. Nec igitur traditiones illorum. Et tamen Jesaia disertis verbis traditiones damnat.

XXXI. Tertiò. Suprà dicebat, quasdam traditiones Pharisæorum fuisse suo genere bonas, reprehensas tamen à Christo. Contrà Bellarminus & Baronius dicunt, illas tantùm improbari traditiones, quæ adversùs divinæ legis militarent institituta. Quod vel intelligitur sigillatim, vel ὅλως. Sigillatim, ut illarum capita singula singulis capitibus legis Mosaicæ directè opponerentur. Hoc sensu non debet capi Christi reprehensio. Talis certè non erat traditio de lotione crebra, quippe quæ nusquam erat prohibita; & fatetur Jesuita, aliquas fuisse bonas ex suo genere, suprà Num. 3. Ὅλως verò, ut adversùs legem Dei militare dicantur, quia erant præter legem Mosis, quæ omnem additionem prohibuerat. Tales erant pleræque traditiones. Tradebantur enim ferè res indifferentes observandæ superstitiosè, imò curiosiùs, quàm ipsa Dei lex, aut saltem æquè curiosè & sub pœna mortis. Papisticæ traditiones ne quidem pilo sunt meliores. Rectè igitur ad eas currit argumentum. Quartò. Tales esse, strenuè negat Jesuita. Loquatur igitur res ipsa. Præter Scripturas esse invectas, novit orbis Christianus, & ipsi de quibusdam fatentur. Quàm vanæ & superstitiosæ sint pleræque, ego hîc non exagitabo. Spectet, qui volet, & ex re judicet. Severiùs urgeri traditiones, quàm Dei mandata, & illarum transgressionem graviùs puniri, quàm istorum, testis est experientia, quâ exploratum habemus, nomen Dei citra mulctam in vanum usurpari, at feriâ sextâ carnem non impunè edi. Vide suprà Sect. 1. Num. VI.

XXXII. Quintò. Jam quòd dicit, *se defendere divinas & apostolicas traditiones, quæ suprà sunt enumeratæ*, similiter Judæi clamabant, se defendere traditiones Mosis & Prophetarum. Dignum dissertatione antegressa signaculum. Refigamus. Primùm. Quis divinis & apostolicis traditionibus bellum indixit è nobis? Adversùs nos igitur illis non est opus defensione. Deinde, quas divinas adversùs nos defendit? Ait, *quæ suprà enumeratæ sunt*. Atqui ne unam quidem divinam, nedum plures enumeravit. Ad conclusionem secundam provoco. Quasdam apostolicas conabatur enumerare, quas à divinis operosè, quamvis infeliciter, inutiliterque distinguit Bellarminus. Tertiò; Nec ullam apostolicam traditionem non scriptam evicit. Evincendæ autem erant, priusquàm earum susciperetur defensio. Quartò. Hîc omittit immensam traditionum Ecclesiasticarum farraginem. Causam quæris? Sentiebat, quâ est prudentiâ, non satis benè illi convenire cum illa Christi sententia, *fruſtrà me colunt, docentes*

Universidad de Deusto
Biblioteca

centes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. Quæ valet aut aliquo tantùm, aut omni tempore. Si aliquo tantùm tempore, tum aliquando falsum erit, fruſtrà Deum coli mandatis hominum. Blásphemum! Si valet omni tempore, valebit etiã hodie. Fruſtrà igitur etiã Papiſtæ colunt Deũ, docentes doctrinas, q̃ſunt mandata hominũ. Jã habemus verũ traditionum Papiſticarũ titulum. Sunt mãdata hominum Res clara. Pontifex n. qui auctoritatem illis tribuit, ſive ſolus, ſive cum paſtorum collegio conjunctus, nec eſt, nec fit in cathedra Deus, ſed manet homo, & quidem nõ immediatè inſpiratus à Deo. Si dicas, *non eſſe mandata hominum, quæ ſanciuntur ex auctoritate Dei, quamvis ſine juſſu & inſpiratione Dei ſanciantur*; ego primùm quæro, quo argumento juſſionem & inſpirationem Dei à Dei auctoritate ſepares? Deinde cogito, Chriſtum mandata hominum vocare, quæ ab illis prodierant, qui ſedebant in cathedra Moſis, & eccleſiaſticam habebant auctoritatem, præter quam non erat alia ordinaria in Eccleſia Judaica. Urgebis, quòd *Scriptura eccleſiaſticas traditiones nusquam vocet humanas.* Fruſtrà urges vocabula, cùm ne quidem eccleſiaſticas usquam audias appellari. Rem ſi ſpectemus, fruſtrà tergiverſaris. Eccleſiaſticæ enim traditiones, quales Papiſtæ nobis commendant, ſunt præter legem Dei. Mandata igitur hominum. Talia ſunt omnes traditiones præter legem Dei; quamvis ab iis, qui in Eccleſia eminent, profectæ. Chriſtus teſtis, qui de traditionibus Seniorum loquitur, qui in cathedra Moſis ſedebant.

XXXIII. Hactenus fuerunt Scripturæ teſtimonia, quæ eludere conatus eſt Becanus. Illis è Novo Teſtamento addemus duo. Quintum igitur eſto Johan. 5,39. *Scrutamini Scripturas, nam vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere.* Sextum Johan. 20,31. *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Hinc arguo. In quo habemus vitam æternam, hoc continet perfectam doctrinam ſalutis. At in Scriptura habemus vitam æternam. Ergo Scriptura continet perfectam doctrinam ſalutis. Contra prius dictum excipiunt, *valere adverſus eos, qui Scripturas non recipiant; non valere adverſus eos, qui recipiant; dictum Judæis pertinacibus; aliam eſſe rationem fidelium, qui nunquam ſint à Chriſto ablegati ad legendas Scripturas. Denique non niſi de Scripturis veteris Teſtamenti dictum.* Et primò. Adverſus utrosque valet. De Scripturæ hoſtibus dant Sophiſtæ. De alteris probo. Dictum enim Judæis, qui Scripturas recipiebant. Id patet ex textu & Sophiſtarum confeſſione. Secundò. Diverſam autem hac quidem in re eſſe Judæorum & Chriſtianorum rationem, quis fando audivit? Certè non probatur. Si perténdere inde pergas, quòd fideles non ſint ad Scripturam ablegati à Chriſto, pari labore obtinueris, ad Chriſtianos minimè illud pertinere, *Deum unum adorabis & illi ſoli ſervies*, quia nemini niſi Satanæ Chriſtus objeciſſe legitur. Tertiò de veteri Teſtamento dictum concedo. Annon illud eſt pars Scripturæ? Ergo in tota Scriptura habemus vitam. Non enim putarim, te negaturum, nos vitam

tam habere in novi Teſtamenti Scriptura, quia habemus in veteri.

XXXIV. Contra poſterius excipiunt, *Johannem loqui tantùm de miraculis Chriſti*; quod verum certumque de verſu trigeſimo: non certum de verſu trigeſimo primo, in quo memorat tum facta, tum doctrinam, cui videtur potiùs attendiſſe. Et patet ex contextu; *ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Scribit igitur, quæ ſufficiant ad fidem ſalutiferam & obtinendam vitam; ad quod certè non ſufficit ſola miraculorum hiſtoria. Ideo Cyrillus Alexandrinus extendit longiùs lib. 12. in Joh. c. 61. *Non igitur*, inquiens, *omnia quæ Dominus fecit, conſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes tam ad mores quàm ad dogmata putarunt ſufficere, ut rectâ fide, & operibus ac virtute rutilantes ad regnum cœlorum perveniamus.*

Sectio X.

Pro Scripturæ perfectione proponuntur rationes & Patrum dicta.

I. Scripturæ teſtimoniis ſubjiciemus paucas rationes. Prima eſto. Quod Apoſtoli prædicarunt, id ſcriptum eſt. At Apoſtoli prædicarunt omnia dogmata ad ſalutem ſcitu neceſſaria. Ergo omnia dogmata ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt ſcripta. Major probatur ex Act. 26, 22. hîc enim teſtatur, ſe nihil dixiſſe extra Scripturas Moſis & Prophetarum. Ergo in iis omnia continentur. Minor indubitata. Clamabunt, ergo Evangeliſtarum & Apoſtolorum libros eſſe ſupervacaneos. Id non magis ſequitur, quàm Petri & Johannis laborem fuiſſe ſupervacaneum, quia Paulus omnia docuit vivâ voce ad ſalutem neceſſaria; vel ſuperfluam eſſe hiſtoriam cœnæ in Paulo, quia exſtat in Evangeliſtis. Stapletonus clamat, *quod Paulus de ſe uno dixit, nõ eſſe trahendum ad reliquos Apoſtolos, quia Apoſtoli nõ uno eodemq; modo prædicarint, ſed aliter Judæis, aliter Gentibus.* Cui ego: Aut eſt idem evangelium prædicatum à Paulo & cæteris Apoſtolis, aut diverſum. Si *idem*, cur non æquè ſumptum ex Moſe & Prophetis dicam, quod prædicavit Petrus, quàm quod Paulus? Si *diverſum*, reliqui Apoſtoli erunt anathema, ex Galat. 1,8. Exhorreſco blaſphemiam, & tamen illam tuetur, quicunque à Paulo ad cæteros ut argumẽtemur, nobis non permittit. Cæterùm rationem prædicandi ab Evangelio prædicato diſtingue. Ratio prædicandi quin diverſa eſſe potuerit, non nego: aliud evangelium fuiſſe, nego. Nec eſt ut dicas, Paulum ſe, quoties illi res erat cum Judæis, intra Moſen & Prophetas continuiſſe, nõ item cùm agebat inter Gentes. Nam de toto prædicationis curſu, in quo ſanè Gentibus, tanquam Gentium Doctor, non minùs quàm Judæis prædicaverat, dicit, quod lego Act. 26, 22. & epiſtolam, quam inſcripſit Romanis, omnem penè de veteri ſtructam eſſe inſtrumento, teſtis eſt Hieronymus in præfat. lib. 16. in Jeſaiam.

II. Secunda. Ex quo omnia, quæ, tanquam ad ſalutem neceſſaria, in Eccleſia docentur, confirmari debent, illud perfectam ſalutis doctrinam continet. At omnia quæcunque, tanquam ad ſalutem neceſſaria, in Eccleſia docentur, debent è Scriptura ſacra confirmari. Ergo Scri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptura sacra continet perfectam salutis doctrinam. Major est per se clara. Minor decantata apud Patres. Origenes tract. 25. in Matth. *Debemus ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem, quem exponimus, sensum.* Basilius in moralibus Definit. 26. *Quodcunque vel verbum, vel factum corroborandum est divinæ Scripturæ testimonio, ad plerophoriam bonorum & confusionem malorum.* Hieronymus in Psalm. 98. *Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis sanctis, in ore enim duorum, aut trium testium stabit omne verbum. Non habet tantam auctoritatem sermo dicentis, quantam præceptum Domini.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4. Illuminatorum: *Hoc semper in monte signaculum retineto; (fidem de Trinitate) quod tibi nunc per summa capita propositum est; Deinceps autem si Dominus concesserit, exponetur pro viribus cum demonstratione ex Scriptura. Oportet enim ne minimum aliquid tradere de sanctis & de divinis fidei mysteriis absq; divinis Scripturis, neque moveri probabilibus sermonum compositionibus. Ac ne mihi quidem hoc dicenti fidem adhibeto, nisi accepta eorum, quæ proponuntur, demonstratione è sacris petita Scripturis. Hæc est enim ratio conservandæ nostræ fidei, quæ ducitur non ex ingenioso acumine, sed ex demonstratione divinarum Scripturarum.* Huc pertinet confessio Andreæ Friccii Modrevii lib. 4. de Eccl. c. 7. scribentis, *ad Scripturas divinas omnia examinanda sunt, quæ in Ecclesia Dei rata esse debent atque firma.*

III. Tertia. Si omnes hæreses refutari debent & possunt ex Scriptura, perfecta erit & sufficiens ad salutis doctrinam. At prius verum. Ergo & posterius. Consequentia probatur, quia ubi omne mendacium evertitur, ibi necesse est, omnem constitui veritatem. Antecedens probatur Roman. 2, 18. *Nosti ejus voluntatem, & exploras, quæ discrepant, institutus ex Lege.* Illud explorare, est singula, quæ proponuntur, examinare, comparando ad ea quæ sunt in Lege. Tertullianus de Resurrectione carnis c. 3. *Auser hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis constitutiones suas sistant, & stare non poterunt. Communes enim sensûs simplicitas ipsa commendat, & compassio (seu consensus) sententiarum & familiaritas opinionum.* Origenes tract. 23. in Matth. *Cum Dominus ad interrogationem Sadducæorum esse resurrectionem audire nolentibus, demonstrasset legis exemplo, silentium Sadducæis imposuit Jesus; volens ostendere, quoniam amaram & nocivam mendacii vocem obmutescere fecit claritas veritatis. Sicut ergo Salvator verbo doctrinæ suæ silentium imposuit Sadducæis, & falsum dogma, quod apud illos veritas putabatur, convicit fiducialiter: sic facient & Christi imitatores exemplis Scripturarum, quibus oportet secundum sanam doctrinam omnem vocem obmutescere Pharaonis.* Auctor Operis imperfecti in Matthæum Hom. 44. *Tum cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, idest, cùm videritis hæresin impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis sanctis Ecclesiæ, in illo tempore, qui in Juda sunt, fugiant admontes, idest, qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas. Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest*

potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ divinæ. Mox infrà: *Nunc nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas.* Iterum: *Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in novissimis diebus esse futuram, ideo mandat, ut Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant nisi ad Scripturas.*

IV. Quarta. Si Scriptura est regula fidei, traditiones non scriptæ nec sunt necessariæ, nec ejusdem cum Scriptura auctoritatis. Prius verum: Ergo & posterius. Assumptio, Deo volente, infrà loco suo probabitur latè: & inde patet, quia Scriptura sancta jam olim appellata est canonica, & totum corpus, canon. De quo Thomas de Aquino in 1. Cor. 6. Lect. 1. *Doctrina Apostolorum & Prophetarum dicitur canonica, quia est quasi regula intellectus nostri.* Majorem illustrant Patres: Chrysostomus Hom. 12. in Epist. ad Philip. *canon neque additionem, neque detractionem recipit, alioqui desinit esse canon.* Cùm Eunomius traditionem Patrum appellaret canonem & gnomonem, & nihilominùs contenderet, opus habere, ut illi exactius aliquid addatur, contrà Basilius lib. 1. contra Eunom. *Gnomon*, inquit, *& canon, quatenus quidem nihil illi deest, ut sit gnomon & canon, nullam exactiorem additionem admittit. Nam cui aliquid deest, illi additio congruit; qui verò imperfecti sunt, nunquam rectè amussis & regulæ appellabuntur nominibus.*

V. Quinta. Omnia dogmata fidei ita doceri debent, ut quolibet tempore generetur in cordibus fidelium πληροφορία. Hæc enim commendatur multoties in Scriptura, 2. Timoth. 4, 17. Coloss. 2, 2. 1. Thessal. 1, 5. Heb. 10, 22. At traditiones non scriptæ ita doceri non possunt, ut quolibet tempore generetur in cordibus fidelium illa πληροφορία. Ergo nullæ traditiones non scriptæ sunt fidei dogmata. Assumptū inde patet. Primò. Illud caret controversia, dogmata, quæ incertum est, prodiisse à Spiritu Sancto, ea inepta esse ad generandam πληροφορίαν. At traditiones nō scriptas, incertum est, prodiisse à Spiritu Sācto. Probo inductione. Papistæ jactant traditiones apostolicas & ecclesiasticas. Hæ postremæ nascuntur singulis ætatibus, cùm jam pridem desierint viri θεόπνευστοι. Divinas & apostolicas, si quæ sint, natas esse oportet Christi & Apostolorum tempore. At hoc infallibiliter non constat, nisi ex Scriptura. Reliqua enim testimonia sunt merè humana, quibus, citra manifestam probationem, non credere, nulla est impietas. Papatus incertam originem in multis prodit ipse, aliis traditionem unam eandemque ad Apostolos, aliis ad Ecclesiam referentibus. Sic quidam cœlibatum sacerdotum apostolicum, alii Ecclesiæ institutum appellant. Aquam lustralem sale conspersam quidam Matthiæ Apostolo, alii Alexandro 1. Papæ tribuūt. Multi Sanctorum invocationem ab ipsis Apostolis arcessere vellent. Contrà alii fatentur, Apostolos eam noluisse docere, ne eam post

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortem suam ambire viderentur. Præterea Petrus à Soto in defensione confess. Cathol. contra Brentium cap. 56. scribit, multa contingere posse, unde meritò in dubium veniat, num sit aliqua traditio Apostolica.

VI. Secundò. Traditio non scripta potest falsitatem admittere. Testis experientia. Papias ex traditione docebat, Christum, mille annos post resurrectionem mortuorum, in his terris regnaturum esse humano & corporeo more, apud Eusebium lib. 3. hist. eccles. c. 36. At hæc traditio, quamvis Veteribus aliquibus, nominatim Tertulliano, Irenæo, Justino, Lactantio approbata, postea explosa est. Canonem Scripturæ aliter enumerant, tanquam ab Apostolis commendatum, Patres, Origenes, Athanasius, Hieronymus, Rufinus, alii; aliter Papistæ. Usum imaginum ex Apostolorum traditione non scripta petit Damascenus l. 4. de orthodox. fide cap. 17. Eusebius dicit, fluxisse ex imitatione Ethnicorum & privata singulorum devotione l. 7. hist. c. 14. Notum dissidium de paschate. Ecclesiæ Asiaticæ decimâ quartâ lunâ celebrant; Reliquæ Ecclesiæ alium observabant morem. Illæ provocabant ad traditionem à Philippo & Johanne acceptam. Istæ similiter ad traditiones apostolicas. Polycarpus cùm ea de re Romæ ageret cum Aniceto, Johannem & reliquos Apostolos laudabat auctores, Anicetus suos antecessores. Eus. l. 5. hist. c. 22. & 23. Hîc alterutrius partis traditio falsa fuerit oportet. Denique Irenæus docebat, Christum post annum quadragesimum, aut etiam quinquagesimum decessisse l. 2. c. 39. Hoc falsum. At ille laudat testes omnes Seniores, qui in Asia apud Johannem Apostolum convenerunt, quibus ille hoc tradiderit.

VII. Dicunt Papistæ, *in Ecclesiæ auctoritate se habere discernendi falsis à veris traditionibus remedium.* Hoc perinde est, ac si dicerent, traditionem esse viam dignoscendæ traditionis. Auctoritas enim Ecclesiæ est illis traditio non scripta. Quis verò à traditione ἀνθεντικῶς mihi probet traditiones? Traditionem dicunt petendam ab Ecclesia. Cogitet pius & cordatus lector, quomodo populus Christianus tutò ab Ecclesia petat traditiones? Cùm enim variæ sint Ecclesiæ, quæ dissimiles traditiones commendant, unde agnoscat veram Ecclesiam? Papistæ illi interdicunt Scripturæ lectione, sine qua quomodo cognoscat, quænam sit vera, quænam falsa Ecclesia? Si populum ad Patrum consensum remittas, ex quo de traditionis veritate statuat, quid hoc aliud est, quàm mera illusio? Quotusquisque enim potest tot Patrum Græcorum & Latinorum evolvere volumina? Quotusquisque genuina Patrum scripta à suppositiis discernere? Qui utrumque potest, quot anni ei sunt impendendi, ut evolvat omnia? An ullus ex omnibus occurrat, qui sibi falsum non aliquando passus fuerit persuaderi? Si omnes Scriptores consentiant, unde constabit, reliquos idem sensisse, quorum scripta non exstant? Denique annon occurrant, quæ magno multorum Patrum consensu habentur rata, & nihilominùs falsa sunt? Hæc igitur traditiones veras inveniendi via ut difficilis & tortuosa,

osa, ita non est omnino certa. Id jam suprà docui; lubens hîc repeto. Nos igitur exigimus ad amussim Scripturæ, quæ fallere non potest, cùm traditio multos deceperit, etiam quosdam Patres, Tertullianum, Irenæum, Lactantium, alios.

VIII. Bellarminus dicit, *nunquam publico Ecclesiæ judicio falsam traditionem susceptam esse pro vera.* Hoc vel de universali, vel particulari judicio dicit. De hoc falsum esse, Asiatica Concilia docent, quæ quartâ decimâ lunâ volebant celebrari pascha. De illo si intelligi velit, non jam exquiram, an sit fallax, quale erat Concilii Ariminensis & Nicæni secundi; sed ostendo, nec esse *universale*, nec *sufficiens* remedium. Non *universale*; Fatetur enim Jesuita, esse traditiones quasdam particulares; at illæ non pendent à judicio universalis Ecclesiæ. Sicut universales non pendent à judicio particulari. Nõ *sufficiens*; universalia enim judicia non sunt nisi in universalibus conciliis. At hæc valde rara. Ante Constantinum M. nullum fuit. Trecentis igitur annis poterat esse suspecta traditio, nec solidum exstabat fidei fundamentum in hac causa. Absurdum. Recurrendum igitur ad Scripturam.

IX. Sexta. Nullius rei non scriptæ memoria conservari potuit inviolata per multa secula ex sola traditione. At omnium dogmatum fidei memoria inviolata & conservata est & conservari debet per multa secula. Ergo nulla dogmata fidei sunt non scripta, seu ex sola traditione. Major nititur experientia, quâ compertum est, nihil ab ultima antiquitate certâ fide repetitum esse, quod non scriptis vel sacris, vel profanis sit mandatum, reliqua quasi per nebulam, divinantur. Adversarii ad Deum confugiunt, qui cùm conservarit Ecclesiam, & traditiones ab Adamo usque ad Mosen, itemque à Mose usque ad nos, etiam traditiones conservare possit deinceps. At illi distinguant inter res actu existentes, & rerum extra hominis mentem non existentium memoriam. Res actu existentes, qualis est Ecclesia, cœlum & terra, sine scripto conservari, quis neget? Nec tamen per solam traditionem conservantur. Dogmata fidei non existunt actu & per se, sed tantùm in mente hominum. Ab illarum igitur conservatione, ad horum memoriam conservandam non valet consequentia. Porrò traditiones ab Adamo usque ad Mosen non solâ traditione, sed inspiratione divinâ & traditione sunt conservata. Restituant ergo nobis Papistæ inspirationem, sive revelationem in iis, à quibus Scripturas removent. Traditionibus enim nunquam solis credita est rerum divinarum memoria. Theophylactus Com. in Matth. *Si quidem, qui ante legem vixerunt, viri divini absque literis & libris docebantur, sed munda præditi mente Sancti Spiritus illuminatione illustrabantur, atque in hunc modum, Deo ipsis ore ad os loquente, ejus voluntatem cognoscebant. Hujusmodi erant Noe, Abraham, Job, Moses. At postquàm deteriores facti sunt homines, atque indigni, qui illuminarentur & docerentur à Spiritu Sancto, dedit misericors Deus Scripturas, ut saltem per eas divinæ voluntatis admonerentur. Sic etiam Christus, Apostolis quidem in propriâ persona constitutis collocutus est, misitque Spiritus gratiam magistram*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gistram. *Verùm quoniam hæreses pullulaturæ erant, & mores nostri corrumpendi, placuit ei, ut scriberentur Evangelia.* Inde Anton. Possevinus lib. 2. Biblioth. c. 31. Scripturæ necessitatem istud commendare scribit, quòd nullâ ratione poterat aptiùs & integriùs humanis erroribus consuli. Et Severinus Lobomilius Roxolanus, in Monotessaro Evangelico Cracoviæ edito, (referente D. Riveto in Isagoge c. 4.) scribit, *Deus voluit cœlestem doctrinam scripto commendari, propter fidei firmitatem, ut scilicet melius Scripturæ fides adhiberetur, quàm traditioni, si quidem magis creditur, aliquid præsens esse prædictum ac proinde esse à Deo, si liber id prædicans etiam ab hostibus proferatur, quàm si verbo tantùm ac vivâ traditione dicatur fuisse prædictum.*

X. Restat, ut addamus Antiquitatis tum Græcæ, tum Latinæ, testimonia de Scripturæ perfectione contra non scriptas traditiones. E Græca, Athanasius in Orat. contra Gentes: *Sufficiunt sanctæ divinitusque inspiratæ Scripturæ ad veritatis annunciationem.* Lib. de Incarnatione Christi contra Apollinarium; *Si discipuli estis Evangeliorum, ne loquamini contra Deum iniquitatem, sed per Scripturas incedite: Quod si diversa à Scriptura fabulari vultis, cur nobiscum concertatis, qui neque loqui neque audire sustinemus, quod extraneum sit ab istis?* Cyrillus Alexandrinus lib. 7. contra Julianum; *Sufficit divina Scriptura ad faciendum eos, qui in illa educati sunt, sapientes & probatissimos & sufficientissimam habentes intelligentiam, indigemusque ad hoc prorsus nihil externis magistris.* Chrysostomus Hom. 4. in 2. Thessal. 2. *Omnia clara sunt & plana ex Scripturis divinis, quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt.* Homil. 9. in Coloss. 2. cap. v. 3. *Ne moreris alium doctorem, habes oracula Dei. Nemo te docebit.* Basilius serm. de fide; *Si fidelis est Dominus in omnibus verbis ipsius & fidelia sunt omnia mandata illius confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate, manifestus est fidei lapsus, & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum, quæ Scriptura habet, vel inducere quicquam, quod scriptum non est, cùm Dominus noster Jesus Christus dicat, Oves meæ vocem meam audiunt, & præmiserit;* Alienum autem non sequũtur, sed fugiunt ab illo, quoniam non norunt vocem alienorum. *Et Apostolus per humanum exemplum vehementer prohibeat aliquid in divinis Scripturis vel addere vel demere.* Theophilus Alexandrinus in 2. paschal. *Diabolici Spiritus est extra Scripturarum sacrarum auctoritatem divinum aliquid putare.* Gregorius Nyssenus lib. de Anim. & Resurrect. *Nos hujus licentiæ expertes sumus dicendi quæ volumus, quippe qui regula prorsus divinæ doctrinæ & pro lege utimur sancta Scriptura, atque ad hanc necessario respicimus, hoc solum recipimus & approbamus, quodcunque cum Scripturæ convenerit & concordaverit intentione.* Infrà: *Ecquis contradixerit, quin in eo solo, cui Scripturarum testimonia adest sigillum, veritas ponenda sit?*

XI. E Latina; Tertullianus lib. contra Hermogenem; *Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi factorem manifestat, & facta.* Cyprianus epist. 74. *Unde est ista traditio? Utrumne de Dominica & Evangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum*

lorum mandatis atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur; & ponit ad Jesum-Nave dicens, non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut observes facere omnia quæ scripta sunt in eo. Ibidem objectionem à traditione petitam repellit hoc argumento, quòd omnis traditio in Ecclesia servanda, è Scriptura constare debeat. Hieronymus in c. 23. Matth. *Hoc quia de Scripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Comm. in Haggæi cap. 2. *Sed & alia, quæ absque auctoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione apostolicâ fronte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei.* Commentarius Hieronymo inscriptus in Psal. 86. Prophetæ verba, *Dominus narrabit in Scripturâ populorum & principum: horum, qui fuerunt in ea,* sic declarat, *Et principum,* hoc est, *Apostolorum & Evangelistarum, horum qui fuerunt in ea. Videte quid dicat. Qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis Apostolis, quodcunque aliud postea dicetur, abscindatur, non habeat postea auctoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos; quamvis disertus sit, non habet auctoritatem, quoniam Dominus narrat in Scripturâ populorum, & principum, qui fuerunt in ea.* Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. c. 9. *In iis, quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, spem sc. atq; charitatem.* Et lib. de unitate Eccles. cap. 3. *Auferantur illa de medio, quæ adversùs nos invicem non ex divinis canonicis libris, sed aliunde recitamus.* Cap. 5. *Hoc etiam prædico atque propono, ut quæque aperta & manifesta deligamus. Quæ si in sanctis Scripturis non invenirẽtur, nullo modo esset, unde aperirentur clausa & illustrarentur obscura.*

XII. Addo coronidis loco Imperatoris Cõstantini Magni vocem ab universa Antiquitate approbatam, in Nicæno Cõcilio, dicentis, *Evangelici & Apostolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula planè instruunt nos sensu numinis; proinde hostili positâ discordiâ, sumamus ex dictis divini Spiritus explicationes quæstionum.* Apud Theodoretum lib. 1 Hist. c. 7. Vel hæc una vox Christiani & magni Imperatoris dare in ruborem debebat impudentissimos Sophistas, Scripturæ perfectionem in dubium eo consilio vocantes, ut hominum figmenta possint obtrudere sub specioso Apostolicarum traditionum titulo. De hac materia eruditè disputantes præ aliis vide Zachariam Ursinum in tract. theol. quæst. 4. de Scriptura. Mart. Chemnicium part. 1. Exam. Concil. Trident. Ant. Sadeelem de verbo Dei scripto. Witakerum quæst. 6. de Scriptura. Fr. Junium & Lamb. Danæum in Animadvers. in primam controversiam Bellarmini. Andream Rivetum in catholico Orthodoxo tract. 1. quæst. 9. Polanum lib. 1. Syntag. theol. cap. 46. & 47. Inprimis verò Dan. Chamierum Panstrat. theol. tom. 1. lib. 7. & 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONTROVERSIA TERTIA De ECCLESIA.

SECTIO I.

Materia futuræ disputationis à Becano proposita expenditur.

BEcanus dicit, tria disputari solere inter nos & Papistas. Primò, *An Ecclesia Christi, quæ in terris est, sit visibilis & conspicua?* Secundò, *An sit infallibilis, ita ut in fide errare non possit?* Tertiò, *Quænam sit vera Christi Ecclesia, quæ in fide errare non potest? An catholica Romana, quod Papistæ asserant; an Lutherana aut Calvinistica, q. nos contendamus?* Alia multa de Ecclesia inter nos & Papistas controverti, testis est Bellarminus, qui prolixè tractat de Ecclesiæ definitione, de membris, de notis. Ista omnia Becanus sicco pede prætervehitur. Num quòd minoris essent momenti? An quòd fucum, quo sua vaferrimè picta sub aspectum solet producere, non admitterent tam facilè? An quòd, his confectis, de illis liceret sibi esse securo? Nolumus conjectare. Lector non omnino stupidus consilium assequitur haud difficulter. Becanus in id omnes ingenii vires confert, nõ ut quàm fieri potest solidissimè disputet, sed ut disputet speciosè, quâ arte incautis obrepere posse dubiæ causæ defensores, novit optimè expertus ipse multoties. De hoc semel monendus est lector pius, ut meminerit, non hærendum illi esse in superficie, sed ipsa rerum momenta ponderanda, qui falli nolit.

II. Trium propositarum quæstionum decisionem petendam esse, dicit, ex his conclusionibus. 1. *Ecclesia Christi est visibilis & conspicua.* 2. *Hæc visibilis Ecclesia una, sancta, catholica, apostolica, sponsa Christi, domus Dei, columna & firmamentum veritatis.* 3. *Extra hanc visibilem Ecclesiam nemo potest salvari.* 4. *Hæc visibilis Ecclesia non potest deficere, vel errare in fide.* 5. *Ecclesia Romana seu pontificia, toto orbe dispersa, est visibilis Ecclesia Christi, de qua hactenus dictum.* 6. *Ecclesia Lutherana, aut Calvinistica non est vera Christi Ecclesia, de qua dictum est.* Hæc structura mirè Becano placuit. Eam enim non semel exposuit omnium oculis, sed sæpius: Nempe in peculiari tractatu de Ecclesia, in Opusculis, in Scholastica Theologia, in Mãuali, in Manualis compendio. Verùm ad fallendum lectorem tota est composita: Primùm enim non satis strictè formatur status controversiæ. Deinde intruduntur conclusiones duæ alienæ, secunda & tertia. Tertiò distincta confunduntur. Duæ sunt quæstiones diversæ de defectione & infallibilitate, & à Bellarmino distinctè tractatæ. Sophista in unam compingit. Nos singulas quæstiones, imò & conclusiones, ne habeant socii de quo conquerantur, excutiemus breviter.

SECT. II.

De Ecclesiæ visibilitate.

I. VIsibilem esse Ecclesiam Christi, affirmat conclusione primâ, & multis argumentis probat Jesuita. Jam disputaret quantum posset, si nos negaremus Ecclesiam Christi visibilem. Atqui nos nunquam simpliciter negavimus. Ipse fatetur, præcipuos nostros affirmare, præsertim Calvinum & Melanchthonem. Eandem esse omnium sententiam, Bellarminus agnoscit lib. 3. de Eccl. c. 11. Perit igitur ei omnis labor, quem visibilitati Ecclesiæ probandæ impendit. Si dixisset cum Wilhelmo Bailio, Ecclesiam esse invisibilem ex opinione nostrorum, poterat disputare speciosiùs. Sed vidit, illum non rectè interpretatum esse mentem nostram: Num ideo abstinuit? Dubium. Nam ipse in tractatu de Ecclesia nobis affingit duas Ecclesias, unam visibilem, alteram invisibilem. Insignis calumnia, quam hîc ingerere non est ausus, aut potiùs instituto non servire existimavit. Refutanda enim fuissent argumenta, quibus invisibilitas Ecclesiæ probatur, quod opus futurum erat majoris molis. Nobis Ecclesia visibilis non est propriè alia Ecclesia ab invisibili, sed alio tantùm modo consideratur. Bellarminus scribit, nobis Ecclesiam *nomine* esse visibilem, *re*, invisibilem. Iterum calumnia non levis. Nemo nostratium unquam dixit. Tam variè torquent nostram sententiam, quam nos excogitasse, fingunt, quòd non possimus nostram Ecclesiam continuâ Episcoporum successione demonstrare. Quæ iterum gravis est calumnia. Quo enim sensu hodie Ecclesiam invisibilem esse dicimus, eodem sensu invisibilem fuisse dicimus Apostolorum tempore, itemque postea cùm orthodoxi Episcopi sedem Episcopalem tenerent, qui nostram doctrinam tuebantur. Etsi continuam Episcoporum successionem monstrare non possimus, non tamen ideo invisibilem Ecclesiam esse, contendimus. quod vel hinc poterant agnoscere, quia nostram Ecclesiam semper aliquo modo visibilem fuisse, dicimus. Ante omnia igitur rectè explicanda est nostra sententia, deinde breviter probanda, denique consideranda Becani argumenta.

II. Ut sententiam nostram perspicuè proponamus, ante omnia excutienda est vocis ambiguitas. In hanc enim postquàm semel se abdiderunt Papistæ, deinceps variè nobiscum ludunt. Non autem huc afferam, quòd profanum quemcunque cœtum, puta seditiosorum, Actor. 19, 34. vox Ecclesiæ significat. Profanæ enim congregationis hîc nobis nulla cura. Papistæ novum significatum sunt commenti, Ecclesiæ nomine Romanum Papam interdum denotantes. Nec illi concedam hîc locum. Nimis enim absurdus est, & Antiquitati universæ incognitus. Habent ab Innocentio tertio. Is in Epist. ad Archiepiscopos & Episcopos Franciæ in Philippi Galliæ & Johannis Angliæ Re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gum causa scribens, illud dictum Christi *dic Ecclesiæ*, ad se transfert c. *Novit.* Extravag. de judiciis. Unde Bellarminus lib. 2. cap. 19. *Pontifex*, inquit, *debet postremò dicere Ecclesiæ, id est, sibi ipsi.* Sunt aliæ significationes, quæ propiùs rem tangunt. A vocatione Ecclesiam dici, in vulgus est notissimum. Jam vocationis duplex modus; unus *specialis*, qui dicitur secundùm propositum; alter *communis*. Ab *illo* dicuntur vocati secundùm propositum, Roman. 8, 28. Ab *isto*, communiter vocati. Vocati secundùm propositum sunt iidem, qui prædestinati, seu electi ad salutem. Communiter vocati non omnes electi. Ratio, quia multi vocati, pauci electi, Matth. 20, 16. Hinc vox Ecclesiæ capitur exquisitè & minùs exquisitè. *Exquisitè* significat multitudinem vocatorum secundùm propositum, seu verè fidelium: dicitur vulgò Ecclesia prædestinatorum & sanctorum. *Minùs exquisitè* significat multitudinem externè vocatorum, seu veram fidem profitentium. Notat autem vel catholicam, vel particularem in utroque significatu. Catholica exquisitè dicta est cœtus verè fidelium, seu Electorum, qui ab origine mundi usque ad consummationem à Deo vocati sunt, atque vocantur per verbum & sacramenta ad communionem gratiæ & gloriæ, justificantur & glorificantur. Sic Ephes. 1, 23. Catholica minùs exquisitè dicta est cœtus vocatorum omnium, cui admixti sunt non sancti. Hæc comparatur areæ, quam Christus purgabit suo ventilabro, Math. 3, 12.

III. Pars Ecclesiæ Catholicæ triumphat, pars militat. Triumphat in cœlo in sanctis videntibus Deum de facie ad faciem. In terra militat in verè fidelibus, sub Christo, adversùs Satanam, peccatum, mundum, 1. Timoth. 3, 15. Jam quæ uno tempore per universum orbem, sub Christi vexillo, militat, verè quidem particularis est, si cum absolutè catholica comparetur. Hæc enim non tantùm omnia loca, sed etiam tempora complectitur; dicitur tamen sæpè catholica nomine totius ad partem translato, adeò ut Ecclesia catholica aliquando dicatur congregatio omnium sanctorum, aliâs congregatio omnium particularium Ecclesiarum fidem Christi uno tempore profitentium. Prior significatus est Scripturæ usitatissimus. Alter est frequens apud Patres. Atque sic universitati Christum in mundo profitentium, opponuntur Ecclesiæ particulares, quales, tempore Apostolorum, erant Romana, Corinthiaca, Ephesina, Colossensis. Ubi Scriptura interdum pastores & gregem; aliâs solos pastores, seu rectores, aliâs solum gregem Ecclesiæ voce significat. Pastores & gregem, cùm ait, *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis*, Apocal. 3, 6. Pastores & rectores, cùm Christus ait, *Die Ecclesiæ*, Matth. 18, 17. Solum gregem, cùm Paulus dicit; *Attendite igitur vos ipsos, & totum gregem, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio illo sanguine acquisivit*, Act. 20, 28.

IV. Porrò. In Ecclesia vocatorum militante duplex est societas, quæ respondet duplici vocationis modo. Una est interior, altera exterior. *Illa* consistit in fide & charitate, quâ verè fideles Christo capiti & sibi invicem sunt conjuncti: Dependet ea à vocatione secundùm propositum. *Ista* consistit in ordine, professione fidei & usu sacramentorum, ac respondet vocationi communi. Sed nec omittendum, quid hoc loco sit visibilitas: Inde patebit, quid per invisibilitatem ei oppositam intelligi debeat. Bellarminus lib. 3. de Eccles. militan. cap. 15. scribit, Ecclesiæ sanctitatem sine dubio esse invisibilem. Cœtum hominum nos videre, quòd autem ille cœtus sit vera Ecclesia, nos non videre, sed credere. Visibilitas igitur illi est evidens, seu sensibilis notitia. Visibile autem aliquid dicitur vel in se, seu potentiâ, seu actu primo, vel respectivè, seu actu secundo. *Illo* modo visibile dicitur, quod est suâpte naturâ objectum visus: *Isto* modo, quod ab aliquo videtur. Explico simili: Sylva semper suâ naturâ est visibilis. At nebulâ eam oculis nostris subducente, aliquando à nobis videri nõ potest. Tum inconspicua fit non per se, sed ex accidenti.

V. His præsuppositis, nostra sententia sic habet. Primò. Ecclesiam catholicam exquisitè dictam, id est, omnium electorum ac verè fidelium multitudinem olim fore tum ipsis electis, tum inimicis conspicuam, non dubium, cùm ante tribunal Christi, in extremo judicio consistet, deinceps in æternum triumphatura. Non igitur simpliciter & omni modo in se invisibilis. In hoc est consensus. Secundò. Ecclesia catholica, quâ parte in terris militat, (alii limitatè catholicam nominant:) quatenus pro congregatione omnium particularium Ecclesiarum capitur, ratione partium, seu in suis partibus & quidem non tantùm divisim in membris singularibus, sed etiam conjunctim in cœtibus, seu congregationibus est visibilis, particulares enim Ecclesiæ, quibus constat, in sensus incurrunt: At secundùm se tota simul nunc non videtur, quia non est uno loco congregata, sed ut unum aggregatum in mente concipitur. Simili rem declaro. Habet Magnarius decem greges ovium, qui singuli videntur separati, at non videtur unus grex ex his factus, nisi omnes illi in unum aggregentur, quod quàm primùm fit, jam videtur quidem unus grex, at non videntur ampliùs decem greges. Sic habet ratio Ecclesiarum particularium & universalis. Non putarim, hîc multum refragaturos esse adversarios.

VI. Si tamen visibilitatem de notitia accipias, non repugnamus, quin dicas, Ecclesiam in his terris militantem, cui nos adjungere debemus, esse aliquo modo visibilem. Imò nostrates palàm affirmant. Dicitur autem visibilis ratione tum *externorum mediorum*, quibus colligitur, quæ sunt verbum & sacramenta, tum *externæ societatis*, quæ communi verbi & sacramentorum usu ac fidei professione constat, tum *hominum* in ea versantium. Quamvis aliter videtur ab iis, qui intus sunt, aliter ab iis, qui foris versantur. Qui *intus* versantur, adeoque Ecclesiæ membra sunt, non tantùm externa media, & homines vident, sed etiam agnoscunt, credunt que, illum cœtum esse veram Ecclesiam. Qui *foris* sunt Judæi, Turcæ, hæretici, videre possunt externã hominum societatem, at non vident & credunt, esse veram Ecclesiã. Sicut increduli Judæi videbant

debant Jesum Nazarenum; at non videbant & credebant, eum esse Christum. Testis Paulus, quòd eum non agnoverint; alioqui Dominum gloriæ non crucifixissent, 1. Corinth. 2, 8. Atque hoc facilè dant adversarii. Quartò. Ecclesia militans ne quidem externæ societatis respectu semper est eorum omnium oculis conspicua, qui foris sunt: Imò ea possunt incidere tempora, ut ne quidem omnibus piis ac veræ Ecclesiæ membris usquam in toto mundo palàm appareat integer & illustris cœtus, in quo vigeat publicè pura verbi prædicatio, incorrupta sacramentorum administratio & universus Dei cultus omnino purus. Hîc omnibus viribus repugnant Papistæ. Sed ea lis cernetur, Deo volente, infrà, ubi de defectione Becanus disputat. Quintò. Ecclesia absolutè exquisitè dicta catholica, magnâ sui parte in hoc seculo est prorsus invisibilis: Ejus enim pars magna triumphat in cœlo, oculis mortalium minimè conspicua. Testatur res ipsa, & fatentur adversarii. Ergo & hac parte pax est. Sextò. Ecclesia, quatenus in terris agit, seu militans respectu formæ & societatis seu communionis interioris est invisibilis. Non alia Ecclesia est visibilis, alia invisibilis; Sed quæ externæ societatis respectu est visibilis, eadem est invisibilis, eo quo dixi modo. Hanc veritatem probamus, & quidem brevissimè, quia, si absit contendendi libido, nulla ferè, ut Amesius rectè judicat, de visibilitate per se restat controversia.

VII. Primò. Ecclesia catholica est domus spiritualis, 1. Pet. 2, 5. non quòd sancti, qui sunt Ecclesia, non habeant corpora, sed quòd in unam societatem & quasi structuram mysticam virtute Spiritus Sancti coalescant, ut sint πνεῦμα πνευματικὸν & offerant πνευματικὰς θυσίας. Tales fiunt homines per regenerationem, quæ cùm nullius oculis sit exposita, 1. Corinth. 2, 11. nemo verè spirituales ab aliis infallibiliter potest discernere. Ergo non ita visibilis Ecclesia catholica exquisitè dicta, ut Respub. Veneta, quæ certè nullo modo est spiritualis, nec secundùm substantiam, nec quòd ordinata sit ad Spiritum, quo sensu Ecclesia spiritualis domus dicitur Bellarmino. Augustinus Epist. 27. *Talis congregatio (filiorum Dei in unum spiritum & unum corpus) ædificatio est templi Dei. Talem congregationem non generatio carnalis, sed regeneratio spiritualis facit.* Secundò. Cujus membra, in quantum vera, non videntur, & discernuntur oculo carnis, seu sensuum judicio, illud ipsum ratione aliquâ est invisibile; At Ecclesiæ catholicæ membra, in quantum vera, non videntur. Ergo. Minor probatur. Fideles & renati, quâ tales, videri non possunt; Ecclesiæ catholicæ membra vera sunt fideles & renati. Ergo Ecclesiæ catholicæ membra vera, in quantum vera, videri non possunt. Major firma, quia fides & regeneratio est invisibilis. Huc pertinet, quòd Ecclesia catholica dicitur propriè congregatio verè sanctorum. Nam vera Ecclesiæ membra sunt etiam filii Dei, qui sic describuntur, quòd sint ex Deo nati, Johan. 1, 12. Dei hæredes & cohæredes Christi, Roman. 8, 17. quòd ducantur Spiritu Dei, v. 14. quòd imitentur opera Patris sui cœlestis, Mat. 5, 45. Inde Hugo de S. Victore l. 2. de Sacr. c. 1. *Qui non*

non habet Spiritum Christi, non est membrum Christi, in corpore uno Spiritus unus. Nihil in corpore mortuum: Nihil extra corpus vivum. Tales non sunt hypocritæ. Non ducuntur Spiritu Christi. Unde Hieronymus in c. 26. Jobi, *Ipsa Ecclesia est sanctorum omnium congregatio.* Augustinus libr. 5. de Baptis. contra Donat. c. 27. *Numerus ille justorum, qui secundùm propositum vocati sunt, de quibus dictum est,* Novit Dominus, qui sunt ejus: *Ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, Paradisus cum fructu pomorum.* Lib. 2. contra literas Petil. c. 108. *Ipsi (hæretici, fornicatores, luxuriosi, ebriosi, invidi &c.) non sunt in illa Ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi, per connexum & contactum crescit in incrementum Dei. Illa quippe Ecclesia in Petra est, sicut Dominus dicit,* super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. *Illi autem in arena ædificant.* Atqui sensu non discernuntur verè sancti ab hypocritis.

VIII. Tertiò. Est corpus Christi mysticum, Christus caput, quod in hac vita non videmus, 1. Petr. 1, 8. Unio capitis & membrorum mysterium est, Ephes. 5, 32. Nisi videas, quinam sic uniti sint Christo, non potes affirmare, Ecclesiam exquisitè dictam, quà talis est, esse visibilem, sicut respubl. Veneta. Invisibilem esse aliquo modo, non potes negare. Quartò. Est sponsa Christi, 2. Corinth. 11, 2. Ephes. 5, 25. 26. 27. in spiritu illi adhærens, sincerè ipsum diligens, vicissim illi dilecta, sanctificata, mundata ac gloriosa reddita. At quinam ex hominibus tales sint, oculus non cognoscit. Cœtus igitur illorum, ratione interioris societatis, est nobis invisibilis. Quintò. Est ovile, in quo sunt oves Christi, audientes vocem Pastoris sui & eum sequentes, Johan. 10, 27. id est, audientes verbum Dei & custodientes illud in corde bono ac fructum proferentes in patientia, Luc. 8, 15. ædificantes in petra Matth. 7. Augustinus tract. 45. in Johan. At tales oculus corporis hîc non discernit. Sextò. Militia & lucta Ecclesiæ, à qua militans dicitur, est spiritualis & invisibilis, Ephes. 5, 12. & seqq. At qualis militia, talis qui militat. Septimò. Omnis splendor & ornatus Ecclesiæ est interior, Psal. 45, 14. Nempe in virtutibus & donis Spiritus, consistens. Inde, qui in occulto, Judæus est, Rom. 2. 29. Ergo invisibilis ornatus. Ergo illius respectu invisibilis Ecclesia, non qualis Resp. Veneta, aut regnũ Galliæ, cujus ornatus est externus. Alioqui Ecclesia esset, quales sunt Reginæ hujus mundi. At talis non est. Augustinus l. 5. de Baptis: contra Donat. c. 27. *Omnis pulchritudo filiæ Regis intrinsecus, in quibus est numerus certus sanctorum prædestinatus ante mundi constitutionem.*

IX. Octavò. Sic aliqui è nostris concludunt. Credimus Ecclesiam catholicam. Non igitur videmus. Fides enim est ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων. Bellarminus excipit, *non ponitur tantùm in Symbolo*, credo Ecclesiam, *sed* credo sanctam Ecclesiam, *sanctitatem autem Ecclesiæ sine dubio esse invisibilem.* At non dicimus, *credo sanctitatem Ecclesiæ*, sed *credo Ecclesiam sanctam* &c. Cadit ergo verbum *credo* tam super Ecclesiam, quàm qualitatem, & quidem priùs super illam, quàm super istam. Aliter qui sentit, magnam articuli partem tollit. Conscientia dictasse videtur Bellarmi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

larmino & Becano. Ille enim huic exceptioni non admodum fidit; iste prorsus omittit. Ille porrò excipit, in Ecclesia aliquid videri & aliquid credi. *Videmus*, inquit, *eum cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quòd ille cœtus sit vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus.* Rectè, idque prorsus ex nostra sententia. Id enim nos volumus, quamvis aliquando fieri possit, ut ne quidem cœtus ullus hominum illustris mundo pateat, qui Deum rectè puréque colat, de quo suo loco. Becanus distinctionem accipit à Bellarmino, sed aliter applicat: Num fortè videbat, Cardinalem idem dixisse excipiendo, quod nos contendimus argumentando? Ipse igitur sic; *Credimus, veram esse doctrinam, quæ in Ecclesia traditur. Videmus homines, externos ritus & sacramenta, quæ in Ecclesia sunt.* Concluſ. 1. num. 7. Verum: Sed non ad rem. Primùm enim non quæritur, *sitne aliquid in Ecclesia, quod credamus & quod videamus?* Sed *num hodie videamus catholicam Ecclesiam exquisitè dictam?* Affirmant Papistæ; nostri negant, quia eam credimus. Hîc Sophista disertè dicat, Num videamus, homines esse Ecclesiam catholicam? Bellarminus negat, quia credim°. Gregorius de Valentia negat lib. 6. Analyſ. cap. 4. *Non*, inquiens, *arbitramur, palam adspici, aut evidenter cognosci posse, quòd ulla congregatio sit revera cœtus rectè colentium Deum, & Sancto Spiritu gubernet*ur &c. *Imò verò hæc in illa ipsa congrega*tione *hominum ineſſe, quæ vera est Ecclesia, non nisi obscurâ fide credimus, quomodo cæteros fidei articulos.* Invisibilis ergo in se est Ecclesia vera catholica exquisitè dicta.

X. Secundò. In Symbolo non dicimus, Credo doctrinam, quæ in Ecclesia traditur, veram esse, sed, Credo Ecclesiã. Alienum igitur, quod affert de doctrina. Majorem nostri argumenti sic limitat. *Quod fide credimus, nõ est visibile, ex ea parte, quâ sub fidem cadit, tametsi possit esse visibile ex aliqua parte, quâ sub fidem non cadit.* l. l. Non sic elabitur. Quin enim Ecclesia ratione materiæ & formæ externæ sit visibilis, nos non inficiamur. At quatenus est catholica Ecclesia, sub fidem cadit. De absolutè Catholica enim, id est, non solùm militante, sed etiam triumphante sonat articulus Symboli. Id inter alios plures docet atque urget Franciscus Sonnius lib. 2. Demonstr. Relig. Christian. Tract. 8. c. 2. dum Ecclesiæ proprietates in Symbolis fidei propositas explicans scribit; *Ecclesia una dicitur eâ ratione, quia eadem est & indivisa à se. Quæ enim incepit Ecclesia in Abel, eadem in hac usque tempora manet, manebitque in æternum: nunquam desiit, nunquam transiit in aliam Ecclesiam, deserens suam, licet cæteræ Ecclesiæ à Deo alienæ sæpius transierint in ipsam, Gentibus (quæ faciebant Ecclesiam Satanæ) transeuntibus ad Christum. Siquidem credentium universitas, quæ fuit ante Legem, aut sub Lege, tam erat Ecclesia Dei, quàm ea quæ nunc militat sub Evangelio Christi, vel gloriosa triumphat cum eo in cœlis. Est q; illa prorsus una eademque cum illa, sicut ista una est ac eadem cum ea, quæ regnat in cœlis.* Augustinus in Enchir. ad Laurent. c. 56 longius progreditur. Non n. tantùm sanctorum hominum, sed & Angelorum multitudinem intelligit. Verba sunt; *Quæ totâ hîc accipienda est, non solùm ex parte*

parte, quâ peregrinatur in terris, à solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini & post vetustatis captivitatem cantans canticum novum; Verùm etiam ex illa, quæ in cœlis semper, ex quo condita est, cohæsit Deo, nec ullum sui casus malum experta est. Hæc in sanctis Angelis consistit & suæ parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur: quia utraque una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo charitatis, qua tota instituta est ad colendum unum Deum. Etsi verò ad militantem Ecclesiam restringas, obtinemus tamen causam. Nam & illa, quatenus est catholica, sub fidem cadit. Non igitur videtur, quâ catholica est, juxta illud Hugonis de S. Victore libr. 1. de Sacr. par. 3. c. 1. *Si vides, non est fides.*

XI. Becanus exemplis probare conatur suam limitationem. *Apostoli in Christo videbant humanitatem, credebant Deitatẽ. In baptismo videmus externam aquam & ablutionem, credimus internam vim regenerandi & abluendi. In codice Biblico videmus chartam, codicem ipsum, credimus, quod in eo continetur, esse verbum Dei.* l. l. num. 7. Cui bono ista Becanus? Num nos negamus, Ecclesiam quâdam parte & ratione esse visibilem? Imò affirmamus, ipso in medium proponente Jesuitâ. Nobis igitur ea occentat fruſtrà. Sicut & Apostoli & promiscuè alii Jesum esse hominem videbant, sic homines, qui sunt Ecclesiæ membra, videmus oculo carnis: at sicut Jesum esse filium Dei & Christum, non monstrabat oculus, sed capiebat fides; sic homines vident oculi; quinam homines sint vera Ecclesia Christi, non renunciant oculi. Similiter applicantur exempla reliqua.

XII. Becanus sex argumenta proponit è tractatu suo de Ecclesia repetita, aut potiùs ex Bellarmino, iisque acerrimè contra nos contendit, veram Christi Ecclesiam esse visibilem. Non est, cur miremur. Primò non vult sententiam nostram rectè intelligere. Dico, non velle. Poterat enim, si voluisset, quia passim satis est exposita. Deinde ille longè aliud, quàm nos per Ecclesiam Christi intelligit. Nos intelligimus universitatem electorum, seu vocatorum, secundùm propositum, cùm invisibilem esse dicimus. Ille nihil minus intelligit. Nam intelligit Ecclesiam Romanã, seu Papisticam, eã cum Bellarmino definiens, cœtum hominum ejusdem fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris vicarii, Romani Pontificis. Hunc cœtum esse visibilem, nos nunquam negavimus. Invisibilem esse, nunquam affirmavimus. Ideo hâc parte fruſtrà pugnat. At ea non est justa Ecclesiæ catholicæ definitio; Poteramus igitur omittere argumenta, quia nos non feriunt. Videamus tamen, ne videamur fugere; Primum. *Illa Ecclesia necessariò visibilis est, in qua episcopi & pastores visibiliter debent gubernare suos subditos, visibiliter docere, hortari, sacramenta administrare, peccantes corrigere, contumaces ab aliorum communione separare. Et vicissim ubi subditi debent agnoscere suos pastores, eorum monitis obtemperare, institutionem & sacramenta ab eis percipere. At hæc omnia fiunt in vera Christi Ecclesia. Ergo vera Christi Ecclesia necessariò visibilis est. Minor probatur ex*

Matth.18,17.Actor.20,28.Hebr.15,17.11. num.2.

XIII. Jesuita variè peccat. Primò committit fallaciam ignorationis elenchi eo,quòd concludit,veram Ecclesiam Christi interris necessariò esse visibilem, cùm concludere deberet, nullo modo esse invisibilem.In hoc enim vertitur cardo controversiæ. Secundò necessaria visibilitas prædicatur vel de catholicâ Ecclesia Christi, omni modo & ratione omnium partium, vel secundùm aliquam partem & aliquo respectu. Posteriori sensu non concluditur controversa quæstio, sed quod utrinque est concessum. Nos enim concedimus, semper aliquam Ecclesiam certo respectu visibilem esse. Priori sensu falsa est major propositio. Ex actibus enim pastorum & auditorum externis rectè infero, Ecclesiam particularem esse visibilem, respectu externorum mediorum & societatis externæ,adeoque limitatè catholicam seu militantem esse visibilem, respectu particularium cœtuum; at non rectè infero,catholicam secundùm se totam esse visibilem. Neque ex illa societate externa infallibiliter cognosco, nedum oculis capio, quis ad catholicam exquisitè dictam pertineat. Nam nec doctores ideo sunt illius membra propriè dicta, quòd visibiliter gubernent, auditores doceant, sacramenta administrent; nec mox auditores, si suos agnoscant pastores,verbum audiant & sacramentis utantur, ut agnoscit Johannes de Turrecremata lib.4.de Eccles.par.2.c.20. apud Bellarminum lib.3. de Eccles.c.10.sed si ex spiritu regeniti in Christum credant,sperent,eumque diligant. Id quod an doctores faciant, non vident auditores; sicut nec doctores vident,an faciant auditores. Hactenus igitur invisibilis Ecclesia catholica exquisitè dicta.

XIV. Tertiò major quatenus sonat de eo, quod Pastores & auditores facere debent,non est exploratæ veritatis. Imò falsa est.Nam in Ecclesia Israëlitica,tempore Eliæ, pastores debebant vera docere,& rectè curare gregem,& vicissim auditores debebant instructionem à pastoribus percipere. At nec illi faciebant officium,nec hi poterant id obtinere. Non tamen Ecclesia vera, quæ quidem pura esset,in Israële tum erat omnibus conspicua.Quartò.Hoc totum, quod affert de officio pastorum & auditorum, pertinet ad Ecclesias particulares.In his enim ista exerceri debent & possunt.De illis agunt textus citati. Nam Matth.18.per Ecclesiam intelligitur presbyterium,seu senatus Ecclesiæ; Actor.20.cœtus auditorum Ephesinus. Conf. 1.Pet.5,2. At Heb.13,17. Præpositi sunt ministri Ecclesiarum Hebræarum: scripta enim epistola ad Hebræos. Ideo illæ necessariò sunt visibiles, quando ea,quæ Becanus memorat, in illis fiunt. At à particularis Ecclesiæ conditione ad Catholicam exquisitè dictam non valet consequentia. Quod tum Papistæ exemplo suo nos docent, tum aliunde discimus. Papistæ nos docent; Dicunt enim,particulares Ecclesias plerasque posse deficere,Catholicam posse deficere,negant,idque rectè.Aliúnde discimus; Nam in magna parte Catholicæ, de qua Symbolum agit,ista non exercentur, In triumphante enim non regunt Episcopi visibiliter subditos, non administrant sacramenta, non docent; nec instructionem & sacramenta accipiunt aliqui, sed omnes pendent immediatè ab uno pastore Christo. Ideo Papistæ ad militantem restringunt. At Symbolum non agit de sola militante Ecclesia. Quinetiam interdum in militante cessat incorruptum regimen pastorum & instructio auditorum legitima & omnibus modis pura, non tamen cessat Ecclesia militans catholica. Sic suo tempore Elia in Israële nec videbat pastores,nec auditores,puro publico cultui Dei addictos; erant tamen septem millia eorum, qui ad catholicam Ecclesiam militantem pertinebant.

XV. Quintò. Manifestè miscentur quatuor termini. Major agit de Ecclesia, in qua debent pastores & auditores visibiliter facere suum officium. Minor subsumit, hæc omnia fieri in vera Christi Ecclesia. Atqui ista non semper fiunt in Ecclesia. Imò aliquando in vera Ecclesia corrumpitur publicum ministerium, cessat legitima & pura publica institutio,hortatio, administratio sacramentorum,peccantium correctio,nec palàm omnibus apparent, qui à pastoribus petant institutionem.Et tamen ibi non cessat esse vera Ecclesia.Exemplo sit Israëlitica Ecclesia tempore Eliæ, quam sæpius in hac causa laudare cogor. In ea cessabant ista omnia, & tamen ibi erat Ecclesia septem millium; at magno Prophetæ minimè conspicua. Sextò. Fons erroris est suppositio falsæ definitionis. Ecclesia Papistis,ut paulò antè dixi,est congregatio hominum utentium sacramentis iisdem & fidem Christi profitentium, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris vicarii, Romani Pontificis. Hîc multa notare possem.Nolo.Duo tantùm noto: Unum est, quòd ista definitio Ecclesiam Christi nobis proponit, tanquam corpus sine anima,cùm sit corpus vivum, in quo est anima & corpus. Anima sunt interna Spiritus Sancti dona, fides, spes, charitas. Corpus sunt externa professio fidei, & sacramentorum communicatio. Definitio non nominat ullam internam virtutem,quâ præditum esse oporteat,qui Ecclesiæ membrum esse velit. Alterum est, quòd excludit eos,qui sunt de anima Ecclesiæ; contrà includit, qui non sunt in Ecclesia,nisi ut ungues & pravi humores in humano corpore. Aliqui sunt de anima & corpore Ecclesiæ, nempe qui sunt Christo uniti exteriùs & interiùs. Aliqui sunt de anima,non de corpore, nempe Catechumeni & excommunicati, si fidem & charitatem habent, quod fieri potest. Hos excludit definitio. Aliqui sunt de corpore,non de anima, qui cùm nullam habeant internam virtutem, tamen spe aut timore aliquo impulsi profitentur fidem & sacramentis communicant sub regimine. Hunc unicum in Ecclesia existendi modum complectitur definitio papistica. Perinde igitur se habet, ac si hominem definias ex capillis, unguibus & pravis humoribus. Tales enim sunt isti in Ecclesiæ corpore, fatente Bellarmino. Aut si vinum definiturus afferas fæcum conditionem, & definiturus navem,tantùm nomines,quæ sentinæ & saburræ conveniunt. Denique si Ec-

Universidad de Deusto Biblioteca

clesia necessariò visibilis est, in qua pastores & auditores faciunt, quod memorat Jesuita, ergo ubi ista non fiunt, ibi aut Ecclesia vera esse non potest; aut si est, non necessariò actu visibilis est, seu à quovis videtur. Ibi veram Ecclesiam non esse posse, falsum. Aliud enim ostendit Ecclesia Israelitica tempore Eliæ. Nō tamen actu visibilis erat cuivis, seu non à quovis videbatur. Vera igitur non necessariò, semper actu visibilis est, seu videtur à quovis, ut Respublica Veneta.

XVI. Secundum. *Illa Ecclesia necessariò est visibilis, in qua publicè indicuntur & celebrantur concilia, sanciuntur canones, diriminuntur controversiæ de fide & religione. Hæc omnia fiunt in vera Christi Ecclesia. Nam Apostoli indixerunt concilium Hierosolymitanum, & postea celebrata sunt concilia generalia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense* num. 7. R. Primò. Iidem errores recurrunt. Secundò. Indictio & celebratio conciliorum, sanctio canonū, diremptio controversiarum fidei sunt actus pertinentes ad societatem externam & unam partem Ecclesiæ. Ideo Ecclesiam quâdam sui parte visibilem esse, id quod nos lubenter agnoscimus, ostendunt; at eandem non esse invisibilem, quoad societatem internam & aliam partem, id verò non ostendunt. Magnæ parti Ecclesiæ nec opus est canonibus, nec diremptione controversiarum. Nullæ enim sunt ibi controversiæ. Ideo nec indicuntur Concilia. Intelligo partem triumphantem, quæ non minùs symboli articulo comprehenditur, quàm militans. Præterea ne quidem Ecclesia catholica militans, quatenus pro omnium Ecclesiarum particularium collectione capitur, ideo venit sub adspectum necessariò, quia in ea indicuntur Concilia. Nam illa non tota congregatur in Conciliis; qui veniunt ad Concilia, nequidem sunt millesima Ecclesiæ pars, & veniunt omnes ab Ecclesiis particularibus: ut rectè hinc colligas, Ecclesias particulares, tempore Conciliorum, esse visibiles; aut etiam catholicam, ratione partium, videri; Catholicam secundùm se totam videri, non rectè concludas. Hierosolymitanum Concilium frustrà allegatur, in quo sanè non congregata est universa Christi Ecclesia militans, nedum absolutè Catholica. Ne Apostoli quidem omnes, quod constet, fuerunt congregati. Baronius existimat, tantùm adfuisse Petrum, Paulum, Jacobum, Johannem & Barnabam, tom. 1. ad annum Christi 51. num. 9. Et quæso, cogitent pii, quænam sit consequentia; post annos à nato Christo trecentos Nicææ celebratum est Concilium, itemque postea Ephesi &c. ergo Ecclesia Christi, de qua symbolum agit, non est ullo modo invisibilis. Taceo, ea aliquando tempora incidere, quibus nec Concilia indici, nec canones sanciri queunt. Indictio enim ista & sanctio pertinet ad statum Ecclesiæ florentem; aut saltem aliquo modo respirantem à persecutione; ad perturbatum & persecutione gravi concussum oppressumque vix pertinet. In eo ferè cessant illi actus, ut tempora decem persecutionum nos docent.

XVII. Tertium. *Christus Ecclesiam suam comparat sagenæ missæ in mare & ex omnium genere piscium congreganti; convivio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt; decem virginibus, quarum quinque prudentes sunt, quinque fatuæ: Ovili, in quo inveniuntur oves & hædi. Hæc non possunt intelligi nisi de Ecclesia visibili.* Num. 4. Rectè. Neque tamen cum area, sagena, ovili & cōvivio nuptiali comparatur Ecclesia, ratione visibilitatis perpetuæ, sed respectu mixturæ, quia in hac mali bonis sunt permixti. Ultra hunc scopum non extendendæ similitudines. Inquis. *Ergo Christus loquitur de Ecclesia visibili.* Id omnino volumus. Et sanè, quando sagena piscatorū mittitur, id est, Apostolorum doctrina, q̄ ex miraculis & testimoniis Prophetarum connexa est, interprete Theophylacto, vel juxta Glossam ordinariam, ex veteri & novo Testamento, prædicatur, tum videtur externa congregatio, in qua sunt boni & mali. Pergis: *At loquitur de Ecclesia vera.* Et illud concedo; sed memineris, particulares quoque Ecclesias esse veras Ecclesias, idque non propter malos, sed propter pios & electos, qui Deum rectè colunt. De illis loquitur Christus. In illis sunt mali bonis remixti; ad Catholicam non pertinent. Ut igitur non sequitur ex his dictis, malos esse vera membra catholicæ Ecclesiæ, exquisitè dictæ, quæ est hortus conclusus, fons signatus, sic neque sequitur, hanc non esse invisibilem. Imò, quia oculo corporis non discernuntur veri cultores ab hypocritis, qui sæpe primas in cœtibus particularibus obtinent, inde constat, Ecclesiam exquisitè dictam esse invisibilem. Sic enim arguo. Cœtus verorum Dei cultorum, quà talium est, hîc non videtur oculo corporis. Hoc fatentur Papistæ, Bellarminus, Stapletonus, alii. At Ecclesia vera exquisitè sic dicta est cœtus verorum cultorum, quà talium. Ergo hîc non videtur oculo corporis.

XVIII. Quartum. *Idem à Propheta prædictum est* Psalm. 19, 6. *In sole posuit tabernaculum suum, id est, ut explicat Augustinus, in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. Eódem spectat illud Christi* Matth. 5, 15. *Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Num. 5. R. Primò Non intelligo, quo modo hîc prædicta sit Ecclesiæ visibilitas à Davide. Futura enim prædicuntur, non præsentia. An ergo Ecclesia veteris Testamenti non erat visibilis? Num privilegium est novæ Ecclesiæ, non veteris? Secundò. Psalmi verba in fontibus sic habent, *Sōli dispositi tentorium in eis*, sc. cœlis. Sic vertit Hieronymus ex hebræo in Commentario; sic Papistæ, Pagninus, Vatablus, Arias Montanus. Sensus est, Deum soli posuisse splendidam sedem in cœlo, unde ab omnibus conspiciatur. Nempe in creatione, ut refert Moses, Gen. 1, 16. 17. 18. Hinc Papistis nullum argumentum. Tertiò. Augustinus, fateor, explicat de Ecclesia secutus Græcorum & latinam vulgatam versionem. Verùm bene Theodoretus in h. l. *Hæc*, inquit, *magis dilucidè tres interpretes* (fortè Symmachus, Aquila & Theodotio) *explanarunt*, soli posuit tabernaculum in ipsis, *videlicet cœlis. Sicut n. magnus Moses docuit & fecit Deus duo luminaria magna, & posuit illa in firmamento cœli, ut luceant super terras, eodem modo & divi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus David, posuit soli tabernaculum in cœlis, ut ipse ab eis veheretur. Inter Papistas Lyra, in hebræo, inquit, & in translatione Hieronymi juxta hebraum, habetur sic; soli posuit tabernaculum in eis; & est finis versus præcedentis; & sic exponitur: quia sol in medio planetarum ponitur: habet enim tres supra se, Martem, Jovem & Saturnum: & tres infra se, Venerem, Mercurium & Lunam; & sic in orbibus planetarum, qui cœli dicuntur, habet habitaculum: & fit hic specialis mentio de sole magis quàm de aliis stellis: quia per ipsum & ejus effectus magis innotescit ordo divinæ sapientiæ hominibus. Sixtus Senensis lib. 3. Bibli-oth. Manichæi ex imperitia linguæ hebrææ, cùm non intelligerent literalem sensum hujus dicti, convertunt se ad præsidia allegoricæ expositionis, dicentes, Christum post resurrectionem suam sine carne ad Patrem adscendisse, relicto corpore suo inter ambitum globi solaris, ut à nobis caro ejus in sole, tanquam in tabernaculo Dominici corporis, adoraretur, cùm tamen genuinus & proprius ejus literæ sensus sit, Deum posuisse soli tabernaculum in cœlo. Jam norint pii, utram explicationem eligere debeant, Augustini secuti versionem Græcorum, an Theodoreti urgentis versionem veriorem & confirmantis sensum ex Mose. Certè allegoricas interpretationes non esse argumentativas, notum omnibus. A Spiritu Sancto hunc sensum esse intentum, non constat. Bellarminus in Commentario ne ausus quidem est Augustini glossam attingere, sed cum fontibus vulgatam editionem conjungens dupliciter explicat, In sole, inquiens, tanquam in parte totius mundi præstantissima, Deus posuit tabernaculum suum. Rectè autem dicitur tabernaculum, non domus, quoniam in sole commoratur Deus tempore peregrinationis nostræ, quo eum videmus per speculum creaturarum, inter corporales autem creaturas sol obtinet principatum. Sed cùm pervenerimus ad patriam, non in tabernaculo solis Deum videbimus, sed in propria ejus domo, quæ videlicet æternitas ejus est. In hebræo habetur soli posuit tabernaculum in eis, id est, Deus posuit in cœlis tabernaculum soli, constituit solem tanquam in tabernaculo. Sic Bellarminus extra disputationis æstum. Hieronymus solem interpretatur Mariam, Christi carnem tabernaculum, & dicit, ideo posuit tabernaculum in sole, quando corpus suum assumpsit de utero suo. Lombardus quoque ex Cassiano ad incarnationis dispensationem refert, quod Papistas non juvat. Quartò. Cæterùm hac allegoriâ Augustinus noluit impugnare Ecclesiæ absolutè catholicæ, q̃ ille in justis & prædestinatis collocat, invisibilitatem, sed Ecclesię in multis particularibus toto orbe suo tempore conspicuæ, splendorem prædicat, quem nos non impugnamus. Erat enim illi res cum Donatistis, qui in angulum Africæ Ecclesiam compingebant, cùm ubique toto orbe, & quidem in statu pacato, à quo ad perturbatum non rectè concluditur, essent Ecclesiæ celeberrimæ, à quibus tum colebatur Deus.

XIX. Quintò. Christus Matth. 5. partim cõfirmat Apostolorum animos, partim hortatur eos ad studium tum prædicandi verbi cum fiducia, tum bonorum operum, seu vitæ innocuæ. Quam confirmationem & hortationem illustrat tri-

plici aut potiùs quadruplici simili. Qui enim erant futuri præcones verbi, eos comparat sali, luci, civitati supra montem positæ & lucernæ. Primùm comparat eos sali, quod non tam ad personas quàm munus pertinebat. Salem igitur eos dicit, tum quòd verbi præcones esse deberent, qui propriè sal est, quo mundus condiendus erat, tum quia bona conversatio sacerdotum conditura populi est, inquit Chrysostomus Homil. 10. in h. l. Luci eos eandem ob causam comparat, nempe propter verbum, quod prædicatur, & vitæ exemplum, quo aliis prælucere debebant. Sensus tertiæ similitudinis hic est. Sicut civitas supra montem latere non potest, omnium oculis patet; sic actiones vestræ omnium oculis erunt expositæ, omnium oculi in vos conversi, omnibus nota erit vestra fides, si officium probè feceritis; omnibus nota erit perfidia, si vel metu, vel quovis alio affectu stationẽ vestrã deserueritis. Ita interpretatur Theophyl. Comm. in h. l. Decet, inquiens, eos, ut durent in certamine & diligentem vitæ suæ rationem habeant, ut ii, in quos omnes spectant. Ne igitur putetis, inquit, quòd in angulo latitaturi sitis, sed spectabiles eritis, & ideo videte, quomodo citra maculam agatis vitam, ut ne & aliis offendiculo sitis. Glossa Ordinaria eodem modo de Apostolis exponit, Quia Apostoli fundamenta sunt, aptè civitas dicuntur supra montem. Locus montem justitiæ innuit, qui excelsus est, quo propalamini, ne vos abscondatis. Non est enim facultas subterfugiendi, vel clàm aliquid faciendi. Barradius tom. 2. Conc. Evangel. lib. 7. c. 13. Divus Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 13. civitatem supra montem positam Ecclesiam significare interpretatur supra Christum fundatum. Sed literali sensu Dominus significat, Apostolicum munus publicum esse, Apostolosque latere non posse, quemadmodum civitas, quæ in excelso monte exædificata est, latere nequit. Cùm autem latere non possint, enitendum, ait, ut vitæ sanctissimæ exemplo præcellant. Quemadmodum, inquit, civitas supra altissimum montem exstructa abscondi non potest, sic & vos discipuli abscondi non poteritis, in oculis enim hominum versabimini. Jansenius in Concord. Evang. c. 29. Præterquam quòd (Christus) explicat, quorsum eos vocet lumen mundi, tertiò suos etiam civitati in monte constructæ comparat, & vult significare, quòd quomodo civitas supra montem posita abscondi non potest, sed necessariò omnium oculis est exposita propter montis altitudinem; ita Apostolos propter status & officii sui altitudinem, non posse latere hominibus, sed necessariò omnium oculos convertendos in ipsos. Denique Christus lucernæ similitudine dehortatur à timiditate & ignavia, contrà excitat ad libertatem dicendi, & singularem diligentiam in propagando veritatis verbo, ut omnibus innotescat. Sic Hieronymus Comment. in h. l. Docet fiduciam prædicãdi, ne Apostoli abscondantur ob metum, & sint similes lucernæ sub modio, sed totâ libertate se prodant, ut quod audiverint in cubiculis, prædicent in tectis. Dehinc Christus Apostolos excitat, ut memores suæ vocationis lumen aliis fœnerent, duplici fine expresso; Unus est, ut homines videant ipsorum opera, puta doctrinæ & vitæ, ac per ea ædificentur. Alter, ut glorificent Patrem in cœlis, nempe approbatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

veræ doctrinæ, imitatione bonorum operum & gratiarum actione pro divinæ tantæ gratiæ collatione. Id fecerunt Apostoli; id faciunt fideles doctores: Id omnium est officium. Quamvis non omnes ad id vocati faciant.

XX. Jam patet, frustrà esse hoc loco Papistas. Quæ enim consequentia, Apostolorum, vel etiam aliorum doctorum (ut ad hos transferamus) actiones omnium oculis sunt expositæ. Ergo Ecclesia Catholica non est invisibilis, sed in mundo semper est cœtus integer ac illustris, qui Deum publicè purè colat, omnibus conspicuus? Primò istis comparationibus Christus officium præscribit, non edit promissionem, quid certò futurum sit. At ab officio ad effectum non est recta sequela. Deinde Christi oratio non minùs ad singulares Ecclesias, quàm ad Catholicam referenda est, si ab Apostolis & doctoribus est transferenda, quod, servatâ ordinis & graduum differentiâ, non nego. Aut igitur singulæ particulares Ecclesiæ perpetuò omnibus sunt conspicuæ, aut non necessariò ex ista comparatione concluditur, Ecclesiam Catholicam necessariò semper esse mundo conspicuam. Cæterùm Augustinus quidem sæpè hoc textu utitur contra Donatistas, qui cùm nullas in orbe Ecclesias, præter suas pauculas in Africæ angulo, agnoscerent, ille multitudine Ecclesiarum orbe toto celeberrimarum eos revincit. Ideo dicit, Ecclesiam in monte esse positam. Hinc autem non sequitur, Ecclesiam catholicam exquisitè dictam non esse invisibilem, sed primò, propriè & per se visibilem. Etsi enim multæ sint particulares Ecclesiæ, & in iis vivant, qui sunt membra Ecclesiæ catholicæ, isti tamen oculo non discernuntur. Multominùs sequitur, Ecclesiam catholicam semper omnibus esse palàm conspicuam, sicut Respublica Veneta.

XXI. Quintum. *Idem constat ex symbolo fidei, ubi sic dicimus,* Credo sanctam Ecclesiam catholicam. *Quod de visibili intelligendum esse, non solùm docent Papistæ, sed etiam Calvinus & Melanchthon. Itaq; dari Ecclesiam visibilem, est articulus fidei.* &c. Si Papistæ tantùm de visibili Ecclesia articulum symboli intelligunt, tum præcipuam Ecclesiæ partem tollunt, nempe triumphantem; nisi fortasse illam quoque vident oculis corporeis. Certè nostri, nominatim Calvinus & Melanchthon non accipiunt de sola visibili. Calvinus lib. 4. Instit. c. 1. §. 2. *In symbolo, ubi profitemur, nos credere Ecclesiam, id non solùm ad visibilem refertur, sed ad omnes quoque electos Dei, in quorum numero comprehenduntur omnes, qui morte defuncti sunt.* Sic quoque cæteri. Sic nos ipsi, qui minimè negamus, articulum etiam ad visibilem Ecclesiam pertinere. At non sequitur; Articulus aliquomodo pertinet ad visibilem Ecclesiam; Ergo Ecclesia nullo modo est invisibilis. Num Jesuitæ viderunt unquam congregationem omnium Sanctorum, quos Deus ab initio mundi usque ad finem vocavit & vocaturus est ad communionem gratiæ & gloriæ? Hanc enim Ecclesiam nos credere, indubitatum. Imò num viderunt totam congregationem omnium Sanctorum uno tempore militantium? Num congregationem omnium Ecclesiarum particularium,

um, quam ante extremum diem uno loco ñ esse exstituram, certum est exploratumque? Quid quòd Stapletonus exertè fatetur, nos non videre, sed credere hunc cœtum, quem videmus, esse cœtum verè Deum colentium. Bellarminus suprà dicebat, quòd ille cœtus hominum, quem videmus, sit vera Christi Ecclesia, nos non videre, sed credere. Invisibilis ergo vera Dei Ecclesia, quâ talis. Invisibilem ergo Ecclesiam qui hinc vellet excludere, is Ecclesiæ tolleret veritatem.

XXII. Sextum. *Omnes Patres Ecclesiam visibilem esse affirmant, Augustinus Epistol. 166. ad Donatistas. In Scripturis didicimus Christum; in Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus: quare non in eis Christum & Ecclesiam communiter retinemus?* Et post multa: *Ecce Scripturæ communes: Ecce ubi novimus Christum, ibi novimus Ecclesiam. Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis? Si in ipsum Christum, quem legitis, & non videtis, tamen propter Scripturarum veritatem creditis, quare Ecclesiam negatis, quam & legitis & videtis?* An nos negavimus, in Scripturis nos discere Ecclesiam? In Scripturis & Christum & Ecclesiam retinemus. Quod volebat Augustinus. Sed & nos fatemur, Ecclesiam esse visibilem, nempe respectu externæ societatis, mediorum, personarum fidem profitentium, imò sæpe florere, ut longè lateque eam spectent tum intranei, tum extranei cum admiratione. At non esse Ecclesiam Christi ullo modo invisibilem, id verò inde non sequitur. Augustinus loquitur de Ecclesiarum particularium multitudine & splendore suo tempore, idque in statu quieto. Non igitur nobis adversatur Augustinus. Non enim sequitur, illo tempore Ecclesia vera erat conspicua ratione illustrium orbe toto particularium cœtuum, etiam hæreticis & schismaticis, Ergo Catholica, quâ talis, est visibilis, aut ratione illustrium particularium cœtuum semper est omnibus conspicua, sicut Respublica Veneta. Ipse Augustinus tempus nominat quo Ecclesia non apparebit, Epist. 80. Ego non aliud tempus nunc opponam, quàm quo à Gentilibus tam firmiter creditum fuit, Christianam fidem esse penitus subjugatã, ut ea, ppter de sub. actis deletisq; penit⁹ Christianis colũnas erexerint. Sic Baronius tom. 2. ad Annum 304. num. 4. ubi scribit, Cluniæ in Hispania in nobili columna hanc inscriptionem legi; DIOCLETIAN. JOVIUS. MAXIMI. HERCULEUS CÆSS: AUG: AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMPER. ROM. ET NOMINE CHRISTIANOR. DELETO, QUI REMP. EVERTEBANT. Item istam ibidem; DIOCLETIAN. CÆS. AUG. GALERIO IN ORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQUE DELETA, CULTU DEORUM PROPAGATO. Ac ne putes, uno loco id factum, monet Arevaci in Hispania eadem legi in columnis pluribus; imò de religione Christiana prostrata similiter in toto Romano orbe trophæa erecta esse. Hîc nobis dicite Papistæ: Num illo tempore Ecclesia Christi, quæ illum purè coleret, & publicum penitus incorruptum ministerium haberet, Gentilibus erat conspicua? Num eam & legebant & videbant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bant, quod de suo tempore Donatistis objicit Augustinus. Si videbant, cur gloriabantur de deleto ipsorum Christianorum nomine? Si non videbant, an esse desierat in terris Christi Ecclesia? Si non desierat, jam agnoscite, esse posse veram Ecclesiam in mundo, ut tamen iis, qui foris sunt, aliquando non sit conspicua in toto mundo.

XXIII. Becanus nos premit plurium Patrum auctoritate, nempe eorum omnium, qui *recensent ordine successores Petri in gubernatione Ecclesiæ, videlicet Irenæi, Optati, Augustini, Epiphanii, & Eusebii Cæsariensis*; Item omnium, qui fatentur ex evangelio, *bonos & malos in Ecclesia permixtos esse*; qui agnoscunt *potestatem solvendi, ligandi, excommunicandi, quæ nisi in Ecclesia visibili exerceri non potest*. Denique omnium eorum, qui asserunt, *Ecclesiam sine prædicatione evangelii, & sacramentorum administratione, consistere non posse; illi enim omnes supponunt Ecclesiam esse visibilem*. Num. 9. R. Primò. De successione Petri infrà agendi erit locus. Irenæus & Eusebius non Petri nominatim expressi Successores, sed Episcopos Romanos memorant, qui post Apostolos fuerunt. Non enim Petrum faciunt Episcopum Romanum, sed discernunt manifestè, & non à Petro, sed ab Apostolis Episcopatum obtinuisse dicunt. Irenæus l.3.c.3. Eusebius lib.5.c.6. *Ecclesiam itaque fundantes & ædificantes, Episcopatus ministerium beati Apostoli Lino tradiderunt. Successit huic Anacletus, post hunc Clemens tertio loco Episcopatum ab Apostolis sortitur.* Hîc Clemens tertius dicitur Episcopus ab Apostolis. Eodem sensu Xystus dicitur sextus ab Apostolis & Eleutherius duodecimo loco ab Apostolis Episcopatum sortitus. Idem, ut & reliqui, cùm catalogum Episcoporum Romanorum texunt, de particulari Ecclesia, nempe Romana, agunt, sicut illi, qui Antiochenos, Constantinopolitanos, Alexandrinos & aliarum Ecclesiarum Episcopos ordine longo recensent. Vide Chronologiam Nicephori, & Sozomenum lib.4. Hist. Eccl. c.19. Ne fingas discrimen, Eusebius libro citato c.20. in eodem catalogo, Victorem Ecclesiæ Romanæ, Demetrium Alexandrinæ, Serapionem ab Apostolis Octavum Antiochenæ, Theophilum Cæsariensis, Narcissum Hierosolymitanæ, Banchyllum Corinthiacæ, & Polycratem Ephesinæ Episcopos nominat. Similia vide apud Socratem lib.5.c.3. Eusebium libr.3.c.19. lib. 4.c.11. lib.8.c.31. Sozomenũ lib.1.c.2. Jam patet, nihil hinc concludi, nisi Romanam Ecclesiam illo tempore fuisse adspectabilem, quo sedebant isti Præsules, sicut Cõstantinopolitana, Antiochena, Alexandrina, aliæ. Quod quis negat? Secundò. Iidem Patres loquuntur de externa congregatione, cùm mixturam nominant piorum & impiorum. Hinc ad catholicam omnium Sanctorum congregationem, non valet argumentum. Tertiò. Similiter solutio, ligatio, excommunicatio illis nominata ad externam societatem pertinet, quæ omnino ad tempus interrumpi & cessare potest, non cessante verâ Ecclesiâ. Sic potestas illa non exercebatur legitimè in Ecclesia decem tribuum, tempore Eliæ, & tamen septem millia illic erant vera Dei Ecclesia. Potestas semper

per manet penes Ecclesiam, sed legitimum purum publicum exercitium aliquando impeditur, aboleturque, non mox pereunte Ecclesiâ. Quartò. Becanus Patres audacter appellat, ut ab eis obtineat, Ecclesiam consistere non posse sine prædicatione Evangelii, & administratione sacramentorum; nullum producit testimonium, nec fortè potest, si quidem de publica omnibus modis pura prædicatione & administratione loquatur. Septem illis millibus in Israële, cùm Elias quereretur, se solum esse relictum, nec prædicabatur Evangelium publicè & purè, nec ritè administrabantur sacramentâ: Et tamen erant vera Ecclesia. Non est, ut aliud exemplum afferamus. Illud abundè sufficit. Quod ibi factum, cur alibi fieri non posset? Deus conservabat ingentem hominum multitudinem, tempore famis Ægyptiacæ, septennium, quamvis totâ Ægypto tot annis nec sereretur, nec meteretur. Sic Deus Ecclesiam suam ad tempus alit, etiam ubi cessat publica pura verbi prædicatio & sacramentorum administratio. Probavi rem exemplo Scripturæ. Idem probent nobis Pontificii. Tempore Elisabethæ Reginæ Papisticæ Ecclesia non habebat ullum publicum religionis exercitium in Anglia. Exercitium enim religionis evangelicæ, quod tantùm vigebat publicè, damnant Papistæ. Num ideo non ibi erat Ecclesia Papistica? Fuisse, dicunt. Veramne putant, fuisse, an falsam? Nolent falsam dicere, veram clamabunt. Iidem dicunt, tempore Antichristi sui trimuli, cessaturum esse publicum cultum orbe toto? An illo tempore non erit vera Ecclesia in terra? Non dicent. Ipsorum ergo judicio, vera Ecclesia alicubi constare potest, sine publica pura prædicatione Evangelii & dispensatione sacramentorum. Ita patet, nos minimè premi Patrum auctoritate.

XXIV. Becanus vult nos constringere. Quærit, an *Respublica Veneta, vel civitas Viennensis in Austria sit visibilis, nec ne?* Ne opinione sua fallatur, omnes concedimus, visibilem esse. Hinc ille; *At eadem est ratio de Ecclesia.* Hoc jam negamus simpliciter intellectum. Ratio est in prõptu. Respublica Veneta & civitas Viennensis, sive Austriacorum, sive Allobrogũ dicas, est respublica & civitas hujus mundi; Ecclesia, civitas cœli: Illa, hominis, ista, Dei; illa, corporalis; hæc, spiritualis & mystica. Succurrat hîc nobis ipse Dominus & caput Ecclesiæ, rei evidentia, denique Papistarum hypothesis. *Christus* fatebatur, se habere regnum; at negabat esse, quale Romanum. Dicebat enim non esse de hoc mundo. Illud cum observatione venit, hoc non venit cum observatione, sed est intra nos Luc.17. *Rei evidentia*; Civitas Viennensis tota est in terris; Ecclesiæ pars est in terris, pars in cœlis. Viennæ caput est adspectabile: Ecclesiæ caput, Christum credimus, non videmus 1.Petr.1,8. Vienna uno loco sita est, Austriaca ad Danubium; Allobrogum, ad Rhodanum; Ecclesia militans toto dispersa orbe. Vienna non est catholica civitas ex multis particularibus, quæ separatim diversis locis existant, aggregata: Ecclesia Catholica est in multis particularibus cœtibus, longo intervallo à se invicem dissitis. *Papistæ* dicunt, Ecclesiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

in duobus imò uno fideli conservari posse? Num est eadem ratio Reipublicæ Venetæ & Viennæ civitatis? Denique Rempublicam Venetam & civitatem Viennensem esse Rempublicam Venetam & civitatem Viennensem, norunt & profitentur non solùm Veneti & Viennenses, sed etiam extranei atque hostes; Ecclesiam Christi esse veram Ecclesiam, vident tantùm ejus membra: Extranei & hostes non vident, non profitentur, imò negant, etsi homines videant, & audiant eorum professionem. Non igitur eadem ratio Ecclesiæ & Reipublicæ Venetæ, vel civitatis Viennensis.

XXV. Becanus sic ostendit, *Tria*, inquit, *spectari possunt in Ecclesia.* 1. *multitudo hominum.* 2. *Externum regimen, quo prælati Ecclesiæ gubernant suos subditos, docendo, hortando, judicando, puniendo, sacramenta administrando.* 3. *Interna fides, & charitas, quâ inter se uniuntur. Eadem spectari possunt in Republica Veneta, vel civitate Viennensi.* 1. *multitudo hominum.* 2. *Externum regimen.* 3. *Interna affectio, quâ inter se uniuntur. Duo priora utrobique sunt, visibilia, tertium utrobique invisibile. Si ea non obstante, nihilominus civitas vel Respublica verè dicitur esse visibilis, cur idem de Ecclesia dici non possit?* R. Primò. Fruſtrà quærit, cur Ecclesia visibilis dici nequeat. Nihil sanè certius. Nec nos visibilem esse, negavimus simpliciter, nec negaturi sumus unquam, sive de particulari, sive de catholica militante quæratur. Illa videtur in se; hæc in particularibus. Multitudo enim hominum & externum regimen Ecclesiæ in oculos incurrit; Verùm in multitudine illa, in qua regimen video, esse veram Ecclesiam, in oculos non incurrit, sed creditur. Hoc igitur sensu Ecclesia rectè invisibilis dicitur. At civitatem Viennensem esse verè Viennensem civitatem, sensuum constat judicio, & eo à Pragensi, Parisiensi, Londinensi, aliisque civitatibus discernitur. Secundò. Vera Ecclesia esse potest, ubi ad tempus cessat externum legitimum incorruptum regimen. Tale enim Papistæ intelligunt. Sic tempore Eliæ non erant in Israële pastores legitimi, qui septem millia gubernarent purè docendo, hortando, judicando, neque tamen perierat illîc Ecclesia. At non est Respublica, ubi nec regens, nec subditi apparent. Quis Venetam Rempublicam visibilem dicat, si nec magistratum, nec ullum subditum quisquâ videat, quamvis in ea versatissimus? Tertiò. Accipio, internam fidem & charitatem spectari in Ecclesia, & addo, consentiente Johanne de Turrecremata, (quod an Becano placeat, nescio; Bellarmino non placet;) sine illa neminem esse membrum propriè dictum Ecclesiæ Catholicæ, etsi in externa societate comprehendatur. Concludo, Ecclesiam, ratione membrorum propriè dictorum, & internæ societatis, esse invisibilem, quia nec oculo, nec mente infallibiliter discerno, quinam verè credant ac diligant. Hypocrita enim speciem fidei & charitatis tam artificiosè mentiri potest, ut putares, fidelem esse, cùm nihil minùs sit, quàm fidelis. At civem Venetum & Viennensem non tam æstimo ab interiori affectu, quàm ab externis officiis. Quartò. Jam mediocriter constat, cur civitas, vel Respublica verè dicatur visibilis, non

ñ invisibilis, at Ecclesia visibilis & invisibilis diverso respectu. Hoc si Jesuita agnoscit, q.d litigat? Si ñ agnoscit, cur nostrorũ argumenta non confutat. Dicit, *facilè dilui cavillationes, quæ objici soleant.* Si cavillationes meras objici putat, cur nõ demonstrat? Si argumenta sive necessaria, sive probabilia objiciuntur, cur non diluit. Non vult. Cur verò? *Quia necesse non est.* Egregiè! Sic optimè confutantur argumenta in schola Jesuitarum. Nostri non cavillationibus, sed solidis argumẽtis concludunt, Ecclesiam esse visibilem & invisibilem diverso respectu. Quod absurdum non esse, vel ipsa Viennensis civitas, quæ nobis objecta est, doceat Sophistam. Viennæ sunt multi cœtus, qui in diversa confluunt templa ad facienda sacra. Singuli separatim videri possunt; Dum separatim convenjunt, non potest videri universa Viennensis Ecclesia, quãdiu cœtus separati existunt in diversis templis. Si verò omnes cœtus in unum cõeãt, unus quidem videtur, at non multi particulares. Sic in universo mundo multæ sunt particulares Ecclesiæ. Singulæ spectari possunt successivè: collectio omnium oculis capi hodie non potest, quia non exstat nisi in mente, olim in judicio exstitura extra mentem coram oculis. Non igitur ante extremum diem videbitur, & quidem cùm videbitur universus cœtus, particulares cessabunt. Rursum quòd Vienna sit civitas & quidem Vienna, agnoscunt æquè hostes ac amici. At hanc, illam, istam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, amici agnoscunt, hostes non agnoscunt. Item quamdiu Viennæ est Respublica, oculis patet externa civium societas. At ea incidere possunt tempora, ut licet Viennæ sit vera Ecclesia, nusquam tamen palàm appareat. Sublatis enim publicis conventibus & exercitiis, piorum Deum verè colentium latet numerus.

Sectio III.

Becani Conclusio secunda de Ecclesiæ titulis examinatur.

I. DIxi suprà, Jesuitam admiscere secundam & tertiam conclusionem more suo, ut paret sibi viam ad quæstionum reliquarum decisionem, & lectorem incautum illaqueet. Excutiamus. Secunda igitur illi conclusio est, quòd *visibilis Ecclesia sit una, sancta, catholica, apostolica, sponsa Christi, domus Dei, columna & firmamentum veritatis.* Hanc primùm dicit admittere Calvinum l.l. Secundò Scripturam, Symbola fidei & Patres ita passim docere. Denique singulas partes explicat, singulorum titulorum ratione redditâ. Calvinus hos titulos non restringit ad Ecclesiam visibilem, etsi docet, articulum Symboli aliquo modo ad visibilem pertinere. Abutitur ergo Calvini auctoritate adversarius. Qui ut nomen *catholicæ* in Scriptura non habet, sic nec ex Scriptura, nec ex Symbolis fidei, nec ex Patrum consensu solidè potest probare, quòd Ecclesiæ, quatenus est visibilis, hi tituli tantùm conveniant. Quod dictum nolumus, quasi eos visibili Ecclesiæ in terris militanti morosè denegemus; imò nos sic omnes tribuimus universali, ut etiã aliquos particularibus Ecclesiis conceda-

Universidad de Deusto
Biblioteca

damus. Nam & particulares sunt sanctæ, apostolicæ, sponsa Christi, domus Dei, columna & firmamentum veritatis. Omne momentum in vera explicatione est positum. Quam videbimus, ubi monuero, Becanum veræ Ecclesiæ notas non exprimere sive in Manuali, sive in Scholastica Theologia, & tamen de iis inter nos controverti. Num fortè est minoris momenti? Id enim affirmat de iis, quæ in Manuali non tangit. At nisi ego vehementer fallor, res maximi momenti est, veram Ecclesiam à falsa discernere. Sic ipsi Papistæ. Parvi ergo momenti res non est de notis Ecclesiæ disputatio. Cur igitur omisit? An non satis speciosè tractari poterat? An fortè hos titulos commendare voluit, ut si non omnes, saltem aliqui notarum loco habeantur? Meminimus enim, unitatem, nomen catholicæ, sanctitatem doctrinæ, & successionem ab Apostolis, in notis censere alios Papistas, nominatim Bellarminum, Costerum, & Sonnium. Fraus ista & cavenda, & depellenda. Videamus.

II. Ecclesiam *unam* dici, contendit, propter unionem & consensum eorum, qui in Ecclesia sunt, quippe qui omnes unam eandemque fidem profiteantur. Alii Papistæ aliter. Costerus duas affert causas, sc. unitatem fidei, & unitatem capitis visibilis. Posteriorem non ausus est Becanus disertiùs allegare. Bellarminus sex modos unitatis sic nominat libr. 3. de Eccles. mil. c. 5. ut duobus potissimùm acquiescat, nempe unitati capitis ejusdem, tanquam interni & conjuncti Rectoris, atque connexioni membrorum inter se, & præcipuè cum capite. Si per caput solum Christum intelligeret, non refragaremur. At ille intelligit non tantùm Christum, sed & Pontificem Romanum. Ab illo unitatem pendere, certum; ab isto pendere, non certum; imò certum, nec pendere, nec æstimari debere. Christus enim, ut suo loco patebit, nusquam Romanum Pontificem dedit toti Ecclesiæ caput unum œcumenicum subalternum, nusquam ab hujus unitate jussit æstimare Ecclesiæ unitatem. Ecclesia fuit una, priusquàm esset Romanus Pontifex. Nos igitur pleniùs sic statuimus; Ecclesia una dicitur, quia ab uno Deo & Patre in unum corpus, sub unum caput Christum redacta, unâ vocatione, ad unam fidem, unam spem, unam hæreditatem vocatur, unoque regitur Spiritu & Evangelio uno, ut ad unam illam hæreditatem perveniat, Ephes. 4,4.5.6. Ideo Scriptura multoties nos exhortatur ad unitatem. Hoc tamen non obstat, quo minùs in vera Ecclesia quædam opinionum & rituum exstet diversitas. Unitas enim fidei dogmaticæ suos habet gradus, respectu fundamenti, & eorum, quæ illi superstruuntur. Unitas in fundamento necessaria est ad Ecclesiæ constitutionem; Altera conjuncta ad perfectionem pertinet. In illa standum, ad hanc tendendum. Rituum quoque non simpliciter necessariorum diversitas non tollit unitatem Ecclesiæ, modò teneantur ritus simpliciter necessarii. Etsi verò Ecclesia dicitur una propter consensum in vera doctrina ad salutem scitu necessaria, eam tamen unitatem vel hoc nomine inter Ecclesiæ notas immeritò recenseas, quia ad eam dignoscendam alia opus est nota,

ta, nempe ut ea doctrina conformis sit Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ. Sin unitas nudè de unius doctrinæ professione unanimi explicetur, nihil minùs quàm veræ Ecclesiæ nota infallibilis dici meretur. Nam etiam inter infideles & hæreticos est consensus in doctrina. Quanto consensu Turcæ Muhammedicam religionem profitentur? Nullum ibi audias dogma in controversiam vocari. Idem de Judæis dictum puta. Neque tamen ideo illorum cœtus est vera Ecclesia.

III. Ecclesiam *sanctam* dici, monet Becanus; 1. *Quia nemo eâ ingrediatur, nisi per baptismum ablutus & sanctificatus* 1. Cor. 6,11. 2. Quia *omnia ipsius instituta, cæremoniæ, sacramenta & doctrinæ ad sanctitatem ordinentur.* 3. Quia *extra illam nulla sit sanctitas.* 4. Quia *Christus, qui est caput & sponsus Ecclesiæ, sit Sanctus sanctorum.* Num. 12. Hic pauca noto. Primò. Malè restringitur hic titulus ad Ecclesiam visibilem, cùm imprimis competat Ecclesiæ, quà est invisibilis, seu Ecclesiæ prædestinatorum & verè fidelium. Agnoscunt Colonienses in Enchirid. Christian. Instit. in Symb. Apost. *Non inficiamur*, inquientes, *ad Ecclesiam strictiùs acceptam, quatenus scilicet ii in Ecclesia esse dicuntur, ex quibus civitas Dei constat, tantùm vitæ spiritualis participes & sibi mutuò in spiritu charitatis cohærentes pertinere. Ad quem modum Ecclesia Christi est corpus mysticum, seu congregatio fidelium in unitate fidei & charitatis vinculo, subuno capite Christo, militantium, ipsique capiti (ex quo totum corpus per nexus conjunctionesque subministratum & constructum crescit in augmentum Dei) per vivam fidem, & charitatem cohærentium. Quam hîc Symbolum appellat sanctam, id est, mundam ac puram.* Secundò Veræ quædam causæ omittuntur, nempe sanctam dici, quia sanctâ vocatione vocatur, & à mundo separatur, divinis usibus consecrata 2. Tim. 1,9. 1. Cor. 1, 2. & q.a Spiritus Sanctus credentes sanctificat, tum Christi meritum per fidem applicando, unde oritur justitia & sanctitas perfecta, coram Deo consistens, tum interiorem renovationem & sanctitatem in cordibus illorum operando, tum perfectæ sanctitatis desiderium in illis excitando, Johan. 17,17. Roman. 1,7. 1. Cor. 3, 7. Ephes. 5,26.27. Becanus viderat, à Calvino lib. 4. Inst. cap. 1. §. 17. hanc causam addi. Inde enim recitat. An approbat? Non dicit. Si improbat, cur non refutat?

IV. Tertiò. Veris causis aliæ remiscentur incongruè. Quarta vera est. Secunda, si de institutis divinis intelligatur, itidem vera est, & tolerari potest, quamvis non ut primaria. De humanis papisticis institutis tam falsa, quàm verè differt superstitio & species sanctitatis à vera sanctitate. Nec excusat intentio. Eandem n. speciosè obtendebât Pharisæi suis institutis: Hypocritæ tamen audiunt à Sancto sanctorum, cui non illudit larva sanctitatis, sed placet veritas, Matth. 23. Prima causa non simpliciter admittitur. Nam duplex est communio; Interior & exterior. Ratione *interioris* communionis, Ecclesiam ingrediuntur etiam illi, qui baptismi aquâ non sunt tincti, modò credant. Sic catechumeni credentes propriè dicta sunt Ecclesiæ Catholicæ membra, etiam ante baptismum, quia sunt Christo per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per fidem incorporati, ab illo vitam motumque spiritualem accipiunt, justificantur, Spiritu Sancto donantur, ab eodem ducuntur, tanquam filii Dei. Qui autem capiti cohæret actu, ejusque agitur spiritu, is non potest non esse in corpore. *Exterioris* communionis sunt distinctæ partes seu gradus, unde dici potest communio partialis & totalis. Illa, partem seu gradum aliquem; ista, omnes complectitur. *Totalem* communionem habet, qui omnibus privilegiis & ritibus Ecclesiæ participat; *Partialem*, qui aliquibus. Jam facilè concedimus, neminem obtinere communionem Ecclesiæ exteriorem totalem, nisi qui per baptismum ablutus & sanctificatus est: sed neminem ullo modo Ecclesiam ingredi citra baptismum, falsum est. Qui enim audit verbum, fidem profitetur & disciplinæ Ecclesiæ se subjicit, is jam ingressus est Ecclesiam, saltem quoad gradum aliquem communionis. Certè Apostolus 1. Corinth. 6, 11. non docet, quod jactat Sophista. Ablutos, sanctificatos, justificatos esse, dicit; ingressum in Ecclesiam non fieri nisi per baptismum, non dicit. Sic Valentinianus Imperator ingressus erat Ecclesiam, ejusque habebatur membrum. Alioqui Ambrosius salutem illi æternam non esset gratulatus. At sine baptismo decesserat. Ideo Pater, *detersâ*, inquit, *labe, peccatis ablutus adscendit, quem sua fides lavit & petitio consecravit.* Tertia causa de Ecclesia catholica, quâ est universitas sanctorum, vera est: At sic non intelligitur à Sophista. Loquitur enim de visibili. De hac non simpliciter vera. Nam fieri potest, ut verè fidelis hactenus versetur extra Ecclesiam visibilem; quatenus non est membrum ullius particularis Ecclesiæ. Nempe si vel paganus, vel Judæus, in regione aliqua, ubi non sunt Christiani cœtus, lectione Scripturæ, vel colloquio ad veræ fidei cognitionem adducatur, & cõstituat se primâ occasione veræ Ecclesiæ adjungere; Is versatur extra Ecclesiam visibilem. Sanctus tamen, quia habet fidem, per quam purificantur corda nostra. Papista vix refragari potest. Ponit enim Catechumenos fideles extra corpus Ecclesiæ. At illi sunt sancti. Ergo in quibusdam potest esse sanctitas extra visibilem Ecclesiam. Non esse potest extra Ecclesiam sanctorum catholicam.

V. Jam colligamus appellationis causas. Sunt illæ variæ, & quidẽ desumuntur primò ab efficiente. Habet Deum Patrem sanctum, à quo electa; sanctum caput, Christum, cui unita; Spiritum Sanctum sanctificatorem, cujus est templum, 1. Corinth. 6. Ab hoc vocatur vocatione sanctâ & à mundo separatur. Secundò, A materia: Continet non nisi sanctos, tanquam membra propriè dicta; Hinc Ecclesia & sanctificati habentur pro homonymis, 1. Cor. 1, 2. Tertiò. A forma, ratione justitiæ & sanctitatis, & quidem tum imputatæ, 1. Cor. 1, 30. 1. Johann. 1, 7. tum inhærentis, Eph. 5, 26. 27. 1. Corinth. 6, 11. Quartò. A mediis externis offerentibus, cujusmodi sunt verbum & sacramenta. Quintò. Ab organo interno apprehendente, quod est fides, Actor. 15, 9. Sextò. Ab operibus & exercitiis, quæ spectant Deum, proximum, nos ipsos, hostes. Deum sanctè colit, invocat, gratias agit, suos informat, docet hortatur, corrigit,

rigit, confirmat; alienos lucratur; seipsam conservat à malo, sanctimoniæ dat operam unicè: hostibus sanctè resistit, carnem domat, peccatum enervat, mundo & diabolo non cedit, crucem fert patienter.

VI. *Catholicam* appellari contendit Becanus 1. *Ratione loci, quia per universum orbem dispersa sit*, Marc. 16, 15. 2. *Ratione temporis, quia semper sit duratura*, Dan. 2, 44. 3. *Ratione hominum servandorum, quia quotquot salvantur, in visibili Ecclesia serventur, & nullus extra eam salvari possit.* Non hîc dicam, quàm bene conveniat Becano cũ sociis. Alii plures, alii pauciores causas memorãt. Hæc recẽsio est partim insufficiẽs, partim aliena. *Insufficiens*; omittitur n. causa Patribus à qualitate petita multumq; laudata, q̃ est professio universæ doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, quæ nisi addatur, parùm ad Ecclesiæ veritatem demonstrandam confert, universitatem loci & temporis laudare. Illa enim Judaismo quoque competit, quem per omnes gentes diffundi & ab initio novi Testamenti ad hæc usque tempora durasse, constat. *Aliena*; Etsi omnes quicunque servantur, in Ecclesia servantur, & nemo servatur extra Ecclesiam, non tamen omnes quicunque salvantur, in Ecclesia visibili servari necesse est, nec omnino nullus servari potest extra visibilem Ecclesiam. Vide numerum quintum. Ibi casum formavi, qui nequit solidè negari. An non enim paganus vel Judæus, qui non est Ecclesiæ visibilis membrum, non possit lectione Scripturæ, aut hominis pii colloquio, Dei gratiâ eum illuminante, cõverti? Is si moriatur, priusquàm particulari Ecclesiæ se adjungat, annon poterit servari? Omnino poterit; Christus enim fallere non potest, qui dixit, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et quisquis vivit & credit in me, non morietur in æternum*, Johan. 11, 25. 26.

VII. Nos absolutè catholicam, id est, electorum Ecclesiam sic nominari, existimamus, quia omnes electos comprehendit, qui fuerunt ab initio & hodie sunt, & qui usque ad finem seculi sunt futuri in orbe universo. At Ecclesia limitatè catholica, id est, quâ parte in novo Testamento in his terris militat, sic appellatur primò respectu Ecclesiarum particularium, ex quibus constat, tanquam totum ex partibus. Secundò. Respectu doctrinæ, quia universam doctrinam Propheticam & Apostolicam amplectitur. Hanc rationem Augustino quidem proponebat Vincẽtius è Rogatiana hæresi, at Augustinus n improbabat, imò & ipse & alii Patres approbarunt. Sed & approbata est Gregorio de Valentia. Hûc pertinet, quòd Theodosius, lege latâ, decrevit, ut illorum duntaxat Ecclesia diceretur catholica, qui Trinitatem divinam æquali honore colerent, apud Sozomenum lib. 7. Hist. c. 4. Quo sensu non una, sed plures sunt Ecclesiæ catholicæ; unaquæque enim particularis Ecclesia, rectè de Deo sentiens, catholica dicitur. Unde Augustinus Epist. 152. Catholicas transmarinas & catholicas Africanas Ecclesias distinctè nominat. Sic Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 13. scribit, nominari catholicam, quia doceat universaliter & perfectè omnia dogmata, quæcunq; homines tenentur cognoscere. Tertiò. Respectu

Universidad de Deusto
Biblioteca

loci, quia per universum orbem est diffusa. Hanc Patres aliquando solam expendunt, ut Augustinus Epist.170. *Ipsa*, inquiens, *est Ecclesia catholica: unde καθολικὴ græcè appellatur, quòd per totum orbem terrarum diffunditur.* Aliquando cum præcedente conjungunt, ut idem Augustinus lib.1. de Genesi ad liter.c.1. *Ecclesia*, inquiens, *catholica dicitur ex eo, quia universaliter perfecta est, & in nullo claudicat, & per totum orbem diffusa est.* Optatus Milevitanus libr.2. Contra Parmenianum; *Ecclesia inde dicta catholica, quòd sit rationalis & ubiq; diffusa.* Quod ego quidem non sic accipiendum putem, quòd necessariò semper in omnibus provinciis & majore mundiparte reperiatur. Id enim perpetuum non esse, ostendit tum vaticiniorum auctoritas, Luc.18,7. 2. Thessal.2,9.10. Apocal.12,6. cap.17,2.3.4. tum experientia. Cùm Arianismus torrentis instar orbem pervaderet, vera Ecclesia redigebatur in angustias. Nec necessariò Ecclesia semper numero vincit alios cœtus, juxta illud Nazianzeni serm. contra Ar. *Ubi illi sunt, qui multitudine Ecclesiam definiunt & exiguum gregem adspernantur?* Agnoscunt interdum Papistæ vaticiniis & experientiâ convicti. Inter alios Costerus in Enchiridio cap.2. scribit: *In Apocalypsi prædixit Apostolus, novissimis temporibus cœlum recessurum ad instar libri involuti, hoc est, Ecclesiam, quæ priùs latè patebat, in angustias contrahendam. Non enim ex eo dicitur Ecclesia catholica, quòd eodem tempore totius orbis ditiones occupet; hoc quippe ne in hunc usque diem fortassis contigit.* Sonnius lib.2. Demonstr. Relig. Christian. tract.8. cap.3. *Parùm*, inquit, *facit ad rem, sive temporibus divi Hieronymi fuerint impletæ Scripturæ, loquentes de Evangelio annunciando in universo mundo, sive non. Satis est credere, cõsummationem seculi non adfuturam, nisi priùs annunciato Evangelio in omnibus nationibus, quæ sunt sub cœlo.* Paulò pòst: *Quantum, obsecro, nunc patet per orbem habitabilem Ecclesia catholica? Vix tres ulnas longum, comparatione ejus vastitatis, quam possidet Ecclesia Satanæ. Cosmographi dividunt orbem habitabilem à seculis cognitum in tres plagas, Asiam, Africam & Europam. Quorum pars longè minima est Europa: & ea sola nunc paret Evangelio Christi, nec tamen tota. Quoniam non modicam ejus portionem jam fortiter occupavit Mahumetica perfidia, nempe Græciam, Dalmatiam, Bulgariam, Ungariam &c. Quod antè reliquum manet Christo, sic turbant, sicque dividunt hæreticorum pestes, ut etiam illi metuenda sit extrema desolatio.* Tum quia non est alligata ad certum locum, nullam excludit regionem, vel nationem, (sic Augustinus de un. Eccl.c.6.) tum quia licet non simul sit in omnibus locis, migrat tamen de loco in locum, & sic totum obit orbem; quam successivam diffusionem considerat Hieronymus Comm. in c.45. Jesaiæ. Quartò. Respectu temporis, quia semper fuit, est, & durabit usque ad consummationem seculi, Matth.16,18. Jesa.9,7. Etsi non eadem semper fuerit & futura sit ejus facies. Quintò. Respectu personarum; quia omnis generis personas semper pariter continet, nullum sexum, ætatem, nationem, cõditionem excludit, Actor.10,35. Galat.3,28. Ephes.2, 14. Coloss.3,11. Primo modo distinguitur ab

ab Ecclesiis particularibus, de quibus prædicatur quidem, quatenus est Ecclesia, non autem quatenus est Ecclesia aggregata ex omnibus. Secundo distinguitur à particularibus omnibus Ecclesiis, seu cœtibus hæreticorum; tertio, quarto & quinto distinguitur omnino à synagoga Judaica. Hæc enim ad certum locum erat alligata, ordinariè existebat in sola Palæstina, & durare tantùm debuit usque ad Messiæ tempus; denique colligebatur ordinariè ex posteris Abrahami. Non quòd gentibus simpliciter esset præclusus aditus, sed quòd ordinariè esset penes Abrahami posteros secundùm carnem. Qui verò ex Gentibus accedebant, distinguebantur à cæteris, Proselytorum titulo, quod discrimen sub gratia novi Testamenti prorsus cessavit.

VIII. Cæterùm ex tribus nominis catholici rationibus à Becano allatis tria colligo. *Primum* est. Id nomen Ecclesiæ non imposuisse Apostolos, vel inseruisse Symbolo, quod affirmat Baronius tom.1. ad annum Christi 43. num.17. Opinantur enim Papistæ, Apostolos ante suam in omnes terras profectionem Symbolum condidisse. At eo tempore Ecclesia nondum per universum orbem diffusa erat, sed angustis continebatur limitibus. *Secundum.* Nomen *catholicæ* inter Ecclesiæ notas pessimo exemplo recenseri à Papistis. Non dicam, quòd essentialis nota à rei natura petatur, at nomen voluntate hominum imponatur. Res per se patet. Non dicam, quòd falsæ Ecclesiæ eundem titulum sibi arrogent; Me tacente testantur Veteres. Lactantius lib.4. cap.30. *Singuli quique cœtus hæreticorum, se potissimùm Christianos & suam esse catholicam Ecclesiam, putant.* Salvianus lib.5. de Providentia, de sui temporis hæreticis; *in tantum se catholicos judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ depravationis infament.* Idem de Donatistis affirmat Augustinus Epist.48. Illud tantùm urgeo, quòd perpetuam durationem hoc nomine comprehendi, nobis haud invitis, Becanus dicit. Hinc concludo: notam non esse infallibilem. Speramus enim perpetuam durationem Ecclesiæ, quippe quæ ad futurum tempus pertinet; non videmus præsentem. At nota, quâ hodie dignosco Ecclesiam veram à falsa, debet esse res præsens, aut præterita. Non dico, quâ differt, sed, quâ dignosco. Differre enim etiam potest eâ re, quæ demum futura est: Verùm non dignosco hodie unum ab alio per id, quod nondum actum est, sed futurum est. *Tertium.* Romanam Ecclesiam non esse catholicam. Nam multi jam olim extra eam servati sunt. Servati fideles Corinthii, Ephesii, Colossenses, Thessalonicenses, qui non magis erant in Ecclesia Romana, quàm Romani in Ecclesia Corinthiaca, Ephesina, Colossensi, Thessalonicensi. Hîc nihil addo ampliùs. Infrà, Deo volente, pluribus applicabo.

IX. Porrò Ecclesiam *Apostolicam* nominari, scribit, 1. Quia *in Apostolis initium habuerit.* 2. Quia *ab Apostolis per orbem terrarum propagata sit*, Rom.16,18. 3. Quia *sequatur doctrinam Apostolorum*, Gal.1,18. 4. Quia *retineat successionem Episcoporum ab Apostolis.* Non exprobrabo Jesuitæ dissensum Papistarum. Per se manifestus est, inprimis inter Stapletonum & Beca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

num. Ille enim negat, Ecclesiam apostolicam nominari propter doctrinam Apostolicam literis comprehensam. Iste non negat. Prima causa vera est. Apostoli enim primitias Spiritus acceperunt, illis accesserunt alii. In illis igitur habuit Ecclesia initium, non ut in fundamento, quod vaniter contendit Gregorius de Valentia hâc parte à Becano desertus, sed ut in ministris & membris primariis. Secunda similiter vera, quam his verbis explicat Tertullianus lib. de Præscript. cap. 20. *Apostoli in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgarunt, & proinde Ecclesias, apud unamquamq; civitatem, condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum.* Sed & tertia rectè se habet, & jam olim urgebatur à Tertulliano contra hæreticos, *Ad hanc*, inquiente, *itaque formam (ut consensum doctrinæ probent,) provocabuntur (hæretici) ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis viris auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes non minus apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.* Verùm cavenda hîc fraus est Papistarum, sub augustissimo apostolicæ doctrinæ nomine, immensam traditionum non scriptarum farraginem nobis obtrudentium. Becanus nudè doctrinam Apostolorum nominat; sed Gregorius de Valentia disertè traditiones Scripturæ contradistinctas urget, libr. 6. anal. fid. c. 3. Nos igitur intelligamus, Ecclesiam apostolicam dici propter doctrinam scriptâ. Quod n. prædicarûnt Apostoli, idem scripserunt postea, teste Irenæo.

X. Cæterùm de duobus pium lectorem hîc moneo. Primò ab ipso Jesuita viam ostendi, quâ tutò inveniatur inter tot cœtus, diversum sentientes, Ecclesia verè apostolica. Quæ doctrinam Apostolorum sequitur, ea est apostolica; quæ non sequitur, ea non est. Secundò, hanc viam esse omnium certissimam, compendiosissimam & omni tempore æquè expeditam. *Certissima* est; Primò enim non alius cœtus sequitur doctrinam Apostolorum, quàm vera Ecclesia. Deinde scire volenti, an cœtus habeat doctrinam apostolicam, lucem præfert Scriptura fallere nescia. *Compendiosissima* est, quia ad hanc rem cognoscendam unus codex sufficit, nempe biblicus. *Omni tempore æquè expedita*; Scriptura enim omni tempore Apostolorum doctrinam æquè perspicuè sub adspectum collocat. Inde omni tempore æquè certò agnosci potest, an Ecclesia retineat doctrinam apostolicam. Qui igitur aberrare non vult, is hanc viam ingrediatur. Quid juvat. Ecclesiam in Apostolis habuisse initium? Quid, ab Apostolis esse propagatam, nisi eorum doctrinam retineat? At hanc si teneat, de reliquo securo esse licet Christiano. Agite igitur, ô Papistæ, insistite nobiscum hanc viam, quam Becanus vester commendat. In id incumbite, ut cognoscatis, quænam Ecclesia doctrinam Apostolorum sequatur. Illi vos adjungite. Sed vide, quàm miserè plebi Papisticæ illudant Præsules & Jesuitæ! Becanus hîc ostendit certam Ecclesiæ veræ inveniendæ

dæ viam, & tamen populum eam ingredi tum ipse, tum socii prohibent. Doctrina enim Apostolorum in Scriptura legitur. At Papistici Præsules cum Jesuitis populo lectione Scripturæ interdicunt. Ecclesia vera ex doctrina apostolica agnoscitur: Priùs igitur cognoscenda est doctrina Apostolica. Ea cognoscitur è Scriptura. Hæc igitur legenda, ut Ecclesiam apostolicam à non apostolica discernas.

XI. Restat appellationis quarta ratio, de qua sic tenendum. Primò successio Episcoporum ab Apostolis insigne est Ecclesiæ ornamentum, si conjuncta sit doctrinæ successio. Secundò. Ubi doctrinæ successio non est, parùm valet successio Episcoporum, quamvis ab ipsis Apostolis deducta. Quid juvabat Judæos Sacerdotum successio ab ipso deducta Mose, cùm Mosaicam doctrinam non sequerentur? Num plus valet successio Episcoporum ab Apostolis repetita? Nemo dicet. Certè nemo probabit. Irenæus successionem *doctrinæ* principalem nominat lib. 4. cap. 43. Ideo priùs de doctrina videndum est, cùm ista res agitur. Sequela doctrinæ præbet argumentum necessarium: Nuda Episcoporum successio non præbet: Id quod hinc manifestum, quia etiam hæreticæ Ecclesiæ competit. Papistæ ipsi confirmant. Nam Constantinopolitanam, Antiochenam & Alexandrinam Ecclesias inter schismaticas & hæreticas numerant. At Constantinopolitana successionem Episcoporum ab Andrea, Alexandrina & Antiochena à Petro deducit. Tertiò. Qui per successionem Episcoporum ab ipsis Apostolis repetitam ad dignoscendam veram Ecclesiam hodie nos ducere conantur, ii ostendunt viam non necessariam, ambagiosam, impeditam atque prorsus incertam. *Non necessariam*: Aut enim verè est apostolica Ecclesia, quæ doctrinam Apostolorum sequitur, aut non est. Si non est, cur Becanus hanc appellationis rationem attulit? Si est, non opus est, curiosè scrutari Episcoporum successionem. De doctrina enim constare potest ex Scriptura, ut nihil nobis de successione Episcoporum constet. *Ambagiosam*: Si scire cupiamus, qui Episcopi Ecclesiis ab Apostolorum tempore præfuerint, quorumque doctrinam singuli tenuerint, multa & magna Græcorum & Latinorum legenda sunt volumina. Ocium tibi sit & facultas omnia perscrutandi; quanti faciendi sumptus ad comparanda tot volumina? Quantum laboris ac temporis impendendum erit, ut de Ecclesiæ veritate certus reddaris? *Impeditum*: Maxima Christianorum pars non potest ingredi. Quotusquisque enim tot Græcorum & Latinorum Auctorum commentarios evolvat? Certè populus non potest. Multi alii non possunt. Denique *incertam*: Multis enim Ecclesiis incerta est successio ob historiæ defectum. De iis quid fiet? An judicium de illis certum ferri non potest? Canones Papistici docent, electionem Episcoporum nullam esse, si vel largitionibus, aut aliis iniquis modis sit facta. Quis nobis certò affirmet, nihil ejusmodi in Ecclesiis, quæ successionem Episcoporum prætendunt, unquam contigisse? At eo casu interrumpitur successio.

XII. Hinc quatuor colligo. *Unum* est; Etsi Ecclesia aliqua successionem Episco-

scoporum ab Apostolis monstrare non possit, nihilominùs esse Ecclesiam apostolicam, modò retineat doctrinam apostolicam in Scriptura propositam. Sic jam olim Tertullianus. Verba suprà recitavi. *Secundum.* Nullam Ecclesiam hodie cogi debere, ut Episcoporum suorum successionem ab ipsis deducat Apostolis. Cùm enim compendio ire tutò liceat, cur viatorem ad ambages compellas. *Tertium.* Ecclesiam pro verè apostolica non habendam esse, si veritatem doctrinæ apostolicæ non teneat, etsi ordo Episcoporum ad originem recensus in Apostolos stet auctores. Sic Irenæus libr. 4. c. 43. ubi Franciscus Feyardentius in Annotationibus scribit; *Successioni vult veritatem doctrinæ junctam esse: aliàs nec audiendi, nec pro Apostolorum successoribus agnoscendi sunt, qui illorum doctrinæ & traditionibus adversantur, quamvis sedes eorum occupent.* Illud de doctrina rectè dicitur; Rectè quoque de traditionibus, quæ sunt cum Scriptura. At de traditionibus sensu papistico dictum relinquere Papistis memineris. Non ea mens Irenæi. *Quartum.* Papistas successionem Episcoporum ab Apostolis malè numerare inter notas Ecclesiæ.

XIII. Inquis: *At veteres Patres ad Episcoporum successionem crebrò provocarùt.* Magnum est temporis, occasionis, sensus discrimen. *Temporis:* Irenæus & Tertullianus hæreticis successionem Episcoporum opponebant, cùm recens ejus esset memoria. Irenæus enim sub Eleutherio Episcopo Romano scripsit, quem duodecimum ab Apostolis nominat. Sed & ad Polycarpum provocat, quem ipse adolescens viderat, lib. 3. c. 3. Ab eo tempore ad nos quatuordecim, & quod excurrit, seculorum est intervallum. Nemo mihi persuadebit, tam certam & exploratam esse successionis historiam hodie, quàm tum erat. *Occasionis*; Patribus certamen erat cum hæreticis, qui si per Scripturas arguerentur, in accusationem convertebantur ipsarum Scripturarum. Sic Irenæus lib. 3. c. 2. Sed & aliqui Scripturas corrumpebant, de suo, quod vellent, asserentes, & dementes, quod legi nollent, quo nomine Marcionem passim accusat Tertullianus. Imò hæreses quædam, ut libro de Præscriptione idem Tertullianus refert, audebant interserere se ætati apostolicæ, ut ideo viderentur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuissent. His inter alia argumenta Patres successionem Episcoporum exploratam non immeritò opposuerunt. Nostrorum certaminum alia ratio. Denique *sensus*: Patres provocabant ad successionem Episcoporum eandem doctrinam cum Apostolis profitentium, & de successione Episcoporum ex doctrina judicari volebant. Contrà Papistæ nudam Episcoporum successionem superbè jactant, nec permittunt, ut ex doctrina de cathedra judicemus. Clamant, Papam Romanum de cathedra docentem errare non posse. Hoc Patribus in mentem non venit.

XIV. Audiamus. Irenæus lib. 4. c. 47. *Quapropter*, inquit, *eos, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopali successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patrum acceperunt: Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere.* Gregorius Nazianzenus orat. 31. in laudem Athanasii, *qui*, inquit, *eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoque throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius quoque in throno censeri debet. Atque hæc quidem nomen, illa verò rem ipsam & veritatem habet successionis. Neque enim qui per vim irrupit, successor habendus est, sed qui vim perpessus est: nec qui contrariam sententiam tuetur, sed qui eadem fide præditus est. Nisi quis fortasse ita successionem dicat, quemadmodum morbum sanitati & tenebras luci, tempestatem tranquillitati & dementiam prudentiæ succedere dicimus.* Multò aliter Papistas sentire, in vulgus notissimum, nec facilè quisquam est tam stupidus, qui ignoret, sedi Romanæ infallibilitatem alligare. Quid? Symmachus Papa sanctitatem affigit sedi, Cap: *Nonnos*, Distinct. 40. cùm ait, *Quis sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci decessore præstantur.* Nos teneamus sententiã Tertul. l. de Præscriptio: *Cõfingant hæretici* (Papistæ) *se apostolici seminis traduces habere. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina cum apostolica comparata ex diversitate & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici; quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis desciverunt & aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minùs apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.*

XV. Becanus ait, Ecclesiam SPONSAM CHRISTI dici, *quia Christus indissolubili vinculo eam sibi conjunxerit*, Hosc. 2, 19. Ephes. 5, 31. Non repugno. Est omnino jucundus hic titulus. Ut enim sponsus sponsam sibi despondet, diligit, subarrhat, vestit, defendit, domum ducit, alit, sic Christus Ecclesiam. Becanus tria illi tribuit privilegia, quæ nulli unquã sponsæ obtigerint. Nempe 1. Quòd *sit fœcunda*. 2. Quòd *semper virgo*. 3. Quòd *ex latere Sponsi progenita*. Primum probat ex Galat. 4, 31. Secundum ex 2. Cor. 11, 2. Tertium ex Joh. 19, 34. Jam quidem nihil eorum abnuo, cùm de Ecclesia absolutè catholica & exquisitè dicta verè fidelium universitate sermo instituitur, de qua Apostolus agit Ephes. 5, 25. 32. De hac Apostolum loqui, agnoscunt Colonienses in Enchiridio Christian. Instit. in Symb. Apost. *Talem*, inquientes, *Ecclesiam constantẽ tantùm ex membris participibus vitæ spiritualis & occulta quadam connexione in spiritu charitatis cohærentibus Apostolus Paulus describit* Ephes. 5. *Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Item; *Hæc* (Ecclesia) *describitur hortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum. Quod intelligere non*

Universidad de Deusto
Biblioteca

non audet Augustinus (lib.5. de Baptismo contra Donat.c.27.) nisi in sanctis & justis, non avaris, non fraudatoribus, rapacibus, ebriosis & invidis, quibus baptismum habuisse, cum justis commune est, cum quibus non habent communem charitatem. Numerus ergo justorum, qui secundùm propositum vocati sunt, de quibus dictum est, Novit Dominus, qui sunt ejus, ipse est (sponsa) hortus conclusus, fons signatus &c. At Sophista Ecclesiam Romanam intelligit, ut patet à conclusione quinta. Illi, sive primam, sive sequiorem atque modernam nomines, fœcunditatem facilè permittimus; perpetuam virginitatem non permittimus. Ortum ex Sponsi latere primæ tribuimus; sequiori atque modernæ non tribuim⁹, si scilicet formaliter pro cœtu accipiatur, Romani Pontificis, ut capitis, doctrinam ductumque sequente. Si verò loquitur de Ecclesia, seu cœtu vocatorum militante visibili, sive particulari, sive universali, itidem primum & tertium privilegium ei competere, agnosco; secundum non agnosco. Nam Ecclesia Hierosolymitana & tota Judaica aliquando erat virgo; facta tamen meretrix. Testis Propheta clamans, *Quomodo effecta est meretrix urbs fidelis*, Jes.1,21. Testis Propheta criminis ream peragens Israëliticam & Judaicam Ecclesiam his verbis, *Itaque visum est mihi omnibus de causis, quibus de causis adulterata est aversa Israël, dimittere eam, & ei dare libellum repudii, nec tamen timuit perfida Jehuda soror ejus, sed abiens ipsa scortata est quoque.* Jerem.3, 3. Testis Propheta duas sorores Ahalam & Ahalibam palàm arguens Ezech. 23. Sic tota visibilis Ecclesia veteris Testamenti isto tempore virginitatem perdiderat, idque non actu conjugali, sed meretricio. Et tamen illam Deus sibi desponsaverat. De perpetua visibilis Ecclesiæ novi Testamenti virginitate promissionem non habemus. Virgo erat Apostolorum tempore. Diu puram incorruptamque virginem non mansisse clarè testatur Egesippus apud Eusebium libr. 3. Hist.c.29. Quid dicturus, si posteriora secula vidisset? Ex illorum n. historia & tristi experientia constat de corruptione. Virginitas quid est? *Integra fides, solida spes, sincera charitas*; Augustinus Tract. 13. in Johan. Orientales Ecclesiæ florem virgineum servarunt aliquandiu; at depasti eum sunt postea hæretici. Illis tandem successit Muhammedes. Papistæ agnoscunt, istas virginitatem perdidisse & omnes particulares posse perdere: Solam Romanam non posse, dicunt; idque tam fidenter, quasi ignota esse omnibus possit Romanæ Ecclesiæ multiplex scortatio, jam olim prædicta à Johanne Apoc. 17. & multis annis exercita tristibus exemplis.

XVI. Becanus objicit desponsationem apud Hoseam descriptam, & sententiam Apostoli 2. Corinth.11. Neutra obstat. Nã primò fedus sponsalitium inter Deum & Ecclesiam firmum manet respectu electorum & verè fidelium, etsi Ecclesia visibilis fidem violet. Illos Deus conservat usque ad finem, nec perit ullus, etsi totus visibilis cœtus alienis implicitus amoribus Sponsum suum deserat. Vis exemplum? Do, & quidem quod sæpius dedi. Septem millia Deus sibi servabat, scortante totâ visibili Israëlitica Ecclesia. Negare non potes, nisi Prophetæ, Apostolo & Deo ipsi in faciem protervè contradicas. Idem facit in novo Testamento juxta Christi preces; *Pater sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum, prout & nos*, Johan.17, 11. Si dicas, desponsionem esse adæquatam causam perpetuæ virginitatis, aut omnes Ecclesiæ particulares infallibiliter servabunt virginitatem, aut dicendum est, nullam particularem Ecclesiam esse Christo desponsatam. Utrumque falsum. *Posterius* quidem; Testis enim Apostolus, se Corinthiacam Ecclesiam desponsisse Christo, quam omnes norunt, fuisse particularem. Quæ illius erat ratio, eadem aliarum. *Prius* falsum esse, exemplis nimiùm multis constat. Nam plurimæ virginitatem prostituerunt. Omnes prostituere posse, exceptâ Romanâ, ut dixi, fatentur Papistæ. Ete Romana, frustrà negant; experientia eos revincit, & pridem in plateis audita est vox viri publicè clamantis, *suam esse sponsam*: Est vox Bonifacii Octavi Cap. *Quoniam*. Sexto Decr. *de immunitate Ecclesiarum*. Quæ si vera, quomodo illa virgo? Si falsa, cur admisit? cur alienum virum amplexa est utrâque ulnâ? Cur rem cum illo habet? Nisi fortè Pontifex non est alius vir, alius Christus, aut hic sponsæ suæ permisit virum secundarium, cujus amoribus fruatur virginitate salvâ.

XVII. Secundò. Quòd Apostolus dicit, *præparavi vos, quos uni viro, ut virginem puram sistam nempe Christo*, eo nec prædicit, nec promittit perpetuam Ecclesiæ virginitatem, sed suum studium, zelum & scopum commendat. Pronubi

partes fidelissimè egerat, conjunxerat Corinthios Christo, idque ut ei adhærerent fide constante, non admittentes alienos procos, aut adulteros. At pseudapostoli insidias struebant virgini, & metuit Apostolus, ne quo modo, sicut serpens ille Evam seduxit calliditate suâ, ita corruptæ mentes ipsorum degenerent à simplicitate, quæ est in Christo, 2. Cor. 11,3. Quem metum non fuisse inanem, nimis tristiter eventus comprobavit. Degeneravit enim Ecclesia Corinthiaca à Pseudodoctoribus fœdum in modum deflorata. Adeò ut vix alio testimonio quàm apostolico nobis sit opus, quo probemus, Ecclesiam veram visibilem virginitatem suam posse deperdere. Quod enim uni contigit, cur non alteri possit contingere, nisi privilegium speciale obstet? At nulla est visibilis Ecclesia, cui præ reliquis datum sit hoc privilegium: Imò nec legimus, datum toti visibilium Ecclesiarum universitati, seu toti visibili Ecclesiæ.

XVIII. Restant adhuc duo tituli Ecclesiæ. Becanus igitur dicit, *Ecclesiam appellari domum Dei, quia tametsi Deus ubique sit, tamen peculiari modo habitet in Ecclesia, tanquam in domo sua, propter specialem assistentiam & gubernationem, ut Conclusione quartà explicandum sit. Hanc domum ipsum sibi ædificasse supra firmam petram, ut nunquam ruitura sit.* Matth.16, 18. & Primò. Ecclesiam *domum Dei* appellari, consensus est. Nec dubia appellationis ratio, quia videlicet Deus, peculiari modo, habitat in Ecclesia, tanquam sua domo, propter specialem assistentiam & gubernationem. Sed in eo res versatur,

quomodo assistentiam intelligas. De sensu Papistarum quidem videbitur plenius infrà, loco suo, quò nos Becanus remittit. Hîc tamen fraus cavenda in antecessum. Tam particularis, quàm absolutè catholica Ecclesia, quæ omni tempore per totum orbem fuit, est, & erit, est domus Dei, utrique competit assistentia Spiritus Sancti: at non utrique eodem modo & gradu. Absolutè catholicæ competit assistentia perpetua & indesinens simpliciter usque ad finem mundi; Particulari non competit simpliciter & absolutè perpetua & indesinens, sed quamdiu constanter in fide perseverat. Proinde ex titulo *domus Dei* non potest præcisè concludi assistentia perpetua & indesinens. Patet exemplo Ecclesiarum, quondam florentissimarum, Corinthiacæ, Ephesinæ, Philippensis, Colossensis, Thessalonicensis, Smyrnensis, Philadelphiensis; Illæ fuerũt verè domus Dei, & habuerũt assistentiam Spiritus Sancti, non tamen habuerunt perpetuam & indesinentem. Idẽ verũ de quavis Ecclesia particulari. Imò idem verum de tota visibili. Secundò. Christus, ut infrà patebit, loquitur apud Matthæum de Ecclesia, seu verè credentium universitate tota, quam omnino sic ædificavit ipse sibi supra firmam petram, ut licet variè tentetur, nunquam tamen sit ruitura. Quòd autem Christus sic ædificaverit hanc domum, ut nec particulares Ecclesiæ, nec tota particularium cœtuum congregatio sit unquam ullo modo ullâve parte ruitura, nos non legimus Matth.16,18. Sed novimus, aliud esse inferorum portas nõ prævalituras esse adversùs Ecclesiam Christi, seu totam verè fidelium universitatem, aliud Ecclesiam visibilem nunquam esse ruituram, ratione omnium particularium Ecclesiarum Multitudo enim electorum, qui ut sunt melior pars Ecclesiæ visibilis, sic soli sunt vera membra Ecclesiæ absolutè catholicæ, manet usque ad finem fundata in petra, quæ est Christus. At multas Ecclesias visibiles non solùm ruisse, sed etiam corruisse, docet res ipsa.

XIX. *In hac domo*, inquit Becanus, *habet Deus dispensatorem familiæ*, Luc.12,42. *In hac generat filios per baptismum, instituit per prædicationem Evangelii, nutrit per Eucharistiam, sanat per pœnitentiam & extremam unctionem, in hac omnis generis vasa, aurea & argentea, lignea & fictilia.* 2.Timoth.2,20. *In hac celebrat convivium nuptiale*, Matth.22. *Denique extra hanc neminem salvum esse vult.* Num.16. Primò verum, Deum habere dispensatorem familiæ suæ, nempe Christum, habere unum subalternum oeconomicum dispensatorem, nec verum, nec constat à Luc.12,42. A quo enim verbo constat? Num ab eo, quòd dispensator nominatur in singulari. At etiam paterfamilias & fur in singulari nominatur, neque tamen necessariò unus numero intelligitur. Nec sanè uni, sed omnibus Apostolis applicatur v.40. Nec vel Petrus de se solo, sed de se & Apostolis quærit, nec Christus de solo Petro, sed de omnibus Apostolis & doctoribus omnibus respondet. Secundò. Dubio caret, Deum in Ecclesia, quæ ipsius domus est, generare filios; Et genitura filiorum Dei baptismo rectè adscribitur; at soli non rectè; competit enim verbi quoque prædicationi, 1.Petr.1, 13. unde Paulus ait, *in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*, 1.Corinth.4,15. Tertiò. Similiter nutritio benè quidem adscribitur Eucharistiæ, non tamen ad eam restringenda: Communis enim est verbo, 1.Corinth.3,2. 1.Petr.2,2. Idem de pœnitentia dictum puta, quam ego non ex mente Papistarum, sed Spiritus Sancti interpretor. Per illam sanat. Assumenta Papistica, cujusmodi est auricularis confessio & satisfactio, ne pilum ad sanitatem conferunt. Extrema verò unctio hîc ne nominari quidem meretur. Auctorem enim habet non Deum, sed hominem, penes quem non est auctoritas instituendi sacramenta. Ecclesia enim, quia domus non hominis, sed Dei, sacramentis Dei gaudet, & iisdem contenta, cultum non accipit ab hominibus. Sic quippe domus est, ut etiam sit Sponsa. Ut ergo non homini, sed Deo desponsata est, sic desponsationis signacula non alia agnoscit, quàm quæ Sponsus ipse instituit dispensanda per hominum ministerium. Ille nunquam per extremam unctionem quenquam sanavit, quod constet, nusquam declaravit, per eam se velle sanare. Jacobus unctionem commendat, qua æger sanetur; nec extremam, nec sanitatem spiritualem intelligit, de qua hîc loquitur Jesuita. Quartò. Varietas vasorum caret controversia: Itemque locus convivii nuptialis. Quomodo verò accipiendum sit, neminem salvari extra Ecclesiam, & dictum est suprà, & Deo nos juvante, paulò pòst explicabitur plenius.

XX. Denique Ecclesiam *columnam & firmamentum veritatis* appellat Apostolus. Jesuita rationem hanc edit, *quia sit columna firma & stabilis, quæ à veritate*

deflectere non possit, & sua firmitate & stabilitate sustentet suos filios, nec à veritate aberrent. Titulus insignis, qui dignitatem officii notat; impletionem perpetuam minimè notat; à veritate nunquam deflectere debere Ecclesiam, probat; à veritate ñ posse deflectere, minimè probat. Idq; nos vel ea ipsa Ephesina doceat Ecclesia, de qua scribit Apostolus. Illa erat columna & firmamentum veritatis; potuit tamen ab ea deflectere. Deflexit n. Sed ne res bis sit repetẽda, reservabimus hoc integrum ad Conclusionem quartã. Ibi recurret; ibi exactè tractandum erit; ibi patebit error Jesuitæ clarissimè.

Sect. IV.

An extra visibilem Ecclesiam aliquis salvari possit.

Conclusio Becani tertia hæc est, *Extra hanc visibilem Ecclesiam nemo potest salvari.* Illam ante omnia confirmat auctoritate Augustini & Gregorii M. Num.19. itemq; consensu Calvini & & Melanchthonis. Num.19.20. Dehinc causas expedit ab Augustino assignatas. Num.21. Tandem addit vaticinium Jesaiæ. Num.22. Papista confundit vocis Ecclesiæ diversa significata. Extra catholicam exquisitè dictam, id est, electorum verèque fidelium Ecclesiam neminem salvari, indubitatum. Qui enim non est electus, quique non credit, damnabitur. Extra unamquamque particularem Ecclesiam visibilem posse aliquem salvari, rursum caret omni dubitatione. Hoc solent agnoscere Papistæ. Sed etsi visibilem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiam de omnium particularium Ecclesiarum universitate accipias, extra eam tamen salus potest obtingere, idque etiã illo tẽpore, quo vera in terris Ecclesia omnibus conspicua est & floret, at non datur occasio se illi adjungendi, quod contingit duobus modis. Primò abducuntur fideles in Turciam, squalidis mãcipantur carceribus, illis soluti in perpetuam rediguntur servitutem, gignunt liberos, eosque vi à Turcis ad circumcisionem raptos educant in fide Christiana; Hi liberi cum parentibus, & illis defunctis vivunt inter infideles, nec possunt, ut maximè vellent se actu conjungere cum aliqua visibili particulari Ecclesia, in qua verbum prædicatum audiant à pastoribus, Sacramentis utantur, peccata sua confiteantur. Sunt igitur extra veram visibilem Ecclesiam. Num illis propterea salutem denegabis? verè pius non abjudicabit. Quis enim condemnet credentem, cui Christus salutem addicit? Sic fieri potest, ut vel paganus, vel Judæus in sacrum incidat codicem, eumque legat, aut etiam in familiari colloquio audiat de Christo, nec tamen mox credat, at pòst cùm inter infideles versatur, ab omni Christianorum remotus consortio, ex lectione Scripturæ, Deo lucem infundente, fidem concipiat & Ecclesiæ veræ, in qua Christus prædicatur, occasione primâ se adjungere animitus optet atque constituat. Hic si morte præventus ad plures abeat, priusquã ad Ecclesiæ communionem se recipiat, fidemq; suam in ejus conspectu profiteatur, an damnabitur? At credit in Christum. Deinde in medio Christianismo sit, ut aliqui nonnunquam excommunicentur injustè. Illi excluduntur à communione externa Ecclesiæ particularis & visibilis, neque tamen privantur salute. Fatetur Bellarminus, ratione additâ, quòd is sit adhuc in Ecclesia, animo, sive desiderio, licet non sit corpore, seu externâ communicatione.

II. Augustini auctoritas nobis non nocet. Ne enim nunc dicam, contra claram veritatem non valere auctoritatem hominis, non impugnat, quod nos docemus. Nam disputat adversùs eos, qui unitatem veræ Ecclesiæ malitiosè deserebant, contemnebant, impugnabant, qui, ut libro de unit. Eccles. c. 9. loquitur, malebant ei repugnare perversi, quàm communicare correcti. Adversùs illos fert sententiam, cùm c. 19. ait; *Ad ipsam verò salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.* Hìc loquitur de Ecclesia Sanctorum, quæ est in prædestinatis & vocatis secundùm propositum. De qua in præfat. in Ps. 47. (48) scribit, *Secundam ergo sabbati non debemus intelligere nisi Ecclesiã Christi: sed Ecclesiã Christi in sanctis, Ecclesiã Christi in his qui scripti sunt in cœlo, Ecclesiã Christi in his, qui mundi hujus tentationibus non cedunt. Ipsi n. digni sunt nomine firmamẽti. Ergo Ecclesia Christi in his, qui firmi sunt, de quibus dicit Apostolus*; Debemus autem nos firmi infirmitates infirmorum sustinere, *appellata est firmamentum.* De hac lòqui citato loco, patet. Dixerat enim capite præcedente; *Ego ipsam Ecclesiam requiro, ubi sit, quæ audiendo verba Christi & faciendo ædificat super petram, & audiendo & faciendo tolerat eos, qui audiendo & non faciendo ædificant super arenam. Ubi sit triticum, quod inter zizania crescit usque ad messem, non quid fecerint vel faciant ipsa zizania? Ubi sit proxima Christi in medio spiliarum malarum, sicut lilium in medio spinarum, non quid fecerint vel faciant ipsæ spinæ. Ubi sint pisces boni, qui donec ad littus perveniant, tolerant pisces malos pariter irretitos, non quid fecerint vel faciant ipsi pisces mali.* Nos non aliter sentimus. Extra Ecclesiam prædestinatorum & vocatorum secundùm propositum, neminem servari, apud nos quoq; certum. Nemo n. servatur nisi ad salutem p̃destinat⁹ & vocatus secundùm p̃positũ. Similiter idem Pater Ep. 50. ad Bonifaciũ de iis disserit, q̃ nolunt esse in unitate Ecclesiæ veræ, q̃ vidẽt & possunt ejus communionẽ obtinere, sed sunt extra eã, ut hostes. Patet ab ipsis verbis integris; *Proinde Ecclesia catholica sola corpus est Christi, cuius ille caput est salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus, quia sicut ipse dicit Apostolus*, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Non est autem particeps* (hæc verba omisit astutus Sophista) *divinæ charitatis, qui hostis est unitatis. Non habent itaque Spiritum Sanctum, qui sunt extra Ecclesiam.* Paulò antè dixerat; *Hoc est autem durius cordis usque ad finem huius vitæ, quã homo recusat, in unitate corporis Christi, quod vivificat Spiritus Sanctus, remissionem accipere peccatorum.* Verba Epistolæ 152. ad Donatistas non majorem habent difficultatem; *Quisquis ergo ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumvis laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manebit super eum.* Loquitur de iis, qui, vinculo unitatis rupto, à vera visibili Ecclesia sponte suâ discedunt, sine causa justa, cùm possent & deberent in ejus communione manere. Patet à circumstantia temporis & verbis. *A circumstantia temporis*; Tum enim florebat vera Dei Ecclesia, ut ad eam Donatistæ se possent conferre, modò vellent. A *verbis*; Disjunctionem enim scelus appellat, quod non est in eo, qui vel non videt aliquam Ecclesiam Dei veram & puram, cui se conjungat, vel si videt, non potest se illi associare aliunde impeditus, cùm in ea etiam visibiliter versari maximè desideret.

III. Eadem mens est Calvini, cùm lib. 4. Instit. c. 1. §. 4. explicat, quàm utilis nobis sit Ecclesiæ cognitio & necessaria. Ordinariam viam commendat, cùm ait, *quando non alius in vitam est ingressus, nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi alat suis uberibus, denique sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus angelis.* Cùm verò scribit, extra gremium Ecclesiæ nullam esse sperandam peccatorum remissionem, nullam salutem, non docet, si fortè nusquam appareat vera & pura Ecclesia in mundo, cui te adjungas, vel ad eam corpore accedere non possis, desperandam esse salutem, sed non citra salutis periculum negligi Ecclesiam, ejusque communione contemptâ, alibi quæri remissionem peccatorum, cùm illa oculis apparet, & ad eam externus ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessus patet, in qua donum dispensatur. Est igitur externa conjunctio cum Ecclesia visibili necessaria quidem, at non simpliciter. Potest enim fieri aliquando, ut vel nusquam appareat ulla visibilis & illustris societas, quæ Deum purè colat, vel saltem accessus ad eam localis nobis denegetur. Tum sufficit conjunctio interior. Unde Calvinus l.l.§.3. *Cæterum*, inquit, *ad amplexandam eo modo Ecclesiæ unitatem, non opus est Ecclesiam ipsam oculis cernere, vel manibus palpare: quin potiùs eo, quòd in fide sita est, admonemur, nihilominùs cogitandam esse, dum intelligentiam nostram præterit, quàm si palàm appareat.* Non aliter sentit Philippus Melanchthon.

IV. Sex rationes ex Augustini serm: 181. de tempore, Jesuita profert. Sunt autem hæ: 1. Quia *in sola Ecclesia immolatur hostia redemptionis. 2. In sola vinea laborantes mercedem denarii accipiunt.* 3. *Omnes, qui extra arcam Noha fuerunt, diluvio exstincti sunt.* 4. *Membrum, quod non manet in corpore, vitam habere non potest.* 5. *Ramus præcisus ab arbore non potest germinare.* 6. *Rivus à fonte separatus arescit.* Non excutiam rigidiùs, an sermo ille sit Augustini. Lovanienses Theologi ex ordine sermonum de tempore in appendicem hoc argumento transtulerunt, quòd non sit Augustini. Id dicam primò, quòd Becanus non satis candidè recitat causas. Nam omittit & addit de suo pro lubitu. Omittit hanc causam, quòd in sola catholica Ecclesia mysteria superna veraciter contemplemur, item quòd radius solis naturaliter avelli nequeat à sole, quod habet Cyprianus libr. de unit. Eccles. De suo quartam rationem addit. Deinde omnes istæ rationes causam nostram minimè lædunt. Primò enim Auctor sermonis eas applicat Ecclesiæ, quam in Symbolo apostolico nos credere, profitemur. Extra hanc neminem servari, ultrò concedimus omnes, imò docemus constanter. Vineæ, arcæ Nohæ, arbori & corpori non particularis, sive Romana, sive alia, sed universalis omnium temporum Ecclesia respondet; In hac esse potest ac vitam tueri, qui non est in Romanæ vel alterius particularis Ecclesiæ communione, sed ab ea separatus. Potest enim esse in corpore Christi, ac vivere de Spiritu Christi, & ex fonte ipsius aquam vivam haurire, quisquis quocunque terrarum loco constitutus in illum verè crediderit. Id quod fieri posse extra communionem Romanæ Ecclesiæ, vel Orientales Ecclesiæ testantur. Nisi eis abjudices salutem. Secundò rationes intelliguntur de iis, qui Ecclesiæ unitatem deliberato consilio deserunt, tanquam hostes, & conjunguntur adulteræ. Id patet ex Cypriano. Is enim huc applicat.

V. Nec aliud inde probatur, quòd Christus est Sponsus Ecclesiæ, quàm neminem servari posse, nisi sit in communione Sponsæ. At à Sponsa non separatur, qui externâ communione sive particularis unius, qualis est Romana, Alexandrina, Constantinopolitana, sive omnium privatur, modò teneat fidei & charitatis vinculum. Extra Sponsæ consortium externum interdum salus esse potest; citra communionem, saltem internam, non potest. Becanus arguit; *Christus non est adulter, nec generat filios ex adultera. Ergo*

go non generat filios nisi ex sponsa sua Ecclesia. Nemo ergo filius Christi est, nisi matrem agnoscat Ecclesiam. &c. Certè Christus nec est adulter, nec filios generat ex adultera, tanquam ex ipsa, sed generat ex se ipso. Non enim dicimur nati ex Ecclesia, sed in Ecclesia ex Deo, Johan. 1, 13. 1. Joh. 1, 9. In nativitate prima & veteri dicimur ex matre nasci, non nudo matris ministerio, quia ex sanguine matris nascimur. At in nativitate secunda, seu nova, quæ est Spiritus, non nascimur ex sanguine matris, Joh. 1, 13. Ejus tantùm est ministerium; semen itemque lavacrum regenerationis est Patris, non matris semen & lavacrum. Ut igitur verissimum est, Christum non generare filios ex adultera, sic cum nullos generare in Ecclesia, quæ est adultera, non omnino universaliter verum. Sunt enim adulterii gradus. Adultera vel sic admittit adulteros in mariti torum, ut se mariti conjugem adhuc gerat, vel apertè in alienum torum convolat, marito abdicato. Sic Ecclesia vel tantùm mœchatur cum alienis, interim Christi veri Dei & hominis nomen usurpat, vel Christo Deo & homini nuncium mittit. In hac, qualis est Muhammedica, Christus non generat sibi filios: In illa generat, manet enim penes illam verbum Dei & sacramenta, quamvis opinionibus humanis corruptissima. Illa sunt Sponsi Christi, non adulteræ; Corruptio autem est adulteræ, non Christi. Verbum Dei est semen incorruptibile, ex quo renascimur, teste Petro. Circumcisio in veteri, baptismus in novo Testamento est sacramentum regenerationis. Christus efficax est per sacramentum suum, quandiu manet ejus substantia, quâvis ab adultera administratur.

VI. Probo exemplis. Sic tota visibilis Ecclesia Israëlitica erat adultera, Eliæ tempore, neque tamen Sponsus ibi cessabat sibi generare filios, quippe qui latebant numero septies mille, non quidem ex adultera, tanquam ex illa, sed in illa ex Dei verbo & sacramento geniti. Jehuda & Israël uno tempore scortabantur, Ezech. 23, 5. 11. & seqq. non tamen desinebat Sponsus generare filios. Num ex adultera, tâquam ex ipsa? Faceßat blasphemia! Et tamen tota visibilis Ecclesia erat adultera. Nec extra eam erat vel verbum, vel sacramentum Domini. Generabat igitur ex verbo, quod suum erat, non adulteræ semen; & per sacramentum generabat, quod suum erat, non adulteræ. Legebantur Moses & Prophetæ, & administrabatur circumcisio. Etsi verò adultera jactet illa, tanquam sua, iniquè tamen possidet. Non enim sunt illius, sed verè fidelium thesaurus, quorum coetus etsi latet sub visibili adulteræ societate, solus tamen est, exquisitè loquendo, sponsa Christi, propter quam adulteræ reliquum est verbum & sacramentum. Ubi admiranda est Dei sapientia, sæpe adulteræ ministerio hac in re sanctè utentis. Nam & illa Deo gignit filios, sacramentum regenerationis illis impertiendo, & Deus illos pro suis agnoscit, tantisper dum Ecclesiæ illi repudium non edixerit, quod fit cùm in alterius nuptias & torum convolat, Christum non ampliùs pro Deo, Domino, sponso & marito suo agnoscens. Res clara. Ecclesia Vetus visibilis erat adultera. Dixit Ezechiel multoties; dixit Jeremias c. 3. à v. 1. usque ad 9. Ni-

Universidad de Deusto Biblioteca

Nihilominùs pariebat Deo filios per circumcisionem. Testis Deus ipse Ezech. 16,20. ubi sic lego, *Praterea sumens filios tuos & filias tuas, quas pepereras mihi, hos mactasti illis consumendos, an minus hoc fornicationibus tuis?* Idem lego cap.23,45. Tempore Regis Josiæ Deus sibi genuit filios. Si non genuit in Ecclesia adultera, in qua tandem genuit? Nam postquàm fedus cum Judaica Ecclesia redintegrasset, (anno decimo tertio Josiæ) rediit illa ad vomitum. Ideo dicitur reversa ad Deum falsò, Jerem.3,v.5.

VII. Similiter tempore Christi in terra versantis Ecclesia Hierosolymitana erat adultera, & tamen pariebat Deo filios, quamvis postea illos corrumperet. Scribæ, & Pharisæi erant natio mala & adulterina (μοιχαλὶς) Matth.12,39.cap.16, 4. sicut γυνὴ μοιχαλὶς, Roman.7,3. & tamen habebant verbum Dei, ex quo illi generabantur filii, nominatim Zacharias, Elisabetha, Maria, Simeon, Anna, & quicunque exspectabat redemptionem Israëlis, Luc.1,5.6.30.c.2.25,36.37.38. Inde Christus jubebat facere, quod docebant Pharisæi sedentes in cathedra Mosis, Matth. 23,3. At à fermento Pharisæorum cavere jubet Apostolos, Math.16,6.12. Et c.23,11. objicit, quòd circumcurrant mare & terram, ut faciant unum proselytum, & cùm fuerit factus, faciant eum filium gehennæ duplo magis quàm ipsi sint. Sic post Christum Ecclesia Christiana adulterari cœpit, subortis hæresibus, non tamen cessavit Christo filios parere per baptismum in nomine S.S. Trinitatis administratum, donec publicè in alienum torum transiret. Nomino Asiaticam. Illa quamvis adultera facta, impertiit tamen baptismum, etiam grassantibus hæresibus, quem catholica Ecclesia non repetiit, sed ratum habuit. Peperit ergo Christo filios, donec palàm Christum repudiaret, Pseudoprophetæ Muhammedi conjuncta infelici connubio.

VIII. Papistæ tria tenent; *per baptismum verum Deo generari filios, & baptismum ab hæreticis collatum esse verum baptismum, neque iterandum*, denique *Ecclesiam hæreticorum esse adulteram.* Hæc stare non possunt, nisi fateantur, Ecclesiam quandam adulteram Christo generare filios. Si non generat, ergo non fit per illorum hæreticorum baptismum regeneratio, nec habendus ratus. Si habendus ratus & fit per eum regeneratio, omnino quædam adultera Christo generat filios. Neque tamen Christus ideo fit adulter, quo termino utitur Sophista, ad invidiam nobis conflandam. Sicut maritus non fit adulter, etsi cohabitet suæ conjugi, fidem non servanti. Nec Christus generat ex adultera: generat enim ex seipso in Ecclesia, quæ licet, quà visibilis est, & quoad publicum verbi ministerium, tota corrupta in alienos amores rapiatur, quatenus tamen est in electis & secundùm propositum vocatis, sponso suo fidem servat.

IX. Jam apparet, quid de consequentia Becani sit sentiendum. Inferebat duo. Unum: *Christum non generare filios, nisi ex sua sponsa.* Ne quidem ex Sponsa generat, sed ex seipso, quamvis sponsæ ministerio. Quòd autem solius sponsæ virginis ministerio generet, id non sequitur. Ostensum enim est, eum quoque uti ministerio suæ Sponsæ perfidæ; At in ea generare, non quà adultera est, sed quatenus retinet sacramentum Sponsi. Alterum, *neminem esse Christi filium, nisi qui Ecclesiam matrem agnoscat.* Hoc ambiguè dicitur. Agnoscere enim est vel nudè nosse, vel ex improbitate, aut errore fundamentali nolle agnoscere pro matre, q̃sciat sibi matrẽ esse. Priori sensu falsum. Nam infantuli nostri non ideo ñ sunt filii Christi, quia nondum noverunt matrem suam Ecclesiam, sicut non desinunt esse patris sui filii, quia non noverunt veram matrem suam naturalem ab aliis discernere. Posteriori sensu concedo. Atque sic intelligenda sententia Cypriani dicentis lib. de unit. Eccles. *Non habet Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Clariùs sic effert liber quartus de Symbolo ad Catechum. Augustino inscriptus c.3. *Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit in numero filiorum, nec habet Deum patrem, qui Ecclesiam* NOLUERIT *habere matrem.* Hunc esse Cypriani sensum, probo tum ex conditione eorum, contra quos agitur, tum ex verbis. Ex *conditione* eorum, contra quos agit; ERant Schismatici, qui superbiæ typho inflati communionem Ecclesiæ contemnebant. EX *verbis ipsius integris*: Illa sic habent, *quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Talis erat Novatus, qui schismate turbabat Ecclesiæ unitatem. Contra hunc agit.

X. Hìc si tu ingemines, non esse filium Christi, qui non agnoscat matrem castam Ecclesiam, ego de Ecclesia exquisitè dicta & catholica seu Sanctorum universitate sic concedo, ut de visibili congregatione, in qua electorum cœtus improbis remixtus est, negem. Nam pii tempore veteris Testamenti erant verè filii Dei, & tamen interdum nec habebant, nec agnoscebant visibilem Ecclesiam, quæ casta esset mater: imò habebant matrem adulteram, & pro adultera habere debebant. Quòd habuerint, probatum antea. Quòd habere debuerint pro adultera, auctor est Deus ipse. Jeremias & Ezechiel erant filii Dei: Nemini dubium. Ecclesiam Judaicam agnoscebant suam matrem. Num castam virginem? Imò adulteram. Sic enim appellant & multiplicem scortationem ei exprobrant jussu Dei, Jer.3. Ezech.23.

XI. Restat vaticinium Jesaiæ. Verba sunt hæc c.60,11.12. *Nam apertas tenebunt portas tuas jugiter interdiu & noctu, non occludentur, ut introducant ad te copias gentium, etiam Regibus earum adductis. Nam gens ipsa & regnum, quæ non servient tibi, peribunt, & hæ gentes penitus desolabuntur.* Duobus præcedentibus versibus dixerat, pios omnes operam suam collocaturos esse in exornanda Ecclesia. Hìc duo dicit. *Unum*; ad Ecclesiam, maximo numero, venturos esse, qui Deo obsequium præstent. Cùm opes undiquaque urbi importantur, toto die patent portæ; si dies non sufficiat, ne noctu quidẽ clauduntur. Sic fortitudo gentium adducetur; sed & Reges, qui aliàs sunt indomiti, colla submittent Deo & Ecclesiæ. Pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tebunt igitur Ecclesiæ portæ, interprete ipso Prophetâ, ne unquam claudantur ingredi volentibus. Hieronymus, *Dicendum, quòd Ecclesiam afflictam quondam & captivitati traditam in populo Judæorum in vocatione gentium reconciliet sibi, ita ut portæ ejus semper apertæ sint, & nec die, nec nocte claudantur, & salvari cupientibus jugiter pateant, id est, ut ei in gaudio & in tribulatione volentibus credere, introitus non negetur. Alterum*; hostes Ecclesiæ perituros esse. Utrumque impletum. Quòd semper futura sit illustris & omnibus in mundo visibilis, sicut Respublica Veneta, id non dicit Propheta. Non semper sic omnibus appariturum, dicunt testes alii. Sunt Ecclesiæ vices. Illæ confundi non debent. Aliquando floret in omnium oculis: aliâs jacet vel persecutionum procellis disjecta, vel hæreticorum circumfusa nebulis; jam patet, aliquando ferè latet. Et quidem patet, nunc tam impiis, quàm piis, mox piis, non impiis; aliquando vix piis, ut tempore Eliæ. Porrò non dicit, perituros omnes, qui ingressi non fuerint, sed qui non servierint ei. Et tamen do, perire adultos, qui ne mente quidem ingrediuntur Ecclesiam. Ingressus enim est interior & exterior. Interior semper necessarius simpliciter; Exterior, cùm fieri potest.

Sectio V.

An Ecclesia visibilis possit deficere, vel errare in fide?

I. Hîc Becanus format statum controversiæ, proponit suæ opinionis argumenta, inde ducit quædam consectaria, deniq; nostrorum objectiones quasdam impugnat. Jam suprà dixi, duas distinctas quæstiones commiscere Jesuitam, quas Bellarminus & alii distinctè tractant. Una est de Ecclesiæ defectione, altera de errore. Idem hîc recurrit. Dicit, *conclusionem non debere intelligi de aliqua parte Ecclesiæ, sed de tota Ecclesia. Nam certum esse, aliquam partem, id est, aliquos Christianos errare posse & reipsa errasse. Errasse Arium, Macedonium, Nestorium, Eutychen & Dioscorum; errasse Pelagianos, Donatistas, alios plures, qui omnes propter suos errores ab Ecclesia damnati, & tanquam putida membra, abscissi sint. At quæstionem esse*, An tota Ecclesia Christi, seu tota multitudo Christianorum, quatenus ex Pastoribus & ovibus conflata est, possit errare in aliquo puncto vel articulo fidei? Vel, an Christus, qui Ecclesiam suam gubernat, permissurus sit, ut ipsa tota, quatenus toto orbe diffusa est, publicè profiteatur aliquod dogma, quod sit cõtra fidem vel Evangelium. Hîc sibi & suis negativam vindicat, nostris autem tribuit, quòd doceant, *totam Ecclesiam visibilem, quæ annis primis quingentis habuerit veram fidem & religionem, postea errasse, & multis seculis, usque ad tempora Lutheri, in errore perstitisse: vel ut alii loquantur, totam periisse & defeciisse, non quòd perierint aut defecerint homines, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis, sed quòd defecerit eorum fides & sincera religio.* Num. 23. 24.

II. Verum est, non quæri de aliqua parte. Utrinque enim concessum, ac plurimis exemplis confirmatum est, partem & deficere, & errare posse. Nec de tota Ecclesia simpliciter est controversia. Utrinque enim est in confesso, Ecclesiam absolutè non posse deficere; quod noto, quia ad id probandum frustrà sua consilia retulerunt Papistæ, animadvertente ipso Bellarmino, libr. 3. de Eccles. cap. 13. Quæritur igitur de tota Ecclesia visibili, *an possit vel adeò deficere, ut nullus in toto mundo illustris cœtus publicè omnibus notus appareat, in quo verbum Dei, per incorruptum publicum ministerium, purè prædicetur, & sacramenta secundùm institutionem ejus citra omnem corruptelam, administrẽtur, vel in fide errare possit ullo modo.*

III. Papistæ contendunt, Christum semper in terris habuisse, nunc habere & perpetuò habiturum esse magnum visibilem numerum hominum, qui pro vera Christi Ecclesia publicè agnoscantur, inter quos sit certus ordo & regimen prælatorum & populi, idque in una sede cum perpetua successione Pontificum, qui denique sint semper in terris non minùs visibiles ac illustres, quàm Respublica Veneta & regnum Galliæ. Atque illam Ecclesiam visibilem totam absolutè non posse errare, sive in rebus absolutè necessariis, sive in aliis, quæ credenda vel facienda nobis proponit, sive proponat, quæ habeantur in Scripturis, sive dogmata extra Scripturam. Atque id interpretantur tàm de universalitate fidelium, quàm de universitate Episcoporum, ut sensus sit ejus propositionis, Ecclesia non potest errare, id est, id quod tenent omnes fideles, tanquam de fide, necessariò est verum & de fide; & similiter id, quod docent omnes Episcopi, tanquam ad fidem pertinens, necessariò est verum & de fide. Sic Bellarminus libr. 3. de Eccles. Mil. c. 14. idque multo clariùs, quàm Becanus. Sic alii. Ita & illi & socii speciosè Ecclesiæ titulum magnificum obtendunt; Si verò aliquanto pressiùs homines urgeas, mox apparet, non tam Ecclesiæ Catholicæ, quàm uni homini tribuere infallibilitatem. Fatentur enim, ut dixi, omnes particulares Ecclesias in doctoribus & auditoribus errare posse, unâ Romanâ exceptâ, cui infallibilitatem ñ tribuũt in subditis; sed in Episcopo. Rursum cùm omnes Episcopos errare posse, negant, ñ ea mens ipsis est, quasi nequeant errare, si sit absque Romano; Unde nullam auctoritatem Conciliis multi tribuunt, quæ Romanus Præsul non confirmavit. Res igitur tandem ad unum Romanum Episcopum redit, & Ecclesia errare non posse dicitur, id est, Romanus Papa non potest errare. Hoc est mysterium singulare, non ubique cognitum populo Christiano, qui si intelligeret, non tam de Catholicæ Ecclesiæ, quàm Romani Pontificis infallibilitate quæri, facilè agnosceret veritatem. In vulgus enim est notum, Papam fieri posse hæreticum, imò factum esse, notum ex historia.

IV. Becanus non satis fideliter nostram proponit sententiam. Non dicimus, *totam visibilem Ecclesiam ab anno quingentesimo usque ad tempora Lutheri in errore perstitisse.* Non dicimus, *totam periisse & defeciisse, usque ad Lutheri tempora.* Sic enim Jesuita interpretatur. Non dicimus, *omnium hominum, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis, fidem & sinceram religionem defeciisse.* Vix monstrabunt Jesuitæ, passim ita docere Lutheranos &

Calvinistas. Sunt figmenta Jesuitica. Nos certè non ita docemus. Hæc autem docemus. Primò. Singulas particulares Ecclesias posse penitùs deficere; nullam esse inter omnes, quæ deficere non possit. Secundò. Non tantùm singulas particulares Ecclesias prorsus deficere, sed & omnes ad eam paucitatem redigi posse, ut aliquando non supersit aliquis cœtus Christi particularis illustris in terris omnibus publicè notus, in quo per publicum incorruptum ministerium, purè sonet Dei verbum, & sacramenta, juxta Christi institutionem, dispensentur. Tertiò. Veram catholicam Christi Ecclesiam exquisitè dictam, quæ est verè fidelium universitas, in dogmatibus ad salutem necessariis & in fundamento errare non posse contra Evangelium. Quartò. Non tantùm singulas particulares, sed etiam totam visibilem, id est, omnes particulares cœtus simul in dogmatibus necessariis, atque fundamento fidei aliquando sic errare posse, ut non sit illustris integer cœtus, qui publicâ puri ministerii voce palàm errori cõtradicat, & ab errantium communione recedat. Quintò. Universitatem Episcoporum, qualem Papistæ intelligunt, falli posse. Jam evidens est sententiarum oppositio, & patet, quæ Becanus ad nostram sententiam explicandam affert, ad conflandam invidiam fuisse composita, & non ad quæstionem, sed ejus probationem pertinere.

V. Duas argumentorum classes introducit Jesuita. Unam ex concessis, alteram ex Scripturæ dictis. Ex *concessis*, primum sic habet; *Evangelici contendunt, esse articulum fidei*, dari Ecclesiam visibilem, quæ sancta & catholica sit. *Et hoc sensu interpretãtur verba Symboli. At articuli fidei semper veri, nunquam falsi. Ergo semper veram dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & catholica sit. Ergo falsum est, totam Christi Ecclesiam visibilem post annos primos quingentos defeciss̃e, & nullam multis seculis fuisse visibilem Ecclesiam.* Nam si ita esset, *non licuisset tunc dicere, Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Num. 25. Bz. Primò. Jam vides, pie lector, cur homo paulò antè nostris affingeret, *totam Ecclesiam visibilem periisse & defeciss̃e ab anno quingentesimo usque ad Lutheri tempora.* Nempe domunculam ex arena construebat, quam hîc levi impulsu demoliretur, in omnium oculis. Ridiculè! Falsum sit, *totam Christi Ecclesiam visibilem post annos primos quingentos defeciss̃e, & nullam multis seculis fuisse visibilem Ecclesiam.* Quid ad nos? Nos id minimè affirmamus. Jesuita fingit. Secundò. In terris dari Ecclesiam, quæ sit sancta & catholica, est articulus fidei, semper verus, nunquam falsus. Id suprà concessum à nostris cognovimus, id concedimus etiamnum hodie, negaturi nunquam. Addo, esse articulum fidei, semper verum, nunquam falsum, *dari Ecclesiam visibilem, quæ sancta & catholica sit.* At enimverò Ecclesiam, in qua publicâ ministerii incorrupti voce vera doctrina purè prædicetur, sacramenta legitimè, citra corruptelam, dispensentur, & totus publicus Dei cultus sit prorsus incontaminatus, semper in mundo illustrem & omnibus conspicuam esse, ut hodie Respublica Veneta, vel regnum Galliæ, nec est articulus fidei, nec unquam à nobis sic exposita sunt verba Symboli, sed est

est opinio Papistarum nunquam vera, semper falsa, cui contradictum est ab initio & contradicitur à nobis adhuc hodie. Certè ex concessis nemo solidè unquam concludet. Faceßat igitur opinio humana, integer maneat articulus, qui credi potest purè, etsi nusquam palàm omnibus appareat ullus in terra cœtus integer & illustris, in quo purè incorrupti ministerii voce publicâ sonet verbum, & sacramenta ritè administrentur. Quod nisi vel serò velint concedere Papistæ, interrogandi sunt de Ecclesia, quam olim, sub Antichristo suo trimulo, non fore mundo conspicuam fatentur, & urgendi fortiter, an illo tempore pii non sint dicturi, *Credo sanctam Ecclesiam catholicam*? Si non dicturi, quomodo non falsum dicturi, quia fidei articuli semper veri, nunquam falsi? Si dicturi, cur verus esse nequeat articulus, etsi nõ semper mũdo appareat Ecclesia illustris, quæ in Pastoribus & auditoribus publicè Deum purè colat?

2

VI. Secundum. Conceditur, *Ecclesiam visibilem esse Sponsam Christi.* Hinc duplex argumentum format. Unum *ex parte* Sponsi, *qui indissolubili vinculo sibi desponsavit Ecclesiam visibilem, tanquam Sponsam perpetuam, ut explicat Apostolus* Ephes. 5, 31. *& prædictum est ab* Hosea cap. 2, 19. *Desponsabo te mihi in sempiternum. Ergo nunquam ab eo separari potest.* Alterum *ex parte* Sponsæ, *quæ ad perpetuam subjectionem & fidem conjugalem obligavit se suo Sponso, ut insinuat idem Apostolus cùm ait:* Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis subditæ sint in omnibus. *q. d. Ecclesia est norma, seu exemplar subjectionis & fidelitatis, cui mulieres conformare se debent. At non esset normæ fidelitatis, si post aliquot annos deficeret à suo Sponso & fieret adultera. Unde Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ, Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est & pudica.* Num. 26. Bz. Ecclesiã etiam visibilem esse Sponsam Christi, conceditur, at non, ut à Becano conclusione secunda est explicatum. Ille enim perpetuam virginitatem numerabat in ejus privilegiis. Nos non agnovimus, longè aliud edocti à Scriptura & experientia. Vide suprà. Hîc respondeo in genere & in specie. In genere sic habe: Primò non concluditur tota quæstio. Patet. Quæritur, *an tota visibilis Ecclesia nullo modo errare, vel sic deficere possit, ut nullus usquam integer cœtus omnibus palàm appareat in terris, in quo publicâ incorrupti ministerii voce, sonet purè verbum Dei, & sacramenta ritè administrentur?* Error neutro argumento vel leviter tangitur. Tantùm tangitur separatio. At error esse potest, qui non dissolvat conjugii vinculum; quemadmodum non quocunque uxoris peccato, sed adulterio & desertione malitiosâ solvitur conjugium. Secundò. A Spirituali conjugio non fortiùs ad infallibilitatem, quàm ad impeccabilitatem concluditur. Cùm igitur peccare possit, salvâ desponsatione, cur non, eâdem salvâ, errare possit? Tertiò. Ab eodem conjugio ad perpetuitatem splendoris externi, per quem ab omnibus palàm agnoscatur Ecclesia, sicut Respublica Veneta, falsa est consequentia. Ratio est, quia Deus sibi desponsavit Ecclesiam, non quatenus est visibilis, illustris & splendida in hoc mundo, sed quà Ecclesia, quæ esse non cessat, cùm nullus

palàm apparet mundo cœtus integer ac illustris, qui publicè Deum purè colat. Nisi fortè sub Antichristo Papistarum trimulo vera Ecclesia cessabit esse Christi sponsa, quo tempore ejus splendorem externum obscuratum iri ubique sublato publico veræ religionis exercitio, fatentur Papistæ. Quartò. Quicquid Scriptura de Ecclesia exquisitè dicta, quæ est in electis & verè fidelibus, magnificè prædicat, id totum ad solam visibilem Ecclesiam trahunt adversarii sophisticè.

VII. In specie ad prius respondeo. Illud, *Christus Ecclesiam visibilem sibi desponsavit, tanquam sponsam perpetuam*, ambiguè dicitur. Nam vel *officium* Sponsæ notatur, vel *eventus*, id est, vel quid esse debeat Ecclesia visibilis, vel quid sit futura. De *officio* falsa est sequela à desponsatione ad negationem defectibilitatis & separabilitatis. Patet. Deus enim Ecclesiam Judaicam & Israëliticam perpetuo fedære sibi conjunxerat, ut esset perpetua, sponsa, Ezech. 16, 8. Exod. 6, 6. Deut. 5, 8. 29, 11. Reg. 8, 9. Defecit tamen. Verba Jesaiæ Prophetæ in hanc rem clara sunt, cap. 24, 5. *Et hæc terra contaminata est sub habitatoribus suis, quia transgrediuntur leges, mutant decretum, irritum faciunt fœdus perpetuum.* Idem verum de particularibus Ecclesiis novi Testamenti. Nomino Corinthiacam, Ephesinam, Philippensem, Philadelphiensem, Smyrnæsem, Sardensem, Laodicensem: Eas sibi Christus desponsaverat. Defecerunt tamen; Separatæ sunt à Sponso. Plures possunt adhuc hodie separari, non obstante desponsatione, fatentibus Papistis. Imò possunt singulæ. De *eventu* falsum est antecedens. Ubi scriptum est, Christum totam Ecclesiam visibilem ita sibi devinxisse, ut perpetuò sit futura sponsa virgo, nec transitura in alienum torum, nec alienum admissura virum in suum, inde excluso sponso? Nec apud Apostolum Ephes. 5, 31. nec apud Hoseam lego. Apostolus id non explicat loco citato, sed docet, virum, derelictis parentibus, adhæsurum esse suæ conjugi: sic Christus Ecclesiæ v. 32. Jam sicut nimis audax fuerit, qui hinc de sponsa concludat, quòd nõ possit suum sponsum deserere. Sic importunus disputator sit oportet, qui inferat, visibilem Ecclesiam perpetuò manere virginem & Christo adhærere. Vir adhæret uxori, quandiu leges conjugii servat, non adhæret abdicanti maritum & transeunti in torum adulteri. Sic Christus. Hoseas, fateor, desponsationis æternæ meminit; At illa non facit, ut perpetuò sit aliquis visibilis & illustris mundo cognitus cœtus, qui Deum purè colat, sed ne Ecclesia purè Deum colens unquam pereat. Quæ sanè ñ perit, etsi non semper omni errore pura, illustris & mũdo sit conspicua, sicut Respubl. Veneta. Ex perpetuo fedære sequitur, Christum semper habere Sponsam, sed semper habere Sponsam illustrem & mundo instar Reipublicæ Venetæ conspicuam, in particulari cœtu purè ipsum colente, id verò non sequitur. Etiam latens sponsa est sponsa.

VIII. Ad *posterius*. Ab obligatione facta valet consequentia ad debitum perpetuæ subjectionis & fidei conjugalis; ad eventum, seu factum non valet simpliciter. Quemadmodum in conjugio secundùm carnem uxor tenetur quidem sub-

subjici viro & fidem servare, quia se ei obligavit, at non ideo quævis perpetuò est subjecta & fidem servat, imò multas excutere jugum maritale & fidem violare, nimis apertum. Sic obligaverant se coram Apostolis omnes Ecclesiæ, quas plantarunt. Num servarunt fidem? Florentissimas occupavit Muhammedes: aliàs, alii. Hodie se singulæ obligant Sponso: Et tamen omnes posse deficere, excepta Romanâ, dicunt Papistæ. Sed illam defeciisse, satis apertum. Aliam enim tenet fidem, quàm vetus illa Romana, cui inscripta est epistola ab Apostolo. Id patet à collatione. Quid? Omnes qui baptizantur, dant Sponso fidem conjugii. Si dicas, neminem illorum posse deficere & separari à Sponso, num ferant aures Christianæ? Apostolus Ephes. 5, 24. non de *obligatione*; à qua argumentum petit Jesuita, sed de *actuali* subjectione loquitur. Et quidem præcipuè loquitur de Ecclesia *catholica exquisitè dicta*, id est, electorum ac verè fidelium universitate. Illa semper subdita est Christo, semper fidelis manet. Ex eo autem non sequitur, quà visibilis est, ad eas angustias redigi non posse, ut nullus integer & illustris cœtus mundo appareat, qui Deum purè colat. Ecclesia etiam latens in cavernis manet Christo subdita. Si ad *particularem* Ecclesiam transferas, hâc lege permitto, ut habeatur norma (aut potiùs exemplar) fidelitatis, quamdiu manet vera Ecclesia, Christo subjecta. Id autem non obstare, quominùs externum splendorem, imò & nomen remque veræ Ecclesiæ aliquando possit amittere, nimis tristibus docemur exemplis. Quâ devotione subjecta erat Christo Ecclesia Galatarum? Paulum, ut angelum Dei, ut Christum Jesum suscipiebat, Galat. 4, 14. Quàm pulchrè subdita Colossensis & Philippensis? q. pulchrè reliquæ? Defloruere tamen, ab adulteris miserum in modum defloratæ. Quòd dicitur, *nullo modo posse normam subjectionis dici, quæ post aliquot annos deficit*, verum de norma perfecta, falsum de quavis norma. Solus Christus *perfecta* norma & exemplar fuit subjectionis erga Patrem. Ecclesia exemplar non perfectum, sed *affectum*, quod causæ non nocet. Non enim quà deficit, sed quà manet in subjectione, proponitur norma. Quod alienum videri non debet. Sæpe enim in Scriptura exempla eorum ad imitationem proponuntur, qui aliâ parte defecerunt. Sic quidem mulieribus proponitur Sara his verbis 1. Petr. 2, 6. *sicut Sara obedivit Abrahæ.* Non tamen ideo ex omni parte fuit perfecta. Davidem Salomoni proponit Deus, 1. Reg. 3, 14. ac posteris exemplo esse voluit, ut apparet ex 1. Reg. 15, 3. 2. Reg. 14, 3. cap. 18, 3. cap. 22, 2. Et tamen David non solùm potuerat labi, sed etiam lapsus erat gravissimè, homicidio & adulterio commisso. Sicut ergo non sequitur, *David proponitur Salomoni exemplar obedientiæ, Ergo David non potuit transgredi præcepta Dei*, sic nec sequitur, *Ecclesia visibilis statuitur norma subjectionis, Ergo non potest reluctari Christo, non potest errare in fide.* Denique Cypriani sententia vera est de Sponsa descripta in Cantico, quæ est fons signatus, hortus occlusus, quâ consistit in verè fidelibus & electis; at quâ est visibilis cœtus, adulterari posse, nimis clarè docet eventus.

IX. Ter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

IX. Tertium. *Ecclesia visibilis est domus Dei, de qua Christus*, Matth. 16, 18. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversùs eam. *Ubi duo promittit: Primò. Quod velit Ecclesiam suam ædificare super petram. Secundò quod portæ inferi non sint eam expugnaturæ. In utroque alludit ad dictum* Matth. 7, 24. *Christus ergo voluit imitari sapientem architectum & ædificare Ecclesiam super petram, ut nullâ ventorum, aut imbrium vi possit disturbari.* Num. 27, &c. Quo sensu Ecclesia dicatur domus Dei, expositum suprà. Hîc non repeto. Si lubet, ibi vide. De reliquo sic statuo, Primò. His verbis Christus non alludit ad dictum Matth. 7. Manifestum inde; hîc docet Christus, quid ipse sit facturus; illîc, quid auditores faciant. Ædificat Christus docendo; ædificant quoque auditores audiendo & faciendo: Ille semper super petram ædificat, quamvis non omnes eodem modo: Isti non semper. Qui n. audiunt & faciunt, i. e. verè credunt, ii ædificant super petram; q. audiunt & ñ faciunt, ii ædificant super arenã. De quo elegans est sententia Augustini in Psalm. 57. *Audire*, inquientis, *veritatem nihil prodest, si homo super petram non ædificet. Qui ædificat super petram, is est, qui audit & facit &c. Sed quomodo qui ædificat super arenam, ruinam sibi ædificat, sic ille qui non ædificat super petram, veniente fluvio, sine domo rapitur: Non est aliud facere, nisi & ædificare, & super petram ædificare, id est, audire & facere.* Paulò pòst de eo, qui non audit; *Sed ego*, inquit, *non ædifico super arenam. Nudum te inventurus est fluvius. Numquid ideo te non ablaturus est? Numquid ideo pluvia non necabit? Numquid venti propterea non abripient? Ergo veni & audi; sed cùm audieris, fac. Nam si audieris & non feceris, ædificasti quidem, sed super arenam. Quia ergo sine ædificio constituti nudi sumus, in ædificio autem super arenam posito sub ruina sumus; restat ut super petram ædificemus, & quod audivimus, faciamus.* Id cùm multi in deserto non facerent, super arenam ædificarunt, de quo Apostolus Hebr. 4, 2. *At non profuit illis sermo auditus, ut qui fidei mixtus non fuerit ipsis, qui audierant.* Ideo capite secundo ait; *Oportet nos eò magis attendere iis, quæ audivimus, ne quando perfluamus.*

X. Secundò. Istis verbis promissa est firmitas & perpetuitas Ecclesiæ, non immutabilis & perpetua visibilitas, seu claritas, qualem Papistæ fingunt. Ecclesia enim firma & perpetua esse potest, quia in petra fundata, licet in his terris ejus conditio subinde variet, nec eadem semper appareat facies. Imò eo luculentior fit & magis spectatur vis promissionis & firmitatis privilegium, si constet sibi perpetuò sub varia forma, nunc florens, mox latens. Tertiò. Christum de Ecclesia, quà est visibilis, & quidem Romana, de qua Papistæ vulgò interpretantur, in hoc textu loqui, ut credamus, nullo cogimur argumento, quod quidem textus suggerat, imò quominùs credamus, non nihil obstat. At loqui de Ecclesia exquisitè dicta, quæ est electorum verèque sanctorum universitas, textus ostendit non obscurè. Nempe duo prædicata, *ædificatio super petram*, & quòd *adversùs eam non sint prævalituræ inferorum portæ*, propriè & adæquatè competunt Ecclesiæ catholicæ

licæ exquisitè dictæ, seu verè fidelium universitati, de qua Salomo dicit, *hortus occlusus, fons signatus.* Agnoscunt nobiles Papistæ. Cajetanus in h. l. *Adversùs Ecclesiam*, inquiens, *quæ constat ex congregatione fidelium unâ fide, spe & charitate, non prævalent inferorum portæ.* Johannes Ferus in h. l. *Non loquitur de Ecclesia, sicut communiter sumitur pro his, qui Christiani dicuntur, sive boni sint sive mali, sed de Ecclesia secundùm Spiritum, quæ solos electos complectitur.*

9. XI. Quartò. Sicut insitionis palmitum in vitem, Joh. 15. & in oleam, Roman. 11. duo sunt gradus, sic Christus ædificat Ecclesiam duobus modis super petram, nempe exteriùs & interiùs. *Exteriùs* vocando per verbum & sacramenta. *Interiùs*, fidem conferendo & collatam conservando usque ad finem. Unde Ecclesia inhæret petræ, *exteriùs* fidei professione; *interiùs*, fidei, spei & charitatis sinceritate. Prior tum ædificandi, tum inhærendi modus spectat Ecclesiam, ratione *omnium* membrorum, quæ audiunt, vel baptizantur; *posterior*, ratione membrorum exquisitè dictorum, seu *vivorum*, quæ audiunt & faciunt. Uterque modus in solidum convenit Ecclesiæ absolutè catholicæ. Prior quoque competit Ecclesiæ visibili simpliciter: Posterior non nisi secundùm quid, puta ratione electorum, qui in illa malis permixti degunt. Adversùs eos, qui priore tantùm modo ædificati petræ inhærent, prævalent inferorum portæ. Hoc tam clarum, ut vix probatione indigeat. Quot enim, quoad *exteriorẽ* structuram, pulcrè erant ædificati super petram, & *professione* doctrinæ illi adhærescebant, adversùs quos portæ inferorum prævaluerunt? Nomino hîc Judam Iscariotam, Simonem Magum, itemque Pseudochristianos, qui prophetabant & ejiciebant dæmonia in nomine Christi, non facientes Patris voluntatem, Matth. 7. Imò adversùs integras visibiles Ecclesias prævaluerunt. Ephesina erat superstructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Ephes. 2, 20. Similiter Corinthiaca, Philippensis, Thessalonicensis &c. At omnes devictæ à portis inferorum, ac eversæ. Quod autem aliquibus accidit, id omnibus accidere potest, nisi obstet singulare privilegium, quale nullum datum esse novimus cuiquam particulari Ecclesiæ. Possunt ergo inferorum portæ adversùs omnes particulares cœtus prævalere; Ergo adversùs totam visibilem Ecclesiam. Neque tamen vel illa omni sui parte, vel tota absolutè catholica Ecclesia perit. Adversùs enim meliorem visibilis Ecclesiæ partem, id est, electos & verè fideles, portæ inferorum non prævalent, etsi congregatio visibilis aliquando in angustias redacta, mundo nusquam appareat, vel non sit omni errore pura, proinde nec adversùs catholicam exquisitè dictam, quæ istis solis constat, prævalent.

XII. Becanus excipit, *magnam injuriam eos irrogare Christo, qui asserant, Ecclesiam ab ipso ædificatam posse deficere & reipsâ defecisse.* Qui de Ecclesiæ catholicæ, id est, totius electorum verèque fidelium universitatis totalem defectionem asserit, quominùs arcessatur in judicium injuriæ Christo irrogatæ, non impedimus. Verè enim irrogat Christo injuriam. Illa

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim si prorsus deficeret, Christ⁹ esset sine Ecclesia, id est, caput sine corpore. At hoc nos ñ asserimus. Qui catholicæ, quà visibilis est, qualemcunque mutationem asserit, non eodem crimine tenetur. Nulla injuria irrogatur Christo, si dicas, Ecclesiæ catholicæ conditionem non esse uniformem, æquè florentem & foris omnibus conspicuam. Valere adversùs eam aliquid portas inferorum, dicimus: Turbant aliquâ parte, fuliginem offundunt, in angustias redigunt, publicos conventus & exercitium pietatis liberum adimunt. Inde perit splendor externus. Prævalere, non dicimus. Ita enim periret, quod fieri nequit, quia Christus non solùm quoad structuram externam, sed etiam intimè conjunxit petræ, nunquam ab ea divellendam, & singula ejus membra sunt lapides vivi, tanquam in domo spirituali, 1. Petr. 2. Utut igitur splendor externus tollatur, semper manet internus, qui consistit in fidei, spei & charitatis integritate. Similiter qui Ecclesiam totam visibilem deficere posse & aliquando defecisse à fidei puritate, asserit, ñ irrogat Christo injuriã. Nã Israëlitica Ecclesia visibilis erat à Christo ædificata; & tamen si dicas, eam defecisse, non infers Christo injuriam. Verum enim dicis, quia defecit. At verum dicendo, quod Christus per Spiritum Sanctum in Scriptura annotavit, sibi injuriam fieri non judicat ipse justus rerum arbiter.

XIII. Becanus præfractè urget injuriam; quòd *inde sequatur, non super petram, sed super arenam fuisse ædificatam: ac proinde Christum fuisse stultum, non sapientem architectum. Imò fuisse mendacem, quòd promiserit, se super petram esse ædificaturum, & non fecerit, quòd dixerit, portas inferi non ꝑvalituras, & prævaluerint.* Nũ. 27. Neutrum sequitur. Non *prius*. Nam Christus ædificat & homines ædificant seipsos. De Christo non est dubium ex eo, quod tum ipse, h. l. tum Apostolus dicit, Ephes. 2, 20. De hominibus ait Petrus 1. Epist. 2, 4. 5. *Ad quem (Dominum) accedentes, qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus & pretiosus, ipsi quoque veluti vivi lapides ædificemini domus spiritualis.* Audin', debent ad Christum, qui est formaliter & effectivè lapis vivus, accedere fide & imitatione juxta Glossam interlinearem; debent ædificari, seu ædificationi locum dare per fidem, seu, ut clariùs loquitur Judas v. 20. sanctissimæ suæ fidei superstruere seipsos. Hoc qui faciunt, id est, qui credunt, illi ædificant in petra, & petra illis est honori, 1. Petr. 2, 7. Qui non faciunt, sed offendunt ad sermonem v. 3. vel regrediuntur à sancta doctrina illis tradita, 2. Pet. 2, 21. illi super arenam, seu, ut Lucas cap. 6, 49. loquitur, super solum sine fundamento ædificant, & lapis vivus, factus anguli caput, ipsis est lapis offendiculi & petra offensionis, 1. Petr. 2, 7. Tales sunt nimis multi in Ecclesia visibili, stulti nempe, nõ sapientes architecti. Sic Ecclesia Galatarum visibilis, cùm adhæreret Pseudapostolis, prodebat suam in ædificando stoliditatem, quam ipsis objicit Apostolus, Galat. 3, 1. Corinthiaca, Ephesina, Thessalonicensis, reliquæ omnes Ecclesiæ, quæ, desertâ fide Christianâ, Muhammedismum sunt amplexæ in Oriente, comperiuntur eâ parte, quâ defecerunt, ædificasse

ficasse super arenam. Hoc verò nihil ad Christum. Ille per suos ædificaverat super petram. Tradiderat enim illis veram fidem, quæ est petra, interpretibus, è Patribus Chrysostomo, Basilio, Epiphanio, Theophylacto, Ambrosio, è Papistis Lyrâ & aliis. Sic disertè Apostolus de Ephesiis: *superstructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, id est, juxta Glossam interlinearem, & Lyram, super doctrinam veteris & novi Testamenti, Eph. 2, 20. Quod de Ephesina Ecclesia dictum, idem verum de cæteris omnibus. Et tamen illæ defecerunt. Faciesat igitur horribilis blasphemia, Christum esse stultum architectum, si Ecclesia visibilis deficiat, aut ipsum ædificasse super arenam.

XIV. Sophista hîc pedem figat. Ecclesiæ particulares aut à Christo non sunt super petram ædificatæ, aut non possunt deficere, aut defectio Ecclesiæ visibilis non est argumentum, quòd Christus eam super arenam ædificaverit, & stultus sit architectus. Primum blasphemum. Secundum apertè falsum; id quod fatentur Papistæ. Tertium igitur verum. Nec hîc quicquam juvat Sophistam, si ad particularis & universalis Ecclesiæ distinction em confugiat. Primò enim si Ephesinam Ecclesiam non ideo super arenam struxit Christus, quia defecit, si non Corinthiacam, non Thessalonicensem, cur alia particularis dicatur hoc nomine structa super arenam à Christo? Si nulla particularis Ecclesia ideo super arenam à Christo structa dici potest, quia deficit, ne quidem tota visibilis Ecclesia criminationem istam admittit. Sicut enim partes struendo exstruitur tota domus, sic ædificatur tota visibilis Ecclesia ædificando particulares, in quibus universalis consistit. Faciesat igitur vitilitigator. Ut-ut enim fortasse nullus uspiam mundo appareat cœtus integer ac illustris Deum purè colentium, manet tamen Ecclesia Sanctorũ, sub visibili latens, inconcussa in petra usque ad finem.

XV. *Posterius* non sequitur: Christus enim fecit, quod promiserat. Ædificavit Ecclesiam suam super petram, & illi non prævalent inferorum portæ. At perpetuò fore illustrem & palàm mundo conspicuam Ecclesiam, quæ Deum purè sine ullo errore colat, non promisit Christus. Non igitur ideo mendax, quasi non præstet promissa. Quam veritatem hîc probabunt nobis ejus hostes. Dicunt Papistæ, tempore Antichristi sublatum iri in universa Ecclesia, etiam Romana, publicum veræ religionis exercitium. Aut igitur constituunt Christum mendacem, aut non necessarium est, vi hujus promissionis, ut semper sit integer cœtus, palàm omnibus conspicuus, qui Deum purè colat sine errore.

XVI. Quartum petitur ex eo, quòd Ecclesia visibilis dicitur *columna & firmamentum veritatis*, quia non potest à veritate deflectere, secundùm Papistas; est fida illius custos, secundùm Calvinum; non alibi in mundo habitat veritas, secundùm Bezam. Hinc triplex argumentum. Primum. *Si Ecclesia visibilis est columna firma & stabilis, quæ à veritate deflectere non potest, certum est, non posse errare in fide.* Secundum. *Si est fida custos veritatis, nunquam suâ culpâ amittit veritatem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, aut si amittit, *non est fida illius custos.* Tertium. *Si veritas non alibi habitat quàm in Ecclesia visibili, vel ergo superioribus seculis non habitavit veritas in hoc mundo, vel si habitavit, non alibi quàm in Ecclesia visibili habitavit. Necesse ergo est, fuisse Ecclesiam visibilem.* Num. 28. R. In *genere.* Primò. Generalis conclusio nobis non est inimica. Non enim negamus, Ecclesiam visibilem fuisse superioribus seculis. Imò concedimus haud inviti. Secundò. Calvinus & Beza separantur à se invicem, tanquam dissentientes. Non dissentiunt inter se. Calvinus censet, Ecclesiam *columnam veritatis* dici, quia velut fida custos, eam suo ministerio tuetur ac propagat. Non quasi veritas per se minùs firma sit, nisi hominum humeris fulciatur; sed quia hominum respectu sustinet veritatem; quia eam præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia transmittit ad posteros. Eadem mens Bezæ, quippe qui monet, hoc intelligendum esse hominum respectu, non simpliciter: cùm ipsa alio fundamento, id est, Christo nitatur, nec procreatrix, sed testis sit duntaxat, altrix & conservatrix veritatis inter homines. Quòd verò Beza hoc epithetum Ecclesiæ tribui, statuit, quòd non alibi in mundo veritas habitet, id Calvino non displicet, & jam olim à commentario Hieronymo inscripto sic expressum est, *columna & firmamentum veritatis*, id est, *in qua nunc sola veritas stat firmata, quæ sola sustinet ædificium.* Tertiò. Benè nota, quòd Apostolus Ecclesiam non θεμέλιον, id est, fundamentum, sed στύλον καὶ ἑδραίωμα veritatis appellat. Unum enim est fundamentum Christus, 1. Cor. 3, 11. Unus lapis angularis, cui fideles, veluti vivi lapides, superædificantur, 1. Pet. 2, 7. Quartò. Dicitur columna & firmamentum veritatis non absolutè, simpliciter & primariò, quasi eam gignat, omnemque ei conferat auctoritatem, sed secundùm quid, relatè ad nos, secundariò, & ὀργανικῶς, quia ut eximia quædam columna, unico fundamento, Jesu Christo, ejusque doctrinæ, in Prophetis & Apostolis propositæ, innixa veritatem illam, ratione officii, confitetur, nobis ostèdit, exponit, ab interitu vindicat, à mendaciis & erroribus discernit, tuetur, ad posteros propagat, atque adeò suo ministerio suffulcit & sustentat.

XVII. Quintò. Encomium illud, etsi toti visibili Ecclesiæ tribuitur, atque non solùm illi, sed & unicuique veræ Ecclesiæ particulari, ratione *officii*, competit, præcipuè tamen in Ecclesia electorum verèque fideliũ verificatur, quippe quæ, Spiritu Sancto id operante, veritati fortiter & constanter adhæret, nec ullis vel minis, vel blanditiis ab ea se patitur divelli. Theodoretus in h. l. *Domum*, inquit, *Dei & Ecclesiam appellat cœtum eorum, qui crediderunt. Eos dixit columnam & firmamentum veritatis. Supra petram enim fundati stabiles & immobiles permanent, & rebus ipsis prædicant dogmatum veritatem.* Augustinus præfat. in Psalm. 47. (secundùm Hebr. 48.) *secundam ergo sabbati non debemus intelligere nisi Ecclesiam Christi, sed Ecclesiam Christi in sanctis, Ecclesiam Christi in his, qui scripti sunt in cœlo, Ecclesiam Christi in his, qui mundi hujus tentationibus non cedunt.* Ipsi *enim digni sunt nomine firmamenti. Ergo Ecclesia Christi in*

in his, qui firmi sunt, de quibus dicit Apostolus, Debemus autem nos firmi infirmitates infirmorum sustinere, appellata est firmamentum. De hoc cantatur in Psalmo; Audiamus, agnoscamus, sociemur, gloriemur, regnemus. *Namque eam etiam firmamentum apostolicis literis appellatam audi & agnosce. Quæ est, inquit, Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

XVIII. Sextò. Quoad *officii impletionem* de visibili Ecclesia non nisi restrictè, seu limitatè accipiendum, nempe quatenus unico Prophetarum & Apostolorum fundamento inhæret unicè. Probo è textu & reipsa. E *textu*: quia Apostolus suum Timotheum non simpliciter ad Ecclesiam, sed ad verbum scriptum, tanquam unicam & plenariam veritatis regulam, remittit hîc, cùm ait, *Hæc scribo, ut noveris* &c. & 2. Timoth. 3, 15. 16. Inde Chrysostomus Homil. 11. in h. l. *Veritas Ecclesiæ columna & firmamentum est.* Ex *reipsa*: Agitur nominatim de Ecclesia Ephesina. At hæc non simpliciter fuit columna & firmamentum veritatis, quòd ab ea deflectere non posset. Non solùm enim postea in illa exstiterunt falsi doctores, juxta vaticinium Apostoli, Actor. 20, 29. sed etiam tota tandem est eversa, amoto candelabro è loco suo, secundùm commination-em Apocal. 2, 5. Non dicam, veritatem de Christo damnatam, & Eutychianam hæresin approbatam esse in concilio Ephesino, apud Evagrium lib. 1. Hist. cap. 10.

XIX. In *specie*. Primi argumenti antecedens, ut quidem jacet, falsum est, nec suprà, nec hîc probatum ab adversario. Falsitatis redarguitur exemplo Ecclesiæ, de qua sermo est Apostolo. Ephesina nempe Ecclesia tum erat columna & firmamentum veritatis. Et tamen non tantùm potuit deflectere à veritate, sed & tristiter deflexit postea, & totaliter tandem defecit. Sin autem ex verbis Apostoli, citra papisticam glossam, argumentum nectas, falsa erit propositio major, nempe ista, *si Ecclesia visibilis est columna & firmamentum veritatis, non potest errare in fide.* Falsam esse, facilè doceo. Assumo: Ephesina Ecclesia, teste Apostolo, est columna & stabilimentum veritatis. Idem de Orientalibus Ecclesiis Basilius Epistola septuagesimâ enunciat, *columnæ*, inquiens, *& stabilimenta veritatis dissipantur.* Ergo illæ non potuerunt errare. Falsa conclusio. Ergo una præmissarum. Non minor, quæ est nostra, ergo major propositio, quæ est Papistarum.

XX. Secundi consequentia falsa est, quam ne conatur quidem probare Sophista. Error aliquis cadere potest in custodem veritatis fidum quidem, at non potest in perfectum cadere. Apostoli ante passionem fidi erant agnitæ veritatis custodes, in eos tamen cadebat error. Omnimoda veritatis amissio in fidum custodem, quâ talem, seu quandiu fidus custos, non cadit; at qui jam est fidus custos, postea à fide potest deficere, & qui deficit, non ideo non fuit antea fidus custos, cùm teneret veritatem, sed esse desinit, cùm tenere veritatem desinit. Ecclesia prædestinatorum semper est fida custos, ideo nunquam amittit veritatem fundamentalẽ semel agnitam & receptã. At hinc non sequitur, eam amittere non

Universidad de Deusto
Biblioteca

posse publicum veritatis exercitium, unde ab aliis Ecclesiis discernitur, aut in eas angustias redigi non posse, ut nullus appareat cœtus illustris, integer, qui veritatem simplicem publicè, citra errorem, profiteatur. Ecclesiam visibilem sive hanc, illam, istam particularem, sive universam perpetuò fore fidam custodem, nullâ constat promissione. Singulas particulares, quæ paulò antè erant fidæ custodes, amittere posse veritatem, nimis multis iisque tristissimis exemplis constat. Pergamensis Ecclesia erat olim fidelis custos veritatis, neque negârat fidem tempore persecutionis, Apoc. 2, 13. Postea tamen veritatem amisit. Philadelphiensis eodem encomio exornatur, quòd servârit sermonem Christi, neque abnegaverit nomen ejus, Apocal. 3, 8. 10. Amisit tamen & illa veritatem postea. Idem de Asiaticis reliquis dictũ puta, quas domũ Dei & columnas firmamentaque veritatis fuisse quidem ab initio, at esse desiisse, clarum. Sic ergo habendum. Ecclesia, quâ parte, & quandiu est fida custos, eâ parte & tamdiu non amittit, suâ culpâ, veritatem fundamentalẽ: Si amittit veritatem, non ideo non fuit fida custos antea, sed non amplius est tempore veritatis fundamentalis amissæ.

XXI. De Tertio. Non alibi habitare Dei veritatem in mundo, quàm in Ecclesia, dicit Beza: Non dicit, tantùm habitare in Ecclesia, quatenus est visibilis, quod fingit Becanus. Illud verum, hoc falsum. Habitat enim etiam in Ecclesia, quà latet, grassante in visibili Ecclesia errore publico. Probatio non petenda è longinquo. In Ecclesia Israëlitica visibili, quà tali, non habitabat veritas, habitabat tamen in Ecclesia septem millium sub corrupta visibili latente. Similiter sub adventum Christi in carnem tota visibilis Ecclesia Judaica, sub Pharisæis & Scribis, erat corruptissima, nusquam apparebat sincera veritas, nec in ullo visibili cœtu extra eam habitabat; non tãen perierat è mundo. Tenebatur enim à pauculis illis Deo notis, qui cùm innotescerent hominibus, non constituebant integrum cœtum visibilem. Non igitur tenet disjunctum Sophistæ, præsertim cùm per visibilem Ecclesiam intelligat Romanam Papisticam, ut tum aliunde, tum à quinta conclusione manifestè constat. Etsi enim totius Ecclesiæ Romano-Papisticæ ministerium publicum fuerit corruptũ, veritas tamen è mundo nõ periit, superioribus seculis. Nam extra Romanam Ecclesiam semper fuerunt Ecclesiæ visibiles illâ aliquanto puriores. Nec defuerunt, apud quos Deus in ipsa Romana Ecclesia veritatem conservaret, sicut olim in septẽ millibus, Eliæ tempore, qui non extra visibilem Ecclesiam vivebant.

XXII. Quintum. *Nemo potest salvari extra Ecclesiam visibilem, ut cum Catholicis Calvinus fatetur. At semper aliqui salvantur. Ergo semper durat Ecclesia visibilis. Falsum ergo est, Ecclesiam visibilem multis seculis non exstitisse. Nam si non exstitisset, multis seculis nemo fuisset salvatus.* Num. 29. Primò. Alio sensu loquuntur Papistæ, alio Calvinus. Papistæ de sua Romana accipiunt. Nihil minùs Calvino in mentem venit. Neminem posse salvari extra Ecclesiam visibilem, quam, cùm videt eam, & communionem ejus externam legitimè obtinere potest, malitiosè dese-

serit, concessum suprà. Neminem simpliciter extra visibilem Ecclesiam salvari posse, ñ concessum; imò falsitatis revictũ. Ruit igitur tota argumentatio. Secundò. Si conclusio accipitur, ut jacet, iterum concluditur, quod non est controversum: quod controversum est, non concluditur. Res clara. Concluditur, *semper durasse Ecclesiam visibilem*: Hinc infertur, quòd *falsum sit, Ecclesiam visibilem multis seculis non exstitisse*? Utrumque caret controversia. Nos agnoscimus, semper durâsse Ecclesiam visibilem. Non credimus, non dicimus, Ecclesiam visibilem multis seculis non exstitisse. Quis nostratium unquam aliud professus est? Nominentur, qui dixerint, *Ecclesiam visibilem multis seculis non exstitisse*. Si nominari nequeunt, jam omnes intelligunt, Jesuitam de suo fingere opinionem, quam speciosè impugnet. Cordati rident. Quid hoc loco controvertatur, Jesuita his verbis suprà exprimebat, *An tota Ecclesia Christi, seu tota multitudo Christianorum, quatenus ex Pastoribus & ovibus constata est, possit errare in aliquo puncto, vel articulo fidei? Vel, an Christus, qui Ecclesiam suam gubernat, permissurus sit, ut ipsa tota, quatenus toto orbe diffusa est, publicè profiteatur aliquod dogma, quod sit contra fidem vel Evangelium?* Nos plenius sic expressimus, *An tota visibilis Ecclesia vel adeò desicere possit, ut nullus in toto mundo illustris cœtus, publicè omnibus notus, appareat, in quo verbum Dei, per incorruptum publicum ministerium, purè prædicetur, & sacramenta, secundùm institutionem ejus, administrentur, vel in fide errare possit ullo modo?* Nihil horum concluditur, quod non vulgare peccatum est in disputandi leges. Tertiò. Si quæstionem controversam adversùs nos concludere velit Jesuita, sic erit argumentãdum. *Extra quam Ecclesiam nemo potest salvari, ea nec errare potest ullo modo in fide, nec publicè profiteri aliquod dogma, quod sit contra fidem, nec adeò desicere, quin semper illustris cœtus, publicè omnibus notus, palàm appareat, in quo verbum Dei, per incorruptum publicum ministerium, purè, sine errore fidei, prædicetur, & sacramenta, secundùm institutionem divinam, citra corruptelam, administrentur. At extra visibilem Ecclesiam nemo potest salvari. Ergo.* De minore propositione, dixi, sectione quartâ, quantum satis est. Non repeto. Ad majorem revocamus Sophistas. Illam nisi confirment solidis argumentis, frustrà sunt. Est falsissima. An enim in Ecclesia errante nemo servari possit? nemo in latente? Id asserendum est argumentis. Nisi asseras, majoris falsitas omnibus apparet haud obscurè. Quòd si Sophistæ nolint intelligere, pii sunt reducendi ad veteris Testamenti tempora, ut intelligant. Aliquoties non exstitit Ecclesia visibilis, à corrupto cœtu separata, quæ publicâ ordinarii incorrupti ministerii voce verbum Dei, sine errore, prædicaret, publicèque Deum purè coleret in Juda & Israële. Aut igitur nemo illo tempore est salvatus in Juda & Israël, aut falsum, si non exstet visibilis & illustris Ecclesia, omnibus palàm nota, quæ Deum purè colat, sine omni errore, neminem posse salvari. Nisi fortassis extra populum Israëliticum monstrare possint Jesuitæ Ecclesiam illustrem, omni errore puram, cum qua pii & verè fideles

Isra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Israëlitæ, grassante inter ipsos publicâ cultus divini depravatione, palàm communicaverint. Quam, & ubi terrarum monstrabunt?

XXIII. Becanus clamat, *periisse igitur omnes majores nostros, quotquot ante Lutherum vixerunt, per aliquot secula.* Hoc totum ad invidiam nobis, apud imperitos, conflandam est compositum. Atqui primò nostrum non est, cùm voluntatis Dei patefactio affertur, in ejus judicia inquirere. Ipsi officium faciamus, & nos conjungamus Ecclesiæ, in qua purè sonat Dei verbum, relinquentes Dei arbitrio, ut de nostris majoribus & omnibus hominibus ex decreto suæ justitiæ ferat sententiam. Secundò. Invidiosa ista sequela non *ex nostra* sententia, sed putido Jesuitæ commento nectitur. Ex eo nectitur, quòd antè Lutherum si exstiterit Ecclesia visibilis per aliquot secula. Id de suo, ut dixi, fingit Sophista, non promit de nostro. Dicimus, Romanam Ecclesiam per aliquot secula variis erroribus fuisse contaminatam. Dicimus, totam Ecclesiam visibilem multo tempore non fuisse puram omni errore atque corruptela. Hîc si Sophista majores nostros nobis objiciat, qui omnes perierint, si non exstiterit Ecclesia visibilis, semper ab omni errore immunis, parùm proficiet. Si enim hoc argumento liceret premere veritatem, Pharisæi & Scribæ potuissent eodem premere Christum & Apostolos. Aliquot enim seculis non fuerat pura Ecclesia visibilis inter Judæos. Varii errores, corruptelæ & abusus irrepserant. Negari nequit. Christus arguit hoc nomine Pharisæos, ipse testis & judex ἀδιάφορος. Aderat illis justa defensio, si Becani sequela firma est de Ecclesia omni errore pura. Sic enim poterant concludere. *Nemo servari potest extra Ecclesiam visibilem. At semper aliqui salvati sunt. Ergo semper duravit Ecclesia visibilis, ab omni errore immunis. Ea sum ergo est, Ecclesiam visibilem aliquandiu nõ exstitisse puram omni errore. Nam si non exstitisset pura, diu nemo fuisset salvatus. Potuissent ergo omnes nostri majores, qui vixerunt ante Jesu Nazareni ejusque præcursoris Johannis præconium.* Hæc argumentatio Pharisæorum aut vera & solida est, aut falsa & frivola. Si veram & solidam dicas, falsus fuerit Christus, hostes veri; quod blasphemum. Si falsa & frivola, non potest Becani sequela vera esse & solida. Illi enim gemina esse debet, si quidem quæstionem controversam velit adversùs nos concludere, non impugnare proprium figmentum, quod ipsi aversamur, rejicimus & confutamus in occasione. Quin Christus facilè depulerit Pharisæorum telum, Christiani minimè dubitant. Non deerant Deo media, per quæ suos servaret in Ecclesia Judaica, licet variis erroribus obnoxia. Similiter non defuerunt media, quibus Deus in medio Papisticæ Ecclesiæ quamvis corruptissimæ, suos sibi servaret; de quo paulò pòst loco suo dicetur.

XXIV. Altera argumentorum classis è Scripturis exstructa. Primum ex Jesaiæ quinquagesimo quarto capite ducitur. Jam quidem fateor, præclarè hîc describi Ecclesiæ Christi fœcunditatem v.1.2. amplitudinem, v.3. firmitatem & perpetuitatem, v.7.8.9.10. gloriam v.11.12.13. denique victoriam contra hostes, usque ad finem capitis. Quæ omnia reliquiis Zionis in captivitate Babylonica conservandis promittuntur, & in Christo complementum suum habent, idque in Ecclesia catholica exquisitè dicta, seu electorum verèque fidelium universitate. Nihil verò invenio toto capite, quo probetur, visibilem Ecclesiam nec errare ullo modo, nec deficere posse, ut quidem nos defectionem intelligimus, etiam sæpiùs declaravimus. Becanus quatuor sententias objicit. Singulas expendemus. Prima est v.4. *Noli timere, quia non confunderis, nec erubescas. Confunderetur autem & erubesceret, si erraret in fide.* Deus verbis illis Ecclesiam bono animo esse jubet, atque rationem subjungit, quia eum exitum sit habitura, ut non pudefiat, ac si diceret, *tametsi ad tempus misera sis, res tamen tuæ tandem benè habebunt.* Spes tua te non fallet. Non desereris. Pudefit enim, qui spe suâ se deludi sentit, ut patet ex collatione Jerem.12,13.c.14,3.4. Joël. 1,11. Est autem erubescentia alia *modestiæ*, cùm erubescunt fideles ob sua peccata, Rom. 6,21. alia *divinæ ultionis*, sive exignominia, sive damno divinitus illato. *Illa* nec est, nec erit aliena à filiis Dei; imò eos decet, Ezech.16,61.63. cap.43,10. Dan.9, 7.8. *Istam* Deus minatur impiis, Jesa.45, 16.c.65,13. David deprecatur ex parte sua & piorum, Psalm. 31, 18. 34, 6. 74, 21. 119, 31. at suis hostibus imprecatur, Psalmo. 6, 11. 35, 4. 40, 15, 70, 3. 26. Hinc infallibilitas in dogmatibus non magis concluditur, quàm impeccabilitas in vita. Non enim tantùm error, sed & quodvis aliud peccatum ruborem incutit. Si errare nequit, quia sic confunderetur, ergo nec peccare poterit. At peccare potest & peccat Ecclesia, neque tamen ideo confundetur. Ergo licet aliquo errore corripiatur, non tamen ideo confundetur. Confusio enim hîc intelligitur finalis, quæ cum salute non consistit, ut patet ex oppositione apostolica, Rom.10.v.11. ut rectè annotat Lyra Com. in c.9. Rom.

XXV. Quod dico inde fit clarius, quia idem prædicatur de singularibus personis, Psalm.22,6. in quas errorem cadere potuisse, non est dubium. Imò promittitur cuivis verè credenti. Sic enim Deus ait, Jesa.28,16. *Qui credit, non pudefiet:* quod Apostolus sic repetit, ut simul interpretetur, *quisquis*, inquiens, *credit in eum, non pudefiet*, Rom.9,33.c.10.11. Quod negatur de singularibus personis, ejus remotio ab Ecclesia non infert ejus infallibilitatem. In originali lingua est, *non festinabit, lò jachîsch*, eodem sensu. Qui enim festinat, perperam ferè agit & seipsum confundit. Item anxius trepidat, nec voti fit compos. Sic non festinat, quicunque in Christum credit, sed potiùs in certa illa persuasione acquiescit, ac fide remissionem peccatorum vitamque æternam certò consequitur. At hoc competit omnibus verè fidelibus. At fideles errare posse, experientia testatur. Infallibilitas igitur ex ista promissione non exsculpitur. Jam constringam Sophistam; Si errare nequit, qui non confundetur, ergo nemo fidelium errare poterit; nemo enim, qui credit in eum, pudefiet.

XXVI. Secunda est versu decimo: *Montes commovebuntur & colles contre-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

miscent; *misericordia autem mea non recedet à te & fœdus pacis meæ non movebitur.* R. Immobilitas fœderis, quod Deus cum Ecclesia iniit, hîc commendatur; unde perpetuitatem Ecclesiæ rectè concludis; infallibilitatem & perpetuam immunitatem à defectione, qualem Papistæ tuentur, non rectè concludis. Primò enim Deus neutram promisit in suo fœdere. Deinde ratio suadet. Si enim errare ullo modo nequit Ecclesia propter fœdus immobile, ne ignorantiâ quidem, vel peccato obligari poterit; At hoc falsum. Tertiò idem dicendum fuerit de veris particularibus Ecclesiis; imò de singulis verè fidelibus. Cum illis enim non minùs, quàm cum tota Ecclesia, Deus fœdus pepigit. Sint ergo omnes Ecclesiæ particulares, sint omnes fideles infallibiles. Absurdum! Denique exemplis nimis manifestè constat, Ecclesiam æterno fœdere conjunctam Deo errare posse. Erravit Ecclesia novi Testamenti in Apostolis ante passionem Christi, de regno Messiæ corporali; non noverant Scripturas, quòd oporteret Christum à mortuis resurgere, Johan. 20, 9. Semper manet fœdus firmum cum Ecclesia in prædestinatis & verè Sanctis, etsi tota visibilis erret, adeoque nusquam integer & illustris cœtus appareat, qui palàm purè sonet Dei verbum, citra omnem errorem.

XXVII. Tertia v. 11. *Ecce ego sternam per orbem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam jaspidem propugnacula tua & portas tuas in lapides sculptos & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Becanus sic interpretatur, *Ego ita fundabo & stabiliam te, ut tempestate convelli non possis, ita muniam te portis & propugnaculis, ut futura sis inexpugnabilis.* Nũ. 30. Primò. Rursùm memineris, de qua Ecclesia Propheta loquatur. Papistis Romana unicè versatur in mente, in oculis, in ore. Infrà enim Becanus scribit, Ecclesiam, de qua hactenus sit actum, esse Romanam. Non ea mens Prophetæ, quippe qui potiùs loquitur de Ecclesia catholica exquisitè dicta, seu verè Sanctorum congregatione, quam tanquam Domum vivam lapidibus vivis Dominus construxit. Eam tempestate convelli non posse, & inexpugnabilem esse, etsi præcisè his verbis Propheta non docet, nos tamen agnoscimus aliis edocti Scripturæ testimoniis. Verùm à privilegio Ecclesiæ catholicæ exquisitè dictæ, ad particulares vel singulas, vel conjunctas, minimè valet consequentia. Secundò. Aliud est convelli non posse & esse inexpugnabilem; aliud errare nõ posse, ullo modo in fide, & esse perpetuò foris omnibus palàm adspectabilem, perfectè servatâ puritate simul & splendore. Jam esto; Dixerit illud Propheta, non ideo hoc dixit. Tertiò. Nemo Veterum, quod sciam, ex hoc textu unquam concluſit, Ecclesiam visibilem nec errare posse, nec ad eas redigi angustias, ut nullus in terris appareat cœtus integer ac illustris, omnibus notus, qui publicè purè Deum colat. Si Papistæ velint, ostendant, eum esse verborum sensum.

XXVIII. Quartò. Cæterùm, sub imagine pretiosæ & magnificæ structuræ, gloriam & splendorem Ecclesiæ describi, certum & ab ipsa litera manifestum, cujus

cujus initium sit in hoc seculo, perfectio, de qua Apocalypsis agit, cap. 21. servatur futuro. Lapides enim illi sunt homines, ut Lutherus & Calvinus rectè annotant, è quibus domus illa spiritualis constituitur, quos expolit architectus, tum externâ prædicatione verbi, tum interiori Spiritus Sancti efficaciâ, ut patet à versu sequente; *Et omnes filii tui edocti erunt à Jehova.* Hîc enim ostendit, tum quinam sint illi pretiosi lapides, nempe filii, tum quomodo expoliantur sc: docendo. Varii autem lapides nominantur, propter diversa Spiritus dona. Pro eo, quod vulgatus Interpres habet, *Sternam per orbem lapides tuos*, Græci legunt, *Præparo tibi carbunculum lapidem tuum.* Ubi Hieronymus carbunculum ignitum, sermonem doctrinæ, Cyrillus Alexandrinus, Jesum Christum, reliqua autem, de Ecclesiæ præfectis interpretatur, quem sequi videtur Johannes Piscator. Explicat enim hunc locum per versum undecimum capitis quarti ad Ephesios. Wolfgangus Musculus fundamentum cum Cyrillo Christum, fenestras, seu specularia, (vulgatus & Hieronymus propugnacula reddidit) Prophetas, Apostolos, Doctores, at portas & murum, divinam protectionem exponit. Et sanè hæc verum splendorem Ecclesiæ conferunt. Hîc verò cogitandum, splendorem esse duplicem, internum & externum. *Internus* semper manet, nunquam totaliter perit, at *externum* non solùm imminui, sed etiam aliquando perire posse, clarum ab experientia. De *interno* splendore textus agit præcipuè: nempe, qualis pax promittitur, talis splendor. Num pax externa perpetuò datur Ecclesiæ? Nihil minùs. Imò non datum iri perpetuam, patet à vaticiniis, quæ completa esse, docet persecutionum plurimarum historia. Pax igitur interna intelligitur, quam Christus suis promittit, Joh. 14, 27. At dicta de splendore interno non debent morosè trahi ad externum, & quidem perpetuum ac uniformem, neque opponi vaticiniis de vastatione Ecclesiæ.

XXIX. Quarta, v. 17. *Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi in judicio condemnabis.* Id est, *omnes adversarii, quos diabolus contra te excitabit, non habebunt successum, & omnes hæreticos, qui tibi resistent in causâ fidei ac religionis, de errore convictos condemnabis.* Num. 30. Prior interpretationis pars optimè se habet. Nec aliter nostrates. Quale, quale sit instrumentum, à quocunque fabricatum, à quocunque usurpetur, non habebit successum: Non obtinebit, quod vastator intendit. Vult perdere Ecclesiam ejusq; filios. Non perdet. Manet semper Ecclesia, quamvis multi filii trucidentur. Salus manet integra & matri & filiis. Posterior pars non reddit integrum sensum. Nam primò. Linguam adversariam ad hæreticos restringit, cùm multò pateat latiùs. Probatio facilima. Gentiles enim non censentur in hæreticis, non censentur schismatici, denique non impii, qui in Ecclesia quidem doctrinam veram profitentur, at disciplinæ severitatem contumeliosè traducunt. Et tamen non dubium, quin illorum quoque lingua insurgat adversùs Ecclesiam. Generaliùs igitur accipiendum de quovis falso & impio

Universidad de Deusto
Biblioteca

accusatore & teste, sive sit extra Ecclesiam, sive in externa ejus societate constitutus.

XXX. Secundò. Vocem *in judicio* conjungit cum verbo *condemnabis*, cùm esset ad verbum præcedens referenda. Sensus n. est, tantâ impios petulantiâ præditos esse, ut non tantùm filios Dei ultrò lacessant, sed etiam speciosos colores obtendant, quibus id jure facere videantur. Tertiò. Condemnationem interpretatur de judiciali processu. Non ea mens Prophetæ. Dubitas? Ergóne omnes quicunque maledixerunt, aut calumniam struxerunt Ecclesiæ, ab ea damnati sunt processu judiciali? Referendum igitur potiùs ad Ecclesiæ innocentiam, quæ convincat adversarios impietatis, dum non possunt certis & invictis argumentis probare, quod contra eam prætendunt. Sic damnavit Christus eos, qui contra ipsum surgebant in judicio. Et Paulus vult, tum alios eam vitæ rationem inire, tum Titum præbere seipsum exemplar bonorum operum, ut qui se ex adverso opponit, erubescat, nihil habens quod de ipsis dicat mali, Tit.2,2.3.4.5.6.7.8. Itemque Petrus auctor est fidelibus, ut benè agendo capistro frænent amentium hominum ignorantiam, 1.Petr.2,15. Cæterùm Deus sanè Prophetæ verbis promittit Ecclesiæ, victoriam contra impios: Verùm visibilis Ecclesiæ infallibilitas & perpetua immunitas à defectione, qualem Papistæ fingunt, cum Ecclesiæ catholicæ victoria non est indissolubili nexu conjuncta. Nec ideo non superavit hostes Ecclesia, quòd fugere coacta est in desertum, Apocal.12. Etiam in fuga est victoria; etiam in injusta condemnatione est victoria, & quidem tanto admirabilior, quanto magis superat judicium hujus mundi. Confer Rom.8,37. Victoria non promittitur semper mundo conspicua. Imò fieri potest aliquando, ut hæreses totam Ecclesiam, in quantum est visibilis, obruant; Nec tamen Ecclesia, quà est in sanctis, ut appellat Augustinus, succumbit; imò vincit & triumphat.

XXXI. Secundum ex verbis Christi, Matth.16. *Portæ inferorum non prævalebunt adversùs eam.* Augustinus l.1. de Symbolo ad Catechum: c.6. *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam.* Hîc dicit Augustinus, *visibilem Ecclesiam expugnari non posse, ex illa enim hæretici exeunt, ex invisibili non exeunt, in qua soli sunt prædestinati, quia in ea nunquam fuerunt.* Num.31. R. Vindicatum est dictum Christi paulo antè, & ostensum, hoc adæquatè & propriè competere Ecclesiæ catholicæ exquisitè dictæ, idque fatentibus celebribus Papistis. De illa Augustinus loquitur. Loquitur enim de Ecclesia, quam profitemur in Symbolo apostolico, idque planè ex nostra sententia. Illam enim expugnari non posse, concedimus ultrò. At qui vellet articulum ad visibilem Ecclesiam, quà talem, restringere, næ is gravem errorem erraret. Vide suprà. Nec obstat, quod objicitur de hæreticis, qui non exierint ex Ecclesia invisibili. Etsi enim

enim illi non fuerant vera membra Ecclesiæ catholicæ exquisitè dictæ, seu verè fidelium universitatis, versati tamen sunt in externa ejus societate, quia Ecclesiæ particularis membra fuerunt, & hoc respectu ex Ecclesia egressi sunt, quæ duo conjungit Apostolus Johannes, inquiens, *è nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum*, 1.Johan.2,19. Præterea non sequitur, Ecclesia visibilis non potest expugnari, mâet in radice sua, in vite sua, in charitate sua; Ergo nec potest errare ullo modo in fide, nec sic ad angustias redigi, quin semper maneat cœtus integer, illustris ac omnibus notus, qui Deum publicè purè colat, citra corruptelam. Etsi errat & deficit, ratione totius publici ministerii, nõ tamen expugnatur in sanctis & verè fidelibus, sed in illis tenet radicem, & manet in fide ac charitate. Denique non sequitur: Inferorum portæ non prævalent adversùs Ecclesiam visibilem: Ergo errare nullo modo potest in fide. Prævalere possunt adversùs errantes in Ecclesia, ut non prævaleant adversùs Ecclesiam; quippe quæ, ratione aliorum membrorum, manet in radice.

XXXII. Tertium ex Matth.28,19. *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes &c. Et ecce ego vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, q.d. *Bono estote animo, ego non deseram vos: adero vobis & successoribus vestris usque ad finem mundi.* Num.33. R. Primò. A Christi præsentia, quam hîc promitti, certum, rectè concluditur perpetua Ecclesiæ Catholicæ duratio. Jansenius in concord. Evang.c.149. sic exprimit, *ex hac sententia concluditur, usque in finem seculi non defuturos fideles.* Visibilis Ecclesiæ infallibilitas, & unus determinatus perpetuæ durationis modus non rectè concluditur. Christus suis adest etiam dispersis & latentibus, cùm nullus uspiam palàm omnibus apparet cœtus integer & illustris, qui Deum publicè purè colat. Non *infallibilitas*: Promissa enim est præsentia gratiosa omnibus fidelibus, juxta illud Apostoli, *Christus habitat in cordibus nostris per fidem*, Ephes.3,17. At non omnes fideles infallibiles; imò nulli præter Apostolos, quibus hoc privilegium speciatim est concessum. Rursum promissa præsentia Christi cœtibus particularibus; possunt tamen errare, ipsorum Papistarum confessione. Non *indefectibilitas*, ut hoc verbo uti mihi liceat. Idem enim promissum Ecclesiæ veteri, Levit.20,11.12. Visibilis tamen cœtus sæpe adeò defecit, ut non esset qui Deum palàm purè coleret citra corruptelam. Secundò. Promissio aliter intelligenda est de Ecclesia in genere, aliter in specie, de hoc, isto, illo loco, sede, populo. De Ecclesiæ conservatione in genere est absoluta; ideo semper impletur, quamvis non eodem semper modo. Cùm Christus semper sit caput, semper habebit corpus: Ecclesia est corpus, caput semper adest corpori, sic Christ⁹ Ecclesiæ. De hoc, illo, isto loco, sede, populo est conditionata promissio, nempe si Dei verbum suscipiant & amplectantur, Joh.14,23. aliàs minatur amotionem candelabri, Apoc.2,5. Ergo promittit præsentiam suã gratiosam Apostolis, & doctorib⁹ omnibus, qui sincerè docent omnia servare, quæ ipse

præcepit, itemque omnibus, qui suæ doctrinæ adhærent: quæ est propriè visibilis Ecclesia, quatenus veram fidem profitetur.

XXXIII. Tertiò. Si igitur ad certæ sedis successores Christi verba restringas, more Papistarum, jam nego, alicujus sedis successoribus absolutè promissam perpetuam Christi præsentiam. Patet ex textu, & eventu. E *textu*: Non unius Apostoli successoribus plus promissum est, quàm alterius. Sicut non plus uni promissum Apostolo, quàm alteri. Aut igitur singulorum Apostolorum successoribus promissa sic est præsentia, ut eorum sedes deficere non possit, aut nullius successoribus est promissa. Singulorum Apostolorum successoribus non sic esse promissam, fatentur Papistæ. Monstrent igitur è textu, aliquid Petro præ cæteris promissum, aut desinant obstrepere veritati. Christus non dixit Petro, *ego aliter tecum & cum tuis successoribus futurus sum usque ad consummationem seculi, quàm cum reliquis meis Apostolis eorumque successoribus.* Ab *eventu*: Defecerũt plurimæ Ecclesiæ ab Apostolis plantatæ, quibus præfuerunt illorum discipuli. Nimis notum! Bellarminus scribit, omnes sedes apostolicas, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam defecisse, solam Romanam sedem Petri mansisse immobilem. Prius verum, posterius unde habet? Romana enim nullum habet peculiare privilegium. Ergo potest deficere, ERGO tota visibilis Ecclesia. Quot Papæ Romani errârunt in fide, imò hæretici facti? Infrà nominabimus.

XXXIV. Ais: *Hoc testimonio utitur Augustinus Conc. 2. in Psalm. 101. (102.) contra Donatistas, ubi introducit Ecclesiam sic loquentem; Quid est, quòd nescio, qui recedentes à me murmurant contra me? Quid est, quòd perditi me periisse contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Quàm diu ero in isto seculo? Annuncia mihi propter illos, qui dicunt, fuit & jam non est. Apostatavit & periit Ecclesia de omnibus gentibus. Et annunciavit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Sunt, fateor, hæc Augustini verba, sed primùm mutila, deinde aliena. *Mutila*; Sophista enim multa omisit pro lubitu. Integra sic habent; *Quoniam quidam dicturi erant contrà, fuit & non est, exiguitatem, inquit, dierum meorum annuncia mihi. Quid est, quòd nescio, qui recedentes à me murmurant contra me? Quid est quòd perditi me periisse contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Nox à te quæro illos dies æternos; illi sine fine sunt, ubi ero, non ipsos q̃ro; temporales quæro, temporales dies mihi annuncia. Exiguitatem dierum meorum non æternitatem dierum meorum annuncia mihi. Quamdiu ero in isto seculo, annuncia mihi propter illos, qui dicunt, fuit & jam non est. Propter illos, qui dicunt, impletæ sunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit & periit Ecclesia de omnibus gentibus. Quid est hoc, exiguitatem dierum meorum annuncia mihi. Et annunciavit, nec vacua fuit vox ista. Quis annunciavit mihi, nisi ipsa via? quomodo annunciavit, Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi.* Hæc verba sunt Augustini integra,

tegra, quibus retundit Donatistarum clamores de Ecclesiæ catholicæ interitu. Nos non tangunt. Non enim fovemus Donatistarum errorem, sed palàm repudiamus, & his verbis Christi cum Augustino confutamus. Imò tùm his tum aliis evertimus Anabaptistarum & Libertinorum opinionẽ, Ecclesiam totam perire posse, contendentium.

XXXV. At Sophista jubet advertere, quomodo Augustinus per latera Donatistarum confodiat Lutheranos & Calvinistas, qui etiam dicant, quod illi dicebant, *Ecclesia catholica jam non est, sed fuit, apostatavit & periit. Contra quos, inquit, similiter licebit exclamare; Quid est, quòd nescio, qui recedentes à me murmurant contra me? Quid est, quòd perditi me periisse contendunt? Nonne tu Domine dixisti,* Ecce ego tecũ sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi? *Certè non dixisti, Ecce tecum sum quingentis annis, & postea per aliquot secula te deseram, usque ad tempora Lutheri & Calvini, sed discrètè,* omnibus diebus usque ad finem mundi. Num. 34. Hæc una accusatio, si vera esset, non immeritò Imperatori, Regibus & Principibus sub Papatu viventibus Protestantes redderet exosos. Quis enim Christianus æquis auribus admittat, *Ecclesiam catholicam jam non esse, sed fuisse, apostatâsse & periisse? Christum per aliquot secula Ecclesiam catholicam deseruisse, usque ad Lutheri & Calvini tempora?* Si non vera est, intelligunt boni, quibus artibus Jesuitæ nos exosos reddere conentur orbi Christiano. Certè est aperta calumnia & horribile mendacium, à quo tum demum liberabitur Becanus, cùm vel ipse, vel socii monstraverint, hanc sententiam à nostris dictam esse defensamque. Viri sunt Jesuitæ, habent in manu nostrorum libros; excutiant omnes, ostendant, ubi Lutherani & Calvinistæ istam sententiam dixerint. Aliud sonant omnes confessiones, omnia scripta. Non igitur potuit Augustinus nostros confodere per latus Donati. Exclamatio verò Becani nimis iniqua, si non prorsus est ridicula. Non enim nos contendimus, ECCLESIAM periisse? Dixi, apertam calumniam esse ac horribile mendacium. Repeto. Novimus & docemus, Christum affuturum esse sũæ ECCLESIÆ, non tantùm quingentis annis, sed usque ad consummationem seculi. Non agnoscimus, non docemus, affuturum fuisse tantùm quingentis annis; non novimus præsentiam, quam Ecclesiæ catholicæ promiserit, sive penitùs abruptam, sive interruptam ex intervallo. Ne unum quidem diem deseruisse Ecclesiam, dicimus, tantùm abest, ut multa nominemus secula usque ad tempora Lutheri & Calvini. Commenta hæc sunt hominis impudentis. Romanam Ecclesiam defecisse à fide & in apostasia in hunc usque diem perseverare, dicimus. At illa non est Ecclesia catholica, sed particularis, cui non magis, quod hactenus quidem docti sumus, dictum absolutè, quàm Hierosolymitanæ, vel Antiochenæ, vel cuivis alii, *Ego tecum sum usque ad consummationem seculi.* Ubi enim absolutè dictum?

XXXVI. *Denique*, inquit Becanus, *omnia argumenta, quibus olim Augustinus & alii Patres contra Donatistas usi sunt, valent & jam contra Lutheranos & Calvinistas;*

stas; & quidem potiori iure. Num.35. Sic scilicet egregiè revincimur. Minatur argumenta Augustini & Patrum, nullum producit, ac ne quidem unum. Sufficit igitur negatio. Et sanè quicquam valere adversùs nos illa argumenta, inficiamur optimo jure. Proferat quicunque Sophista volet, in Ecclesiæ conspectum, in conspectum totius orbis, quantis potest viribus, in nos contorqueat; non metuimus. Becanus jam rem confectam putat, quòd idem ferè doceant Lutherani & Calvinistæ, quod Donatistæ. Probandum erat, idem docere, non ferè idem. Hæc duo enim differunt. Sed quî constat, idem ferè docere? *Donatistæ*, inquit, *docuerunt, Ecclesiam catholicam, quæ antea toto orbe fuerat, dispersa, postea toto orbe periisse, propter crimen Cæciliani Episcopi, & solùm remansisse in ea parte Africæ, quæ Donato adhærebat.* Sic docuisse eos, scribit Augustinus lib. de hæres. c. 69. Num sive idem, sive ferè idem docent Evangelici? Imò damnant magno consensu. Ad confessiones & scripta publica provoco. Si illa Jesuita non curat, revereri saltem debebat Imperatoris sententiam, Caroli, inquam, nostros ab hæresi Donatistarum absolventis. Is enim laudabat Principes protestantes, quòd damnarent Donatistas.

XXXVII. Becanus contrà pertendit, nostros ferè idem docere, quia dicant primò, *Ecclesiam catholicam, quæ primis quingentis annis toto orbe fuerat diffusa, postea propter crimina Pontificum toto orbe periisse.* Secundò, *Ita penitùs periisse, ut nusquam nec in Europa, nec in Asia, nec in Africa salva & incolumis permanserit, sed ubique adultera & apostatica fuerit deprehensa.* Tertiò, *In ea parte Europæ, quæ Luthero adhærebat, revixisse.* Num.36. Primum est calumniosum. Catholicam Ecclesiam periisse, orbe toto, non dicimus, sed dicimus, servatam esse omnibus seculis. At longo tempore totius visibilis Ecclesiæ ministerium publicum, idque maximè tyrannide Romanorum Pontificum corruptum fuisse, dicimus; quod non solùm prædictum in Scriptura, sed & eventu tristi nimis clarè comprobatum est. Secundum similiter est calumniosum. Ecclesiam enim catholicam, etiam in mediis tenebris Papatus, toto orbe salvam & incolumem fuisse, dicimus, quamvis tempore benè longo tota Romana Ecclesia fuerit adultera & apostatica, juxta vaticinium, 2. Thess. 2. Apoc. 17. & 18. Quod absurdum videri non debet. Cùm enim Ecclesia septem millium esset salva, palàm scortante Ecclesiâ Israëliticâ, cur in novo Testamento non potuerit salva esse Ecclesia catholica in prædestinatis verèque fidelibus, quamvis scortata sit Ecclesia Romana, quæ inter omnes Ecclesias particulares primatum, ac in totam visibilem Ecclesiam potestatem œcumenicam sibi arrogat? Nec minor est Dei potentia & gratia erga suos sub Evangelio, quàm fuit olim sub Lege, nec minor novæ, quàm veteris Ecclesiæ firmitas & durationis privilegium. Jam nec tertium caret calumnia. Ecclesia enim nunquam mortua de nostrorum sententia. Non igitur erat, cur Lutheri tempore reviviscceret. Horribilem morbum contraxerat, Dei beneficio convaluit eâ parte, quâ Luthero aliisque Evangelii præconibus adhærebat. Nec tamen illo tempore primò cœpit cõvalescere. Fuerunt enim diu ante Lutherum, qui medicam adhiberent manum, nominatim Waldenses, Wiclefus, Hussus, alii. At Lutheri, Zvinglii, Oecolampadii, Calvini & sociorum laboribus Deus benedixit liberalissimè, adeò ut magna Ecclesiæ pars pristinam valetudinem recuperaret. Quæ cùm dicimus, non metuimus Augustinum; Amicus enim nobis, qui olim erat Donatistarum adversarius. Nos autem Donatistis nec similes sumus, nec deteriores, quæ est Sophistæ fœda calumnia.

Sect. VI.

Tria Consectaria Becani considerantur.

1 I. Ex dictis tria consectaria deducit Jesuita. Primum. *Cùm Ecclesia non possit deficere, vel errare in fide, propter peculiarem Spiritus Sancti assistentiam, magna omnino esse debet ejus auctoritas in negocio fidei, quam sæpe commendat Augustinus.* Num.37. R. Atqui primò Sophista nondum probavit, Ecclesiam Christi visibilem non posse deficere, vel errare in fide. Quicquid igitur huic fundamento superstruit, id corruat oportet. Non enim nititur Dei verbo, sed humana opinione. Ex promissione Christi de peculiari Spiritus Sancti assistentia non magis inferri potest infallibilitas Ecclesiæ visibilis, quàm impeccabilitas, & omnium rerum exacta cognitio, seu quòd sit expers ignorantiæ. Auctoritas Ecclesiæ est aliqua & quidem magna, at non absoluta sed limitata; post Scripturam, non supra Scripturam; quæ à Scriptura regatur, non quæ Scripturam regat; quæ nos quidem ducat, at non aliò, quàm quò ipsa ducitur à Scriptura; denique quæ Scripturæ cedat.

II. Secundò. Auctoritatem Ecclesiæ majorem esse, quàm Scripturæ, & hanc ab illa dependere, est quidem opinio Papistica, at falsa, perniciosa, ridicula atque inde aliquibus Papistis improbata. *Falsa*, tum quia Ecclesia alligatur ad doctrinã, tanquam regulam, Gal. 1. nusquam verbum alligatur ad Ecclesiam; tum quia mediatè docetur aliunde, quid sit pronunciandum de rebus fidei; tum quia à Scriptura leges accipit, non ei dat leges, sed solùm perhibet testimonium; tum quia non est αὐθέντης; tum quia à seipsa aliquando dissensit, nominatim in judicio de Scriptura. Græca enim diu non agnovit Apocalypsin & aliquot canonicos, Latina eam, quæ est ad Hebræos, non agnovit. *Perniciosa*; Nam sic nulla erit certitudo fidei, tum quia fides resolvetur in homines, tum quia Ecclesia discrepat in nonnullis à seipsa in diversis ætatibus. Imò religio sic evertitur, & Judæis Turcisque ridenda propinatur. Certè illi pariter suum Thalmud & Alcoranum tuebuntur. *Ridicula* est, sive rei veritatem, sive mentem Papistarum spectes. Si *rei veritatem*; fundamentũ n. penderet ab ædificio: doctrina qppe Prophetarũ & Apostolorum est fundamentum Ecclesiæ, Ephes. 2, 20. Penderet Deus ab homine, vox divina ab humana; extolleretur hominum multitudo supra Deum, & majoris fieret vox hominum, quàm Dei; imò homines auctoritatem haberent su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pra Deum. Deus enim in Scriptura loquitur. Si *Papistarum mentem*; Papistæ, hujus opinionis patroni credunt, Scripturas esse divinas & auctoritatem habere canonicam, propter Ecclesiæ, id est, suam & antecessorum suorum auctoritatem; jubent nos credere, quia ipsi dicunt, inprimis Papa. Hoc prorsus ridiculum. Denique aliquibus Papistis improbata; Hîc nomino Michaëlem Medinam lib. de Auctor. Eccl. scribentem; *Quanquam mihi, dum sacrarum Scripturarum auctoritatem expendo, nunquam hæc Scripturarum & Ecclesiæ comparatio probari potuit, tantum abest, ut his duabus postremis sententiis, quæ Ecclesiam eisdem Scripturis canonicis præferunt, ex animo faveam.* Tostatus in Matth. c. 4. q. 28. scribit; *Nulla est major auctoritas sub Deo, quàm sacra Scriptura.* Petrus à Soto in Defens. Cathol. Confess. contra Proleg. Brentii cap. 47. *Dubitandum non est, quin Ecclesia Scripturæ sit subdita. Hanc sententiam semper tenuimus, & quanquam sunt Catholici, qui æqualis volunt auctoritatis esse Ecclesiam & Scripturam, & quidam plus tribuant Ecclesiæ, nihil putantes detrahi alteri ex alterius excellentia, maximè cùm quicquid Scriptura vel Ecclesia habet, totum sit à Spiritu Sancto, qui inter eas prout vult, dividit auctoritatem. Hoc nonnulli asserunt, quos non damnamus, quia hoc sentiunt, non damnantes etiam eos, qui aliter sentiunt. Sed nobis multo magis contrarium placet, vel hac solâ ratione, quia Spiritus S. revelat, & dat Ecclesiæ Scripturam sacram; quare non potest non illi subdita esse.* Vide vim veritatis, de hostibus magnificè triumphantis. Soto nollet damnari socios, succumbit tamen veritati. Cogitur majorem Scripturæ, quàm Ecclesiæ auctoritatem agnoscere.

III. Tertiò. Augustinus, fateor, sæpe commendat Ecclesiæ auctoritatem; at supra Scripturam nusquam extollit, sed potiùs Scripturæ auctoritatem omni alii præfert. Quò pertinet, quòd ab omnibus Scripturæ tractatoribus ad ipsum Apostolum provocat Epist. 19. & lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 3. scribit; *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus; ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Becanus objicit duo dicta. Prius est illud ex lib. contra Epistolam fundamen. c. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Dictum sanè durum & crudum satis, si accipias nudè, ut jacet, non consideres scopum dicentis & cohærentiam. Verus sensus quærendus. Non omnes Papistæ eodem modo interpretantur. Non desunt, qui contendant, auctoritatem Ecclesiæ majorem declarari, quàm Scripturæ, quippe quæ suam auctoritatem accipiat ab Ecclesia. Johannes de Turrecremata dicit, Ecclesiam dare Scripturæ auctoritatem tantùm declarativè, quatenus testatur, hanc esse Scripturam Dei; Cæterùm Scripturam ab Ecclesia ñ habere auctoritatem. Petrus de Alliaco scribit, lib. 1. Sent. q. 1. art. 2. Ex Augustino non haberi, quòd crediderit Evangelio, per auctoritatem Ecclesiæ, tanquam principium Theologiæ, ex quo Evangelium theologicè probetur esse verum, sed solùm

solùm tanquam ex causa movente ipsum ad fidem Evangelii. Hic sensus verus est, nec favet Papistis, qui Ecclesiæ auctoritatem supra Scripturam extollunt, quod ex ipsius dicti consideratione præsiore clariùs patebit.

IV. Nam primò nulla syllaba hîc occurrit, quæ id apertè sonet. Non dicit, *non crederem Evangelio, nisi plus valeret auctoritas Ecclesiæ, quàm Scripturæ.* Secundò. Non sequitur ex verbis. Dicit, quid ipsum ad credendum commoverit; Non sequitur, quicquid hominem movet ad credendum Evangelio, id majorem habet auctoritatem, quàm Evangelium. Patet ab aliis exemplis. Johannes Baptista movit suos discipulos, ut crederent Christo: Samaritanos movit mulier: Num illorum inde major fuit auctoritas, quàm Christi? Mulier illa typus est Ecclesiæ, si credas Johanni Fabro Stapulensi Com. in Johan. 4. scribenti; *Mulier postquàm urnam & aquam veteris cisternæ reliquit, gessit typum Ecclesiæ & fidelium, qui nonnisi ad credendum præparant. Fides autem quæ perficit, desuper advenit, sacrosancto Jesu inhabitante & immanente Spiritu.* " *Quem qui habent, dicunt mulieri, non amplius propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi. Ne ergo posthac dicamus, Evangelio non crederem, nisi Ecclesia crederem, aut nisi approbâsset Ecclesia, & similia, sed potius cum Sicharitis verè fidelibus, jam non propter loquelam tuam credimus: nam nullus Evangelium nobis loquitur, quàm Christus Jesus, super omnia benedictus. Ex ipso ergo & propter ipsum illud audientes dicamus, audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi. Qui enim illo modo credit, infirmè & humanè credit, & ut aiunt Dialectici,* quod est; *qui autem isto modo, validè, divinè, & ut iidem dicunt,* propter quid est; *non enim Christus propter Samaritanam, sed Samaritana propter Christum.* Inde Michaël Medina disertè eos refutat, qui aliter sentiunt. Verba sunt lib. de Auctor. Eccl. (citante Dorschéo in dissertat. de Auctoritate Ecclesiæ, & D. Gerhardo) *Quòd ex eo Augustini dicto Ecclesiæ, quàm Scripturæ majorem auctoritatem persuadere conantur, prorsus est futile. Nam ex eo, quòd Ecclesia Scripturas ostendit & eas à falsis discernendi potestatem exercet, eam iisdem Scripturis auctoritatem præstare, infirmè colligitur, nisi etiam is, qui inter hominum turbas confertissimas mihi Regem ostenderet, potioris etiam quàm Rex auctoritatis habendus esset, aut nisi Mosaica lex, quæ Christi & Evangelici status fuit index, majoris esset auctoritatis, quam Christus, aut Christi Evangelium, quod est absurdissimum.*

V. Tertiò. Augustinus nec dicit, se immediatè per auctoritatem Ecclesiæ ad fidem Evangelio habendam adductum esse; vel per solam auctoritatem Ecclesiæ, nec ex verbis rectè concluditur. Non *prius*; Non enim quod commovet ad aliquid, mox illud immediatè efficit. Non *posterius*; Nam à particula *nisi* ad *solum* non rectè decurrit argumentatio. Exempla sunt in promptu. Hoc unum cape è multis. Vitis non produceret uvas, nec terra triticum, nisi Sol radiis suis orbem terrarum moveret; Neque tamen solius Solis terram moventis efficacia est solitaria causa uvarum & tritici è terra cre-

scentium. Quartò. Sicut non dicit, quòd solius Ecclesiæ auctoritas se moverit, sic nec dicit, quòd omnes commoveat; & certum, non omnes commovere. Testes Indi, Judæi, Turcæ. Quintò. Loquitur de Ecclesia, quæ fuerat ab initio Christianæ fidei, & ad suam usque ætatem creverat, quæ sanè complectebatur collegium Apostolorum. A qua ad Ecclesiam præsentem, si præcisam, seu abstractam, absque cohærentia in fide & moribus cum Ecclesia prima consideres, non valet sequela. Agnoscit Johannes Driedo lib. 4. de Cathol. dogmat. cap. 4. Sextò. Meminerimus, Augustinum loqui de se, qualis fuerat olim in Manichæismo, nō qualis tunc erat in catholicæ Ecclesiæ communione. Id patet à contextu. Manichæo se Apostolum jactanti, & ex Evangelio sui Apostolatus probationem molienti opponit hominem, qui Evangelio nondum credit, & quærit, quid faceret dicenti, non credo? Inde statim subjicit sententiam, de qua agimus, *Ego verò non crederem* &c. Ubi quod dixerat, suo exemplo demonstrat. At nimis alienè, nisi ostendat modum, quo à Manichæismo ad Catholicam religionem transierit. Alioqui enim non bene ostenderet, non esse aptius medium ad persuadendum homini Evangelio non credenti, ut credāt, quàm auctoritas Ecclesiæ. Idem patet à verbis sequentibus; Subjicit, *Quibus ergo obtemperavi dicentibus, credite Evangelio, cur eis non obtēperē dicentib' mihi, Noli credere Manichæo.* Audin' ñ ait, *obtempero*, sed *obtemperavi*, nempe ut crederem Evangelio. Loquitur igitur de se nondum catholico, nondum credente Evangelio. Si opponas, ab Augustino notari tempus præsens per verbæ *crederem*, & *moveret*, respondeo, esse Augustino usitatissimum, ut isto tempore utatur pro præterito. Vide lib. 2. Confess. c. 8. Ibi ait; *Si tunc amarem poma, quæ furatus sum, & eis frui cuperem, possem etiam solus, si satis esset committere illam iniquitatem, quâ pervenirem ad voluptatem meam, nec confricatione conscriorum animorum accenderem pruritum cupiditatis meæ.* Lib. 1. Retract. cap. 23. ait: *profectò non dicerem, si jam scirem, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri.* Lib. 28. contra Faustum, c. 4. *Ipse Apostolus Paulus post adscensionem Domini de cœlo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet.* Lib. de Perseverant. Sanctorum cap. 9. *Tyrus & Sidon crederent, si viderent hæc signa*, id est, credidissent, si vidissent Lib. 2. de Civit. Dei cap. 22. *Collis Capitolinus remanserat, qui etiam ipse caperetur, nisi saltem anseres, diis dormientibus, vigilarent.*

VI. Alterum dictum, quod Jesuita notare nos jubet, at ipse miserè mutilavit, causam nostram non lædit. Sic autem integrum lego lib. de Utilit. credendi, c. 17. *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones Episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare vel summa*

mæ profectò impietatis est, vel præcipitis ignorantiæ. Hoc, inquam, nostram causam minimè lædit. Primò enim Augustinus non confert Ecclesiam cum Scriptura, sed cum hæreticorum cœtibus, quibus qui Ecclesiam veram nollet præferre, apertè esset impius. Patet: agit enim cum Honorato, cur Manichæis Ecclesiam præferre debeat. Deindè primas defert Ecclesiæ, propter doctrinam tum in se certam, tum confirmatam innumeris Sanctorum mortibus & miraculis, & prædicabili vitâ. Sic enim ait, *Hoc* (ut populi omnes consentirent in Christum) *factum est divinâ providentiâ & Prophetarum vaticinio, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes; per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum opportunitate, miracula.* Denique loquitur de Ecclesia, quæ per aliquot secula retinuerat, & adhuc illo tempore retinebat doctrinam propheticam & apostolicam. Sophistæ trahunt ad Ecclesiam manifestè apostaticam, quam Sanctus vir non vidit in sua apostasia, alioqui minimè commendaturus. Jam patet, nos non lædi, quin potiùs lædi Sophistas. Augustinus dicit, hæreticos partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate esse damnatos. Erat igitur illo tempore aliquis locus judicio plebis, quam adversarii prorsus submovent à negocio religionis.

VII. Alterum consectarium communis regulæ titulo commendat his verbis; *Nemo potest errare in fide & religione, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit, seu quod idem Jesuitæ valet, unusquisque tutò ac securè potest id amplecti aut respuere, quod tota Ecclesia amplectitur, aut respuit.* Num. 38. De Ecclesia omnium temporum verum est; sub illa enim comprehenditur ipsa quoque ætas & collegium Apostolorum. De Ecclesia unius temporis falsum. Exemplis plurimis probari potest. Hic illud sufficiat de Eucharistia olim infantibus administrata. Hoc obtinebat aliquot seculis in tota Ecclesia. Maldonatus Com. in Joh. 6. dicit, sexcentis ferè annis obtinuisse, atque hanc opinionē Augustinum, non ut suam privatam, sed ut publicam Ecclesiæ sententiam contra Pelagianos defendisse. Num rectè? Malè igitur correxit ætas citerior. Malè hodie Papistæ. Non n. amplectuntur, sed respuūt. Non possunt elabi. Aut rectè & necessariò administratur Eucharistia infantibus, aut non rectè & necessariò administratur. Utrumvis dicas, patet, errare eum posse, qui sentit, quod tota Ecclesia unius temporis sentit. Nam olim tota Ecclesia, si credas Maldonato, sensit, rectè & necessariò administrari infantibus, hodie tota Ecclesia sentit, non rectè administrari. Denique de Ecclesia Romana longè falsissimū est Consectarium, q̄ tamē se intelligere, infrà profitetur Jesuita.

VIII. Inquis: *At Augustinus hanc regulam ubique tenuit, & ex ea definivit* primò. *Orandum esse pro mortuis, lib. de cura pro mortuis, cap. 1.* Secundò. *Parvulos esse baptizandos*, Epist. 28. Tertiò. *Parvulis prodesse fidem eorum, à quibus ad baptismum offeruntur, l. 3. de lib. arb. c. 23.* Quartò. *Hæreticos non esse rebaptizandos, lib. 1. contra*

contra Crescon. Gram. c. 33. Quintò. *Librum Matthæi Evangelistæ canonicum esse, non librum Manichæi, qui illi cõtrarius est, l. 28. contra Faustum, c. 2.* Sextò. *Hæreticis & schismaticis non esse præcisam spem salutis, si resipiscant, libro inchoatæ Expositionis Ep. ad Rom.* Septimò. *Denique in omnibus sequendũ esse iudiciũ Ecclesiæ, Ep. 118. c. 5.*

IX. Primum non tenuit Ecclesia omniũ temporũ. Apostolica n. non tenuit. Sed nec illi proxima. Etsi citerior tẽuerit, non tamen ideo rectum. Tenere non debuit, quia alienum à Scriptura. Imò ætas post Augustinum non tenuit, sicut anterior, sed de suo addidit, quod ei non licebat. Locus huic rei erit infrà, ubi agetur de Purgatorio. Secundum nos quidẽ habem⁹ à Scriptura. Augustinus verò loco citato nec hoc, nec aliud quippiã definit ex hac regula; Sed infantes sine baptismo decedentes damnari, contendit, idq; teste Scripturâ & Ecclesia. Qua tamen in re Scripturam falsò. testem allegat vir summus, eoque nos suo exemplo monet, divinis, non humanis testimoniis in Dei causa nitendum esse. Tertium Ecclesiæ auctoritate commendari dicit, sed sic ut conetur probare è Scriptura, nominatim exemplo Nainici juvenis, cui mortuo profuerit fides matris, Luc. 7. Id nos in impetratione donorum corporalium & quorundam spiritualium locum habere, ipsi docemus: at in justificatione locum habere, negamus. Ait enim Scriptura: *Justus ex sua fide vivet*, Hab. 2, 4. Quartum probat auctoritate Ecclesiæ; sed juxta Scripturam. E propheticis Scripturis hanc ad rem affert circumcisionem, c. 21. & dicit, *Sequimur sanè nos in hac re etiam canonicarum auctoritatem certissimam Scripturarum*, c. 22. Et sanè Scriptura argumenta solida suppeditat, quibus defendatur veritas. Utinam omnia Papistica essent ejusmodi! Assensum non abnueremus.

X. Circa quintum tria dicit Augustinus: *Unum*, Evangelium Matthæi esse Matthæi, non immeritò credi, quia Matthæi esse, dicit universa Ecclesia ab apostolicis sedibus usque ad præsentes Episcopos, certâ successione perducta, seu, quia illum librum ex eo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interruptâ serie temporum Ecclesia certâ connexionis successione usque ad ista tempora perduxit. *Alterum*, Potiùs credendum esse libro Apostoli, qui Christo, cùm adhuc in terra esset, adhæserat, quàm Manichæo, qui tanto pôst natus est tẽpore. *Tertium*. Si sub nomine Apostoli proferatur liber, in quo dicatur Christus non esse natus ex Maria virgine, cùm necesse sit vel istum, vel librum Matthæi esse mendacem, illi potiùs credendum esse, quem Ecclesia ab ipso Christo inchoata & per Apostolos provecta, certâ successionum serie, usque ad hæc tempora toto orbe dilatata, ab initio traditum & conservatum agnoscit, atque approbat, quàm ei, quem eadem Ecclesia ut incognitum reprobat, cùm etiam proferatur ab hominibus ita veracibus, ut Christum laudent, esse mentitum. Hîc loquitur apertè de Ecclesia omnium temporum, includens ætatem Apostolicam; neque tamen ab illa suspendit auctoritatem Scripturæ; sed agit quo ad hominem. Ut igitur Samaritani voce mulieris adducebantur ad Christum, verùm illo audito, dicebant mulieri, *Non amplius propter sermones tuos credimus; ipsi enim audivimus, & scimus, hunc esse verè Servatorem illum mundi Christum*, Johan. 4, 42. sic Ecclesiæ ministerio ad Christum adducimur; at non propter Ecclesiam credimus Evangelio, sed quia ipsi audivimus & scimus, esse verè Dei verbum. Scriptura enim ipsa testatur, se esse verè Dei verbum; hoc non testatur liber Manichæi: imò hic prodit, se profectum esse ab homine fanatico.

XI. Sextum est alienum. Nam Augustinus quidem scribit, l. l. *His (hæreticis & schismaticis) ad Sponsam Christi redeuntibus, & errorem atque impietatem pœnitendo damnantibus, nulla catholica disciplina negandam Ecclesiæ pacem, & claudenda viscera misericordiæ indicavit.* Idque verum est. At hæreticis & schismaticis non esse præcisam spem salutis, si resipiscant, non definit ibi Augustinus ex auctoritate Ecclesiæ, sed probat ex Scriptura.

XII. Obiter nota, Sophistam seipsum evertere, dum studiosè captat consensum Augustini Suprà contendebat, primum, secundum, quartum, quintum esse ex traditione Apostolorum; hîc dicit, deduci ex definitione Ecclesiæ. Alterutrum falsum sit oportet. Si sunt traditiones apostolicæ, non sunt traditiones ecclesiasticæ. Si ecclesiasticæ, non sunt apostolicæ. Istæ enim ad Apostolos non referunt suam originem. Dices, *non obstare, quominùs etiam probentur ex auctoritate Ecclesiæ.* Num. 40. Sophista fugit: confundit enim definitionem cum probatione. Probatio varia esse potest. Definitio ex uno petitur fonte. Quæ Augustinus ex regula recensita definit, quomodo ab Apostolis tradita agnoscimus? Si enim Apostoli tradiderunt, non erunt definienda demum ex hac regula, sed suscipienda, tanquam apostolica. Si definienda ex illa regula, ergo non definita ab Apostolis. Inquis; *Ex praxi, iudicio & auctoritate Ecclesiæ debemus cognoscere, quænam sint traditiones apostolicæ, quæ non sint.* l. l. Verum est de Ecclesia apostolica; falsum de ætate citeriore. Ex Apostolorum praxi, judicio & auctoritate constat, quæ sint traditiones apostolicæ. Ex citeriorum hominum praxi, judicio & auctoritate non satis certò constat; discrepant enim in multis à seipsis.

XIII. Sed quid de postremo videtur, quòd Augustinum scribere, Becanus dicit, *in omnibus sequendum iudicium Ecclesiæ?* Sic omnia semel dicere voluit Becanus. Num. 39. Et sanè ille dixit semel. At Augustinus non dixit loco laudato. Respondet Januario de ceremoniis Ecclesiæ, quòd sint aliæ scriptæ, aliæ traditæ. Scriptæ, quas ipse Dominus instituit in Evangelio: Traditæ vel universales, vel particulares. Universales vocat, quæ servantur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia, ut quum celebrantur anniversariæ solennitates, passio Domini, resurrectio, adscensus in cœlum, effusio Spiritus Sancti. Particulares, quæ per loca terrarum variantur. Has esse liberrimæ observationis, docet: de prioribus scribit; *Adhæc ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, ut iam non quo modo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter si quid horum per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est. Vide. In omnibus esse sequendum judicium Ecclesiæ, jactabat Becanus ex Augustini verbis. Nos tantùm de ceremoniis quibusdam sermonem esse, intelligimus. Ingens est discrimen inter ceremonias & omnia. Jam fraus hominis est manifesta.

XIV. Tertium Consectarium: Ex superiori regula speciatim deducit, *eos non errare, qui defendunt Purgatorium, sacrificium missæ, invocationem sanctorum, exorcismum & similia, quæ consensu totius Ecclesiæ, antequàm Lutherus & Calvinus nascerentur, recepta & approbata sint.* Num. 41. Recepta, fateor, & approbata ab Ecclesia papistica. Verùm ignota erant Ecclesiæ apostolicæ, nequaquam ab ea recepta. Non igitur recepta ab Ecclesia tota omnium temporum. Postea irrepserunt obscuris initiis, tacitis progressibus, horribili successu. Roffensis in confutatione Lutheri fatetur, Purgatorium serò cognitum esse Ecclesiæ. Id quod de Ecclesia Latina omnino accipiendum est. Ibidem enim dicit, Græcis in hunc usque diem non esse creditum. Idem asserit Alphonsus à Castro libr. 8. adverss. Hær. tit. de Indulgentiis. Sacrificii missatici nec res nec nomen innotuit apostolicæ Ecclesiæ. Citerior ætas nomen usurpavit, quo nititur Papatus, rem non agnovit. Papatus sub veteri nomine rem novam invexit. Quam habere totius Ecclesiæ consensum, nondum constat. De invocatione sanctorum fatetur Eccius, quòd in primitiva Ecclesia, Apostolorum ætate, non fuerit usitata, nec tradita ab Apostolis. Diligentissimè omnem antiquitatem perscrutati sunt recentiores Papistæ; qui vel defunctos invocaverit, vel invocandos esse, docuerit, ante Gregorium Nazianzenum, adeoque primis tribus seculis integris, & quod excurrit, neminem invenerunt. Exorcismus Papisticus toto cœlo distat ab exorcismo Ecclesiæ apostolicæ, ut nostri demonstrarunt, & patebit suo loco. Nimis igitur insulsa est conclusio Sophistæ. Priusquàm probaverit, Ecclesiam Papisticam errare non posse in fide, nihil certi habere potest ex hac quidem regula, qua nos, citra omne veritatis damnum, carere possumus, quicquid vaniter declamet adversarius. Demonstrationem, quam minatur, non metuimus. Dicit, se demonstraturum esse in epilogo, si hanc regulam respuamus, nihil certi habere posse in rebus fidei ac religionis, Demonstret: audiemus.

Sectio VII.

Argumentis probatur, quòd Ecclesia visibilis aliquousque deficere possit.

I. DEinceps duo probabimus; Primum, totam visibilem Ecclesiam adeò deficere posse, ut nusquam palàm appareat omnibus integer ac illustris cœtus, qui publicâ incorrupti ministerii voce verbum Dei sonet citra errorem, ac Deum palàm purè colat. Deinde eandem errare posse. Prius probamus, primùm exemplo Ecclesiæ veteris Testamenti. Ecclesia Patriarchalis & Judaica veteris Testamenti aliquando adeò defecit, ut nusquam integer & illustris cœtus palàm omnibus appareret, qui Deum purè coleret. Ergo potest Ecclesia visibilis eousque deficere. Consequentia patet, quia illo tempore præter Ecclesiam Patriarchalem & Judaicam non exstabat ulla alia visibilis Ecclesia, omnibus nota, quæ Deum palàm purè coleret. Ab illa enim ad novam valet argumentum, nisi obstet privilegium novæ concessum. Jesuitæ studiosè quidem inquisiverunt, monstrare tamen nullum potuerunt hactenus. Antecedens patet de Patriarchali. Cùm Abrahamus evocaretur divinitus ex Ur Chaldæorum, ubivis idololatria invaluerat; nusquam erat publicum purum veræ religionis exercitium. Nam & ipse Abraham & pater ipsius erant idololatræ, teste Josuâ c. 2. 4, 2. Vide Augustinum lib. 16. de C. D. c. 12. Idem dicit, Ecclesiam aliquando fuisse in solo Abrahamo in Psalm. 12, 8. De Israëlitica patet diversis temporibus. Nos hîc aliqua momenta tantùm exsignabimus. Primò in deserto defecit, Aarone & toto populo μοσχολατρείαν exercente, Exod. 32.

II. Becanus negat consequentiam & antecedens. Consequentiam negat, primò quia *Ecclesia habet promissionem de sua firmitate ac stabilitate, quam Synagoga non habuit.* Secùdò. *Ecclesia est libera, Synagoga fuit ancilla. Et illa designatur per Sarâ, quæ fuit uxor Abrahæ: hæc per Agar, quæ fuit ancilla. At Agar fuit dimissa & repudiata, non itè Sara. E. similiter Synagoga debuit repudiari, non item Ecclesia.* Tertiò. *Ecclesia est catholica, non tantùm ratione loci, sed etiam ratione salvandorum. Quotquot enim salvantur, in Ecclesia salvantur: at extra illam salvari nemo potest. Igitur si deficeret tota Ecclesia, nullus omnino salvaretur. At Synagoga non erat catholica, quia extra illam homines poterant salvari, ut Ninevitæ & alii. Tametsi ergo defecisset tota Synagoga, adhuc tamen potuissent homines salvari.* Antecedens negat, eo quòd constet, *Non defecisse totam Synagogam, sed partem ejus. Non enim defecisse Mosen, nec Levitas & Sacerdotes, ut pateat ab* Exod. 32, 36. Num. 43. 44.

III. Jam quidem ultrò fatemur, esse quandam differentiam Ecclesiæ veteris & novæ. Illius enim politia cessare debuit sub adventum Christi in carnem, hujus inchoari & durare usque ad consummationem seculi. Verùm nec illud, nec ratiunculæ Becani consequentiam nostram infirmant, quam ab exemplo veteris ad novam Ecclesiam nectimus secuti Apostolos, Paulum & Petrum. Hi nobis præiverunt exemplum. Paulus quidem, dum ab Israëlitica ad Christianam & quidem nominatim Romanam argumentatur, Roman. 11, 19. 20. 21. Verba sunt; *Dices igitur, Defracti sunt rami, ut ego insererer. Rectè; per infidelitatem defracti sunt, tu verò per fidem stas, ne effertor animo, sed time. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit,* vide *ne tibi quoque non parcat.* Cõfer 1. Corinth. 10, 6. 11. Petrus sic arguit, *Fuerunt autem & Pseudoprophetæ in populo; ut etiam inter vos erunt falsi doctores, qui introducent hæreses exitiales. Et multi sequentur eorum exitia: per quos via veritatis blasphemabitur,* 2. Petr. 2, 1. 2. Si à veteri Ecclesia ad Romanam argumentatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

rectè decurrit, cur non ad alias omnes particulares Ecclesias, adeoq; totam visibilem Ecclesiam? Jam iterum dico, quòd Becani rationes eam non infirment.

IV. Non *prima.* Nam primò in genere Ecclesiæ absolutè promissa est firmitas tam in veteri, quàm novo Testamento. At Ecclesiæ novi Testamenti non sunt absolutè quædam promissiones datæ de firmitate præ veteri. Portæ inferorum non magis adversùs Ecclesiam veteris Testamenti, quàm adversùs eam, quæ in novo colligitur, prævaluerunt. Semper enim habuit Deus suam Ecclesiam. Deinde confunditur Ecclesiæ firmitas cum externo statu. Ecclesia novi Testamenti habet promissionem de firmitate; de perpetuo externo splendore promissionem non habet. Tertiò. Ecclesia Judaica apertam & æquè firmam promissionem habuit de conservatione continua, Levit. 26, 11. 2. Chron. 15, 2. Jesa. 49, 14. 15. 16. & nominatim de loco tabernaculi & templo Hierosolymitão, Deut. 16, 2. Jes. 31, 9. Psalm. 132. 13. 14. ubi Deus sic ait; *Elegit Jehova Tzionem, expetivit pro habitatione sua, dicens; Hæc est requies mea usque in sempiternum: hic habitaturus sum, quia hoc expetiveram.* Quid præclariùs dici possit? Ratio autem perpetuæ conservationis erat, quia Messias in eo populo ex certa tribu & familia nasci debebat. Et tamen subinde sic defecit, ut nullus supereſſet integer ac illustris cœtus, omnibus palàm conspicuus, qui publicâ ministerii ordinarii voce veritatem incorruptam sonaret, ac Deum palàm purè coleret. Sic non obstat promissio, quo minùs ad easdem angustias redigi possit Ecclesia nova. Conservatio enim novæ, quoad externam formam, non est tam necessaria, quàm erat veteris, propter certos natales Messiæ.

V. Non *secunda.* Nam primò. Etsi Ecclesia vetus ante Christum dici possit ancilla, quippe servituti ceremoniarum legalium obnoxia, fuit tamen quoque sponsa, fuit uxor. Aut enim nullam Christus in terris habuit sponsam seu uxorem ante suum adventum in carnem, aut Ecclesia, quæ colligebatur ex Judæis, erat sponsa & uxor. Sæpiùs tamen, quoad externam claritatem, defecit, antequàm repudiaretur à Christo. Secundò. Sophista ludit in allegoria, eamque ultra scopum dicentis extendit. Non est Apostolo propositum docere, quòd tota vetus Ecclesia debuerit repudiari. Longè aliud docet. Pseudapostoli magna cum contentione vociferabantur, nisi Gentes circumciderentur, & leges Mosaicas servarent, Christum nihil illis prodesse. Inde dissidium inter circumcisionẽ & præputium excitabatur, plenum offendiculi. Apostolus multis contrà nititur in epistola ad Galatas. Tandem ad legem ipsam eos vocat, qui ex lege, non ex solius Christi gratia, quærebant salutem. Proponit ex Mose historiam, & aperit allegoriam. Abraham duas habuit uxores, unam liberam, alteram ancillam. Ex utraque genuit filium. Ex hac, secundùm carnem, vi naturæ ordinariâ: Ex illa, vi promissionis, ex sola gratia. Utriusque admodum dissimilis exitus. Ancillæ filius ejicitur domo cum matre: Liberæ filius declaratur hæres. Sic duæ sunt pactiones: Una legis, altera

altera gratiæ. Ex utraque nati filii Abrahamo. Ex illa, secundùm carnem, nempe Judæi, qui ex lege justitiam quærunt: Ex ista, filii promissionis, quicunque scilicet ex Judæis & Gentibus in promissione gratiæ cum Abrahamo acquiescunt, & ex ea salutem sperant. *Illius* sedem monstrat Hierosolymæ, quæ tunc erat, cùm hæc scriberet, & serviebat cum suis filiis, legalium operum & ceremoniarum tenacissima: *Istius*, in Ecclesia Christiana, quam vocat sublimem Hierosolymam. Filii ancillæ, id est, qui justitiam ex lege Mosaica quærunt, & persequuntur verè fideles, ejecti domo excident hæreditate. Qui ex gratia solius Christi salutem sperant, tanquam filii promissionis, hæreditatem consequentur. In his censentur omnes verè fideles veteris Testamenti. Nisi illos domo ejectos dicas, id est, Apostolo contradicas in faciem asserenti, cõsecutos esse, per fidem, promissionem, Hebr. 11.

VI. Tertiò. Ecclesia Judaica non est tota & totaliter repudiata, sed tantùm pars carnalis populi, & obstinatorum multitudo. Ecclesia Judaica exquisitè dicta, id est, fidelium societas non est repudiata. Testis Apostolus, cùm negat, Deum repulisse populum suum, quem præcognovit, Rom. 11, 2. Testis, cùm dicit, electos assequi, v. 7. cùm Judæos vocat radicem, quæ portet Gentes, v. 18. denique cùm docet, obdurationem Israëli factam esse ex parte, v. 25. Ita Fr. Sonnius libr. 2. Demonstr. Rel. Christ. tract. 8. c. 2. *Non est*, inquit, *deserta aut abjecta tota Synagoga Judæorum, sed tantùm pars illa carnalis populi, & contradicentes verbo Dei, conservatis duodecim Apostolis, Luc. 6. & septuaginta duobus discipulis*, Luc. 10. *centum quoque & viginti*, Actor. 1. *quingentis insuper fratribus*, 1. Corinth. 15. *tribus denique millibus, qui crediderunt ad unam prædicationem Petri*, Actor. 2. *cum infinitis aliis, qui velut semen spiritualis Synagogæ, insertis sibi Gentibus, per verbum Apostolorum creverunt in Ecclesiam Christianam, quæ nunc est, prout egregiè explicat Apostolus*, Rom. 11. *docens, Deum non repulisse plebem suam Israël, quam præscivit, sed & Gentilem populũ, velut excisum de oleastro, inseruisse plebi ex Judæis credenti, tanquam olivæ bonæ, & ita factum esse socium pingvedinis & radicis ejus: confirmans per hæc & explicans illud Salvatoris*, Matth. 21. *ubi dicit*; Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis. Non, *inquit*, vineam aliam plantabit; *sed* suam, *inquit, scilicet olim plantatam in Synagoga Judæorum*; *locabit aliis, hoc est, Gentibus. Non enim fecit sibi Christus aliam vineam, quæ aliam habeat radicem, aut alium vitæ spiritum, sed ipsam quæ prius erat, auxit, perfecit, & in melius commutavit, malis agricolis, id est, Judæorum Scribis & Pharisæis, perditis, eamque locavit aliis, hoc est, Episcopis virisque Apostolicis Ecclesiæ. Non ergo desiit, aut exstincta est Ecclesia, quæ sub lege erat, sed transiit per semen justorum in meliorem statum, Christo ad augente populos Gentium in ipsam.*

VII. Quartò. In quamcunque partem se vertat Becanus, non obtinet causam. Si enim de tota visibili Ecclesia veteris Testamenti agit, nullus est. Ea enim apud Apostolum non venit cum nova in comparationem. Si de Ecclesia Judaica, qualis

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit Apostoli scribentis tempore, rursum nullus est. Esto enim. Illa tandem dimitti debuerit, nempe cùm ex omnibus Gentibus nova Christo colligeretur. Quid tum? Nos hîc agimus de Ecclesia Judaica, non qualis fuit post Christi passionem, de qua agit Apostolus, sed vigente politiâ, quam Deus instituerat, cùm Deus in terris non haberet aliam visibilem Ecclesiam, in qua purè coleretur.

VIII. Non *tertia*. Nam primò aut extra totam visibilem Israëliticam Ecclesiam, tempore defectionis, dandus est integer ac illustris cœtus, qui Deum purè coluerit, aut fatendum, sic deficere potuisse Ecclesiam, ut nulla palàm omnibus appareret Ecclesia illustris, quæ Deum, præeunte incorrupto publico ministerio, ritè coleret. Quo tempore non periisse Ecclesiam Dei, certum: servari igitur illa potuit, etsi tota visibilis, quoad externum splendorem, deficeret. Si in veteri Testamento potuit, cur non posset in novo? Cùm igitur Papistæ docent, corrupto, in Judaica & Israëlitica, publico ministerio & exercitio, Ecclesiam fuisse in particularibus personis, dant quantum sufficit nostro instituto. Secundò. Quomodo extra visibilem Ecclesiam aliqui servari possint, dictum suprà. Hîc par ratio veteris & novi Testamenti. Extra Ecclesiam electorum novi Testamenti nemo potest servari. At extra singulas, imò omnes particulares Ecclesias novi Testamenti potest aliquis servari. Sic extra Ecclesiam electorum verèque fidelium veteris Testamenti nemo poterat servari: At extra visibilis Israëliticæ societatem externam poterat salus contingere & aliquibus contigit. Ninevitæ, qui verè & ex animo resipuerunt, etsi non fuerunt in Ecclesia Israëlitica, quoad *locum* & societatem *externam totalem*, fuerunt tamen tum quoad societatem *internam*, tum quoad *externam partialem*. Crediderunt enim & sperârunt in Deum Israëlis; sed & eundem sunt professi, nempe quem prædicaverat Jonas. At non alium illis, alium Israëlitis Deum prædicavit Jonas, non aliam fidem, spem, charitatem. Idem de aliis dicendum, qui saltem desiderio & affectu fuerant Ecclesiæ Israëliticæ membra. In veteri Testamento potuisse homines servari, etsi defecisset tota Synagoga, verum; si quidem Synagoga externam visibilem & illustrē omnibus notam congregationem notet, quæ Deum palàm purè colat. At non potuissent servari, si tota defecisset Ecclesia exquisitè dicta. Ea enim est universitas electorum verèque fidelium, inter quos qui non est in hoc seculo, non servabitur in altero.

IX. Cæterum inter Judaicam & Christianam Ecclesiam discrimen ultrò agnoscimus. Christiana est catholica, ratione nationum & locorum, quia per prædicationem Apostolorum, aliorumque ministrorum, actu se extendit in omnes fines terræ, omnemque nationem hominum; Judaica non erat. Erat tamen quodam sensu catholica & quidem primò respectu cœtuum particularium. In Israële multi erant particulares cœtus pro ratione oppidorum & urbium, qui convenient in sabbato ad legendum Mosen. Hi cœtus erant membra unius catholicæ Ecclesiæ veteris. Secundò respectu doctrinæ, qua discernebatur ab aliis omnibus cœtibus in mundo, qui sectabantur Deos alienos. Hanc appellationis rationem non debet negare Jesuita. Nam C. *Prima igitur*. Dist. 4. de Consecr. sic lego, *Ecclesia propterea sancta & catholica est, quia rectè credit in Deum*. Sumptum ex Augustino. Gregorius de Valentia lib. 6. Analys. fid. c. 3, sic exprimit, *Ecclesia dicitur catholica, hoc est, universalis, propter universalitatem doctrinæ, quam profitetur de Deo, creaturis, Angelis* &c. Idem tradit tom. 3. in 2. 2. Them. disp. 1. q. 1. punct. 7. Franciscus Sonnius aliam rationem affert, quâ olim catholica fuerit, quòd scilicet ostium ejus etiam tum temporis pateret universis, qui vellent per fidem transferre se ad legitima (fortè addendum, exercitia) religionis cœlitus institutæ per Mosen, prout habes, Exod. 12, 48. 49. libr. 2. Demonstr. Relig. Christ. tract. 8. cap. 3 Jesuita in Tract. de Eccl. diversæ appellationis traditionem petit à tempore, quia Ecclesia Christi semper durabit; Synagoga non durabit, nisi certo tempore, nempe usque ad mortem Christi. Non satis solidè. Ut enim Synagoga non durâsse dicitur ultra Christi mortem, ita Ecclesia Christi specialiter sic dicta & Synagogæ contradistincta, non duravit tempore veteris Testamenti. Sicut autem nova omni tempore durabit usque ad consummationem seculi; sic vetus omni tempore duravit usque ad consummationem politiæ Mosaicæ. Unde apparet, in solam absolutè catholicam Ecclesiam competere omnium temporum durationem, quæ scilicet & veterem & novam complectitur. Quo sensu Sonnius, Ecclesiam Christianorum unam & eandem esse, dicit eum Ecclesia Judæorum. l. l. c. 2.

X. *Antecedentis* veritatem non evertit Sophista, qui si de tota Ecclesia Judæorum simpliciter loquitur, aberrat à statu quæstionis; si de visibili illustri Ecclesia Judæorum Deum palàm purè colente, probando deficit. Mosen non defecisse, concedo. At non ideo non defecit tota visibilis Ecclesia eousque, ut non appareret omnibus integer & illustris cœtus, qui Deum publicè purè coleret. Defecit enim caput visibile & corpus. Caput erat Aaron, summus Pontifex, nondum quidem solenniter consecratus, quod demum factum Exodi 40. vocatus tamen, præfectus populo & nominatim constitutus, ut in absentia Mosis regeret populum unà cum Hur, Exod. 24, 14. Ille defecit à publici exercitii puritate. Corpus defecit: Nam populus postulavit Deos conflatiles, Exod. 32, 1. populus inaures attulit, v. 3. exstructo altari obtulit holocausta, v. 6. populus sedit ad manducandum, v. 6. populus se corrupit, v. 7. Levitas & sacerdotes fuisse à culpa immunes, non patet ex textu; imò non immunes fuisse, patet à textu, Exod. 32, 29. Deut. 33, 9. Trucidati enim sunt. At Moses proclamat, *qnisquis est Iehovæ, ad me aggregator*. Hoc non est testimonium Levitarum innocentiæ, sed admonitio officii, & provocatio ad seriam pœnitentiam. *At*, inquis, *omnes filii Levi ad Mosen sunt aggregati*. Qui aggregati sunt, omnes fuerunt Levitæ: Non autem ideo simpliciter omnes Levitæ venisse sunt putandi. Quemadmodum Judic. 20. dicuntur congregati omnes

omnes Israëlitæ & tamen Jabeschitæ non aderant, cap. 21,8. Synecdochen agnoscit Nicolaus Lyra. Sed fuerint simpliciter omnes aggregati; non tamen sequitur, nō peccâsse. Potuerunt enim resipiscere à Mose moniti. De Aarone constat, quòd peccaverit. Non igitur omnes Levitæ & sacerdotes fuerunt extra culpam. Inquis: *Apostolus ait, quosdam eorum fuisse idololatras*, 1. Corinth. 10,7. R. Rectissimè. Si enim omnes, tunc tota defecisset Ecclesia. Haud dubiè superfuerunt pii & Levitæ & è populo: at latuerunt, toto populo palàm prævaricante. Unde sic arguo: Quo tempore totus Dei populus exercuit publicè idololatriam, eo non potuit monstrari cœtus integer & illustris, qui Deum palàm purè coleret. At illo tempore totus populus idololatriam exercuit publicè. Ergo.

XI. Secundò. Si ingrediamur historiam Judicum, mox apparebit defectio, corrupto toto ministerio publico, Jud. 2, 11.12, *Fecerunt filii Israëlis, quod malum videtur in oculis Iehovæ, coluerunt que Bahalimos, & relinquentes Iehovam Deum majorum suorum, qui eduxerat ipsos è terra Ægypti, secuti sunt Deos alienos è diis Gentium*, v. 13. *cùm dereliquissent Iehovam & servirent Bahali & Aaschtharotis* v. 17. 19. Similia vide c. 3, 5. 6. 7. c. 4, 1. c. 10, 6. c. 8, 27. ubi omnes Israëlitæ disertè nominantur, non quòd nulli superessent, qui servarent Dei cultum incorruptum, sed quòd non appareret cœtus integer, pur⁹ omni corruptela.

XII. Tertiò. Sub Regibus res æquè clara, idque tum ex historia, tum ex multiplici querela Prophetarum. Ex historia constat, post divisionem regni Judæ & Israëlis, in Israële nunquam purum fuisse publicum Dei cultum, corruptum semper, à tempore Jeroboami usque ad captivitatem. Probatione non est opus. Agnoscit enim Jesuita, h. l. num. 45. qui frustrà excipit, *semper aliquos fuisse in Israële, qui abstinerent ab idololatria, etiam tempore Eliæ*. Num. 45. Quis hoc neget? Semper omnibus apparuisse, seu conspicuum fuisse integrum & illustrem cœtum, qui Deum palàm purè coleret, negamus, & tamen fuit semper ibi vera Ecclesia. Unde constat, Ecclesiam veram quoad externum splendorem eousque posse deficere, ut nō palàm pateat omnium etiam extraneorum oculis, sed ad tempus lateat & quidem quandoque etiam viros sanctos. In regno Judæ variè mutavit Ecclesiæ facies. Erant Reges verè pii, sub quibus instauratus est cultus Dei, abrogatis idolis & excelsis, nempe Ezechias, 2. Reg. 18. & ejus pronepos Josias, 2 Reg. 22. Alii pii quidem fuerunt, idcirco idola sustulerunt, sed tamen reliquerunt excelsa, in quibus scortabatur populus, ut Asa, 1. Reg. 15, 12. 14. Josaphat, 1. Reg. 22, 5. Joas, vivente Jojadâ 2. Paral. 23, 17. cap. 24, 13. Amasias, 2. Paral. 25, 2. 2. Reg. 14, 4. 2. Par. 25, 14. Joatham, 2. Par. 27, 2. Alii deniq; manifestè fuerunt impii, & exercuerunt unà cum populo cultus idololatricos in excelsis; ut Rehabeam, 1. Reg. 14, 22. 23. Abia, 1. Reg. 15, 3. Joram, 2. Paral. 21, 6. 13. Achazia, 2. Paral. 22, 3, Joas post mortem Jojadæ, 2. Paral. 24, 18. 18. Achatz, 2. Reg. 16, 11. cap. 17, 19. 2. Paral. 28, 3. 24. 25. Manasse, 2. Reg. 21, 2. 3. 6. 7. 9. 10. Amon, ib. v. 19. 20. 21. Joachatz, 2. Reg. 23, 32.

23, 32. Eliacim, ibid. v. 37. Jehojachim, 2. Reg. 24, 9. Zedekia, 2. Paral. 36, 12. sub his, maximè sub Achazo & Manasse, fœda fuit Ecclesiæ facies. Totum enim publicum ministerium erat corruptum, nullus apparebat uspiam cœtus integer, qui Deum, duce publico ministerio, purè coleret. Unde de Achazi tempore Scriptura dicit, 2. Reg. 17, 19. *Etiam Iehuda non observabat præcepta Iehovæ Dei sui, sed ambulabant in statutis Israëlitarum, quæ fecerant.* Monstret vel sub hoc, vel sub Manasse Jesuita cœtum integrum ac illustrem, qui Deum palàm purè coleret, prævià incorruptâ publici ordinarii ministerii voce, aut agnoscat, totam visibilem Ecclesiam, eo tempore, tantas in angustias fuisse redactam, ut nusquam conspicuus fuerit integer cœtus Deum purè colens. Extra Judæam enim non monstrabit. Ubi enim? Num inter Gentes? At Deus non sic fecit ulli nationi, Psalm. 147. Gentes erant sine Deo, sine spe in mundo, Ephes 2, 13. Erant non populus, Roman. 9, 25. 10, 19. 11, 11. Jam dic nobis, quod tum factum est, cur iterum fieri non possit? Posse, concludent pii, donec privilegium in contrariam partem ex authenticis tabulis proferatur.

XIII. Becanus excipit; *semper tamen in templo Salomonis videtur mansisse usus sacrificiorum, secundùm legem Mosaicam, usque ad captivitatem Babylonicam, ut colligitur ex verbis*, 2. Maccab. 1, 19. *Cùm in Persidem ducerentur patres nostri, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus.* Num. 46. R. Primò *videtur* solvitur per *non videtur*. Secundò. Jesuitam falsitatis revincit historia, inprimis Achatzi & Manassis. Sacrificia debebant offerri soli Deo, uno loco, in altari Domini. Non factum, Achatz & Manasse tempore. Illius enim tempore occlusæ sunt fores templi Salomonici, & erecta altaria in unoquoque angulo Hierosolymæ, 2. Paral. 28, 24. Cum impio Rege in cultus publica depravatione colludebat Uria, summus Pontifex, 2. Reg. 16, 15. 16. Manasse sculptile simulacrum, quod paraverat, collocavit in domo Dei, 2. Paral. 32, 1. & altaria exstruxit toti exercitui cœlorum in duobus atriis domus Jehovæ, 2. Reg. 21, 5. Tertiò. Narratio de absconsione ignis est auctoris magis suspecti, quàm cui fides tutò adhibeatur. Eodem enim capite se multis obstringit mendaciis, de quibus suo loco dictum, suprà Controv. 1. Sect. 2. Num. 14. Quartò. Sed esto. Conservatus sit ignis usque ad captivitatem Babylonicam. Quid tum? A conservatione ignis ad legitimum sacrificiorum usum non valet consequentia. Plura enim ad eum requirebantur: imò ab usu sacrificiorum qualicunque non rectè concluditur ad cultus divini puritatem. Sicut ab usu baptismi, qui in hæreticorum Ecclesiis obtinet, non valet argumentum ad religionis veritatem. Fuerint igitur in sacrificio observatæ externæ circumstantiæ, quas definit lex Mosaica. Non ideo supererat purus Dei cultus, non ideo integer illustris cœtus, qui Deum palàm purè coleret citra corruptelam. Nam etiam falsa Ecclesia externam cultus speciem retinere potest. Si eo modo & fine, sacrificia semper usque ad Babylonicam captivitatem per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

peracta esse, contendas, quem Moses præscribit, manifestè incurris in historiam, Illa testatur longè aliud.

XIV. Historiæ respondent multiplices querelæ Prophetarum, quibus testatissima fit defectio. Elias dicit, 1.Reg.19, 10. *Planè zelo affectus sum pro Iehova Deo exercituum, eo quòd dereliquerunt fœdus suum Israëlitæ, altaria tua destruxerunt & Prophetas tuos occiderunt gladio: cumque ego relictus sim solus, etiam quærunt vitam meam, ut auferant eam.* Jesaia nomine Dei ait cap.1,3. *Israël me non cognovit.* v.4. *Dereliquerunt Iehovam, contemptim irritaverunt Sanctum Israëlis, abalienantes sese averterunt retrorsum.* v.21. *Quomodo effecta est meretrix urbs fidelis?* Cap.10,11. *An non quemadmodum feci Sehomroni & idolis ejus, ita facturus essem Ieruschalaimis & terriculis eorum?* Vide cap.2,8.cap.28,7. (cap.56,10.) 57, 2. ex distinctione Tremellii item cap.65,2.3. Jeremias cap.2,26. 27. *Pudefacient domum Israëlis, ipsos, Reges ipsorum, principes ipsorum, sacerdotesque ipsorum & Prophetas ipsorum, qui dicunt ligno, pater meus es, & lapidi, tu peperisti me,* v.28. *pro numero civitatum tuarum sunt dii tui, Jehuda.* v.29. *Quare cõtenditis mecum? Vos omnes deficiêtes rebellâstis in me, dictum Iehovæ.* Similia habet cap.3,1.3.5.18.c.5,7. 30.31.c.6,19.28, c.7,28.30. c.8,8.c.10,21.c. 11,13.c.15,6.c.23,13.14. tandem querelam ingeminat Ezechiel cap.22,26.28,30.cap. 23, 5. 11. tandem alii Prophetæ ingeminant; Hoseas cap.1.2.c.2,2. c.4,1.12.15. c. 5,4.5. Amos cap.2,3. Michæa c.1,5.7. Zephania cap.3,4. Ex his querelis non colligimus, nullos simpliciter superfuisse pios, qui Deum purè colerent, sed publicum ministerium & exercitium religionis ubique fuisse corruptum, seu non extitisse integrum cœtum illustrem, qui purè Deum palàm coleret.

XV. Adversarii huic veritati interdum testimonium perhibent. Carolus Sigonius lib.2. de Republ.Hebræorum c.4. *Jeroboam*, inquit, *traductis ad se decem tribubus, quod Israël appellabat, omnem illum populum ab avita religione ad idolorum cultum avertebat. Reges etiam Juda in cultus sanctitate minimè permanebant, ita ut Ezechias Rex graviter questus sit, quòd tabernacula etiam clauserant, holocaustum idolis obtulerant.* Lombardus in Comm. Rom.11. *Tempore*, inquit, *Eliæ, quando Achab Rex Samariæ dedit filiam suam Ioram Regi Iuda, tunc omnes Iudæi videbantur idololatræ, ita ut Elias putaret, se relictum solum in cultu Dei.* Michaël Ghislerius in Com. Cant. Cant. c.1,6. (citante D. Gerhardo in Confess. Cathol. lib.2. spec. par. 1. Art.5.c.3.) *Quamvis semper aliqui de populo Iudaico ac Synagoga perseverantes exstiterint in veri Dei cultu & in ejusdem legis observatione, ita tamen pauci frequenter exstitere, ut Esaias c.17.v.6. comparet eos unico racemo post vindemiam relicto, vel duabus aut tribus olivis in summitate rami post olea excussionem, adeòque pauci ii erant, ut in comparatione tanti populi vix ulla eorum haberetur ratio; parum enim, ut vulgato proverbio dicitur, pro nihilo reputatur. Ex quo factum est, ut frequentissimè Synagoga universa, omnisque ejus populus generaliter in Scripturis arguatur criminis hujus, quòd Dei cultum & legem non custodiret.*

XVI. Porrò, Tempore captivitatis Babylonicæ Ecclesiam totam visibilem adeò defeciisse, ut nusquam apparuerit integer illustris cœtus, qui Deum publicè purè coleret, tam clarum est, ut probatione non indigeat. Inde Stapletonus controv.1. quæst.3. art.1. dicit, Synagogam prorsus dejectam fuisse in captivitate Babylonica. Post captivitatem instauratus quidem est publicus Dei cultus, verùm sub Antiocho Epiphane invecta publica idololatria, 1.Maccab.1,43.45.47. 54.55.56.57.58.59.61. Sub Pharisaismo, Sadducæismo & Essæismo tribus Judæorum sectis, corruptum erat universum publicum ministerium, doctrina de Messia & justificatione prorsus depravata, cultus impurus, adeò ut nullus posset ingredi regnum cœlorum, nisi melior esset ipsius justitia, quàm Pharisæorum, Matt. 5,20. Ideo dicuntur abstulisse clavem cognitionis, Luc.11,52. claudere regnum cœlorum hominibus, cæci cæcorum duces, Matth.15,14. At priusquàm Christus sibi colligeret Ecclesiam, non apparebat extra Pharisaicam alius in terris cœtus integer ac illustris, qui Deum purè coleret.

XVII. Becanus dicit, *Ecclesiam tempore Christi defeciisse, non quòd tum defecerit à vera fide, quam antea profitebatur, sed quia tunc repudiata sit, cum suis ceremoniis & sacrificiis, & in ejus locum successerit Ecclesia Christi. At non sequi, hanc similiter repudiandam; imò contrarium sequi.* Num.47. At primò nos probamus, Ecclesiam Judaicam visibilem totam adeò defeciisse, ut nusquam cœtus integer & illustris Deum purè colens omnib⁹ appareret, antequàm Christus per Johannem præcursorem, & in propria persona exorsus esset suum præconium, & sibi collegisset novam Ecclesiam. Hìc hæret Sophista. Secundò. Ex eo, quòd repudiata est Ecclesia Judaica, non quidem sequitur, Ecclesiam novam repudiari debere, at nec contrarium inde sequitur, sed potiùs omnes & singulas Ecclesias in novo Testamento posse repudiari, si non retineant veram fidem: imò posse deficere. Quod enim uni Ecclesiæ contingit, id cuivis potest contingere; proinde omnibus, atque adeò toti visibili Ecclesiæ, nisi obstet singulare privilegium. Quanquam quid juvat disputare, an Ecclesia visibilis, tempore Christi, potuerit deficere, cùm à reipsa manifestè constet, & exstent vaticinia de ejus decrementis, & obscuratione sub mundi finem.

XVIII. Tertiò. Defectionem de repudiatione ceremoniarum & sacrificiorum interpretari, est ineptum. Nam ante mortem Christi non sunt rejectæ ceremoniæ Mosaicæ, sed retentæ. Nondum enim erant omnia completa, velum nondum scissum. In morte Christi ceremoniæ emortuæ vim suam perdiderunt, & desierunt esse necessariæ: Honestæ tamen illarum sepulturæ tempus datum, usque ad eversionem templi Hierosolymitani. Ideo Apostoli liberè eis utebantur ad tempus. Aut igitur Ecclesia Judaica non defecit ante mortem Christi, aut defectio ad repudium ceremoniarum malè restringitur. Qui negat, ante mortẽ Christi defeciisse, is aut negabit, Christum fundâsse novi Testamenti Ecclesiam in diebus carnis suæ, & q. Christo adhærebant, fuisse veram Ecclesiam, aut di-

dicet, duas simul fuisse veras Ecclesias, quarum una Christum agnosceret, altera negaret; una reciperet, altera rejiceret. Illud falsum; hoc absurdum. Falsa igitur Sophistæ glossa.

XIX. Quartò. Si Synagoga isto tempore non defecisse dicitur, quòd defecerit à vera fide, quâ antea profitebatur, retinuit igitur veram fidem, quam habuerunt Patriarchæ & Prophetæ, quamque Christus docuit. Hic enim non aliam docuit, quàm Prophetæ. Una fides vet & novi Testamenti. At falsum, Synagogam retinuisse fidem à Prophetis traditam & explicatam à Christo. Probo facilè. Certum, Synagogam habuisse doctrinam Scribarum & Pharisæorum. Hoc non negabunt Papistæ: dicunt enim, Ecclesiam debere sequi fidem suorum doctorum. At quam illi habuerunt? Legis divinæ sensum suis glossis horribiliter corruperunt, demonstrante Christo, Matth.5,20.& seqq.15,4.& seqq. Suas traditiones verbo Dei prætulerunt, Matth. 15,3.6. Divinitatem Christi negârunt, Johan.5,18.cap.8,57.at ejus assertionem, tanquam blasphemiam morte dignam, repulerunt Matth.26,65. Luc.22,70.71. Miracula Christi tribuerunt dæmonibus, Luc.11,14.& seqq. officium Jesu Christi ignorârunt & negârunt; falsam justificationis & salutis rationem docuerunt, nempe legis observationem, sine Christi satisfactione, Roman.9,29. Suâ doctrinâ homines in gehennam præcipitârunt, Matth.23,15. Ideo Christus monet suos discipulos, ut sibi caveant à fermento, id est, doctrina Pharisæorum & Sadducæorum, Matth.16,6.12. eosque nominat fures & latrones, Johan.10,8. Jam si Synagoga tenuit doctrinam Scribarum & Pharisæorum, apertum, defecisse à fide, quam antea erat professa. Si Papistæ negent, tenuisse Scribarum & Pharisæorum doctrinam, quam igitur tenuit? Mosaicam & Propheticam? Ostendant. Nihil ejusmodi patet à Scriptura. Aliquos pios tenuisse, non negem. At illi non erant Synagoga Judaica, sed in ea latebant, tanquam triticum sub palea.

XX. Becanus probandum suscipit, ex repudio Synagogæ sequi, Ecclesiam novam non esse repudiandam. Vel aberrat à janua, vel probando deficit. A janua, seu quæstionis statu aberrat, si probandum suscipit, Ecclesiam novi Testamenti non debere repudiari. Id enim nos non affirmamus, sed dicimus, visibilem Ecclesiam novi Testamenti adeò deficere posse, ut nusquam appareat in mundo ullus cœtus integer ac illustris, omnibus notus, qui Deum palàm purè colat, id quod fieri potest sine repudio veræ Ecclesiæ. Hoc impugnaturus deficit probando. Probat enim rationibus allatis, quod ad rem prorsus nihil facit, Synagogam debuisse repudiari. At quod in quæstione versatur, Ecclesiam visibilem *nullo modo posse* deficere, minimè probat. Patet ex consideratione rationum, in quibus vera falsis remiscet Sophista.

XXI. Prima est, quia *Synagogam repræsentabat ancilla Abrahæ, quæ fuit repudiata. Ecclesiam verò uxor Abrahæ, quæ non fuit repudiata.* Num.47. Quid significet historia Agar & Saræ, dixi num.4. Non repeto. Jã esto. Hinc rectè colligas, Ecclesiã Judaicam, ejusque politiam non debuisse

se durare usque ad consummationem seculi; Ecclesiam Christianam durare debere usque ad finem: At hanc perpetuò debere splendere, nunquam ullo modo deficere, seu in eas redigi angustias, ut non appareat omnibus palàm cœtus integer ac illustris, qui Deum purè colat, de quo inter nos quæritur, non rectè hinc colligitur. Præterea Jesuita, ni fallor, repudium Synagogæ ad Christi tempus refert. Hoc quid ad rem? Nos enim ostendimus, multis antè seculis sæpiùs defecisse in ea publicum purum ministerium, nec usquam fuisse integrum illustrem cœtum, qui palàm Deum purè coleret.

XXII. Secũda. *Synagoga propterea fuit repudiata, quòd neq; perfecta esset, neq; sufficiès ad salutem, juxta illud*, Hebr.7,19. *Nihil ad perfectionem adduxit lex. Et hoc sensu ceremoniæ & sacramenta Synagogæ vocantur ab Apostolo infirma & egena elementa*, Galat. 4,9. *At Ecclesia Christi est perfecta & sufficiens ad salutem, quia sacramenta ipsius, quæ à Christo instituta sunt, habent vim justificandi & tollendi peccata.* Num.47. R. Primò. Ceremoniæ Judaicæ suo tempore sunt repudiatæ, quia per sacerdotium Leviticum non erat consummatio, Hebr.7, 11. nihil perfecit lex, v.19. dona & sacrificia non poterant conscientiâ sanctificare cultorem, Hebr.9,8.9.10,1. Nõ enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata, v. 4. At Synagoga Judaico-Pharisaica non repudiata est, quòd esset imperfecta, sed quòd esset manifestè adultera in Scribis & Pharisæis eorumque ductum sequentibus. Secundò. Quòd Apostolus, Hebr.7,19. de ceremoniis legis pronunciat, id Sophista malè transfert ad Synagogam seu Ecclesiam veterem. Tertiò. Ecclesia electorum verèque fidelium, in Judaica Synagoga latens, non fuit repudiata à Christo, sed in meliorem statum translata. Sed nec Scriptura usquam scribit, veterem Ecclesiam esse repudiatam, quia imperfecta fuerit, & non sufficiens ad salutem, novam non repudiari, quia perfecta & ad salutem sufficiens. Jesuitæ, quis Prophetarum, Apostolorum imvé quicquam ejusmodi unquam scripsit? Nominate librum & caput, ut videamus.

XXIII. Quartò. Obiter nota. Apostolus ceremonias appellat infirma & egena elementa, in statu non vigoris, sed mortis. Cùm vigerent ante Christum, erant salutaria Patribus exercitia & directoria ad Christum; unde Apostolus circumcisionem vocat sigillum justitiæ, Roman. 4,11. Post Christum, extra & contra Christum, per cujus mortem sunt abrogatæ, erant infirma & egena elementa. Falsum igitur, repudiatam esse Ecclesiam veterem, quòd ceremoniæ, quod fingit Jesuita, cùm vigerent, essent infirma & egena elementa. Quintò. Falsum quoque, quòd vetus Ecclesia non fuerit sufficiens ad salutem. Etsi enim ceremoniæ *per se* non sufficiebant, obsignabant tamen Christum, in quo fideles obtinebant salutem. Patres enim, qui in ea vixerunt, eodem modo servati sunt, quo nos servamur, Actor.15,11. Denique si Ecclesia vetus repudiata est, quia ejus sacramenta & ceremoniæ *per se* non contulerunt salutem sed significârunt, tum nova quoque Ecclesia repudianda fuerit. Consequens ab-

surdum. Consequentia patet. Hujus enim ceremoniæ & sacramenta non magis *ex se* justificant, quàm vetera. Hæc significabant & exhibebant credentibus cœlestia bona. Sic quoque nostra. Virtus sacramentorum omnis est à re cœlesti, id est, Christo, idque tam in novo, quàm veteri Testamento.

XXIV. Tertia. *Synagoga continebat umbram futurorum*, Hebr.10,1. *Ecclesia continet lucem, qui est Christus*, Johan.1,9. *At umbra necessariò deficit, accedente luce. Debuit igitur cessare Synagoga, cum sacrificiis Mosaicis, quando venit Ecclesia cum Christo.* Num.47. R. Primò. Nosne docendi eramus, Synagogam, cum sacrificiis Mosaicis cessare, debuisse, quando venit Ecclesia cum Christo? Ea enim est Jesuitæ conclusio. At non aliud nostri sonant suggestus, non aliud nostræ cathedræ. Vicisse ergo se, gloriabitur Jesuita. Egregiè! Hoc quid ad tempus Aaronis, Judicum, Regum, captivitatis Babylonicæ? Tum adhuc procul erat adventus Christi, nec debebat Synagoga tum cessare, cum sacrificiis Mosaicis. Et tamen istis temporibus adeò defecit, ut aliquando non appareret omnibus cœtus integer & illustris, qui Deum palàm purè coleret. Si hoc inde factum dicas, quia aliquando cessare debuit Synagoga, id est, mutari status Ecclesiæ Judaicæ quoad ceremonias; Ergo alius pari ratione concludet, Ecclesiam novi Testamenti posse deficere, quia ejus sacramenta cessabunt in extremo judicio, ejusque status omnino mutabitur. Quæ ratio si frivola, ut verè est frivola, utique & Becani ratio frivola. Non enim melior, sed ejusdem prorsus notæ.

XXV. Secundò. In Synagoga erat umbra futurorum. Synagoga non erat umbra. Lex umbram obtinet futurorum bonorum, Hebr.10,1. ceremoniæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi, Coloss.2,16. Lex per Mosen data, gratia & veritas per Jesum Christum exstitit, Johan.1,17. Debuerunt igitur ceremoniæ cessare, veniente Christo, cujus erant umbra. Non nego, Synagogæ statum & politiam veterem cessare debuisse, sed repudiari debuisse, quòd esset umbra novæ Ecclesiæ, nego. Non enim fuit, quod fingit Jesuita, ejus umbra, quod quidem ex Scriptura constet. At Ecclesiam novam perpetuò fore in mundo ita conspicuam, ut semper integer & illustris cœtus, ab omnibus aliis segregatus, omnibus notus monstrari possit, qui palàm Deum purè colat, id verò inde non constat. Imò sicut Christus aliquando apparebat, aliquando latebat; sic Ecclesia aliquando erit omnibus conspicua ac splendebit, particularibus cœtibus puræ doctrinæ nitorem servantibus, aliquando vix apparebit, particularibus cœtibus splendorem externum amittentibus. Mulier Sole amicta fugit aliquando in desertum, Apoc.12.

XXVI. Quarta. *Synagoga erat instituta pro servis, Ecclesia pro filiis. At servi accipiunt temporalem mercedem à suis dominis, & sic dimittuntur. Filii autem succedunt in perpetuam hæreditatem, quod insinuat Apostolus*, Galat.4,30. *Ejice ancillam & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* l. l. R. Primò. Rursum non aliud probatur, quàm Synagogam, quæ erat post Christum, in refractariis contemptoribus gratiæ, cum ceremoniis emortuis, abjici debuisse; non probatur, Ecclesiam novi Testamenti visibilem nunquam esse adeò defecturam, ut non sit conspicuus integer ac illustris cœtus, à quo palàm Deus purè colatur. Secundò. Servi, qui tantùm sunt servi, non filii, accipiunt mercedem temporalem à suis Dominis, & sic dimittuntur; Tales erant Pseudapostoli, aliique operarii legis, qui per observationem legis Mosaicæ post Christum quærebant salutẽ. Illi erant non filii, sed tantùm servi, & quidem malitiosi. Volebant enim servire legi jam abrogatæ per Christum. De horum matre Hierosolyma, quæ tunc erat, dicit Apostolus, quòd serviat cum filiis suis, Galat.4,25. Servi, qui etiam filii sunt, non dimittuntur, datâ mercede temporali, sed hæreditatem obtinent. Tales erant Patres veteris Testamenti, qui jure quidem serviebant legi vigenti, attamen per fidem erant filii, ideo non dimissi, cum mercede temporali, sed hæreditatem nobiscum consequuntur, Actor.15, 11. Hic cogita ineptissimam consequentiam, Synagoga post Christum obstinata debuit abjici: Ergo Ecclesia visibilis novi Testamenti non potest ullo modo, quoad externum splendorem, quem multoties expressimus, deficere. Admissi risum teneatis amici.

2

XXVII. Secundum argumentum nobis dant prædictiones. Prædictum est, in Ecclesia novi Testamenti orituram esse universalem defectionem, & cessaturum aliquando publicum exercitium, ut pii fugere & latere cogantur. Illustre vaticinium habemus, 2. Thessal.2,5. *Non adveniet dies Christi, quin venerit defectio prius & revelatus fuerit homo ille sceleratus, filius, inquam, ille perditionis.* Becanus dicit, nos inde sic arguere: *Ecclesia deficiet à fide tempore Antichristi; At Antichristus iam pridem est revelatus, qui est Rom. Pontifex. E. Ecclesia iam pridem defecit à fide.* Num.48. Res sunt nostræ & veræ. Et quidem minorem, quam apertè falsam esse, clamat Jesuita, apertè veram esse, probatum sæpiùs ab aliis, & nos probabimus, Deo volente, infrà. Hæc argumenti forma non est nostra. Sic igitur arguimus: Quo tempore generalis apostasia fiet, eo tempore adeò deficere potest Ecclesia visibilis, ut nusquam appareat integer ac illustris cœtus, qui palàm Deum purè colat, tam conspicuus & notus omnibus, quàm Resp. Veneta. At tempore novi Testamenti, & quidem Antichristi regnantis, fiet apostasia generalis. Ergo.

XXVIII. Becanus primò defectionem *omnium fidelium* negat; *aliquorum* concedit, quemadmodum à tempore Apostolorum singulis ætatibus aliqui defecerint, *ut Nicolaitæ, Marcionitæ, Novatiani, Ariani, Donatistæ, Pelagiani, Severiani, Iconomachi, Cathari, Waldenses, Anabaptistæ, & plurimi alii.* Num.48. Deinde dicit, *non esse certum, an Apostolus loquatur de defectione à fide. Multos interpretari de defectione ab imperio Romano, nominatim Hieronymum Epist.151. Tertullianum lib. de Resurrect. Carn. cap.24.* Num. 49. Ad primum R. Primò. Iconomachos & Waldenses gratis inter eos numerat, qui defecerunt à fide. Defectioni à fide restiterunt; non defecerunt. Secundò

Omnium fidelium defectionem, ut agnoscit Sophista, nec nos quidem asserimus. Erit igitur aliquorum defectio. At non qualis fuit in singulis ætatibus à tempore Apostolorum. Ista enim fuit particularis: Hæc generalis: qualem intelligi, hinc patet, primò, quòd particularis fieret ipsorum Apostolorum tempore, 1. Timoth.1,20. 2. Timoth.2,17. 4,10. 1. Joh. 2,19. & tamen Apostolus aliam prædicit; quam fore integrorum regnorum, populorum & provinciarum, ac publicam, eo tempore, fidelium consuetudinem cum Ecclesia Romana cessaturam esse, fatentur Anglo-Rhemenses in Annot. in h.l. memorante Witakero. Secundò. Quia erit signum adventus Domini ad judicium, quod de particulari defectione malè asseritur. Tertiò. Dominatus Antichristi & Templi Dei occupatio idem evincit.

XXIX. Ad secundum R. Aliqui Patres politicam defectionem intelligunt: alii, ut Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, ipsum Antichristum. In hac discrepantia nihil certi ex Patribus haberi potest. Apostolus verò non solùm defectionem illam, ut ecclesiasticã, describit toto contextu, cùm docet, quòd sit seductio iniquitatis & non receptio veritatis, v.10. & nominat operationẽ erroris, ut credant mendacio, v.11. & consensum iniquitatis, v.12. sed etiam apertè exponit de fide, 1. Timoth.4,1. Quam explicationem multi recipiunt inter Papistas, nominatim Nicolaus Lyranus, Anglo-Rhemenses, Antonius Scaynus in Annot. in h.l. *Fortè*, inquiens, *aptius interpretaremur intelligendo per apostasiam defectionem à side & seiunctionem à colendo vero Deo. Quod etiam innuant Græcanica, & significavit dominus dum dixit in Evangelio*: Veruntamen filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? *Et alibi.* Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *Et hæc quidem provenient ex hæresibus ubique divulgatis & coacervatis.* Thomas Aquinas non improbat, sed primo loco collocat. Arias Montanus, *Discessio sc. doctrinarum serpentinæ calliditatis ac proprietatis & veritatis atque simplicitatis lucisque verbi Dei.*

XXX. Becanus dicit, nos objicere illud, Dan.9,27. *Deficiet hostia & sacrificium, idque interpretari de Ecclesiæ defectione.* Nos hunc textum non objicimus. Novimus enim ibi agi, secundùm literam, de cessatione sacrificiorum judaicorum & ultima eversione Hierosolymæ, ut patet ex Matth.24,15. Luc.24,20. Quamvis Hilarius Can.25. in Matth. Hippolytus & Apollinarius, apud Hieronymum in c.9. Danielis exponant de tempore Antichristi, quo præcipuè hoc vaticinium impleatur, ut monent Anglo-Rhemenses in Annot. Matth.24. Ita perit Becano tota illa ambagiosa oratio, quà nos cum Donatistis iniquè comparatos exagitat, mẽdaciter, fraudulenter, & calumniosè. *Mendaciter*; dicit, *nos verba Danielis interpretari de Ecclesiæ (sc. Christianæ) defectione.* Num. 50. Non interpretamur. *Fraudulenter*; dicit, *exstare clarissima testimonia in contrarium.* Quod si intelligatur de totius Ecclesiæ absolutè sumptæ defectione, verum est, at alienum. Sin autem de visibilis Ecclesiæ & quidem Romanæ, de qua Papistæ loquuntur, defectione, falsum. Nullum potuit producere, ac ne quidem unum. *Calumniosè*; comparat nos cum Donatistis, à quibus toto distamus cœlo. Illi Ecclesiam extra Africam esse, negabant, citantes illud, Cant.1,6. *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Ridiculè, contra tot testimonia evidentissima de diffusione Ecclesiæ per orbem universum. Ideo meritò illos rejiciebat Augustinus in hunc sensum differens, lib. de Unit. Eccles. cap.19. *Scrutamini hæc omnia, & eruite aliquid manifestum, quo demonstretis, Ecclesiam vel in sola Africa remansisse, vel ex Africa futuram esse, ut impleatur quod Dominus dicit*; prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimoniũ omnibus Gentibus, & tunc veniet finis. *Sed aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec unde convincamini, quod de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini. Videtis enim nunc illud unicum, quod conferre consuestis,* Ubi pascis, ubi cubas in meridie; *quemadmodum excussis omnibus eiusdem loci verbis, longè aliud indicat, quàm vos putatis. Et si hoc sonaret, quod vultis, Maximianistæ in eo vos vincerent. Magis enim meridies provincia, Byzantium, Tripolis, ubi illi sunt quicunque sunt, quàm Numidia, ubi vos prævolletis. Ita ergo ipsi possunt germanius & distinctius de meridie gloriari, ut eos excludere ab hac sententia non possitis, nisi in illis verbis verum sensum & catholicum teneatis.* Et infrà: *Aliquid ergo proferte, quod non contra vos verius interpretetur, sed quod interprete omnino non egeat.* Num nos eâdem oberramus chordâ? Unum illud obscurum ex Daniele omnibus claris anteponimus? Falsum. Ridicula igitur est refutatio, quam molitur Jesuita num.52.

XXXI. Jubet eruere aliquid manifestum, quo demonstremus, Ecclesiam à fide defecisse, aliquid quod non egeat interprete. De Ecclesia absolutè sumpta seu tota verè fidelium universitate, nunquam eruero. De visibili veteri Ecclesia eruimus. De nova similiter. Atque eam in rem prædictiones plures habemus, inprimis in Apocalypsi, ubi novæ Ecclesiæ status variè describitur. Apocal.9,1. ait Apostolus, *Et quintus Angelus clamavit, & vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, cui data est clavis putei abyssi. Aperuit igitur puteum abyssi & adscendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol & aër à fumo putei.* &c. Hæc optimè quadrare regno Pontificio nostri censent. Id quidem Papistæ negant, sed tamen concedunt, agi de Antichristo. Hoc mihi sufficit. Thomas Aquinas per Solem & aërem intelligit Doctores & Ecclesiam. Inde sic arguo. Quando Sol & aër, id est, Doctores & Ecclesia obscurantur, vera Ecclesia eousque potest deficere, ut non omnibus, etiam extraneis appareat cœtus integer & illustris, qui Deum palàm purè colat. At aliquo tempore novi Testamenti Sol & aër, id est, Doctores & Ecclesia obscurabuntur. Ergo. Apocal.12,6. *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo: ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Mulier est Ecclesia; fuga est disparitio in hoc mundo. Fugit autem non tam mutatione loci, quàm amissione ornatus & splendoris externi. Anglo-Rhemenses in h.l. fatentur, fieri posse, ut Ecclesia aliquan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando non habeat publicum splendorem, statum & regimen, nec libera sanctorum munerum exercitia. Fieri igitur potest, ut Ecclesia aliquando eousque deficiat, ut non supersit cœtus integer puro Dei cultui citra corruptelam palàm addictus, & omnibus tam conspicuus in mundo, ut Respub. Veneta. Adde vaticinium, Apoc. 17. ubi cum meretrice scortaturi dicuntur omnes Reges terræ.

XXXII. Tertium argumentum peto ab eventu. Novi Testamenti Ecclesia visibilis aliquando sic defecit, ut nusquam penè appareret integer ac illustris cœtus, q. publicâ incorrupti ministerii voce veritatem sonaret, & palàm Deum purè coleret. Nunc non alio argumento utar, quàm quod tempus passionis, mortis & resurrectionis Dominicæ nobis suggerit. Primò. Ante passionem cœpisse Ecclesiã Christi, non est dubium. At ubi erat tempore passionis tam visibilis, quàm Respub. Veneta, aut regnum Galliæ, quæ Christum palàm profiteretur & Deum purè coleret? Pharisæi, Scribæ & universus populus Judaicus Christum crucifixerant, Judas prodiderat, Petrus abnegabat, cæteri Apostoli dilapsi latebant præ metu Judæorum. Monstret nobis Jesuitarũ cohors, ubi fuerit cœtus integer & illustris Deũ palàm rectè colens, tã cõspicuus, ut Respub. Veneta, pendente Christo in cruce. Num erat Ecclesia Pharisaica? Sic quidem aliqui sentiunt. At si illa erat vera & pura Ecclesia, Ergo Christus cum suis non erat vera Ecclesia. Damnabatur enim à Pharisaica. Aut duæ fuerunt simul veræ & puræ Ecclesiæ, quarum una damnavit alterã, quod, velut absurdum, omnes pii repudiant. Alexander Alensis p. 3. q. ult. art. 2. & Johannes de Turrecremata lib. 1. de Eccles. c. 30. censent, in sola Maria Ecclesiam remansisse, idque significare unam illam candelam, quæ tribus noctibus ante pascha, reliquis exstinctis, in Ecclesia soleat ardere. Hoc quidem non placet Bellarmino & Valetiano, non tamen possunt visibilem Ecclesiam puram, externo splendore illustrem. Secundò. Triduanæ mortis & sepulturæ tempore, ubi erat Ecclesia vera & omnibus, pura tam conspicua, ut Resp. Veneta? Synagoga Judaica apparebat. At in morte Christi mortua, post mortem sepulta, inquit Jesuita infrà cap. 4. n. 9. Non alia Ecclesia erat mundo conspicua. Deficere igitur potest eo modo, quem sæpe expressimus. Tertiò. De resurrectionis tempore idem dictum esto. Pontifices & Sacerdotes Judæorum arrogabant sibi titulum veræ & puræ Ecclesiæ; Non erant. Apostoli exspectabant promissionem Spiritus Sancti; sed latebant. Ubi tunc erat Ecclesia integra, quæ palàm Deum ritè coleret, tam conspicua omnibus in mundo, ut civitas Viennensis?

XXXIII. Quartò. Tempore persecutionis, sub Ethnicis imperatoribus, nominatim Diocletiano & Maximiniano, ita oppressa erat Ecclesia, ut vix appareret, qui nomen Christi auderent profiteri, illustres & omnibus noti integri cœtus non apparerent. Memorat enim Fulco, apud Sibrandum, lib. 3. cap. 7. tyrannos quosdam maximè Diocletianum & Maximinianum gloriatos esse, nomen Christianorum à se funditus exstirpatum, & Christi superstitionem ubique deletam,

ut marmora quædam Salmantica in colle S. Bartholomæi adhuc hodie testentur. *Creditum à Gentilibus fuit*, inquit Baronius tom. 2. An. C. 304. num. 8. & 9. *Christianam fidem esse penitus subjugatam, quamobrem velut gloriosæ victoriæ titulis & summarum laudum excellenti præconio longèq; sublimiori cognõine, quàm Parthico, Gothico atque Germanico, de subactis deletisque penitùs Christianis, columnas erexerunt. Cluniæ enim in Hispania in nobili columna hæc inscriptio legitur*, Diocl. Jovius, Maximi: Herculeꝰ Cæs. Augg. amplificato per Orientem & Occid. Imper. Rom. & nomine Christianorum deleto, qui Remp. evertebant: *rursus ibidem altera inscriptio sic habet*; Diocletian. Cæs. Aug. Gallerio in Oriente adopt. superstitione Christi ubique deletâ, cultu Deorum propagato. *Leguntur hæc etiam Arevaci Hispaniæ in columnis compluribus. Testis Aldus Manutius post Schol. in Comment. Cæs. At non tantùm in Hispaniis eiusmodi fuisse de Christiana religione prostrata erecta trophæa, sed toto orbe Romano similiter factitatum existimamus, sed in odium impietatis, & impiorum principum, reddita Ecclesiæ pace, eadem penitùs fuisse deleta.* Hucusque Baronius, cujus verba lubenter hîc repetimus integra, quamvis jam suprà laudaverimus, sect. 2. num. 22. Qui aliter sentiunt, ii nobis nominent integrum cœtum illustrem, omnibus notum, qui tunc Deum palàm publicis conventibus institutis, purè coluerit.

XXXIV. Quintò. De Arianismi cataclysmo orbem terrarum invadente exstant testimonia Veterum. Hilarius dicit, in carceribus & speluncis Ecclesiam fuisse quærendam, idque fatetur Valentianus lib. 6. Analys. fidei cap. 4. Athanasius lib. ad solitariam vitam agentes; *Quænunc*, inquit, *Ecclesia Christum liberè adorat? si quidem ea si pia est, periculo subjacet; Si simulatione utitur, in metu hæret. Omnia enim simulatione & impietate, quod ad illum* (Constantium Imp.) *attinet, implevit. Nam si alicubi pii & Christi studiosi (sunt a. ubivis tales permulti) illi itidem ut Elias absconduntur, ut & ipsi fortè Abdiam aliquem fidelem inveniant & in speluncas & cavernas terræ se abstrudunt, aut in solitudine oberrantes commorantur.* Ibidem dixerat antea, Ecclesias quidem singulas fidem, quam didicerant, retinuisse, sed ita, ut & magistros desiderarent, & inimicam hæresin admitterent, quam tamen, ut serpentem, omnes aversabantur. Cessavit igitur publicum purum ministerium, nulla Ecclesia illustris & omnibus nota palàm Deum purè coluit, prævia publicâ incorrupti ministerii voce. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, *Ingemuit totus orbis & se Arianum esse miratus est.* In Psalm. 133. (134) *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ubi est? Ubi fides vera est. Cæterum ante annos quindecim, aut viginti, parietes omnes Ecclesiarum hæretici possidebant. Ante viginti enim annos omnes Ecclesias hæretici possidebant. Ecclesia autem illic erat, ubi vera fides erat.* E Papistis Wilhelmus Lindanus scribit, lib. 2. Panopl. Evang. cap. 6. *Quid quòd Hieronymus in Chronico ex Eusebio memoriæ proditum reliquit, omnes penè toto orbe Ecclesias Arianorum consortio fuisse*

Universidad de Deusto
Biblioteca

positas? Infrà: *Tanta tunc temporis calamitate catholicam Christi Ecclesiam afflixerat Arianismus, ut in tribus tantùm Episcopis catholicæ fidei assertio (ut D. Hieronymus testatur) consistere videretur, Athanasio, inquam, Hilario & Liberio Romano Episcopo.* Si hi mansissent in suis Ecclesiis, & veritatem perrexissent docere, haberemus integrum cœtum illustrem veritati palàm addictum. Jam quidem Athanasius & Hilarius perstiterunt in veritate; verùm uterque excommunicatus, uterque in exilium missus. *Ille*, velut unicus orientalis catholicismi defensor, in Germaniam; *Iste*, unicè totius occidentalis catholicismi defensor in Phrygiam usque protruditur. Sunt verba Lindani. Supererat Liberius. Num ille constanter veritatem prædicavit? Imò, *ut nihil ad desperationem piis catholici Homousii defensoribus deesset, etiam tandem Liberius, singulare Catholicæ religionis columen, gravissimis fractus ærumnis, in sententiam impii Constantis cessisse, adeoq; subscripsisse judicatus est*, inquit idem Lindanus loco laudato. Hæc si vera sunt, ut sunt verissima, cui obscura esse possit horribilis defectio Ecclesiæ visibilis? Ubi erat, illo tempore, cœtus *integer*, ac *illustris*, *omnibus notus*, qui simplicem veritatem *purè* profiteretur?

XXXV. Sextò. Tempore Antichristi idem futurum esse, docent Patres. Hieronymus in Zephan. c. 2. scribit, Antichristo regnante, Ecclesiam redigendam esse in solitudinem. Chrysostomus Hom. 49. oper. imperfecti in Matthæum; *Sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit, qui aut in Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo.* Augustinus Epist. 80. *Quando Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur, Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultrà modum sævientibus, & remoto timore, tanquam arridente mundi felicitate, dicentibus, pax & securitas.* Quid? quòd ipsi Papistæ fatentur, tempore Antichristi sublatum iri in Ecclesia publicum religionis veræ exercitium. Nominatim Bellarminus libr. 3. de Pont. Rom. cap. 7. docet, Antichristum interdicturum esse omnem cultum divinum, qui in Ecclesia Christianorum nunc exercetur. Stapletonus libr. 13. doctrin. princ. cap. 2. scribit, Ecclesiam illo tempore in deserto, id est, in locis abditis, in speluncis, in latibulis, quò Sancti se recipient, quærendam esse. Pererius lib. 15. Comm. in Daniel. scribit; *Tempore Antichristi sacramentum non erit in locis publicis, nec publicus ei honor adhibebitur, sed privatim & occultè servabitur & honorabitur à Christianis.* Acosta libr. 2. de Temp. novissimo cap. 15. Tempore Antichristi omnis Ecclesiastici ordinis splendor & decus exoletum & sepultum jacebit. Si cultus omnis divinus publicus cessabit, si omnis Ecclesiastici ordinis splendor & decus exoletum & sepultum jacebit, si Ecclesia in speluncis quærenda erit, ubi cœtus integer, illustris ac omnibus notus, qui Deum palàm purè colat, apparebit?

XXXVI. Hoc argumentum prætexit Becanus sicco pede & dicit, nos sic objicere, *Ecclesia comparatur lunæ: At Luna aliquando deficit.* Ergo etiam Ecclesia aliquando deficit. Respondet; *Hîc iterum apparet, eos qui hoc objiciunt, degeneres esse filios Ecclesiæ. Habent clara & aperta testimonia pro innocentia & integritate suæ matris, ut jam ostensum est. Cur sine causa quærunt occasionem calumniandi? Cur quæ à Scriptura & Patribus optimo sensu dicta sunt, sinistrè interpretantur? Esto sanè. Ecclesia sit similis Lunæ, sed in quo illi similis est? An in eo, quòd sicut Luna sæpe deficit, sic etiam Ecclesia sæpe deficiat? Hoc dicunt, qui oderunt Ecclesiam.* Num. 53. Jam noverat homo, nos non niti hoc argumento. Voluit tamen producere, ut haberet occasionem nos traducèdi, tanquam filios Ecclesiæ degeneres. Habemus clara testimonia de perpetuitate matris nostræ, Ecclesiæ; de externo splendore perpetuo, & publici ministerii incorrupti continua perseverantia, adeoque perpetua visibilis Ecclesiæ innocentia & integritate, non habemus, id est, non habemus testimonia, Ecclesiam splendorem suum semper ita servaturam esse, ut cœtus integer ac illustris, q. Deum palàm purè colat, perpetuò maneat mundo tam cõspicuus, quàm Respubl. Veneta, aut regnum Galliæ. Jactat, jam ostensum. A dictis patet, non ostensum esse. Nos non quærimus occasionem calumniandi, cùm historiam Ecclesiæ & prædictiones de ejus statu memoramus. Tantum abest, ut sine causa quæramus. Dicimus veritatem. Quæ à Scriptura & Patribus optimo sensu dicta sunt, non sinistrè, quæ est impudentis Sophistæ importuna calumnia, sed ex reipsa interpretamur. Ille similitudinem Lunæ & Ecclesiæ agnoscit in incremento, ex

Augustino in Psalm. 103. in mutuatitio lumine, ex eodem in Psal. 10. denique in mutatione, ex Ambrosio l. 4. Hexaemeron cap. 2. Negat, consistere in defectione l. l. Agnoscimus tria comparationis momenta. Luna crescit, lumen suum accipit à Sole, variè mutatur. Sic Ecclesia in principio sui ortus exiguum terræ locum occupavit, crevit postea, donec impleret orbem: Lumen omne habet à Christo Sole justitiæ. Suas habet quietis & persecutionis vicissitudines. Addimus pulchritudinem, ob quam Ecclesia Lunæ comparatur, Cant. 6. 7. Defectionem totalem nos Ecclesiæ non tribuimus, Ecclesia visibilis semper manet, quamvis non semper maneat incorruptum publicum ministerium. Nunquam totaliter deficit in omnibus. Etsi non appareant integri puri cœtus omnibus noti; Deus tamen semper inter pastores & auditores servat aliquos confessores veritatis. Hæc est mens Ambrosii scribentis, *Ecclesia tempora sua habet persecutionis & pacis. Nam videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.* Hoc planè nos volumus. Non totaliter deficit, obumbrari potest, ut non appareat ejus lumen. *Quemadmodum menstruis cursibus Luna, vel terræ oppositu, cùm fuerit è regione Solis, vanescit: sic & sancta Ecclesia, cùm lumini cœlesti vitia carnis obsistuni, fulgorem divini luminis de Christi radiis non potest mutuari. Namque in persecutionibus lucem Dei solus plerumque amor vitæ hujus excludit*, inquit Ambrosius libr. 10. in Luc. c. 21.

XXXVII. Becanus defectionem, qualem nos asserimus, frustrà negat. Si cla-

mare pergat, hoc dicere, filios degeneres, qui oderunt Ecclesiam, age Augustinum audiamus, cujus verba Sophista fœdè truncat, sic recitans ex Psal.103.(104.) *Intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo, quando obscura erat Ecclesia, quando nondum apparebat &c. modò quàm cæcus est, qui plenâ lunâ errat?* Integra sic sonant, conc.3. in Psal.103. *Intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo & istam mortalitate vita quodammodo senescentem, sed ut propinquet ad Solem: non istam Lunam dico visibilem oculis, sed quæ hoc nomine significatur ista. Quando obscura erat Ecclesia, quando nondum apparebat, nondum eminebat, seducebantur homines & dicebatur, hæc est Ecclesia, hîc est Christus, ut sagittarent in obscura Luna rectos corde. Modò quàm cæcus est, qui perpetuâ Lunâ errat? Fecit Lunam in tẽpora. Hic enim temporaliter transit Ecclesia; non enim hîc erit semper ista mortalitas. Augeri & MINUI potest, aliquando pertransibit: in tempora facta est.* Idem Augustinus Lunam deficientem Ecclesiæ typum esse, docet in Psalm.10.(11.) illis verbis; *Luna si propterea deficit, ut renovetur, etiam ipsi imperitæ multitudini demonstrat Ecclesiæ figuram, in qua creditur resurrectio mortuorum. Deinde quærendum est, quid in hoc psalmo accipiatur obscura Luna, in qua peccatores sagittare paraverunt rectos corde. Non enim uno modo dici obscura Luna potest: nam & cùm finitur menstruis cursibus, & cùm ejus fulgor nubilo interpolatur, & cùm plena deficit, dici potest obscura Luna. Potest ergo etiam de persecutoribus Martyrum intelligi, quòd sagittare voluerint in obscura Luna rectos corde. Sive adhuc in Ecclesiæ novitate, quia nondum terris major effulserat, & Gentilium superstitionum tenebras vicerat; sive lingvis blasphemorum & Christianorum nomen malè diffamantium, quasi nebulis cùm terra obtegeretur, VIDERI perspicua Luna NON POTERAT, id est, ECCLESIA: sive ipsorum Martyrum cædibus & tãtâ effusione sanguinis, tanquam illo defectu & obscuratione, quâ cruentam faciem Luna videtur ostẽdere, à nomine Christiano deterrebantur infirmi.* Sic Augustinus, qui, si Becano credas, degener Ecclesiæ filius fuerit, & matrem oderit oportet, aut Becanus improbus impostor, qui calumniatur dictum à nobis, quod ante nos dixit Augustinus.

XXXVIII. Ille contrà contendit, *Ecclesiam in fide semper firmam, stabilem & immobilem esse, & ex hac parte non Lunam, sed terram imitari, iuxta Gregorii dictum in Psalm.5. pœnitentialem.* Num.57. Catholicam exquisitè dictam Ecclesiam, ratione fundamenti, semper manere stabilem & immobilem, facilè concedimus; de particularibus omnibus Ecclesiis aliud ostendit ipsa experientia, quæ plus valet quàm unius Gregorii sententia malè torta. Cùm igitur singulæ imò omnes particulares Ecclesiæ moveri possint, cur non tota visibilis Ecclesia eousque moveri queat, ut aliquando non appareat illustris integer, omnibus notus cœtus, qui immobilis perseveret in publica incorruptæ veritatis professione? Gregorii verba hæc sunt; *Terra dicta est Ecclesia, tum quia messe fidelium populorum spiritali fœcunditate exuberat, tum quia in soliditate fidei perpetuâ firmitate immobiliter perseverat.* Sic explicat, quod Psaltes dicit, *Initio tu Domine terram fundâsti*, cujus mentem non assequi Sanctum virum, patet nimis manifestè. Psaltes enim loquitur de terra & cœlis perituris. Num peribit Ecclesia? Paulus de machina cœli & terræ accipit, Hebr.1. Interim res bene habet. Gregorius loquitur de Ecclesia catholica, seu verè fidelium universitate, quæ in futuro seculo cum Deo in æterna stabilitate permanebit. De illius immobilitate in fide nos nulli dubitamus. Qui ad Romanam, vel aliam quamcunque particularem Ecclesiam transferre vellet Gregorii verba, is ipsi experientiæ bellum indiceret. Nec melior illorum conditio, qui ad totius visibilis Ecclesiam perpetuã, omnibus conspicuam ἀδιαφθορίαν conantur trahere. Gregorius illis non patrocinatur.

XXXIX. Becanus miratur nostros, *cur hanc unam similitudinem allegent in præjudicium Ecclesiæ, cùm sint multæ aliæ, quæ in favorem & commendationem illius allegari poterant. Nam in Scriptura & Patribus non solùm Lunam vocari, sed etiam* Solem, hortum conclusum, fontem signatum, paradisum, columbam speciosam, civitatem Dei, terram viventium, mulierem amictam Sole, Reginam in vestitu deaurato. *Quæ omnia sint honorifica. Si essent boni Ecclesiæ filii, meritò hos titulos suæ matri tribuere, & ab omni calumniandi studio abstinere. Nunc quia secus faciant, inter eos computari debere, de quibus scriptum est*, Jes.1,2. *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Num.58. Boni non immeritò mirantur hominis sive stuporem, sive malitiam. Nam primò nos hanc similitudinem nec solam, nec in Ecclesiæ præjudicium allegamus, nec ea, tanquam argumento, in hac causa nitimur. Id quidem jam semel dixi; repetendum tamen est, propter hominis importunitatem. An reliquos titulos Ecclesiæ honorificos, in favorem & commendationem ejus, non allegamus? Allegare in occasiõe, testes sunt nostri libri, testes suggestus. Illi nos adversùs malignam criminationem tuentur. Ipsi quoque Papistæ sentiunt, nos urgere, cùm probamus, Ecclesiam exquisitè dictam esse verè fidelium & sanctorum universitatem, ut non opus sit aliis testibus. Secundò. Ab omni calumniandi studio abstinemus. Non est calumnia in comparatione Lunæ & Ecclesiæ in decremento, obumbratione ac occultatione. Nisi Ambrosius & Augustinus calumniæ crimine teneantur, in filiorum degenerum censum inde referendi, quos nos inter pios Patres reverenter colimus. Tertiò. Si degeneres sumus filii & calumniatores hoc nomine censendi, quòd dicimus, Ecclesiam visibilem, instar Lunæ, obscurari posse eousque, ut aliquando non appareat mundo cœtus *integer* ac *illustris*, qui palàm Deum purè colat, Elia, Jesaia, Jeremia, Ezechiel, reliq. Prophetæ calũniæ rei peragentur & reputabũtur inter filios degeneres. Ab illis enim habemus querelas de tota visibili Ecclesia, habemus novi Testamenti prædictiones, à quibus qui possibilitatem obumbrationis & defectionis, quoad *publicum ministerium*, qualem nos asserimus, rectè concludi negat, is pari labore neget, Solem lucere in meridie. Patris & mariti causa hîc agitur cum ipsi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

us gloria & honore conjuncta. Illa sanctos Prophetas tuetur adversùs dentem theoninum. Illa nos cùm illis pariter tuetur. Non calumniamur matrem, sed communis hostis potentiam & humanam infirmitatem declaramus. Sed & in catholicam verè Sanctorum universitatem nihil dicimus, nihil molimur, cùm Ecclesiæ Romanæ probrosam defectionem & publicam scortationem, quæ est in omnium oculis, possibilem fuisse, disputamus. Quartò. Quòd hoc nomine nos inter eos computat Sophista, de quibus dictum est, *Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me*, non immeritò cordati rident. Num enim hæc est vox Ecclesiæ, & non potiùs Dei Ecclesiam Judaicam alloquentis? Ecclesia non exprobrat filiis defectionem & rebellionem, sed Deus exprobrat Ecclesiæ Judaicæ. Illam genuerat, illam blandè enutriverat, illam mirificè exaltaverat: At ipsa defecerat, & persistebat in rebellione. Illud quid ad Ecclesiam Romanam? quid ad nos? Illane nos exaltavit, sicut Deus Ecclesiam Judaicam? Imò pressit per suos Pontifices, donec clementissimus Pater nostri misertus, illorum tyrannidem, virtute sui verbi, per fideles ministros, fregit.

Sectio VIII.

Visibilis Ecclesiæ fallibilitas probatur.

I. HActenus declaratum demonstratumque est, quòd & quousque Ecclesia visibilis tota deficere possit. De fallibilitate non quidem est, cur prolixè agamus. Becanus enim non separatim tractavit, & ex dictis mediocriter elucet veritas. Plerisque argumentis, quibus probavimus, visibilem Ecclesiam, quoad publicum ministerium, aliquousque deficere posse, pariter probatur ejusdem fallibilitas. Pauca tamen breviter addemus, & quidem primò de particularibus Ecclesiis, deinde de universa visibili. De particularib' singulis inde cōstat, quòd nulli promissum datumve est infallibilitatis privilegium. Ergo quævis errare potest. Papistæ de omnibus concedunt, exceptâ Romanâ. At huic præ cæteris datum privilegium non legimus in ullo Auctore canonico. Hinc nobis legant, & credemus. Authenticis tabulis opus est. Illas promant, inde monstrent, quis, quando, ubi, quibus verbis dederit. Augustinus contra Donatistas olim scribebat, *Utrum ipsi Ecclesiam teneant, nonnisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant, quia nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ communionis Episcopi, aut quia nostrorum Collegarum conciliis ipsa prædicata est.* Lib. de Unit. Eccles. cap. 19. Lex æqua, lex justa. Non repudiabunt Papistæ à Sancto viro piè prudenterque latam. Secundùm hanc igitur nonnisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant, Romanam Ecclesiam tenere privilegium beneficio divino, quod jactant. Sileant alia nomina quamvis clara & chara; Solius Dei vox de divino privilegio audiatur. Non datum esse, res ipsa ostendit. Erravit enim jam pridem Petrus de Alliaco, Cardinalis, in oratione in concilio Constantiensi habitâ dicebat, *manifestum esse, quòd longo iam tempore Ecclesia fuerit multipliciter deformata, indigueritque & nunc maximè indigeat, ut in fide & moribus reformetur.* Testantur querelæ publicæ: probat ipse Papa Adrianus VI. referente Illyrico, in comitiis Norimbergensibus, anno 1502. per legatum, *Scimus*, inquiens, *in hac sancta sede iam aliquot annis multos fuisse abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata.* Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis pontificibus in aliquos inferiores prælatos descenderit. Cassander in Consultatione fatetur, præsentem Ecclesiam etiam in doctrinæ sinceritate ab antiqua illa dissidere.

II. De tota visibili Ecclesia hæc tene. Primò. Nusquam Ecclesiæ visibili promissa est infallibilitas absoluta in fide. Errare igitur potest. Secundò. Si tota Ecclesia visibilis veteris Testamenti errare potuit, & aliquando erravit, utique potest etiam Ecclesia novi Testamenti errare. Prius verum. Ergo posterius. Consequentia patet, quia non minùs præclaræ promissiones datæ sunt veteri, quàm novæ Ecclesiæ; Illi sunt datæ conditionatæ, Levit. 26, 11. 2. Paral. 15, 2. Jer. 7, 13. Similiter novæ, Johan. 8, 31. cap. 15, 14. Hebr. 3, 6. 24. 1. Johan. 2, 24. Roman. 11, 19. 20. 21. 22. Si quis dicat; Ecclesiam veterem magis errare potuisse, quàm novam, is primarium pro infallibilitate summi Pontificis argumentum evertet. Papistæ enim perpetuò clamant ex Deut. 17. summi Pontificis judicium esse infallibile. Ubi nota, eos infallibilitatem tribuere *nomine totius* Ecclesiæ, *reipsà* vendicare soli Pontifici, tanquam fonti. At in hoc eum similem faciunt Pontifici veteri. Ergo si vetus errare potuit, potest quoque novus. Antecedens probatur exemplis suprà in medium productis. Erravit tota visibilis Ecclesia tempore Abrahami, & Mosis in deserto, cùm vitulo conflato immolarent. Erravit aliquando sub Judicibus, & sub Regibus. Erravit sub Antiocho & Pharisæis & quidem tota.

III. Tertiò prædicta est apostasia & seductio, nempe universalis, futura tempore Antichristi. Ergo visibilis Ecclesia novi Testamenti errare potest. Antecedens patet ex 2. Thessal. 2, 3. 5. 11. 12. Apocal. 12, 6. cap. 13, 8. cap. 17, 2. cap. 18, 3.

IV. Quartò. Omnes particulares Ecclesiæ possunt errare; Ergo & totâ visibilis Ecclesia. Consequentia patet. Tota enim visibilis Ecclesia est collectio omnium particularium. Antecedens. Singulæ possunt. Ergo omnes, nisi obstet promissio. At nulla obstat. Huc pertinent exempla Ecclesiæ Corinthiacæ, de litibus forensibus, 1. Corinth. 6, 1. de divortio, cap. 7, 12. de idolothytis & libertate Christiana, cap. 8. de cœna Domini, cap. 11, 16. de sacris in lingua peregrina, cap. 14. de resurrectione, cap. 15, 12. Pergamensis, Apocal. 2, 15. Thyatirensis, v. 20. Galatarum, Galat. 1, 6. c. 4, 11. Colossensium, Coloss. 2, 20. 21. denique orientalium omnium. Ne habeant Sophistæ, de quo conquerantur, notetur, Ecclesiam visibilem novi Testamenti totam aliquando errâsse. Nam ante Christi resurrectionem totus cœtus fidelium opinabatur, Etiam Thes-

298-328

bi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

biten è cœlis in terram rediturum, & regnum Messiæ fore terrenum; in quo errore ipsi quoque fuerunt Apostoli, Matt. 20. Actor. 1, 6. Eodem tempore ignorabant, Christum è mortuis esse resurrecturum, Johan. 20, 9. post Christi adscensionem putabant, Gentes non pertinere ad communionem Ecclesiæ, illisque non esse prædicandum Evangelium, qua de causa Petrus cœlesti visione monendus confirmandusque erat, ut iret ad Cornelium, nihil ambigens, Actor. 10, 20. expostulabant autem cum Petro hoc nomine fideles Judæi, Act. 11, 2. 3.

V. Quintò. Ex hypothesi & concessione Papistarum. Prima hypothesis. *Ideo fideles omnes errare, non puto, quia pastores omnes & doctores omnino errare non possunt*, inquit Gregorius de Valent. lib. 6. Analys. fid. cap. 4. Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 2. *Idem*, inquit, *est Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, & Episcopos non posse errare.* Inde arguo. Si infallibilitas totius Ecclesiæ pendet ab infallibilitate Pastoris, Ergo si Pastores omnes possunt errare, errare quoque potest tota visibilis Ecclesia. Prius verum ex hypothesi Papistarum. Ergo & posterius. Subsumo. Atqui Pastores omnes errare possunt. Papistæ concedunt de separatis, negant de conjunctis in concilio generali. De his probo. Si generalia, ut quidem vulgò nominantur, concilia priora emendari possunt à posterioribus, errare possunt. Ratio; Ubi enim nullus error, ibi emendationi non est locus. At prius verum.

VI. Secunda. *Si Romana Ecclesia errare potest, tota Ecclesia erret oportet.* Sic Sophistæ. Nominatim Pistorius apostata, in Hodegetico cap. 2. de Ecclesia, contendit, Romanam nunquam ne minimum quidem erraret potuisse, aliâs totam Ecclesiam errare oportuisse. Ne mireris. Eam enim orthodoxæ fidei regulam facit Alb. Pighius lib. 6. de Hierarch. Eccles. cap. 18. Assumo. Atqui Romana particularis Ecclesia errare potest. Experientia comprobat. Reihingus in Manuali art. 2, §. 10. p. 223. putat, non esse asserendum ut certum, quòd Romana particularis Ecclesia errare non possit. Si id non certum, ergo ne certum quidem, totam errare non posse. Cæterùm Romanam errâsse, nimis multis exemplis constat. Non enim retinuit fidem, quam Romana tenebat tempore Apostoli.

VII. Tertia. *Infallibilis Ecclesia auctoritas est in summo Pontifice. Et generale concilium errare potest, nisi confirmet Papa.* Hinc arguo. Si Papa potest errare, Ecclesia tota errare potest. At Papa potest errare. Ergo. Consequentia patet ex hypothesi Papistarum. Antecedens confirmat historia. Lyranus in cap. 16. Matth. *Multi summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatâsse à fide.* Quem vera dixisse, monstrat historia, ex qua hîc aliquos nomino. Marcellinus metu mortis idolis sacrificavit, teste Eusebio. Felix II. fuit Arianus, itemque Liberius hæresi tandem subscripsit. Vigilius fuit Eutychianus. Honorius I. Monotheleta, fatente Melchiore Cano. Cœlestinum tertium ab hæresi excusari posse, negat Alphonsus à Castro l. 1. de Hæres. c. 4. Acta Formosi antecessoris sui damnavit Stephanus VI. Acta Stephani damnavit Johannes IX. Formosi & Johannis IX. acta damnavit Sergius tertius. Plura exempla nunc non recenseo; Illa sufficiunt.

VII. Becanus suprà ex dictis tria colligebat consectaria. Nos contrà ex dictis tres regulas exstruimus apprimè necessarias. Prima est. *Major est auctoritas divinæ Scripturæ, quàm Ecclesiæ.* Nam primò Ecclesia errori est obnoxia, divina Scriptura non est obnoxia. Secundò. Ecclesia est Scripturæ subjecta, sicut subditus legi principis. Tertiò. Accipit leges à Scriptura, non dat Scripturæ. Omnis auctoritas, quam habet Ecclesia, à Scriptura habet. Inde ipsi Papistæ conantur stabilire. Quartò. Ecclesia exstructa est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Ephes. 2, 20. Quodnam illud? Doctrina in Scriptura proposita. Denique Scriptura est verbum Dei. In ea enim Deus loquitur; Vox Ecclesiæ est verbum hominum. At non est dubium, quin major sit Dei, quàm hominum auctoritas. Secunda. *Qui tenet, quod Scriptura docet, non errat; at non mox absque errore est, qui omnium particularium Ecclesiarum atque adeò totius Ecclesiæ visibilis sensum tenet.* Prior pars non negatur à Papistis; Posterior patet ab exemplo suprà prolato. Tota visibilis Ecclesia aliquot seculis tenebat, Eucharistiam esse administrandam infantibus. An non erat error? Errabat igitur qui tenebat. Et tamen sentiebat, quod sentiebat tota Ecclesia illius temporis. Nisi fortè illo tempore non fuerit error, hodie sit error; quo nihil fingi posset absurdius. Tertia. *Simpliciter in omnibus sequendum est judicium Scripturæ; non simpliciter in omnibus sequendum judicium ullius Ecclesiæ, nisi quatenus ipsa Scripturam sequitur.* Fluit ex prioribus.

Sectio IX.

Num Romana, seu Pontificia Ecclesia sit vera Christi Ecclesia, de qua hactenus dictum?

I. Hîc Becanus ostendit, quò tendat omnis exactus labor. Coronam paravit, quâ Ecclesiam Romano-Papalem ornet. Nostrum est considerare artem, studium, successum. Antè omnia prænotat, quod in usum suum vertat, inde proponit & concludit quæstionem uno argumento, dènique excipit contra ea, quæ ipse sibi objicit. Videbimus singula. Prænotat, Ecclesiam Romanam dupliciter sumi posse: Primò, pro illa sola Ecclesia particulari, quæ olim Romæ fuit & nunc est. Secundò, pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi adhærebant olim Romano Pontifici & nunc etiam adhærent, & hoc posteriori sensu dici 1. Catholicam, quia toto orbe diffusa, 2. Pontificiam, quia Pontifici subjecta. 3. Romanam, à nobiliori sui parte. Num. 59. Utraque significatio, fateor, Papistis usitata est, sed sola prior vera, & tum Scripturæ, tum puriori antiquitati consueta. Posterior citerioribus seculis conficta & omnino falsa. *Conficta* citerioribus seculis; non enim legitur in Patribus antiquioribus, Justino, Tertulliano, Origene, Cypriano, aliis. *Falsa*; nunquam enim omnes fideles, vel adhæserunt olim, vel hodie adhærent Pontifici Romano. Non olim: ubi distinguo tempora. Quamdiu

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romanus Episcopus retinebat fidem à Paulo Romanis commendatam, nec ille ambiebat, ut omnes toto orbe sibi, ut capiti Oecumenico solitario, adhærerent, nec omnes fideles agnoscebant, hoc esse necessarium. Cùm autem paulatim desereret doctrinam Apostolorum, ille ambire quidem cœpit, verùm semper fuerunt plurimæ Ecclesiæ Christianæ, quæ nunquam adhæserunt Romano Pontifici, ut capiti. Quàm multæ Ecclesiæ hodie repudient jugum Pontificium, clarius est, quàm quod probatione egeat. Cæterùm Romanam & Pontificiam appellent, per nos licet; Catholicam certè sine causa nominant. Utut enim longè lateque terrarum orbem lues papalis pervaserit, tamen sunt Ecclesiæ Christi, quæ Pontificem Romanum non agnoscunt.

II. Becanus Romanam Ecclesiam posteriori modo sumptam, affirmat, esse veram Christi Ecclesiam, cujus proprietates hactenus sint explicatæ. Num. 60. Nos agnoscimus, veterem Romanam fuisse veram Christi Ecclesiam, in quam pleræque proprietates, tituli & encomia, de quibus suprà disputatum est, competerent; fuisse Ecclesiam, cui omnes prætensæ proprietates, nominatim catholicissimus papisticè acceptus, indefectibilitas & infallibilitas competerent, negamus. Multò magis negamus, modernam Romanam, sive particularem, sive collectionem Ecclesiarum Papæ Romano adhærentium intelligas, esse veram illam Christi Ecclesiam, cujus proprietates hucusque à Jesuita sunt explicatæ. Sententiæ nostræ argumenta afferemus, ubi discusserimus Sophistæ probationes.

III. Si igitur ille: *Visibilis Christi Ecclesia non potest deficere, aut errare in fide, ut probatum: Ergo à tempore Apostolorum ad nos usque semper mansit vera Ecclesia sine ulla interruptione, aut errore. At nulla alia visibilis præter Romanam, seu Pontificiam mansit sine ulla interruptione & errore.* Num. 60. *Ergo sola Romana, seu Pontificia est visibilis Christi Ecclesia.* Minorem probare conatur, deinde superbè nobis insultans, clamitat, *quid hîc responsuri simus?* Magna hominis insolentia! Cùm enim miser, quamvis in omnem partem circumtulerit oculos, vix unum suæ opinionis argumentum invenerit, quod audeat opponere, tam audacter tam superbè nobis illudit. Cæterùm nos non diu meditabimur responsionem. Est enim in promptu. Primò. Tota moles argumenti nititur ruinoso fundamento, quod ille quidem moliebatur suprà, sed nos evertimus. Contendebat, visibilem Christi Ecclesiam non posse deficere, aut errare in fide. Deficere, id est, *prorsus & totaliter* interire non posse, sed perpetuò durare, frustrà probabat. Nos enim *perpetuam* durationem nunquam negavimus, nunquam asseruimus *totalem* defectionem, seu interitum; imò asserentibus contradiximus apertè ac constanter. Deficere eousque non posse, ut non supersit cœtus integer, illustris ac in mundo omnibus tam conspicuus, quàm Respublica Veneta, qui, *publicâ* incorrupti ministerii *ordinarii* voce præviâ, veritatem simplicem *palàm* profiteatur, Deumque *purè* colat, id verò minimè probavit, quicquid jactet. Secundò. Ex eo quòd visibilis Ecclesia non potest deficere, id est, totaliter interire, rectè concluditur, à tempore Apostolorum ad nos usque *semper* mansisse veram Ecclesiam, non *totaliter* interiisse; Semper mansisse *sine errore*, & semper apparuisse cœtum integrum ac illustrem, in mundo omnibus notum, & tam conspicuum, ut Respublica Veneta, vel Regnum Galliæ, qui, incorrupto publico ministerio, palàm veritatem professus sit & Deum coluerit citra corruptelam, non rectè concluditur. Tertiò. Infert perpetuam Ecclesiæ visibilis permansionem *sine interruptione*. Is terminus novus, in superiori disputatione non auditus. Jam si interruptionem continuæ durationi simpliciter oppõeret, adeoque interruptionem negando nihil aliud quàm continuam Ecclesiæ durationem assereret, res bene haberet, nec contradiceremus. Verùm quam interruptionem intelligat, nõ est obscurum, quæ sc. perpetua Episcoporum orthodoxorũ, in una fede, successione ab ipsis Apostolis tollatur. Hîc habet, quod probet adversarius. Non probavit hactenus. Imò ne meminit quidem ejus suprà. Sed nec probare poterit deinceps. Fruſtrà igitur suscipit operosam minoris probationem, id est, frustrà probandum suscipit, nullam visibilem Ecclesiam præter Romanam, mansisse sine ulla interruptione continuæ personalis sub Episcoporum orthodoxorum, in una certa fede, successionis. Hanc interrumpi non posse, priùs probandum est.

IV. Quartò. In probatione nondum necessaria, veris falsa remiscet atque præsupponit temere. Verum est, Ecclesiam Judaicam (puta corruptam illam & adulteram,) repudiatam esse: verum quoque, Turcicam, seu Muhamedanam non semper fuisse. Nam ad illud ipsum (res digna consideratu!) id est, ad septimũ æræ Christianæ seculum, quo Antichristus in Occidente, sub Phoca, caput efferre cœpit, suos natales refert, sub Heraclio exorta in Oriente. Multa falsa. Primò falsum, *Ecclesiam Judaicam abrogatam esse*: Repudiata est, non abrogata. Leges, statuta, ceremoniæ abrogari dicuntur. Ecclesia non dicitur. Secundò falsum, *Ecclesiam Judaicam esse per mortem Christi repudiatam*. Ceremoniæ Judaicæ sunt per mortem Christi abrogatæ; non Ecclesia. Apostolus non dicit, ramos naturales per mortem Christi, sed per incredulitatem defractos esse, Roman. 11, 20. Nec ille, nec ullus alius Auctor canonicus morti Christi tribuit repudium Ecclesiæ Judaicæ. Tertiò, Calvinianam & Lutheranam, quam ille improbè vocat, (tu Evangelicam intellige,) novam esse, falsum. Etsi reformatio plurimarum particularium Ecclesiarum à Luthero, Calvino & laboris sancti sociis suscepta est, Ecclesia tamen Evangelica per eosdem non cœpit, sed refloruit. Quemadmodum post Arianum cataclysmum Ecclesia ñ cœpit, sed pristino suo nitori restituta est. Sic nostra post cataclysmum Papisticum. Nec illi nostri à Jesuita nominati sancti viri vel primi, vel soli reformationis opus sunt aggressi. Ante ipsos fuerunt alii, quos hinc inde pressit & alicubi oppressit Papatus, illos opprimere non potuit. Quid multis? Ecclesia, cujus communionem sunt professi, fidem tenet apostolicam, non illorum tempore nata est, sed fuit ab initio: semper duravit à Christo

Universidad de Deusto
Biblioteca

usque ad nostram ætatem. Ideo novitatis improperio iniquissimè gravatur.

V. Jesuitæ quidem ipsam fidem novitatis accusant satis impudenter ; sed nostri antiquitatem ostenderunt sæpiùs, paratique per Dei gratiam sumus amplius demonstrare, quoties opus est. Prophetæ & Apostoli eam docuerunt : Et Christus & Apostoli miraculis confirmârunt: Vetus Ecclesia ab eis accepit: Martyres suo sanguine obsignârunt sub Judæorum, Ethnicorum & Arianorum persecutionibus. Habemus in manu vetus & novum Testamentum, quo Prophetarum & Apostolorum doctrina indubitatò comprehenditur. Inde si non probamus, damnent novitatis Papistæ; non refragabimur. Si Apostoli docuerunt, quis novitatis damnet? Visa fuerit multis nova superiori seculo, quia magna ex parte in Papatu passim erat suppressa multisque incognita : non ideo nova. Speculum purum atque nitidum negligatur pulvere obsitum, aut multo contaminatum cœno, diu jaceat sepultum; si in lucem protractum nitori pristino restituatur, videri possit multis novum, qui antè non viderant, revera novum non est, sed illud ipsum, quod olim splenduerat; sic doctrina, quam Evangelicæ per orbem Ecclesiæ hodie profitentur, nova videri possit Papistis, quibus antè incognita; nova non est, sed pristino splendori per Lutherum, Calvinũ aliosq; fideles Dei servos restituta. Sic nova videatur Ecclesia. Non est nova. Quomodo nova, quæ tenet fidem ab Apostolis prædicatã?

VI. Quartò dicit, *solam Pontificiam, hucusque perseverâsse.* Hîc multa falsa miscentur. Primò, Jesuita præsupponit, Pontificiam Ecclesiam tempore Apostolorum fuisse. Gratis supponit. Probandum est. Sine eo frustrà est. Sine eo inanis est perseverantiæ jactatio. Quomodo enim ab eo tempore hucusque perseveraverit, quæ non fuit illo tempore? Non fuit Oecumenicus Pontifex, non doctrina Pontificia. Num sine illis fuerit Pontificia Ecclesia? Nemo prudens dicet. Dicentem cordati omnes ridebunt. Oecumenicum Pontificem & doctrinam Pontificiam modernæ Romanæ Ecclesiæ fuisse illo tempore, nemo hucusque probavit. Becanus conatur in Manuali: Deficere, patebit, Deo volente, à tota disputatione. Hîc nobis sufficit, nominari non posse vel unum Doctorem, qui, Apostolorum seculo, Papisticæ doctrinæ systema noverit: non enim nunc dicam, nominari non posse, qui tradiderit.

VII. Secundò. Fingit, Ecclesiam Pontificiam talem omnibus seculis hucusque perseverâsse, qualis Romana fuit ab initio. Falsum. Hîc longa probatione non est opus, toto libro probamus. Unum atque alterum exemplum tetigisse sufficit. Prima Romana Ecclesia ignoravit ignem purgatorium ejusque credendi necessitatem, invocationem Sanctorum, cultum religiosum imaginum, transsubstantiationem, operum meritum ex condigno, thesaurum indulgentiarum, satisfactiones alienas & proprias, Oecumenicum Papatum, Episcopi sui dominium in temporalibus super omnes Reges & Principes. Pontificiæ modernæ longè alius sensus. Si mihi nomines hunc, illum, istũ Doctorem, qui vel in Romana, vel alia Ecclesia purgatorium, vel invocationem Sanctorum nominaverit, nullus eris. Hoc enim

enim non agitur. Becanus dicit, *Ecclesiam Põtificiam à tempore Apostolorum hucusque perseverâsse* : Supponit igitur, qualis hodie est, talem fuisse ipsam illo tempore, adeoque veterem Romanam. Id non obtinebit, priusquàm probetur, dogmata Papistica in prima Romana Ecclesia fonuisse. In illa monstrent nobis saltem enumerata dogmata. Liberaliùs agam. Non urgebo præcisè seculum Apostolorum. Monstrent, hæc omnia intra primos trecentos à Christo annos Romanam Ecclesiam credidisse. Non posse, intelligebat Cardinalis Perronius. Ideo in libro contra Regem Jacobum non vult illos tangere. Notum est Campiani postulatum. Ego multo liberaliùs agam. Monstrent nobis unum in Romana Ecclesia Doctorem, qui intra sexcentos à Christo annos saltem, vel omnia dogmata enumerata, vel sub credendi necessitate ullum eorum, vel denique theologiam Hildebrandinam tradiderit, approbaverit, defenderit. Descripta nobis est à Barõio ad Ann. Chr. 176. num. 31. 32. 33. Viri sunt socii Becani; exerant ingenii vires, conferant consilia. Monstrent. Tertiò. Jesuita intelligit perseverantiam, quæ sit absque interruptione successionis legitimæ ab ipsis Apostolis deductæ, & absque errore. Talem Ecclesiæ Pontificiæ perseverantiam nec probat, nec potest solidè probare.

VIII. Denique Jesuita fingit, *præter Pontificiam, Judaicam & Turcicam, nullã fuisse Ecclesiam visibilem, ante Lutherum.* Hoc iterum falsum. Fuerunt enim Ecclesiæ Christianæ in Oriente & Occidente, Papistica aliquanto puriores, quæ Romani Pontificis œcumenicam jurisdictionem minimè agnoverũt. Petis nomina? Edam. Ecclesia Orientalis Græca permansit multis seculis ante Lutherum, Papæ Romano nequaquam obnoxia. Imò affectatæ illius Monarchiæ constanter contradixit, nec in systema dogmatum Papisticorum, vel Hildebrãdinam theologiam unquam consensit. Ecclesia Ruthenica & Moscovitica, latissimè patens, Christum professa est jam olim, & adhuc hodie profitetur, quem ab Andrea Apostolo istîc locorum prædicatum ferunt, Papam Romanum caput non agnovit unquam. In Aethiopia Christianam Ecclesiam multis retrò fuisse seculis, quis ignorat? Abyssinorum vulgò vocant. Fidem describit peculiari tractatu Damianus à Goes, Eques Lusitanus. Illa ignorat præcipua commenta Papistica, missam & sacrificium pro vivis & mortuis, transsubstantiationem, ἀρτολατρείαν, purgatorium, cœlibatum sacerdotum, pontificatum Oecumenicum; Retinet utramque speciem in Eucharistia; denique sui Patriarchæ præsidio contenta, Romanæ sedis imperium minimè admittit. Sub Magno Chamo in civitate Quinsai, omnium, toto orbe, amplissima, Christianam religionem in uno templo diu retentam esse, scribit Paulus Venetus libro primo Navigationum, cap. 51. 52. at sub eodem multos potentes Principes Christianæ religioni addictos esse, auctor est Romanus Patricius lib. 6. cap. 1. Num à Luthero & Calvino accepisse dicent Papistæ? Præterea in aliis plurimis regnis atque provinciis, nominatim in regno Ergimulano, Gerguthano, Calecuthano, Peguano, itemque in provincia Cassar Carcham, Chintuitales, Egrigaja

Teuduth, Christianos sedem habuisse suam, atque Ecclesiam fuisse, testis Paulus Venetus in Navigationum suarum historia. Denique multos Christianos in Palæstina esse, qui ab Apostolo Matthæo Christianam fidem se accepisse, dicant, refert Brocardus, in descriptione terræ sanctæ. Qui omnes non adhæserunt Romano Pontifici, ac fortasse ne quidem noverunt propiùs. Vide egregium, de Ecclesiæ regeneratione, discursum nobilissimi viri Johannis à Munster, in quo hæc & alia complura memorat, itemque Marnixium.

IX. Becanus quærit, an putemus, *aliam præter Pontificiam visibiliter & sine errore semper exstitisse? Quæ illa fuerit? quo nomine appelletur? quos Pastores & Episcopos habuerit & adhuc habeat.? Qui Reges & Imperatores illi adhæserint, & adhuc adhæreant? Qui hæretici ab illa damnati, quæ Academiæ confirmatæ? quæ templa & monasteria erecta?* Num. 60. Frustrà sunt ista omnia, tantum abest, ut non evadamus. Præsupponit, Ecclesiam visibilem semper sine errore existere. Semper existere, probavit nobis faventibus; Semper sine errore existere, & errare non posse, minimè probavit. Similiter præsupponit, monstrari non posse Ecclesiam, nisi Reges & Imperatores, qui ei adhærent, nisi Hæreticos ab ea damnatos, nisi Academias ab ea erectas, nisi templa & monasteria condita monstremus. Quasi verò sine eis non possit esse vera Ecclesia. Nullos nominare possumus Imperatores, qui intra trecentesimum à Christo annum, Ecclesiæ adhæserint. Nullas Academias, ab ea erectas, nulla monasteria, condita intra annum à Christo trecentesimum. Sed nec ulla nominare potuit famosissimus ille & diligentissimus totius Antiquitatis scrutator, Baronius. Nulla primis tribus seculis Concilia, quibus damnati sint Hæretici. Neque tamen primæ Ecclesiæ periclitatur veritas.

X. Sed nunc aliud dicam. Non tenemur monstrare, ubi vera Ecclesia absque errore omni tempore fuerit. Quia non putamus, visibilem Ecclesiam sine omni errore semper exstitisse. Etsi verò non semper sine omni errore exstiterit, proinde Jesuitæ cum iis circumstantiis, quas exigit, monstrare non possimus, ubi locorum in cœtu semper integro, illustri, ab omnibus aliis cœtibus separato, & omnibus noto, prævia incorrupti ministerii voce publicâ, religionem citra omnem corruptelam, singulis annis & temporibus exercuerit, quia tamen nostram esse veram Ecclesiam catholicam, ex doctrinæ comparatione demonstramus, semper eam exstitisse, certi sumus à divinis promissionibus, de ejusdem conservatione perpetua. Mentiri enim non potest, qui dixit, *Portæ inferorum eam non superabunt.* Item, *Ero vobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Ille dedit Ecclesiæ nostræ Doctores & Pastores, ille locum, quem occuparet, ille aliquando dedit Imperatores & Reges; per illam damnavit Hæreticos, per illam aperuit scholas. Quæris, quos & ubi dederit? Dicam. Apostoli sunt, post summum Prophetam Dominum nostrum Jesum Christum, primi nostræ Ecclesiæ Doctores: Post illos in Oriente Polycarpus Smyrnensis Episcopus, Evodius, Ignatius, Heron,

ron, Cornelius, Theophilus, Babylas Martyr, Flavianus, Antiocheni; Annianus, Dionysius, Alexander, Athanasius, Alexandrini; Simeon, Maximus, Narcissus, Alexander, Hierosolymitani; Dionysius Corinthiacus: Stachys, Polycarpus, Nectarius, Chrysostomus, Constantinopolitani; In Occidente, Linus, Anacletus, Clemens, Euarestus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor, Zephyrinus & alii Romani Episcopi, qui sexcentis annis à Christo doctrinam Evangelii, quam profitemur, vel puriùs, vel impuriùs tradiderunt: His addimus Cyprianum, Optatum, Augustinum, Africanos; Ambrosium Mediolanensem, Irenæum Lugdunensem, Hilarium Pictavinum, Prosperum Aquitanicum. Illorum aliorumque ministerio Ecclesia nostra propagata est in Asia, Africa, & Europa. Nostræ Ecclesiæ Constantinus Magnus, Theodosius, Valentinianus, alii Orientis & Occidentis Imperatores adhæserunt. Nostræ Ecclesiæ Doctores Nicææ Arium, Constantinopoli Macedonium, Ephesi Nestorium, Chalcedone Eutychen damnârunt, nostramque doctrinam confirmârunt. Sub his plurima templa, in quibus doctrina Apostolica, quam tenemus, sonuit, sunt constructa; sub his plurimæ scholæ apertæ. Qui illis seculis Ecclesiæ nostræ tot præclaros pastores dedit, eamque mirificè amplificavit, illum eandem sequentibus seculis, sub variis corruptelis, erroribus & persecutionibus conservâsse, vi promissionis, nulli dubitamus. Idem nostro seculo tam mirificè illustravit, ut non immeritò mireris, Jesuitam quærere, *quas mũdi partes adhuc occupet? quos Pastores & Episcopos adhuc habeat.? Qui Reges illi adhæreant?* Jam pridem deplorârunt socii, tot mundi partes occupâsse. Etsi Episcopos Papisticæ notionis non ubique habeat, an ideo ignoti sunt ejus pastores? Num Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Daniæ, Norwegiæ, & Sueciæ Reges tam obscuri sunt, qui illi adhærent?

XI. Sophista postulat, ut nominemus locum & personas, apud quas exstiterit nostra Ecclesia ante Lutherum & Calvinum. Respondeo primò. Simili modo poterat Jezabel tueri suum Baalismum adversùs Eliam jam monitam à Deo de septem millium Ecclesia in Israele. Is enim nec regni partem, nec personas poterat nominare, quæ non flecterent genua Baali. Pharisæi poterant eodem modo Christum & Johannem Baptistam premere: Vera Ecclesia Dei non potest deficere, aut errare in fide; Ergo à tempore Mosis ad nos usque semper mansit visibilis Ecclesia sine interruptione & errore. At non alia visibilis præter nostram Synagogam mansit sine ulla interruptione, & errore. Probatur, quia Pagana non est vera Ecclesia. Johannitica Ecclesia non semper fuit: Ecclesia Jesu Nazareni nova est, cœpit enim cum ipsius præconio. Qui enim illi adhærent, antea in nostro erant consortio. Sola Synagoga hucusque perseveravit. Si alia fuerit præter Synagogam, nominetur, quæ illa sit? Quo nomine appelletur? Quam Judææ partem occupaverit? Quos sacerdotes & Levitas habuerit? Qui Reges, & Principes illi adhæserint, & adhuc adhæreant?

Quas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quas Academias Scholasvé fundaverit, quæ collegia instituerit? Qui huic cavillo Pharisaico respondere vult solidè, & Sophistæ argutiolas explodat, & nostram sententiam amplectatur, oportet.

XII. Secundò. Nimis iniqui sunt hac in re Papistæ tribus potissimùm de causis. Primò enim jam antè solidè probavimus, Ecclesiam visibilem ad eas aliquando redigi angustias, ut nusquam appareat cœtus integer, illustris, omnibus publicè notus, qui Deum palàm purè colat. Non igitur mirum, si aliquo tempore monstrari non queat cœtus integer, ab omnibus separatus, vel nominari nequeant doctores magis quàm auditores. Deinde jubent nos præstare, quod non est admodum necessarium, ipsi contrà non præstant, quod est necessarium. Non est mihi scitu necessarium, ubi, apud quos, quo statu & quo rerum successu singulis annis à Christo glorificato hucusque fuerit vera Ecclesia, quique illi præfuerint pastores, quod totum illi volunt, nos sigillatim, perspicuè atque ad oculum demonstrare. Non igitur possimus monstrare. Quid tum? Esset defectus observationis historicæ; veritati nostræ Ecclesiæ minimè præjudicaret. Ut enim veritatis divinæ interest, veram Ecclesiam perpetuò conservari, ita ubi, apud quos, quorum ministerio, quo statu & successu, conservetur, id totum ad historicam observationem pertinet, quæ non est ad salutem nobis necessaria. Contrà necessarium est scitu, Ecclesiam, cujus nos profitemur membra, fuisse Apostolorum tempore. Id demonstrare, nobis sufficit: In illis enim Ecclesia vera Novi Testamenti habuit initium. Est autem illud de nostra Ecclesia demonstratum antehac sæpiùs, atque ampliùs demonstrare, sumus, bono cum Deo, parati. Papistæ de sua non possunt.

XIII. Tertiò. Declinant Scripturæ judicium & examen doctrinæ, spem omnem collocantes in humana historia. Ideo enim volunt, sibi monstrari, ubi fuerit nostra Ecclesia, quos habuerit pastores, quas res gesserit ante Lutherum, ut interim impunè propagent Hildebrandinam theologiam, & Romanus Pontifex dominatum aliquot seculorum usu confirmatum exerceat citra perturbationem. Si mox assurgeremus ad ipsos Apostolos, non opus esset multis ambagibus, non multo labore; à doctrinæ examine facilè pateret, nostrane, an Papistica Ecclesia fuerit illorum tempore. Atque hanc litem Scriptura decideret, in qua causæ nostræ proram ac puppim fidenter collocamus. Papistæ ad id nos vocant, quod totum ab humani ingenii lubricitate, id est, ab humana historia pendet, & quod investigatu est difficilimum. Quot enim commentarii evolvendi sunt, ut statum Religionis atque Ecclesiæ in orbe universo à Christo usque ad Lutherum & Calvinum accuratè cognoscas? Num descriptus est per omnia fideliter? Baronius, cujus in historia texenda diligentiam omnes Nationes meritò admirantur, ad Annum 395. num. 43. multis ejus temporis memoratis historiis, in hanc querimoniam se effundit, *Licet tot historicis hæc ætas abundaverit, tamen adhuc inops harum facultatum remansit, & in nonnullis obscura, quòd ex his aliis res nimiâ brevitate con-*

traxerint, alii intactas penitùs reliquerint, desideretur autem in aliis ordo, in aliis verò temporum exactior indagatio, periclitenturq; alii veritate ac pariter pietate affectuque privato ducti, pro arbitrio mendacia veris attexuerint. Porrò hos omnes audire & in medio sedere arbitrum & æqua lance cuncta probare, disquirere singula & judicare, prætermissaque indagare, abstrusa abditaque resodere, itemque cuncta in veritatis conflatorio examinare, atque purgare, aurumque è terra seligere, haud leve negocium tenuisque laboris est opus. Quod de ista ætate queritur Baronius, id de citerioribus non minùs verè dixeris.

XIV. Sed esto, descripta sint olim omnia mediocri fide. An nulla veteris Ecclesiæ monumenta perierunt? Periisse in Hierosolymitanorum Episcoporum negocio, nobilissimæ Ecclesiæ & præclarissimorum virorum monumenta, ad Annum centesimum decimum tertium, conqueritur Baronius. Idem haud dubiè dicendum de aliis pluribus. Cardinalis Perronius in libro contra Regem Angliæ intra quatuor Conciliorum generalium tempus totam disputationem continet, primis tribus seculis neglectis. Causam hanc reddit, quod illorum seculorum Auctores vel materiam non tractaverint, vel libri perierint, apud Molinæum. An non rectiùs de tempore pontificiæ tyrannidis id dicatur? Imò quis dubitet, eorum commentarios, qui Pontificibus Romanis displicebant, aliquando fuisse suppressos? Historici Gentiles in gratiam suorum Imperatorum, quæ de Christianis memoratu digna erant, ex composito prætermiserunt, apud Baronium ad Annum Christi 163. num. 10. nonnisi dolo malo in re perspicua ac nota omnes mentiti, ad Annum 176. num. 2. Idem Gentilium invidiæ atque odio Christiani nominis tribuit, quòd septennium imperii Philippi Imp. obscurum planè remanserit; Christianissimum enim erat amplexus, ad Annum 249. num. 3. Similiter à Gnatonibus Pontificum odio veræ religionis omissa multa, si quis suspicetur, fortassè à vero non aberraverit. Sed nec mihi quisquam persuaserit, historias omnes, quæ supersunt, ad nos perveniisse incorruptas. Multis exemplis constat, quàm fide libros veteres versent Papistæ. Ludovicus Vives ad Augustini lib. 22. de Civ. D. c. 8. queritur, multa esse illi addita ab iis, qui magnorum virorum scripta *omnia* impuris manibus contaminabant. Plurima animadverterunt Erasmus, Rhenanus, alii docti viri, in papatu viventes. Sedis Romanæ fidem seu Stellionatum Cappellus luculenter probavit. Jac. Kimedoncius lib. 2. de Script. Auctor. cap. 6. scribit; Quòd ipse viderit in quibusdam Bibliothecis Monachos, falsarias manus intulisse scriptoribus Ecclesiasticis, integras sententias & paginas totas oblitterando, imò integris ternionibus è libris excisis auctores castrando. Fr. Junius refert, quid viderit & ex operarum typographicarum correctore audiverit Lugduni de aliquot foliis inter excudendum suppositis à duobus Franciscanis. An tales non corruperint historicos? Hieronymus Zieglerus, qui Aventini historiam edidit, se loca quædam ex opere sustuliisse, fatetur in præfatione. Nicolaus Cisnerus, qui eandem postea in lucem emisit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

scribit, sublata spectâsse vitia & mores Pontificum & Ecclesiastici ordinis. Hæc ille si audebat tollere ex Aventino, quid non in aliis historicis sint ausi Monachi inducere? Quid? Nullus ferè ab Antiquitate ultima ad hæc usque tempora historiam attigit, cujus fidem Papistæ non sugillent. Unum Baronium mihi vide; Ullusne est sive antiquissimorum, sive mediorum, sive recentium hominum, cui dicam non scribat, quoties res Papistica id postulare videbatur? In dubium vocare non erubescit historias plurimorum Auctorum suffragio testatissimas, nominatim de Johanna Papissa, de Stephani sævitia in Formosi Antecessoris cadaver, de Sylvestri secundi artibus magicis, de Alexandro tertio Friderici Barbarossæ cervicem superbè calcante. Rebus & animis Papistarum ita comparatis, nimis iniquè à nobis exiguntur omnes circumstantiæ circa Ecclesiam nostram superiorum seculorum.

XV. Becanus dicit, *pressos suo argumento alios quidem fingere Ecclesiam quandam in cunis jacentem ac vagientem, quæ nec fari possit, nec fidem profiteri. Ecclesiam enim aliquot seculis tam fuisse corruptam, ut nulli in ea fuerint, verè fideles, nisi infantes baptizati, ubi sine dubio Romanam, seu Pontificiam Ecclesiam intelligant; alios aliud habere effugium. Nempe semper fuisse unum aut alterum cordatum virum, qui Papæ contradixerit, cujusmodi diversis temporibus fuerint Johannes Vviclef, Johannes Huss, Lutherus, Calvinus.* Num. 62. Ita est. Nostri Pontificiam Ecclesiam intelligunt, cùm aliquot seculis corruptam & vitiatam esse, dicunt. Non tamen solam intelligunt, quasi reliquæ omnes Ecclesiæ nullum prorsus errorem unquam admiserint. Cæterùm nota insignem Sophistæ fraudem. Primò callidè divellit responsa, & fingit, alios hoc, alios illud respondere: cùm in priori nemo subsistat. Fraudem hanc molitur, ut tanto speciosiùs exagitet suos adversarios. Deinde fingit, quod nemo unquam è nostris, quod ego quidem sciam, dixit scripsitvé; Nempe, *Ecclesiam aliquot seculis tam fuisse corruptam, ut nulli in ea fuerint verè fideles, nisi infantes baptizati. Tam desertam fuisse, ut duo tantum viri in ea reperti fuerint.* Quis è nostris hoc dixit? quis scripsit? quo libro? quâ paginâ? Nominent Jesuitæ, aut Becanus calumniæ damnas esto.

XVI. Cæterùm dixi jam antè, quòd nostri minimè teneantur monstrare, ubi Ecclesia vera postremis seculis ante Lutherum & Calvinum fuerit. Inde nec nos quidem ad id ullis Sophistarum clamoribus cogi, nec de eo cum quoquam prolixè contendere volumus. Quia tamen Sophista tam insolenter nostros traducit, age, de eo iterum, quòd nullâ necessitate teneamur, protestati, brevissimè declaremus, monstrari posse tum extra, tum sub Romano Papatu. Extra Papatum Romanum Ecclesiam suam Deus conservavit in Græcia, in Æthiopia, in Palæstina, in Moscovia, Russia aliisque regnis & provinciis, suprà memoratis, de quo videatur nobilissimi viri Johannis à Munster tractatus Cæsari Matthiæ, tribus Electoribus, aliisque Principibus Imperii inscriptus. De Cairo, Metropoli Ægypti, scribit Demetrius Thessalonicensis an. 1560. ad

ad Henricum Bullingerum, & Nicolaum Hemmingium, quòd religionem Evangelicam, quoad doctrinam & ceremonias ibi invenerit. Recèns per nostros introductam esse, nullo constat testimonio. Jam antè igitur ibi fuisse putanda. De Antipodibus F. Arnoldus Mermanius Aslostanus in theatro conversionis Gentium totius orbis (referente Munstero,) scribit, *Remanserant tamen isthìc & alibi quædam vetustæ & priscæ religionis à S. Thoma prædicatæ reliquiæ, sed futuræ frugis quædam semina.* Quod si verum, annon Deus ibidem aliquos conservaverit, qui sub errore communi gemuerint, & genua profanis diis non flexerint?

XVII. Sed & sub medio Papatu Romano, quamvis ille Christum atrociter impugnaverit, servatam esse divinitus Ecclesiam sanctorum, nos quidem planè existimamus, atque hîc nostri nominant, ipsos etiam infantes, quamvis non solos. Addunt enim gementes, addunt cõfitentes, imò palàm contradicentes addunt. Infantes nominant, non quòd illi solam Ecclesiam veram constituerint, sed quòd magna ejus pars fuerint. Cùm enim baptismus, Dei beneficio, quoad substãtiam manserit integer, dubium non est, quin Deus per eũ etiã in & sub Papatu sibi genuerit filios. Horum innumera multitudo in tenerrima ista ætate decessit. Nemo negabit. Id factum interpretamur, ne malitia mutaret intellectum ipsorum, & dolus deciperet animum ipsorum. Habemus igitur in illis vera Ecclesiæ veræ mẽbra; neque dubitamus, in his quoque impletum esse, quod David dicit psalmo octavo, *Ab ore infantium & lactentium fundatam disposuisti laudem, propter hostes tuos, ad compescendum inimicum & ultorem sui.* Neque obstat, quòd in specie dicere non possumus, qui nam infantes, qui non ad veram Ecclesiam pertinuerint. A nostra quippe ignoratione, ad rei negationem non valet consequentia.

XVIII. Hîc pleno ore clamat Jesuita, *Miserum perfugium & ipsis adversariis perniciosum.* Cur verò? *Nam*, inquit, *ipsi passim docent, duas esse notas Ecclesiæ, nempe sinceram prædicationem verbi, & legitimæ administrationem sacramentorum, ex quibus vera Christi Ecclesia dignosci debeat, & sine quibus consistere non possit. At hæ duæ notæ non conveniunt Ecclesiæ, in qua soli infantes baptizati sunt, quia soli infantes nec possunt sincerè prædicare Evangelium, nec legitimè administrare sacramenta. Ergo Ecclesia, in qua soli infantes sunt, non est vera Christi Ecclesia.* Num. 62. Jam patet, cur suprà dixerit, *nos fingere Ecclesiam in cunis vagientem, quæ nec fari possit, nec fidem profiteri.* Volebat nos proprio gladio jugulare. Atqui primò nos Ecclesiam in cunis vagientem nec fingimus, nec quidem agnoscimus, in qua soli sint infantes. Ita perit Jesuitæ, quicquid in nos hîc effundit. Non jugulat nos proprio gladio. Præterea cùm sinceram verbi prædicationem, & legitimam sacramentorum administrationem, notas veræ Ecclesiæ constituimus, loquimur de statu ejus puro & incorrupto, à quo ad impurum & corruptum arguere non licet, neque nos unquam docuimus, omnino nullam Deum habere Ecclesiam, ubi corruptum est verbi & sacramentorum ministerium. Imò contrarium docemus, exemplo Israëli-

clitice Ecclesiæ, tempore Eliæ, corruptissimæ, id jam pridem edocti. Etsi igitur infantes nec verbum prædicare, nec administrare possint Sacramenta, imò nec hæ ministerii partes in baptismo sint incorruptæ, infantes tamen sub medio Papatu veræ Ecclesiæ fuerunt membra, quæ sub hierarchiæ papalis dominatu, in publica ordinis Ecclesiastici corruptione, Christo adhærebat, quamvis præ palearum multitudine, instar tritici, non ubique esset omnibus æquè conspicua.

XIX. Inquis. Quid de *gementibus*? Ego prorsus nullus dubito, quin multi super idolomania Papali gemuerint, in Jesu Christo ejusque merito, verâ fide, unicè recumbentes. Nominare jubes. Hîc præmitto, non ideo non latere semen in agro, quòd monstrare nequeam, quâ potissimùm agri parte jaceat. Sic si nominare gementes sigillatim non possum, non ideo nulli fuerunt. Non ideo nulli gemebant super abominatione Hierosolymæ, quia omnibus hominibus non erant promiscuè cogniti. Signabantur enim à viro vestibus lineis induto, Ezech. 9, 4. Et quidem ejusmodi multos fuisse in Papatu, partim ex querelis, prædictionibus & votis, quorum fama ad nos pervenit, colligitur, partim ipsa reformationis insperata incrementa testantur luculenter. Josquinus Groningensis, referente Melanchthone, testabatur, se adolescentem interfuisse sermonibus Rodolphi Agricolæ, & D. Veseli, in quibus deplorârint Ecclesiæ tenebras & reprehenderint profanationem in Missis & cœlibatu, atque rejecerint Monachorum opinionem, hominem operibus justificari, in Catal. test. verit. col. 1911. Bernhardus Lublinensis anno Christi 1515. ad Simonem Cracovienſem Bibliopolam scribit, *Quâvis simplicitas fidei ab his tricis facilè nos absolvere possit, ut credamus, pia esse, quæ nobis illi, qui super cathedram Mosis sedent, præcipiunt, attamen ratio hominis cohiberi non potest, quin semper veritatem exquirat, ad eamque intellectus, tanquam ad objectum proprium, elevetur, qui discursus si peccatos nos obnoxios facere debeat, quàm in arcto miseri Christiani positi sumus, quibus etiam compertæ veritati per decreta hominum assentiri non liceat? Si dicit quispiam zelo religionis, malè Romanos Pontifices cum suis Ecclesiæ providere, excipiunt continuò assentatores, quid, ô miser, ponis os in cœlum? audesné contra Papam quicquam hiscere, qui est sanctissimus & Deus terrenus? Ac si illi sanctissimi non sanctum os, sed manus & pedes ponant in cœlum, si homines jugulantes arbitrentur, obsequium se præstare Deo, non modò non obloquuntur, sed impia eorum facta passim laudant, magnificant, deferentes honorem summo Pontifici: & nisi revoces, ignem experieris. Ego verò in his malis, quæ nos circumstant, unum refugium habeo, ut potissimùm Christo credam, & in eo totam spem reponam, vitus autem & inventa hominum tantisper tolerem, dum in honorem Dei cedant, sint tamen Dei præceptis & Evangelio longè inferiora, & sine quibus salus hominum constare poterit.* Hos gemitus, has querelas non duobus ac tribus, sed multis fuisse communes, nõ dubium, etsi injuriâ non solùm vetustatis, sed & eorum veritatis partim ignorentur, partim adhuc in bibliothecis latitent nomina.

XX. Sed

XX. Sed & erant in Papatu, idque non longè ante Lutheri tempora, qui reformationem Religionis prædicerent. Hîc nomino Paulum Scriptoris Tubingensem, ex quo Conradus Pellicanus & alii discipuli sæpiùs audiverunt. Vixit anno 1499. Nomino Ludolphum Castrick, in suburbio Magdeburgi pastorem, & Andream Prolem, Augustinianorum Provincialem, ex quo vox ista sæpiùs à fatribus audita est, *O fratres, res Christiana opus habet forti & magna reformatione, quam quidem jam prope instare, video.* Nomino denique, ut alios multos præteream, Tilemannum Spangenbergium circa annum 1499. mortuum, qui liberis & vicinis suis crebrò dixerat, brevi eam religionem, quæ tum vigebat, in summum venturam contemptum, tum eos visuros sacerdotes & monachos, ob malitiam, avaritiam, odia & fœditates ejectos ex templis & monasteriis discurrere, & aliam veram religionem instaurandam. Vide Catalogum testium veritatis, col. 1911. 1923. 1931. 1938. Quis, in votis id unicè habuisse, dubitet? Certè Johannes Keisersbergius Argentinensis concionator dicitur sæpe questus, corruptam esse religionem, prædixit etiam venturum quendam divinitus excitatum, qui eam instauret: imò optavit videre diem illam, & esse ejus discipulus. Vide Catal. test. ver. col. 1921. 1922. Quid multis? Quàm multi sub jugo Papistico gemuerint, ipsa reformationis insperata incrementa luculenter testantur. Num enim putabimus, tanto numero in omnibus regnis & provinciis nomen fuisse tam subitò daturos Evangelio, nisi fuissent qui super abominatione idololatriæ Papisticæ ingemuissent antè, & exspectâssent redemptionem?

XXI. Multi, agnitâ operum insufficientiâ, errores fundamentales, quibus circa peccatoris justificationem fuerant circumventi in Papatu, abjecerunt in agone mortis, ac fiduciâ in solius Christi merito collocatâ, simplicem veritatem sunt confessi. Non dico, quòd omnes errores abjecerint, sed quòd veritatem de gratuita peccatorum remissione propter solius Christi meritum sint amplexi, quo stante articulo, stat Ecclesia, & certa est salus. Exempla si petas, unum afferam, quod sit instar multorum, non enim vulgare. Ernesto Archiepiscopo Magdeburgensi in salinis morienti, Franciscanus quidam, adstante D. Clemente Schau, Archiepiscopi Capellano, pòst Ecclesiæ Islebiensis Diacono, dicit, *Esto bono animo, inclyte princeps; Nos omnia non tantùm nostra, sed & totius Minoritarum ordinis bona opera tua Celsitudini communicabimus. Non est dubium, quin illis acceptis, coram Dei consistas tribunali justus & beatus.* Contrà Archiepiscopus mox efflaturus animam, Nein/inquit, Ich trawen/Ich begehre ewer Wercke nirgend zu/Meines Herren Christi Wercke müssens allein thun/darauff verlaß ich mich. Cùm eandem fidem nobiscum inter mortis dolores, confessus sit tantus Ecclesiæ præsul, Germaniæ primus, quid nobis de simplicibus Christianis non polliceamur? An nullos habuerit ὁμοψήφους in sua diœcesi? Et in illa & alibi plurimos habuisse, non dubitamus.

XXII. Quæris, *quo medio isti homines*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad veritatem pervenerint, ubique corrupto publico ministerio? Respondeo. Primò, semper Dei gratiâ conservatus est Biblicus codex: in eo religio nostra universa continetur. Etsi verò ille fidelium manibus, ne fraus illis suboleret, paulatim excussus est, Papæ tyrannide, textus tamen aliqui (inter quos passionis historia) populo solebant prælegi & explicari. Quoties autem textus Biblicus est prælectus, toties Ecclesiæ nostræ confessio palàm sonuit in medio Papatu. Quædam doctrinæ capita incorruptè fuerunt inde explicata, nominatim de Trinitate, persona Christi &c. In plerisque accessit, fateor, corruptela, eaque multiplex ac horribilis, quâ perturbatæ sunt hominum mentes & abstractæ à veritate. Quia verò textus Biblicus mansit, & verbum Dei ad ipsum sine fructu non revertitur, dubitare non debemus, quin aliqui veram fidē inde conceperint. Impura erant interpretis labia; at auditorum aures poterant esse puriores, & à voce magistri humanas corruptelas secernere. Cur id non factum esset in Papatu, cùm constet, sub Pharisaismo esse factum? Scribæ & Pharisæi in publico docendi munere constituti textum Mosis & Prophetarum populo integrum prælegebant, sed suis traditionibus depravabant sensum. Num hîc nulli verè credentes, quia Scribæ & Pharisæi errores publicè tuebantur? Imò erant, quamvis fortè pauciores. Isti audiebant & faciebant, quæ docebant Scribæ & Pharisæi, sedentes in cathedra Mosis, nempe legendo textum Scripturæ. At corruptelas non faciebant suas: Quæ non sunt incompatibilia. Utrumque enim Christus conjungit, dum præcipit, ut audiant sedentes in cathedra Mosis, Matth. 23,1.2.3. & sibi caveant à fermento Pharisæorum, Matth. 16,6.12.

XXIII. Secundò. In Papatu, etiam calamitosissimis temporibus, atq; flagrante summo Bestiæ furore, remanserunt Decalogi verba, excepto secundo præcepto, integra, itemque Symbolum Apostolicum, Oratio dominica, verba Baptismi. Ex his potuerunt simplices voluntatem Dei mediocriter intelligere. Neque divina de doctrinæ cœlestis efficacia promissio dubitare nos sinit, fuisse, etiam sub densissimis tenebris, populum piorum ac verè fidelium, qui illis doctrinæ Christianæ capitibus primariis acquiescerent, & in his se suosque exercerent. Fridericus Myconius, qui Anno 1524. Evangelium docere cœpit, hoc nomine patrem suum commendat in libello, cui somnii titulum imposuit, inquiens: *Instituerat me pater adhuc puerum & infantem Decalogi verba, Orationem Dominicam & Symbolum, & cogebat me frequenter orare. A solo enim Deo esse nobis gratis omnia, & illum nos gubernaturum, si diligenter orarem, persuadebat. Item sanguinem Christi esse precium pro peccatis mundi, & cuilibet Christiano esse necessariam hanc fidem. Quòd si tantùm tres homines debeant salvari, per sanguinem Christi, tamen se certissimè statuere debere, se esse unum ex illis tribus: & contumeliam esse in sanguinem Christi, de hac re dubitare,* &c. Num dices, illum solum hac imbutum fuisse fide, solum his incubuisse exercitiis? Non fuisse ullos alios, qui istam doctrinam traderent? qui tenerent?

XXIV. Denique insignes peculiarum for-

formulæ ex Bernhardo, Anshelmo & aliis collectæ moribundis non uno loco in Papatu, longè ante Lutheri & Calvini tempora, prælegebātur, inter quas inprimis sunt aureæ quæstiones Anshelmi, quippe quæ totius Christianismi nucleū continent. Sic autem illæ; *Frater, lætaris quòd in fide morieris, & respondeat.* Etiam. *Fateris, te non tam benè vixisse, sicut debuisses?* Fateor. *Pœnitet te?* Etiam. *Habes voluntatem emendandi te, si spacium vivendi haberes?* Etiam. *Credis, quòd propter te mortuus est Dominus Jesus Christus filius Dei?* Etiam. *Credis, non posse salvari, nisi per mortem ejus?* Etiam. *Agis ei de hoc ex corde gratias?* Etiam. *Age ergo, dum in te est anima tua, ei semper gratias, & in HAC SOLA MORTE fiduciam tuam constitue, huic morti te totum committe, hac morte te totum contege, eique te totum involve. Et si Dominus te voluerit judicare, dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & judicium tuum. Aliter tecum non contendo; Si dixerit, quòd merueris damnationem, dic, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & mala merita mea, ipsiusque dignissimæ passionis meritum affero, pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo; dicat iterum: Mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter me & iram tuam. Deinde dicat ter; In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; Et conveniens sui adstantes respondeant, In manus tuas, Domine, commendamus spiritum eius. Et securus morietur, nec videbit mortem in æternum.* Hæc est Ecclesiæ nostræ fides, hæc confessio, quam quotquot ediderunt morituri, tot ejurārunt fidem scholæ Papisticæ, & amplexi sunt nostram. Jesuitæ igitur dicant, neminem juxta istam formulam in Papatu respondisse, aut agnoscant, non defuisse, qui sub medio Papatu nostram fidem confiterētur. Certè in usu Ecclesiæ fuisse & anno 1475. in linguâ Germanicā trāslatas, dicit Caspar Ulenbergius in causis suæ Apostasiæ. Jā addo: Sacerdotes, q has quæstiones morituris proponebant, aut improbabant responsiones, aut approbabant. Si improbabant, cur proponebant hypocritæ? Si approbabant, habemus in illis fidei nostræ confessores & membra Ecclesiæ nostræ. Non enim dubium, si sinceri, quin eandem doctrinam proposuerint Ecclesiæ, quam morientibus.

XXV. Præter omnes illos fuerunt, qui publicâ veritatis professione & contradictione inclaruérunt. Excitavit enim Deus omnibus seculis viros egregios, qui Papæ tyrannidi contradicerent, ejusque corruptelas palàm reprehenderent, de quibus videri debet Catalogus testium veritatis. Imò Deus aliquot Imperatores & Reges Orientis & Occidentis spiritu fortitudinis induit, ut se opponerent nimiùm sævienti tyrannidi. Becanus primò urget, dicamus: *quis fuerit ille unus vel duo cordati viri, qui ante Wiclephum per singula secula Papæ contradixerint? si nesciamus, quare temerè affirmemus? Si sciamus, edicamus eorum nomina, locum habitationis & cæteras circumstantias.* Num. 65. Secundò excipit, *Ecclesiam Christi non esse deterioris conditionis, quàm fuerit Synagoga Judæorum. At Synagogam nunquam fuisse tam desertam, ut duo tantùm viri in ea reperirentur. Imò tempore Eliæ, cùm putabatur desertissima, septem millia virorum in ea reperta*

Universidad de Deusto
Biblioteca

certa fuisse, Roman. 9.4. *Cur igitur fingamus, Ecclesiam Christi fuisse aliquando tam desertam, ut duo tantùm viri in ea reperti fuerint? Quod manifestè repugnet Scripturæ, quæ apud Iesaiam testatur, Ecclesiam Christi multo fœcundiorem & ampliorem fore, quàm fuerit Synagoga*, Isa. 54,1. Tertiò. *Donatistas plus tribuisse Ecclesiæ, quàm nostri faciant. Nam tametsi dicerent, Ecclesiam orbe toto periisse, & in sola Africa remansisse non tamen ausos esse asserere, q̃ nostri audeant, remãsisse aliquãdo in duobus tantùm viris, q̃ Papæ contradixerint. Si ergo illi, qui melius sentiebãt de Ecclesia, q̃ nostri sentiãt, nihilominùs ab Augustino & aliis Patribus damnati sunt, tanquam hæretici, quid de his fieri oportere existimandum sit?* Num. 63.

XXVI. Nondum nos tam arctè constringit, quin evadamus. Patebit à responsione. Ad *primum*. ℟. Primò. Sophista videtur pedem referre. Dicere cœperat de tempore Lutheri & Calvini. Venit ei postea in mentem Hussus, venit Wiclefus, quos non solos Papæ contradixisse noverat. Habuerant cœtus eosque non exiguos, sed magnos sibi addictos. Inde poterat convinci, Ecclesiam nostram fuisse diu ante Lutherum. Et sanè hinc convincimus. Wiclefus enim seculo decimo quarto in Anglia docuit. Secundò. Unum vel duos viros facilè damus, qui post annũ sexcentesimũ, ante Wiclefum, singulis seculis Papæ cõtradixerint. Imò non duos tantùm, sed plures nostri jam pridem dederunt. Septimo seculo contradixerunt Aquileienses, ob trium capitulorum dissensionem; Agrestinus Monachus, qui Bojos sacras literas docuit, Apellinus Genuensis Episcopus Agrestini fautor, Warnacharius, apud Baronium ad Ann. 617. num. 6. & 12. Agrestinus se opponebat traditionibus humanis à Columbano in Galliam invectis. Non illi soli se opposuerunt. Nam *sub Lothario conventus sacerdotum coacti sunt, adversùs Columbani & Galli ceremonias, quibus populum Christi sanguine redemptum liberatumque in servitutem redigere atque onerare, contra maiorum instituta, conarentur*, inquit Aventinus lib. 3. Ann. Octavo seculo potestati Papæ contradixit Felix Archiepiscopus Ravennas unà cum Ecclesia sua; Adelbertus Gallus, Clemens Scotus, cum Sidonio Bojorum maximo Pontifice, Vergilio, docto Episcopo, & alii contradixerunt Bonifacio Legato Pontificio. Quòd Adelbertus & Clemens multitudinem hominum ingentem sibi adjunxerint, testis Naucle-rus, Generat. 26. Quibus non obstat hæreseos improperium. Veritas Papistis appellatur hæresis. Patet exemplo Vergilii. Is damnatur à Zacharia Pontifice non auditus, quòd statueret, esse Antipodes. Ragimbaldus & alii Longobardorum Episcopi contra Adriani decretum permiserunt clericis conjugium. De cultu imaginum contradixit Claudius Taurinensis, & Francofordiæ contra Adriani Pontificis sententiam decernunt, *imaginum cultum & adorationem esse impiam, & Synodum secundam Nicænam* damnant Episcopi, Sacerdotes, Abbates, Monachi Germani, Itali, Galli, præsente Carolo Magno, Anno Chr. 794. Nono seculo Nicolao primo contradixit Huldericus Episcopus Augustanus de cœlibatu Sacerdotum; itemque Bulgari per suos Episcopos Guntherum & Theodogurum in eadem causa: Contradixit Synodus Parisiensis de cultu imaginum, Ann. 829. Decimo. Arnulphus Aurelianensis Episcopus Potestati Pontificis masculè contradicit in Synodo Rhemensi. Opponunt se Germani & Angli in quæstione cœlibatus. Undecimo itidem multi Germani in eadem causa contradicebant Hildebrando, & quidem, teste Mutio, quo quisque vir melior, hoc pluribus repugnabat. In Gallia Laudunenses, in Italia Mediolanenses clerici, & Episcopi Longobardi, eo nomine, ab Hildebrando excommunicati, inter quos præcipuus fuit Guibertus, Ravennas Archiepiscopus, apud Baronium. Episcoporum Gallorum, Germanorum nomina describit Aventinus, qui Hildebrandum, seu Gregorium VII damnârunt. An illi non contradixerunt Papæ? Non progredior longiùs unum & alterum nominando. Plura qui vult, videat Centurias Magdeburgenses, Balæum, Catalogum Testium veritatis, Mornæum, Wolfium. Ab iis plura nomina expressa sunt jampridem.

XXVII. Ad *secundum*. ℟. Primò. Ita est; Ecclesia Novi Testamenti non est deterioris conditionis, quàm Synagoga. Quis verò dicit è nostris, tam desertam aliquãdo fuisse Ecclesiam Christi, ut duo tantùm viri in ea sint reperti? Jesuitæ, excussistis omniũ nostrorũ libros, nõinate inter omnes vel unũ, qui dixerit, aut calumniã agnoscite. Inter Papistas viri celebres, Johañes de Turrecrẽata & Alexãder Alensis dixerunt, in una muliere, nempe Maria, aliquando constitisse Ecclesiam Christi; nos non dicimus; sed credimus, semper sibi servâsse gregem, q̃ gemuerit super idololatria. Secundò. Apostolus dicit, septem millia hominum reperta fuisse, Eliæ tempore; non dicit, reperta fuisse ab hominibus; sed à Deo. Elia ne unum quidem reperiebat. Num è nostris ullus unquã dixit, unum aut duos tantùm à Deo repertos fuisse, quibus Ecclesia constaret? Sicut autem absurdus foret, qui contenderet, Israëliticam Ecclesiam in uno Elia fuisse, cùm septem millia fidelium nominatim recenseri non possent, sic nimis inepti sunt Sophistæ, cùm clamant, si duo tantùm nominari possint, qui contradixerunt Papæ, duos tantùm viros in vera Ecclesia fuisse. Jam non dicam, multo plures haud dubiè nominari posse, nisi eorum memoriam exstinxisset tyrannis eorum, q̃ oppresserunt veritatẽ.

XXVIII. Ad *Tertium*. Vide; quàm placet homini figmentum de duobus viris! Non aliud pulchriùs servire videbatur instituto. Persuadere decreverat Christianis, nos deteriores esse Donatistis, magis damnandos, minùs ferendos. Opus erat specioso fundamento. Verum non suppetebat. Mendacium igitur præstruendum. Quale fundamentum, talis superstructio. Mendacium est, mendacium est, idq; apertissimũ, quòd nostri dicant. *Ecclesiã aliquando remansisse in duobus tantùm viris, qui Papæ contradixerint*. Hinc existiment boni, quàm verè declaremur deteriores Donatistis hoc argumento.

XXIX. Obtemperavi Becano. Ex septimo, octavo, nono, decimo, undecimo, nominavi aliquos, qui Papæ contradixerunt. Duos tantùm petebat. Plures nomi-

navi. Seculo duodecimo, decimotertio, decimoquarto, quintodecimo non unum, non duos viros, sed integros cœtus nominamus, qui Papæ contradixerunt. In montibus & vallibus Allobrogum, Provinciæ, Narbonensis Galliæ, Aquitaniæ considebant Albienses, à Petro Waldo, Lugdunensi quondam cive prædivite, *Waldenses* dicti. Non quòd ille primus doctrinam, quam secuti sunt, protulerit, sed quòd ingenio, eruditione, zelo inter omnes emineret, & ducem se præberet multis, in impugnanda Idolōania Papistica, postquàm anno Chr. 1160. Lugduni cœpisset Evangelium prædicare, unde ejus sectatores Pauperes de Lugduno dicti sunt. Socios & discipulos habuit Arnoldum, Speronum, Josephum, unde *Arnoldistæ, Speronistæ, Iusepini*, per contemptum, nominabantur. Quod neminem movere debet. Non novum est, pusillum gregem à malignantium multitudine ignominiosè traduci, variis affictis nominibus, quæ ille non agnoscit. Causæ bonitas est tutum præsidium contra cavillationes. Illam demonstrabant magno zelo, nec sine successu. Disputabant publicè de religione, nō tantùm in suis cœtibus docebant, sed & in plateis habebant stationes, atque in primariis civitatibus admittebantur à Papisticis sacerdotibus, non quòd eorum sententiæ ipsis probarentur, sed quòd Waldensibus ingenio pares non essent. Sunt verba Jacobi de Riberia. Venerunt Regiomonti in colloquium, de religione, cum Papistis. Ex illorum parte erant Ponticus Jordanus, Arnoldus Aurisanus, Arnoldus Ottho, Philibertus Caslienus & Benedictus Thermensis: ex altera, Petrus de Castronam, Monachus Cisterciensis & Legatus Pontificius, Didacus Episcopus Erenensis, & Dominicus ejusdem Ecclesiæ Canonicus. Alexander tertius & Lucius tertius eos condemnant. Persistunt tamen in Evangelii confessione. In Gallia in tanto honore fuisse, auctor est prædictus Jacobus de Riberia, ut ab omnibus oneribus haberent immunitatem, & siquis illorum viæ comes esset, ab hoste non læderetur. Pòst pressi gravi persecutione. Non oppressi. Sub Innocentio III. uno prælio cæsa centum millia: Non tamen omnes exstincti. Deus bene vertit. Tuebantur religionem suam inprimis in montibus ab Alpibus usq; ad Pyrenæos. Sed et plurimis locis Ecclesiæ illi⁹ doctrinæ propagata est per Belgium, Angliam, Italiam, Siciliam, Germaniam, nominatim Alsatiam, tractum Rhenanum, Saxoniam, urbes Vandalicas, Silesiam, Moraviam, Livoniam, Poloniam, Bohemiam, unde in Lombardiam ad suos præceptores velut ad Scholam, seu Academiam proficiscebantur. Testis Rainerius, quòd in omnibus civitatibus Lombardiæ & aliis regnis & terris plures auditores & in una parochia Cammach decem Scholas habuerint. Matthæus Paris scribit, pervasisse eos in Bulgariam, Croatiam & Dalmatiam usque, & ibi radices ita egisse, ut multos Episcopos ad se traherent. Id factum sub Honorio III. Papa. Idem sub Gregorio Nono magnam multitudinē, in quadam Germaniæ parte ad internecionem deletam esse, narrat. In Hispania quoque eodem tempore dicuntur prædicâsse, apud Mornæum, quem vide.

Non

Non potuerunt exstirpari, manserunt diversis locis. In Angliâ præconio Wiclefi valde crevit numerus, adeò ut sub initium seculi decimi quarti centies mille fuerint, qui doctrinam publicè profiterentur, si Walsinghamo fides, apud Mornæum. Thuanus magnus ille Historicus, libro sexto Historiæ, disertè scribit, postquàm Lutheri doctrina tam multorum favore suscepta fuerit, reliquias illorum UBIQUE sparsas colligi cœpisse, & crescente Lutheri nomine, vires & auctoritatem sumere cœpisse.

XXX. Jesuita dicet, *illos hæreticos fuisse*. Fuerunt sanè, Papæ judicio. Non ideo verè fuerunt. Papa Leones, Constantinos, Fridericos, Otthones, Henricos, Ludovicos hæreticos, & hæreticorum fautores nominavit, quòd ipsius tyrannidi & erroribus repugnarent. Non ideo erant. Papistæ, fateor, Waldensibus Arii & Manichæorum scabiem voluerunt affricare. Baronius agnoscit falsam Arianismi criminationem, ipse falsus in impingendo Manichæismo. Convincitur ab eorum acerrimo hoste & inquisitore, Rainerio, cujus testimonium dignum est, quod hîc legatur. Sic ergo in libro circa annum millesimum ducentesimum quinquagesimum illis opposito; *Sectæ hæreticorum ab olim fuerunt multæ, inter quas omnes sectas, quæ sunt, vel fuerunt, non est pernitiosior, quàm Pauperum de Lugduno, tribus de causis. Prima est, quia diuturnior. Quidam dicunt, quòd duraverit à tempore Sylvestri. Alii dicunt, quòd à tempore Apostolorum. Secunda est, quia generalior. Ferè enim nulla terra est, in qua hæc secta non serpat. Tertia, quòd omnes aliæ cum immanitate blasphemiarum in Deum horrorem inducant, hæc Leonistarum magnam habeat speciem pietatis, eò quòd coram hominibus iustè vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur.* Nota vocem hostis. Testis est antiquitatis, amplitudinis & integritatis. Num Ariani, num Manichæi bene omnia de Deo credunt? Num bene credunt omnes articulos, qui in Symbolo continentur?

XXXI. Eant nunc Jesuitæ & clamitent, Ecclesiam nostram esse novam, cœpisse cum Luthero & Calvino. Clamitent, ante Lutherum, aut certò ante Wiclefum ne quidem unum, vel duos viros posse nominari, qui Papæ contradixerint. Si dicas, *Evangelicos non idem sentire cum Waldēsibus*, frustrà eris. Tolle calumnias, separa nugas, quas, ad invidiam conflandam, eis impingi, testis est Jacobus Sadoletus, Cardinalis, apud Thuanum, à genuinis dogmatibus, & constabit, nostras Ecclesias in fundamento cum illis sentire. Thuanus hæc dogmata recensет; *Ecclesiam Romanam, quia veræ fidei renunciaverit, Babylonicam meretricem esse, proinde minimè parendum Pontifici & Episcopis, qui ejus errores fovent. Monasticam vitam Ecclesiæ sentinam & plutonium esse, vana illius vota, nec nisi tædis puerorum amorabus servientia, presbyterii ordines magnæ Bestiæ, quæ in Apocalypsi memoratur, notas esse, ignem purgatorium, sōlenne (missæ) sacrum, templorum encænia, cultum sanctorum ac pro mortuis propitiatorium, Satanæ commēta esse. His præcipuis & certis eorum doctrinæ capitibus alia afficta de conjugio, de resurrectione, animæ statu post mortem, & de cibis.* De quibus Nicolaus Alenius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nius ex Arelatensi Nobilitate vir, Thuani judicio, probus & eruditus, Cassanæo Regio Præsidi, dicit, *Scis ipse, quàm multa illis calumniosè affingãtur.* Hoc probè notetur contra Papistarum calumnias.

XXXII. Rege Francisco, cùm devoti essent exitio, in communi omnium periculo communem religionis confessionem conscribunt, cum Lutheri doctrina ferè consentientem, & inde ad Franciscũ, qui eam Castellano examinandam tradidit, inde ad Jacobum Sadoletum Cardinalem, Carpentoracti Episcopum, mittunt, qui perbenignè supplices accipit, & quæ, *ultra ea capita libro comprehensa*, de ipsis spargantur, *ad invidiam conficta & meras nugas esse*, ingenuè declarat. Id enim, quæstionibus super ea re habitis sibi *certo* cõstare. Verba sunt Thuani. Dogmata autem hæc sunt, quæ à majoribus suis se accepisse, profitentur, 1. *Solis sacris literis credendum esse in iis, quæ ad salutem pertinent, & nulli præterea homini aut scripto*, firmiter sentiunt. 2. *Sacras literas integrè continere omnia, quæ ad salutem sunt necessaria, eoque nihil penitùs recipiendum, aut admittendum in religione esse, nisi id solum, quod nobis Deus in sacris literis præcepit*, indubitanter credunt. 3. *Unum esse Mediatorem, nec esse invocãdos sanctos, ulla ratione*, statuunt. 4. *Purgatorium nullum esse, sed omnes homines vel per Christum justificatos in vitam æternam, vel non credentes in æternum exitium abire: tertium, aut quartum locum supereſſe nullum*, ajunt. 5. *Tantùm duo sacramenta, Baptismum & Communionem* recipiunt & probant. 6. *Omnes missas & præcipuè eas, quæ pro mortuis canuntur, impias, eoque abolendas penitùs esse*, affirmant. 7. *Omnes traditiones humanas rejiciendas, vel certè pro necessariis ad salutem nequaquam habendas esse: eoque tollendum esse cantum ac recitationem officii, jejunia ad certos dies alligata, superflua festa, discrimen ciborum, tam varios gradus ac ordines sacerdotum, monachorum & monacharum, varias benedictiones, seu consecrationes creaturarum, vota, peregrinationes, & aliam omnem turbam rituum ac ceremoniarum ab hominibus inventarum, seu excogitatarum antiquãdam esse.* 8. *Primatum Papæ super omnes Ecclesias, in primis potestatem eius supra omnes Politias, seu utrumque eius gladium*, penitùs pernegant, nec censent, *alios gradus sacerdotales in Ecclesia retinendos esse, præter sacerdotum, diaconorum & Episcoporum.* 9. *Communionem sub utraque specie & piam esse & necessariam, utpote à Christo ordinatam & præceptam*, asserunt. 10. *Romanam Ecclesiam esse Babylonem, de qua in Apocalypsi, Papam esse omnium errorum fontem & verum Antichristum*, contendunt. 11. *Indulgentias* quoque rejiciunt. 12. *Coniugium sacerdotum pium & necessarium in Ecclesia esse*, docent. 13. *Verbum Dei audientes ac rectè sentientes, Ecclesiam eius esse eique Ecclesiæ claves à Christo datas, eoque eam posse ac debere lupos fugare & veros bonosque Christi pastores vocare, & eorum vocem audire, ac ab illis sacramenta percipere.* Vide Catal. Testium veritatis col. 1500. 1501. Inspiciatur quoque Confessio Bohemica, quam ejusdem doctrinæ Sectatores, à loco, unde venerant, Piccardi, & à sede Thaboritæ dicti, Regibus suis sæpius obtulerunt. Habemus Ecclesiam ante Lutheri tempora celebrem, quæ Papæ contradixit palàm, & cum qua in rebus ad salutem scitu necessariis consentimus.

Sectio X.

Probatur, quòd Ecclesia Pontificia, non sit vera Christi Ecclesia, cuius proprietates Becanus explicavit.

I. Audivimus, quàm egregiè probaverit Jesuita, Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, cujus proprietates ipse suprà explicabat. Nos non esse, statuimus. Ille argumenta nostra suppressit. Nos igitur proponemus in medium, & quidem primò ab hypothesibus ipsorum petita. Primò dicunt, Ecclesiam unam dici, propter consensum eorum, qui in Ecclesia sunt. Hinc arguo. In vera Ecclesia est consensus eorum, qui in ea sunt. Sic Papistæ. At in Romana Ecclesia non est consensus eorum, qui in ea sunt. Ergo. Minor sæpe est demonstrata à nostris. Hîc paucissima exempla referam & quidem primò Pontificum, deinde Pontificiorum. Pontifices dissenserunt. Nicolaus I. tradit, baptismum à Judæo in nomine Christi, sine expressa mẽtione trium personarum, administratum, esse ratum, C. *Aquodam.* Distinct. 4. De *consecr.* Contrarium statuit Zacharias C. *In Synodo.* Distinct. eadem. Alexander III. C. *licet.* dicit, quosdam suos prędecessores judicâsse, matrimonium per verba de præsenti contractum, non tamen consummatum posse dirimi per aliud matrimonium, se tamen contrarium sentire. Gregorius III. definit, *marito, cui uxor infirmitate correpta debitum reddere non potest, licere aliam uxorem superinducere.* C. *Quod proposuisti.* C. 32. quæst. 7. Contrà Pius IV. approbat Concilii Tridentini sententiam Sess. 24. Can. 2. in hæc verba pronunciatam, *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullà lege esse prohibitum, anathema sit.* Adrianus Tertius *statuit, ut Imperator nullo modo se intromitteret, de summi Pontificis electione: sed apparet, quòd hæc constitutio parùm obtinuit. Imò Leo Octavus contrarium statuit postea*, inquit Fasciculus temporum. Constitutio Leonis exstat C. *In Synodo.* Distinct. 63. Nicolaus III. determinavit judicialiter, *Christum & Apostolos nihil habuisse in communi, nec in proprio*, inquit Almani de Auctor. Eccl. c. 10. citante Chamiero. Johannes XXIII. edictum proposuit, quo eos declaravit *pertinaces & hæreticos*, qui affirmarent, *Christum, eiusque discipulos nihil privati, vel proprii habuisse.* Platina refert. Formosus Anno 891. Papatum suscepit contra juramentum Johanni IX. præstitum, à quo Martinus II. Johannis successor eum absolverat. Illo mortuo, quærebatur, *an absolvi potuerit à iuramento per Pontificem?* Stephanus VII. Successor in Concilio decernit, non potuisse, eumque damnat. Romanus Successor Stephani, decernit potuisse, itemque Johannes X. cum Concilio Ravennæ habito. Sergius III. Stephani sententiam confirmat, & in ejus rei testimonium Formosi cadaver per carnificem refossum in aquam projici curat. Magna dissensio. Denique ut alia omittam, Marcellus II. qui inter pessimos Pon-

Pontifices non fuit, post longum in prandio silentium, recordatus aliquando verborum Adriani IV. *Romano Pontifice nemo est miserabilior, conditione eius nulla miserior*; manu mensam percutiens dixit; *Non video, quomodo, qui locum hunc altissimum tenent, salvari possint.* Onuphrius Panvinius memorat in ipsius vita. Vox notatu digna. Cæteri pontifices aut idem senserunt, aut diversum. Si idem, quis pontificiæ Ecclesiæ se adjungat, cujus caput quomodo salvari possit, ipsum caput non videt? Quis sibi persuaderi patiatur deinceps, neminem extra pontificiam Ecclesiam servari posse, cùm pontifex non videat, quomodo caput, à quo Ecclesiæ salus dependet, possit salvari. Si diversum, jam dissensio est aperta & quidem in re maximi momenti. Huc pertinent triginta schismata inter pontifices exorta, quæ memorat Onuphrius, è quibus vigesimum nonum duravit annos quinquaginta.

II. *Pontificii* dissentiunt, primò de fidei principio, Scriptura Sacra. Nam 1. Libros controversos, Tobiam, Judith, Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum, adjectiones ad Esther & ad Danielem, esse canonicos, contendunt Bellarminus & Jesuitæ moderni; at multi papistæ eos apocryphos esse, censuerunt, apud Bellarminum lib. 1. de verbo Dei cap. 10. & seqq. 2. Vulgatam latinam versionem authenticam esse, clamat Becanus cum suis; Contrà, *ridiculum est hoc quorundam responsum, vulgatam latinam authenticam esse, nec esse ex Græcis & Hebræis corrigendam*, inquit Franciscus Lucas in præfat. in Annot. Bibl. 3. *Aliqui contendunt, Scripturas esse difficiliores, quàm ut debeant Laicorum manibus conteri: sed aliter visum est Patribus veteris & novi Testamenti*, inquit Episcopus Espensæus Com. in Tit. c. 2. & 2. Timoth. 3. Secundò de *subjecto* fidei. Omnes homines in peccato originali esse conceptos, etiam Beatam Virginem, nobiscum docent Dominicani; de Beata Virgine Maria negant Franciscani. Magnum bellum, quod inter amplissimas familias geritur. Nam Sabellicus, qui circa annum 1494. floruit, jam suo tempore quater mille centum & quadraginta tria Dominicanorum, at Franciscanorum sexies mille fuisse, testatur, collegia. Tertiò. In *objecto* fidei. Imputativam Christi justitiam præfractè negant hodie Papistæ plerique. At *Catholici aliqui tenebant, nullum esse alium justitiæ conservandæ modum, quàm si justitia Christi nobis imputetur*, inquit Stapletonus lib. 7. de justificatione cap. 9.

III. D. David Pareus in Irenico ducenta triginta novem dissidia enumerat in his capitibus, 1. De Scriptura. 2. De Deo. 3. De Angelis. 4. De Gratia primi hominis. 5. De Amissione gratiæ, & statu peccati. 6. De Peccato originali. 7. De Christo. 8. De Præparatione & gratia per Christum. 9. De Prædestinatione. 10. De Libero arbitrio. 11. De Justificatione. 12. De Operibus & meritis. 13. De Bonis operibus in particulari. 14. De Quadragesima. 15. De Eleemosyna. 16. De Imaginibus. 17. De Templis. 18. De Antichristo. 19. De Papa Romano. 20. De Conciliis. 21. De Ecclesia. 22. De Presbyteris. 23. De Decimis. 24. De Votis. 25. De Purgatorio. 26. De Sanctis in cœlo. 27. De

27. De Sacramentis. 28. De Charactere sacramentali. 29. De Baptismo. 30. De Confirmatione. 31. De Eucharistia. 32. De Sacrificio missæ. 33. De Pœnitentia. 34. De Contritione. 35. De Confessione auriculari. 36. De Satisfactione. 37. De Extrema unctione. 38. De Ordine. 39. De Matrimonio. Vide totum caput vigesimum septimum. Neque est, ut putes, esse omnes dissensiunculas Doctorum privatas, qui in umbra scholastica variè digladientur. Est de quibusdam pugna inter Ecclesias, nominatim de Potestate Papæ, aliis eum Concilio subjicientibus, aliis supra Concilium extollentibus, itemque aliis ei potestatem super Reges temporalem arrogantibus, aliis denegãtibus.

IV. Secundò dicunt, Ecclesiam *sanctam* appellari, quia omnia ipsius instituta, cæremoniæ, sacramenta & doctrinæ ad sanctitatem ordinantur. Hinc arguo: Vera Ecclesia, cujus proprietates Becanus explicavit, est sancta; Romana Papistica Ecclesia non est sancta: Ergo non est vera ecclesia Christi, cujus proprietates Jesuita explicavit. Minor patet inde, quia non omnia ipsius instituta, cæremoniæ & doctrina sunt sancta. Non *omnia instituta*. Probo. 1. Aperiuntur lupanaria. Nominatim Sixtus IV. nobile lupanar exstruxit & utriq; veneri assignavit Rõæ. Põtifex Romæ censum annuũ à meretricibus exigit singulis, in singulas septimãas nummum Julium pendentibus, qui census annuus interdum viginti millia ducatorum excedit. Unde dicuntur tempore Concilii Tridentini conscripta Romæ quatuor millia scortorum. Delecti à Paulo III. Cardinales, ut de Ecclesiæ reformatione deliberarent, Romam sic nobis describunt; *In hac etiam urbe meretrices ut matronæ incedunt per urbem, suâ mulâ vehuntur, quas affectantur de media die nobiles, familiares Cardinalium, clericique. Nulla in urbe vidimus hanc corruptionem, præterquàm in hoc omnium exemplari, habitant enim insignes ædes.* Rivetus recitat ex Concil. delect. card. tom. 3. Conc. p. 893. 2. Clericis potiùs concubinatus, quàm conjugium permittitur C. Is qui. Distinct. 34. Et Campegius Legatus Augustæ in comitiis fatebatur Argentinensibus, se scire, Episcoporum hunc morem esse, ut, acceptâ pecuniâ, scortationem suis permittant. 3. Matrimonia in gradibus divinâ lege prohibitis approbantur. 4. Sixtus IV. ad instantiam Petri Ruerii & Hieronymi fratris sui, Cardinalium, potestatem dedit domesticæ familiæ toti Cardinalis D. Luciæ, tribus mensibus æstivis, sodomiam exercendi. Refert Wesselus Groningensis, lib. de Indulgentiis Papalibus, Sixto coætaneus. 5. Indulgentiarum mercatura enervat veræ sanitatis studium. Proceres Germaniæ in Comitiis Norimbergensibus anno 1522. conquesti sunt, indulgentias tam largâ manu profundi, ut inde regna non solùm ære, sed etiam pietate prorsus spoliarentur. Et Elisabetha virgo Germana, sub nomine Dei, sic adversùs Romanam curiam detonabat, *Dico vobis, quod iniquitates terræ, quas absconditis, propter aurum ac argentum, adscendant coram me, sicut fumus de igne. Numquid non animæ plus, quàm aurum & argentum, quas suffocatis in ignem æternum propter avaritiam vestram?* &c.

6. Vo-

6. Votum cæcæ obedientiæ defenditur. Arnoldus à Parisiensi Academia ad hoc munus designatus, in libello adversùs Jesuitas secundum articulum sic concepit, *eos votum suscipere obediendi suo Generali, qui si dixerit, interfice Regem Galliæ, eundum est.* Mercurius Gallo-Belgicus tom. 2. lib. 20. 7. *Transgressio jejunii gravius punitur, quàm fornicatio.* Nam fornicanti imperatur pœnitentia decem dierum in pane & aqua: At non observanti jejunium, pœnitentia viginti; Imò quadraginta dierum, si quis jejunium quatuor temporum violaverit; apud Burchardum lib. 19. Decret. cap. 5. 8. Conceditur lege, ut jejunium unius diei redimatur uno denario. Apud eundem l. l. c. 5. & 15. 9. *Taxa Cameræ Apostolicæ & Pœnitentiaria* à sede Pontificia prodiit, in qua dictatur pecunia, quâ satisfactio pro peccato imposita redimatur. Absolutio ab incestu cum matre, vel sorore commisso, constat quinque grossis: Absolutio à parricidio, quinque vel septem grossis: At absolutio à falsatione literarum Pontificiarum, septendecim, vel octodecim grossis redimitur. Hanc taxam meritò scholam improbitatis dixeris. Condonate mihi, Jesuitæ, liberam vocem. Non primus eam emitto. Jam pridem nobilis Papista, Claudius Espensæus in ad Titum cap. 1. emisit graviorem, *Prostat*, inquiens, *& in quæstu pro meretrice sedet liber palàm & publicè hic* (Parisiis Anno 1520) *impressus, & hodieque ut olim venalis, Taxa Cameræ, seu Cancellariæ Apostolicæ, inscriptus, in quo plus scelerum discas licet, quàm in omnibus omnium vitiorum Summistis & Summariis, & plurimis quidem licentia, omnibus autem empturientibus absolutio proposita. Parco nominibus, nam quod ait, nescio quis, Nomina sunt ipso penè timenda sono. Mirum hoc tempore, hoc schismate, non suppressum tot tamque fœdorum, tamque horrendorum scelerum velut indicem, adeò infamem, ut non putem, in Germania, Helvetia, & ubicunque à Sede Romana defectum est, opus præstare maiore huius scandalo: adeò tamen non supprimitur, ab Ecclesiæ Romanæ favitoribus, ut tantorum ac talium facinorum licentiæ ac impunitates, in facultatibus Legatorum illinc huc venientium bona ex parte innoventur atque confirmentur.* Inde recenset crimina, quorum impunitas pecuniâ venditur, & subjicit; *Habeat iam Roma pudorem, & tam nullius frontis criminum omne genus catalogum prostituere desinat.*

V. Non *doctrina*; probo ratione & exemplis. *Ratio* est; Falsa doctrina non potest esse sancta, quia sanctitas præsupponit veritatem adeò, ut nulla doctrina verè sancta sit, quæ non sit vera. Atqui multa doctrinæ Papisticæ capita sunt falsa, quia Scripturæ divinæ non conformia. Id quod hîc non est ut probem. Omnibus paginis totius libri probatur. *Exempla* doctrinæ minimè sanctæ recensere, ab hoc loco non erit alienum. Ubi meminerimus, doctrinam sanctam dici, quæ hominem à vitiis revocat & ad virtutem solidè ducit. Jam vis exempla doctrinæ minimè sanctæ? Do. In Papatu docetur, 1. *Periurium.* Nam hæreticis non esse fidem servandam, concilium Constantiense definivit. 2. *Licere quandoque æquivocationibus uti in iuramentis & iudicem fallere,* Toletus lib. 4. de inst. sacerdo. c. 21.

Mo-

Molanus tract. 2. c. 4. concl. 3. 3. *Maiorem esse imaginem, quàm sit oratio.* In Concil. Nicen. II. Act. 4. 4. *Licere in solennitatibus construere loca prospectaculis, quando nõ possunt fieri nisi in festo.* Toletus l. l. c. 25. 5. *Filios posse ducere uxorem, invitis parentibus, sine peccato mortali.* Toletus lib. 5. de Instruct. Sacer. c. 1. 6. *Filios rectè arma suscipere adversùs parentes, & subditos adversùs magistratus, si Papa iubeat.* Inde Paschalis II. armavit Henricum V. contra parentem, Henricum IV. Pius V. Anglos, adversùs Elisabetham, in sua Bulla. Sicarii, qui Regibus Galliæ & Angliæ insidias struxerunt, confessi sunt, à Jesuitis se edoctos esse, quòd cædes hæreticorum à Papa excommunicatorum sit meritoria. Inde Sixtus V. facinus parricidæ Dominicani, in Henrico III. commissum effert in cœlum laudibus, atque omnibus heroum ab omni ævo rebus gestis præfert; imò cum incarnationis mysterio confert, oratione habitâ Romæ 2. d. sept. Anno 1589. Sed & motuum Gallicorum tempore (Anno 1589. & 1590.) literis passim publicè affixis, à Papa remissio peccatorum & æterna salus iis promittebatur, qui arma sua cum Henoticis adversùs Regem conjungerent. 7. *Si quis motu repentino correptus, adeò ut non sit rationis compos, hominem occiderit, liberum esse à peccato mortali.* Toletus lib. 5. de Instruct. Sac. c. 6. 8. *Iure permissum esse peccatum aliquod mortale.* Sic enim Emanuel Sà in suis Aphorismis vocabulo Episcopus. *Episcopus,* inquit, *potest procedere contra quemcunque ob mortale peccatum, nisi iure esset permissum, ut meretricium.* 9. *Melius esse scortari & uri, quàm post unam fornicationem, votum cœlibatus violando, ad nuptias transire,* apud Bellarminũ lib. 2. de Monach. c. 34. 10. *Furtum in re minima non committi,* Molanus tract. 2. cap. 7. concl. 1. *Pauperes non facere furtum, cùm pressi extremâ necessitate rem alienam capiunt,* Maldonatus in Summa, quæst. 8. Art. 3. 11. *Non peccare, si iudex aliquem damnet secundùm legem, licet ipse sciat, eum esse innocentem,* Maldonatus in Summa, quæst. 7. Art. 3. 12. *Pœnitentiam non esse omnium hominũ, sed peccatorum tantùm,* Bellarminus lib. 1. de Pœn. c. 19. 13. *Sigillum confessionis nequaquam resignandum esse, quamvis ageretur totius orbis salus, aut ipsius pœnitentis utilitas: nec pro vitando ullo gravissimo damno innocentis, aut quòd esset totius orbis conflagratio, aut perversio religionis, & omnium sacramentorum intentata demolitio.* Sic Henricus Henriquez in Summa Theol. lib. 3. de Sacr. Pœn. cap. 19 §. 5. 14. *Non teneri quemlibet statim post peccatum commissum conteri, etiamsi recordetur sæpiùs peccati commissi,* Tolet. lib. 6. de Instr. Sacer. cap. 5. 15. *Fieri posse aliquando, ut sola detestatio peccati, sine proposito formali non peccandi de cætero, sufficiat ad gratiam consequendam,* Fr. Suaretz tom. 4. in 3. p. Thom. Disp. 4. sect. 3. Assert. 2. 16. *Confessarium posse pœnitenti imponere pœnitentiam per alium implendam, v. g. ut alius pro alio jejunet,* Tolet. lib. 3. Instruct. Sacer. c. 11. Eman. Sà in Aphor. tit. *Satisfactio.* Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 2.

VI. Tertiò. Concedunt, Ecclesiam dici Apostolicam, quia teneat doctrinam Apostolorum. Subsumo; Ecclesia Papistica non sequitur doctrinam Apostolorum. Ergo non est Apostolica; per con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequens non vera Christi Ecclesia, cujus proprietates Jesuita suprà explicabat. Minor patet ex collatione doctrinæ. Apostolica continetur quinque capitibus Religionis Christianæ, quibuscum si comparentur Papisticæ Ecclesiæ dogmata, mox apparebit, tantum distare hæc ab Apostolica doctrina, quantum terra à cœlo, tenebræ à luce. Vide Gabrielem Pouelum lib. 2. de Antichr. à cap. 7. usque ad 32. Duos Apostolos Paulum & Petrum Romæ docuisse, multum gloriantur Papistæ. Paulum docuisse, certum. De Petro controversum. Docuerit; non refragamur. Nobis minimè nocet. Si illorum doctrinam tenet Ecclesia Papistica, per nos esto Apostolica. Si non tenet, frustrà est omnis gloriatio. Non tenere, manifestum à collatione. Paulus 1. totam Ecclesiam admittebat ad Scripturæ lectionem, Romanor. 1, 7. Ecclesia Romana populari Ecclesiæ, seu Laicis Scripturæ lectione interdicit. 2. Ille nihil docebat extra Mosen, & Prophetas, Actor. 26, 22. Ista multa docet extra Scripturas. 3. Ille docet, Scripturâ divinâ contineri omnia ad salutem scitu necessaria, 2. Timoth. 3, 16. 17. Ista negat. 4. Ille, concupiscentiam etiam in regenitis verè peccatum esse, affirmat, Roman. 7. Ista negat. 5. Ille, originali peccato omnes homines infectos esse, declarat, Roman. 5, 12. Ista, magna ex parte, Mariam excipit. 6. Ille testatur, sapientiam carnis esse inimicitiam adversùs Deum, Roman. 8, 7. Ista libero arbitrio vires tribuit, quibus homo ad conversionem se disponat. 7. Ille ostendit, legem ab homine in hac vita perfectè servari non posse, Roman. 7, 14. 19. 20. cap. 8, 3. Ista affirmat, posse. 8. Ille asserit gratuitam justificationem sine operibus. Ista fingit, nos justificari ex operum merito. 9. Ille justificationem constituebat in remissione peccatorum, Roman. 4, 7. 8. Ista in infusione justitiæ. 10. Ille astruebat imputationem justitiæ Christi, Roman. 4, 5. Ista impugnat. 11. Ille remissionem peccatorum plenariam tradit, Roman. 8, 1. Ista partialem, id est, remissionem culpæ, absque remissione pœnæ. 12. Ille docebat, verè fidelem certum esse posse in hac vita de Dei gratia, sine speciali revelatione, Roman. 8. Ista dicit, non posse. 13. Ille vitam æternam appellat donum Dei, Romanor. 6, 23. Ista dicit, ex merito condigno dari. 14. Ille, omnem animam magistratui subesse, pronunciat, Roman. 13, 1. Ista, clericos eximi. Imò Pontificem extollit supra Reges & magistratus. 15. Ille unum Mediatorem Dei & hominum prædicavit, 1. Timoth. 2, 5. Illa multos agnoscit. 16. Ille unum sacrificium propitiatorium idque cruentum & semel oblatum tradidit, Hebr. 9, 25. 26. 28. 10, 14. Ista cruentum & incruentum sacrificium tradit, & quidem, quà incruentum, sæpius offerendum. 17. Ille imagines Dei earumque cultum improbat, Act. 17, 29. Roman. 1, 23. Ista approbat. 18. Apostolus unum fundamentum & unum caput Ecclesiæ Oecumenicum prædicavit, 1. Corinth. 3, 11. Ephes. 1, 22. 5, 23. Ista duo agnoscit, unum primarium & summum, alterum secundarium & subalternum. Non igitur sequitur doctrinam Apostoli Pauli.

VII. Non magis Petri sequitur doctrinam. Aliud enim Petrus olim suos docuit, aliud Ecclesia Romana hodie docet. Paucis exemplis declaro. 1. Petrus docuit, nos esse redemptos, nullâ re corruptibili, sed pretioso sanguine Christi, 1. Petr. 1, 18. 19. Ecclesia Papistica tenet, peccatorum impunitatem redimi pecuniâ. Exempla paulò antè proposui è Taxa Pœnitentiaria. 2. Petrus docuit, salutem animarum esse finem fidei, l. l. v. 9. Papistica Ecclesia tenet, esse mercedem operũ, id est, quam mereantur opera ex condigno. 3. Petrus docuit, hæreditatem nostram in cœlo perire non posse, l. l. v. 4. Papistica Ecclesia, posse perire. 4. Ille docuit, omnes subjectos esse potestatibus, 1. Petr. 2, 13. Ista, clericos non esse subjectos; imò potestates omnes subjectas esse Romano Papæ. 5. Ille, Christum semel esse passum & oblatum pro peccatis nostris, tradit, 1. Petr. 3, 18. Ista, Christum in Missa pro peccatis vivorum & mortuorum offerri quotidie. 6. Ille, Christum profectum in cœlum, ad dextram Dei regnare, docet, 1. Petr. 3, 22. Ista, Christum in Missa sub speciebus contineri, sacrificuli manibus tractari & in ventriculum dejici. 7. Ille crucem & afflictionem fidelibus denunciat, 1. Petr. 4, 12. 13. 14. 17. Ista externam felicitatem Ecclesiæ veræ notam asserit. 8. Ille Scripturæ firmitatem & perspicuitatem commendat, 2. Pet. 1, 19. Ista comparat naso cereo, & tam obscuram esse, contendit, ut ex ea voluntas Dei de omnibus ad salutem necessariis cognosci non possit citra externum supplementum. 9. Ille vult, in Ecclesia neminem loqui, nisi eloquia Dei, 1. Petr. 4, 11. Ista humanarum traditionum eloquia suaque decreta hominibus pari cum Dei verbo

pietatis affectu suscipienda commendat. 10. Ille nollet quenquam Christianorum esse ἀλλοτριεπίσκοπον, 1. Petr. 4, 15. Ista Papam, qui suo episcopatu minimè contentus in omnes se ingerit, veneratur & adorat. 11. Ille gregis pascendi officium omnibus presbyteris tribuit, 1. Petr. 5, 2. Ista suo Pontifici soli pascendi potestatem vendicat, pastoratum in regnum mirâ metamorphosi commutãs. 12. Ille, Pastores turpiter lucrum affectare, prohibet 1. Petr. 5, 3. Ista tam enormiter lucro turpi dedita est, ut Claudius Espensæus, loco suprà laudato repetat versum Mantuani,

Heu! Roma nunc sola pecunia regnat.

At Mantuanus ipse;

---- Petrique domus polluta, fluente
Marcescit luxu, nulla hîc arcana revelo,
Non ignota loquor, liceat vulgata referre.
Sic urbes populique ferunt, sic fama per omnem,
Jam vetus Europam, mores exstirpat honestos,
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynædis
Servit, honorandæ Divûm Ganymedibus Aedes.
Quid miramur opes, recidivaq; surgere tecta?
Thuris odorati globulos, & cinnama vendit
Mollis Arabs, Tyrii vestes: Venalia nobis
Templa, Sacerdotes, Altaria, sacra, corona,
Ignis, Thura, preces, cælum est venale, Deusque.

13. Ille negat presbyteris dominatum in cle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clerum l.l. Ista dominatum super omnes Papæ tribuit, ipsis Regibus & Imperatoribus ei subjectis. Imò hæresis damnat, quicunque utrumque gladium Pontifici non tribuit, apud Baronium ad Annum 1053. num. 14. 14. Ille vult omnes sibi mutuò subjici, 1. Pet. 5, 5. Ista Papam vult à nemine judicari. Jam eant Sophistæ & clamitent, Ecclesiam Romanam Papisticam tenere doctrinam Apostolorum, à quibus olim fuerit fundata.

VIII. Quartò. Adversarii contendunt, Ecclesiam Apostolicam dici, quia retineat absque interruptione successionem legitimam Episcoporum ab Apostolis. Subsumo. At Romana Papistica Ecclesia non retinet absque interruptione legitimam successionem Episcoporum ab Apostolis. Ergo non est Apostolica. Minor patet ex sequentibus argumentis. Primum. Cum defectione à fide non consistit legitima successio. *Nulla est vera successio, absque vera doctrina*, inquit Stapletonus in Relect. Princip. fidei controv. 1. de Eccles. q. 4. art. 2. At Papistica Ecclesia defecit à fide Apostolica. Demonstratum numero præcedente sexto & septimo.

IX. Secundum. Hæresis tollit legitimam successionem. At nonnulli Episcopi Romani fuerunt hæretici. Ergo successio legitima sublata. Major est Bellarmini, dicentis, *omnes Ecclesiæ Patriarchales per longa tempora Episcopos manifestè hæreticos habuerunt, ac proinde interrupta est apud illos veterum Pastorum successio*, Lib. 4. de notis Eccl. cap. 8. Minor probatur testimoniis eorum, qui fuerunt sub Papatu. Rhenanus in arg. in Tertul. adversùs Praxeam, *En Zepherinus Pontifex Montanizat.* Compilatio de Liberio ait, *Liberius Pontifex erat hæreticus, nec legitur conversus ad fidem.* Valla in Declam. de falsa Donat. Const. *Fuit*, inquit, *Cœlestinus Papa Nestorii hæresi infectus.* Aliqui eum excusare conantur. Verùm Alphonsus de Castro scribit, se non videre, quomodo ab hæresi possit excusari, libr. 1. de hæres. cap. 4. Honorium I. plures Synodi & tres Papæ hæresis damnârunt. Johannem XXIII (aliis XXIV) Constantiense Concilium sessione undecimâ inter alia hoc nomine damnavit, quòd negaverit animæ immortalitatem, itemq; cœlum esse & inferos.

X. Tertium. Sacrilega irruptio & intrusio successionem legitimam tollit; *nã non succeditur, nisi Episcopis defunctis, aut legitimè depositis*, inquit Bellarminus lib. 4. de notis Eccles. cap. 8. Et Nicolaus secundus, referente Platinâ in ejus vita, legem tulit, ut quisquis non canonicâ electione in thronum Petri succedit, is non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur. Confer C. *In nomine.* Distinct. 23. Similiter multis canonibus statuitur, non esse legitimum Episcopum, qui per Simoniam sibi aditum paravit. C. *Sicut Simoniaca.* C. *Insinuatum.* & C. *Quanta. Extra.* De *Simonia.* Bene est: jam pedem hîc figite Papistæ, jam superiorum temporum memoriam aliquanto altiùs repetite. Si nemo in Romanam sedem intrusus est illegitimè, si vi, si fraudibus, si per Simoniam, si denique malis artibus nemo invasit, per nos stet successio interrupta, & quantum potest in Religionis causa valeat. Sin aliud docet res ipsa, cessate perpetuã Episcoporum in sede Romana successionem ab ipsis Apostolis deductam tam superbè jactare, atque sub eo prætextu Ecclesiam vestram pro Apostolica vendicare.

XI. Ego ex paucis multa annotabo, ex quibus facile erit de hoc Romanensium Palladio judicium. Vigilii Primi ingressus parùm legitimus fuit, cùm præter Ecclesiasticas regulas, prædecessore suo vivente, & Pontificatus administratione submoto, per vim Pontificatum Romanum occupavit. Est annotatio Onuphrii in Platinam. Liberatus in Breviario cap. 12. dicit, ducentis auri marcis dignitatem emisse à Belisario, cui tamen, adeptâ dignitate, fidem non servaverit. Sedit circa annum 537. Toto Dux Nepesinus, mortuo Paulo 1. cum exercitu Romam profectus, Constantinum, faventibus quibusdam amicis, largitione & pollicitationibus, corruptis, Pontificem creat, qui cùm annum integrum munera Pontificatus gessisset, tandem à sede dejicitur à populo Romano, irâ & indignitate rei percito. Sic Platina in Stephano Tertio. Formosus ab urbe discedens jurejurando confirmavit, se nunquam postea vel Romam, vel ad Episcopatum rediturum; At verò Martinus Pontifex Johannis (noni) successor hominem postea juramento solutum in patriam & pristinam dignitatem restituit; Unde ad Pontificatum non ita multò pòst, largitione potiùs quàm virtute, contradicentibus quibusdam, assumitur. Sunt verba Platinæ. Baronius electionem ejus fuisse tumultuariam, scribit, ad Annum 891. num. 3. Illum Stephanus, Platinæ sextus, aliis septimus, è tumulo tractum, & sacerdotalibus vestimentis indutum in sedem Pontificiam collocari, at paulo pòst sacris vestibus nudatum seculari sepulturæ mãdavit, abscissis tamen digitis duobus iisque in Tiberim projectis. Sergius III. cadaver refossum in Tiberim projicit. Sic iterum Platina. Onuphrius fabulam nominat. Contrà Baronius ad Annum 897. num. 3. erroris eos arguit, qui negant & confictum putant. De hoc Stephano ibidẽ Baronius num. 1. *Stephanus*, inquit, *subrogatur pulso Bonifacio intruso pariter ab intruso. Ista omnia per vim & metũ extorta irrogârunt ignominiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* At eundem idẽ auctor ad Annũ 891. num. 1. nequissimum vocat: itemque perfidum, quem non auderet inter Pontifices numerare, nisi à Veteribus id factum, utpote tanto nomine indignum, ad Annum 897. num. 6. Nominat sedis invasorem, quique ut fur & latro ingressus in ovile laqueo vitam adeò infami exitu, vindice Deo, clauserit, ad Annum 900. num. 6.

XII. Christophorus I. Pontificatum malis artibus adeptus, malè amisit, inquit, Platina. Isto *ejecto exurgit Sergius (tertius) ille nefandus, homo vitiorum omnium servus, facinorosissimus omnium invasit sedem Christophori, quem quidem constat, post malum ingressum, deteriorem que progressum, pessimum demum esse consecutum egressum. Cæterùm ab omnibus non legitimus Pontifex, sed conclamatus invasor Sergius*, inquit Baronius ad Annum 908. num. 2. Johannem X. Theodora meretrix in cathedram Petri violenter intrusit, inquit Baronius ad Annum 912.

Universidad de Deusto
Biblioteca

num.7. Platina & fortè rectiùs undecimum nominat. Sed dignum de suis sceleribus finem accepit invasor & detentor (per annos sedecim) injustus Apostolicæ sedis Johannes, ut qui per impudicam fœminam sacrosanctam Apostolicam sedem violêtus arripuit, æquè per impudicam mulierem (Maroziam, Theodoræ filiam) ejectus & conjectus in carcerem, ea simul cum vita caruerit. Rursum Baronius ad Annum 928.num.2. Anno 931. intruditur Sergii Pontificis ex scorto Marozia filius, Johannes, dictus Platinæ duodecimus, aliis undecimus, de quo Baronius, *Talia pati coacta est Dei Romana Ecclesia, ut sic deformiter à tanto monstro invasa conculcaretur.*

XIII. Quid multis? Baronius nono & decimo seculo sedem Romanam ñ tam à Pontificibus justè possessam, quàm invasam esse, convictus, in Tusciæ Marchiones, itemque Theodoram ejusque filias, Maroziam & Theodoram, meretrices, culpâ translatâ, scribit ad Annum 897. Cùm *hos Romana Ecclesia passa est tyrannos, Thusciæ Principes, dominâtes sive pecuniis, sive armis, clero populoque Romano, per eos intrusi sunt in cathedram Petri, solium Christi, homines monstrosi, vitâ turpissimi, moribus perditissimi, usquequaq; fœdissimi.* Item ad Annum.900.num.7. *Ita omnia Romæ tam sacra, quàm profana factionibus miscebantur, ut penes illam partem esset promotio ad sedem Apostolicam Romani Pontificis, quæ potentior appareret. Quæ toto hoc ferme seculo sunt actitata.* Genebrardus in Chronico ad Annum 901. *Hoc uno hoc seculum infelix, quòd per annos ferè centum quinquaginta, Pontifices circiter quinquaginta à virtute majorum prorsus defecerunt, Apostatici, Apostaticive potiùs, quàm Apostolici.* Carolus Sigonius l.8. de Regno Italiæ; *Pontifices Romani ad annos ducentos, non nisi per seditiones aliaque media offendiculi plena, ad hanc sedem pervenerunt.* Platina in Benedicto IV; *Ubi cum ipsis opibus lascivire cœpit Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit nobis tantam licentiam peccandi, nullo principe flagitia hominum tum coërcête, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potiùs quàm possessa.* Idem in Sergio III. *Vide quæso, quantum isti degenerâverint à maioribus suis. Illi enim, utpote viri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ vacantes: hi verò largitione & ambitione Pontificatum quærentes & adepti, posthabito divino cultu, inimicitias non secus ac sævissimi quidam tyranni inter sese exercebant, suas voluptates postea securiter expleturi, cùm nullibi exstarent, qui eorum vitia coërcerent.*

XIV. Jam si undecimum & sequentia secula percurramus, similiter non deerunt Sacrosanctæ illius successionis, id est, Simoniæ, violentæ irruptionis atque intrusionis exempla. De Johanne XVIII. antea Episcopo Placentino, Platina, *fur*, inquit, *certè in Pontificatu & latro: non enim, ut par fuerat, per ostium intravit.* Hunc Baronius excludit Pontificum numero, ad Annum 1003.num.10. Idem Baronius de Johanne, quem ipse vigesimũ, Platina vigesimum primum nominat, Benedicti IV. successore, *Sedem occupabat sanè, qui non legitimè vocatus à Deo sedit, sed malis artibus adscendit ad ipsam*, ad Annum 1024.num.3. Illi successit Benedictus IX. sed quis & quomodo? *Puer fermè decennis, intercedente thesaurorum pecuniâ, electus exstitit Romanis*, inquit Glaber lib.1.cap.5. apud Baronium ad Annum 1033.num.6. Ipse Baronius electionem illegitimam vocat ibidem, & num.3. scribit; *Tyrannide Alberici Comitis Tusculani eius filius puer in sacrosanctam Petri sedem intruditur, monstrum erigitur, statnitur q; portentum.* De Sylvestro Tertio, dicit Platina, largitione Pontificem creatũ & meritò pulsum, quòd per posticum intrâsset, ut fur & latro. Apud eundem Damasus Secundus, quem omnium suffragiis electum & comprobatum Baronius fingit, ad Annum 1048.num.1. Pontificatum per vim occupat, nullo cleri populique consensu. Adeò enim inoleverat hic mos, ut jam cuique ambitioso liceret Petri sedem invadere. Est libera vox Platinæ. Ad hoc & præcedens seculum pertinet, quòd Cardinalis Benno scribit, quinque Papas se totos consecrâsse Satanæ, ut in hanc sedem inveherentur, nempe Sylvestrum II. Benedictum IX. Johannem XX. Johannem XXI. & Gregorium VII. Rursum Platina in Sylvestro III. *Eò tum Pontificatus devenerat, ut qui plus largitione & ambitione, non dico, sanctitate vitæ & doctrina valeret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis oppressis & reiectis, obtineret, quem morem utinam aliquando non retinuissent nostra tempora!* Nimis retinuerunt. Memineris autem, virum scripsisse hæc ad Xystum IV. Anno 1471. in sedem Papalem evectum. Hinc patet, quæ notet tempora.

XV. Duodecimo seculo circa annum 1130. Papa creatur Eugenius Tertius. Audi, quid illi Bernhardus scribat, lib.4. de Consideratione: *Quem*, inquit, *dabis mihi de tota maxima urbe: qui te in Papam receperit, pretio, seu spe pretii non interveniente?* Seculo decimo tertio, sedente Cœlestino V. Benedictus Cajetanus subornat hominem, qui, noctu dimissâ quasi cœlitus voce in cubiculum Cœlestini, hominis simplicis, ei persuaderet, ut Pontificatum dimitteret, si salvus fieri vellet. Cœlestinus territus cedit, Benedictus hac fraude sedem occupat, deinceps dictus Bonifacius Octav⁹. Hic est, qui dicitur intrâsse, ut vulpes, regnâsse, ut Leo, mortuus, ut canis. Num intravit legitimè? Seculo decimo quarto, Anno 1316. Cùm Cardinales, post duorum annorum altercationem, in hoc convenissent Lugduni, ut Jacobus Portuensis, Cardinalis, Papam eligeret, seipsum elegit, ac Johannes XXII. (Platinæ XXIII.) dictus est. Egregiè! Seculo decimo quinto Balthasar Cossa in Spiritualibus nullus & ineptus, mortuo Alexandro, largitione usus, maximè erga Cardinales à Gregorio creatos, pauperes adhuc, Pontifex creatur, & Johannes appellatur, Platinæ XXIV. aliis XXIII.) Sic Nauclerus Generat. 48. Quàm infamis criminibus fuerit, à Constantiensi Concilio patet.

XVI. Hîc iterum pedem figite Papistæ, hîc nobis edicite; adhuc successionem Episcoporum legitimam ab ipsis Apostolis, sine interruptione, deducetis? Ergóne illi, quorum mentionem intuli, fuerunt legitimi Pontifices? per vim, per fraudem, per artes satanicas, per Simoniam

am intrusi? Horrenda monstra? ut Baronius vocabat. Certè Ecclesia universa, nempe Papistica, ut legitimos coluit, inquit Baronius ad Annum 897. At Platina in Johanne, quem idem vigesimum quartum appellat, disertè testatur, Ecclesiam tum quadriennio vero Pontifice caruisse. Baronius quidem loco laudato jactat, qui tyrannicè sint intrusi, postea, ut legitimos Pontifices, novis comitiis, consuetis ritibus esse electos. At novæ electionis documenta nulla profert, nulla proferre potest. Tantùm ex eo colligit, quia culti non fuissent, nisi de facta postea electione constitisset. Ridiculè. Non opus est confutatione. Seipsum solidè confutat, ad Annum 912. num. 8. *Quæ tunc*, inquiens, *facies Ecclesiæ sanctæ Romanæ? quàm fœdissima, cùm Romæ dominarentur potentissimæ æquè ac sordidissimæ meretrices? quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii* Pseudopontifices, *qui non sint nisi ad consignanda tantùm tempora in catalogo Pontificum Romanorum scripti. Quis enim à scortis hujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere posset Romanos fuisse Pontifices? Nusquam cleri eligentis, vel postea consentientis aliqua mentio, canones pressi silentio, decreta Pontificum suffocata, proscriptæ antiquæ traditiones, veteresque in summo Pontifice eligendo consuetudines, sacri ritus, & pristinus usus prorsus exstincti.* Item ad Annum 931. *Quamdiu viguit hominum* (Tusciæ Marchionum & meretricum) *tyrannis infelicissimus fuit in omnibus Romanæ Ecclesiæ status, ut sæpe contigerit, eam non habere legitimè creatos Pontifices.* Hæc non cohærent. Si enim tyrannicè intrusi, postea, ut legitimi Pontifices, novis comitiis, consuetis ritibus sunt electi, quomodo sunt Pseudopontifices & non nisi ad consignanda tantùm tempora in catalogo Pontificum Romanorum scripti? quomodo Ecclesia Romana sæpe non habuit legitimos Pontifices? Si verò intrusi sunt Pseudopontifices, qui non sunt nisi ad consignanda tantùm tempora in catalogo pontificum Romanorum scripti, si nusquam cleri eligentis, vel postea consentientis aliqua mentio, si veteres in summo eligendo Pontifice canones, consuetudines, sacri ritus & usus pristinus prorsus exstincti, quomodo postea, ut legitimi pontifices, consuetis ritibus sunt electi? Huc redigit virum, alioqui magnum & eruditissimum, malæ causæ defendendæ studium. Nos veritatem dicenti applaudimus. Interrupta igitur est Pontificum legitima successio.

XVII. Proximum seculum, quo evangelii lucem Deus in Ecclesia instauravit, si ingrederemur, vix dicendi foret finis. Nolo sententiam illam movere fortiùs. Ex omnibus duo solùm exempla coronidis loco his apponam, unum Julii secundi, alterum Sixti quinti. De Julio Guicciardinus; *ad dignitatem illam ut perveniret, ex eo præcipuum illi adjumẽtum, quòd Cardinalibus, Principibus, Baronibus, & cæteris, qui id negocii promovere poterant, ingentia promiserat, quicquid peterent, nihil denegare ratus. Adde & pecuniam & beneficia dignitatesque Ecclesiasticas profusè elargitum, tum suas, tum alienas, quia, quæ erat de ejus liberalitate opinio, multi spente ad*

eum accurrebant, quæ possidebant, oblaturi, ut suis nummis, nominibus, officiis, beneficiis pro libitu uteretur: nec advertebat quisquam, plura ipsum pollicitum, quàm Papatum adeptus, præstare aut posset, aut deberet. Postea constitutionem de simoniaca Papæ electione edidit, quâ declaravit, eam nullam vim habere, & sic electũ à nullo pro Romano Pontifice haberi debere, neque per subsequentem inthronizationem, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, seu obedientiam, ullo unquam tempore convalescere. Andreas Gambarus ipsius familiaris constitutionem postea commentario illustravit, & Pontifex ejus dedicationem his verbis factam patienter tulit, *Lator, pater sancte, simoniam, quam in tui electione commisisti, cum tanto honore prohibere.* Commentarius Romæ primùm impressus, postea sæpiùs editus, cumque epistola veritatem diceret, nemo hactenus, quod constet, contradixit.

XVIII. Porrò Sixtum V. per simoniam electum esse, minimè dubium. Nam ut Papa eligeretur, suffragia Cardinalis Estensis, Cardinaliumque ab eo pendentium emit, eidemque dato chirographo, suâ manu subscripto, promisit, nunquam in suo Pontificatu Hieronymum Matthæum (is inimicus Estensi erat,) se creaturum Cardinalem, si Estensis cum suis in proxima electione ipsum suffragiis suis juvaret. Estensis conditionem accipit; Sixtus promissis nonstetit. Hieronymum Matthæum enim Cardinalem creavit. Estensis ex nimio dolore ægritudine contractâ, priusquàm moreretur, apocham Sixti manu subscriptam ad Philippum II. Hispaniæ Regem misit, qui anno 1589. Ducem Suessæ oratorem extraordinarium Romam misit, qui Sixto generale Concilium super declaratione simoniacæ electionis Hispali habendum intimaret, & Cardinales à prædecessoribus creatos ad id invitaret. Ita simonia Sixti facta est notoria, negocium autem, Sixto sive præ desperatione, sive ex alia causa mortuo, ulteriùs non progressum. Habemus tot intrusos Pontifices: Cardinales ab illis facti, verè tales non erant. Nemo enim dat, quod non habet. Electionis igitur jus non habebant, quod veris Cardinalibus, non autem intrusis asserit Constantiense Cõcilium. Inde omnium Paparum, omnium Cardinalium dignitatem jam pridem exstinctam esse, rectè concluditur in Itali Anonymi libello, de origine, progressu atque exstinctione Papatus, edito Londini, Anno 1617.

XIX. Quartum. Schismata successionem tollunt, aut saltem dubiam reddunt. Jam Onuphrius Panvinius memorat triginta schismata, ubi tria in primis sunt memorabilia. Primum, quòd aliquando tres, simul se Papas gesserint. Vis nomina? Seculo decimo, Benedictus IX. Sylvester III. Gregorius VI. inter se variè contendebant, donec Henricus secundus cum exercitu in Italiam veniens, habitâ synodo, eos tanquam tria teterrima monstra, abdicare se magistratu cogeret. Sic non ego, sed Platina, Pontificius quondam Abbreviator. Seculo decimo quinto tres Papatum, eodem tempore, invaserunt, nempe Johannes XXIV. Platinæ, aliis XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII,

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnes à Constantiensi Concilio abdicati. Secundum, quòd schisma trigesimum annos quinquaginta duravit. Tertium, quòd Papæ schismatici se mutuò excommunicârunt omnesque adhærentes. Ut nullus tum in Ecclesia Papistica Episcopus, aut sacerdos fuerit, cui vocatio nõ redderetur dubia. Sive enim huic, sive illi, sive isti Papæ adhæreret, excommunicabatur. Sed & quos isti homines, aut potiùs monstra creâsse ministros, putamus? Baronius ipse ad Annum 912. num. 8. *Quales nam*, inquit, *reris delectos ab hisce monstris Presbyteros & diaconos Cardinales fuisse, putandum, cùm nihil tam naturæ insitum sit, quàm unumquemque sibi similem generare? Quos in omnibus iis, à quibus delecti fuerunt, consensisse, dubitare quis poterit? imitatosque esse ipsos sectatosque eorum vestigia, quis non facilè credat.*?

XX. Xystus IV. fidem facit. Novo honore auctus mox Petrum Riarium contribulem, quem à puero sibi educaverat, creat Cardinalem, hominem natum perdendæ pecuniæ. Nam biennio, quo tantùm postea vixit, cc. aureorum millia, in victu absumpsit, lx. millia æris alieni, argenteorum item ccc. pondo dimisit, teste Volaterrano. Decessit tabidus voluptatibus anno ætatis vigesimo octavo. Si vis, Julius III. confirmabit exemplo suo. Cùm enim antiquo more sit receptum, ut novus Pontifex galerum, cui velit, suum largiatur, ipse juveni cuidam Innocentio, qui quòd Simiæ curam ageret, etiam adeptâ dignitate *Simiæ* nomen retinuit, cognomine etiam suo atque insignibus attributis donat, & cùm antea eum in deliciis habuisset, rursus in pristinam consuetudinem admittit: at querentibus Cardinalibus, quòd indignum hominem ad tantum fastigium evexisset, non inurbanè respondet, *Quid audem in me meritorum comperistis, quem in Christianæ Reipublicæ Principem constitueretis*? Thuanus refert tom. 1. ad Ann. 1550.

XXI. Sed hoc non urgebo. Illud potiùs dicam, quod fatetur Bellarminus lib. 4. de Pont. Rom. cap. 8. *Dubium ac incertum Papam haberi pro nullo.* Quo semel posito, quid fiet Papali Ecclesiæ? Præsertim, si addamus C. *Didicimus*. C. 24. q. 1. ubi statuitur, *schismaticos nihil iuris habere in Ecclesiam.* Quin enim plures schismatici fuerint, dubium non est amplius. Ipsi Papistæ sunt luculenti testes. Satis patet successionis interruptio. Ideo nihil addam, nisi quòd successionem interrupit Johanna fœmina, quæ cathedram circa Annum 850. tenuit nobile scortum. Sentiunt Jesuitæ, actum esse de successione, illa si sederit. Ideo historiam vellent in fabulam vertere. Verùm sunt plures, quàm quinquaginta, qui eam rem memorant. Vide Gabrielem Povelum lib. 1. de Antichr. cap. 26. Johannem Wolfium Lect. memorab. cent. 9. Ann. 854. & Gerhardum de Ecclesia pag. 1000.

XXII. Quintò. Papistæ præsupponunt, *visibilem Christi Ecclesiam esse sponsam Christi.* Hinc arguo: Vera Ecclesia est sponsa Christi. At moderna Pontificia hierarchica Ecclesia non est sponsa Christi. Ergo non est vera Ecclesia. Antecedens probo. primò. Christi sponsa agnoscit solum Christum sponsum suum. Ecclesia Papistica non agnoscit solum Christum sponsum suum. Agnoscit enim etiam

iam Papam sponsum & caput. Sic eum appellat Concilium Lugdunense Anno 1274. & Lateranense Anno 1512. habitum. Bellarminus ex hoc titulo Primatum Monarchicum Oecumenicum concludit, lib. 2. de Pont. Rom. c. 31. Si dicas, intelligi sponsum non primarium, sed secundarium, distinctio probanda erit. Nos Ecclesiam digamam, seu duobus nuptã, non agnoscimus. Secundò. Christi Sponsa incorrupta est & pudica. Sic Becanus concl. 4. num. 26. At Ecclesia Papistica nec incorrupta, nec pudica est. Quòd non sit *incorrupta*, dixit suprà Adrianus Sextus Papa, dixit Petrus de Aliaco, dixerunt plures Papistæ, quibus meritò fides habetur. Quàm sit *impudica*, inde patet, quia scortatur cum ligno & lapide. Adorat enim imagines Dei & Sanctorum. Si excipiat, se *imagines honorare, non adorare*, qs meretricem mendacẽ ñ exsecretur? In Cõcilio secũdo Niceno, sectione quartâ, hypocriseos damnantur, quicunque profitentur, se imagines honorare, neq; tamen adorant. Hoc Synagoga Papistica jam pridem approbavit. Si excipiat, *se adorare imagines ob Dei memoriam*, similis erit mulieri impudicæ, quæ, cùm in mariti absentia alios admittit, ob id reprehensa, prætendit, eos esse amicos mariti, & se eos in amplexum & sinum cupidè gratanterque accipere ob mariti memoriam.

XXIII. Sextò. Papistæ dicunt, *veram Ecclesiam errare non posse, ideo appellari columnam & firmamentum veritatis, quia à veritate deflectere non potest.* Becanus concl. 2. num. 17. Subsumo. At Papistica Ecclesia erravit multoties & deflexit à veritate. Ergo non est columna veritatis, per consequens non vera Ecclesia. Minor patet ex collatione doctrinæ in Scriptura sacra traditæ & Papisticæ, quam cùm alii sæpe instituerint, & hic totus liber illustret, eò remitto lubens lectorem. Hîc pauca exempla profero. Errat primò de *Scriptura*. Hãc docet esse obscurã, imperfectam & non sufficientem, regulam Lesbiam; Cùm Deus dicat, esse lucernam pedibus nostris, regulamque certam fidei & morũ. Scripturæ lectione interdicit laicis, cùm omnes ad eam invitentur à Deo. Solam vulgatam latinam esse authenticam, contendit; cùm variis erroribus scatere, eruditissimi Papistæ agnoscant, & res ipsa demonstret. Secundò, de *traditionibus non scriptis.* Has ex Tridentini Concilii decreto *pari pietatis affectu* suscipit, cum sacra Scriptura, imò pro Apostolicis habet, quæ non sunt. Exempla suprà vidimus.

XXIV. Tertiò. De *Auctoritate Pontificis Romani.* Docet, cuivis fideli indubitatũ esse debere, quicquid Pontifex definit, non quia ejus doctrina cum Christi doctrina congruat, sed quia in auctoritate est positus Pontifex, etsi nullo Scripturarum testimonio evidenti aut probabili confirmet. Stapletonus controv. 4. Relect. Princip. fid. art. 2. q. 2. Aliter Apostolus, Galat. 1, 8. 2. Docet, sine hac Pontificis auctoritate impossibile fore, credere ex sola Scriptura, Deum esse unum in essentia, trinum in personis. Tannerus in exam. relat. & not. Hunnii cap. 21. pag. 223. Si dicas, hæc privatorum hominum dicta, num igitur damnat Ecclesia Papistica, sed non morosè illis inhærebo. Ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stant decreta publica illis minimè meliora. In Concilio Romano, Anno 1076. sub Gregorio VII. referente Baronio, inter alia multa definitum est, quòd *unicum sit nomen in mundo, Papæ videlicet*, & quòd *nullus liber canonicus habeatur absque illius auctoritate*. Prius tribuit Papæ, quod soli Christo competere, pronunciat Petrus, Actor. 4, 12. Posterius manifestè falsum. Libri enim prophetici veteris Testamenti fuerunt canonici, nullo exstante Papâ Romano.

XXV. Quartò. De *Peccato*. Docet, quædam peccata non esse contra legem v.g. furtū unius obuli, ideo ex se & suâ naturâ venialia. Quintò. De *Mediatore*. Non unum Christum esse mediatorem, sed multos, nempe Sanctos in cœlo, contra 1. Timoth. 2, 5. Sextò. De *Eucharistia* errat multis modis. Patet. Nam Christus frangebat panem & dabat; Ecclesia Papistica docet, sacrificulum nec frangere panem, nec dare. Christus dicit, panem hunc esse corpus suum; illa negat. Ille dicit, esse fructum vitis, de quo biberit; Ista, inficiatur. Ille distribuit; in ista, minister sæpe solus edit, & bibit. Ille è poculo jussit omnes bibere. In ista, missifex poculum populo negatum solus haurit. Ille non testatur, se Patri in cœna offerre sacrificium. Ista jactat offerri, idque externum, reale, propriè dictum, propitiatorium pro vivis & mortuis. Antithesis aperta. Cùm igitur Christus sit veritas, Ecclesia Papistica falsum tenet. Obiter addo, quòd Nicolaus II. anno 1059. in Concilio contra Berengarium decrevit, *non solum sacramentum, sed etiam corpus Christi sensualiter, non solum sacramento tenus, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri.* Hoc de attritione, quæ fiat dentibus, hodie non tenet Ecclesia Papistica. Ergo aut vetus erravit, aut moderna errat.

XXVI. Septimò in *cultu* & quidem primò *fictorum sanctorum* Ecclesia Pontificia errat. Colit sanctos, qui nunquam fuerunt. Colit Catharinam filiam Costi Regis Cypri, Christophorum, Georgium. Docet, Magos fuisse tres Reges, Casparum, Melchiorem & Balthasarem, & sic adorat Coloniæ, cùm Reges fuisse, non constet, fatente Melchiore Cano lib. 11. Loc. Theol. cap. 5. Maldonato, in Matth. cap. 2. Jansenio in concord. Evang. cap. 9. Baronius ad Annum Christi primum, *Qui*, inquit, *dixerunt, Magos fuisse Reges Persarum, errâsse certum est.* Colit Longinum, quem dicit fuisse illum militem, qui lanceâ Christi latus perforavit, in Martyrol. Rom. quod ex apocryphis scriptis desumptum redarguit Baronius ad Ann. Christi 34. num. 131. Colit, ne sim lōgior, Ursulam & undecim millia virginum, quarum capita Coloniæ ostentantur. Secundò in cultu *verè sanctorum*. Id infrà demonstrabitur suo loco. Hîc nunc non aliud dicam, quàm quòd Psalterium Mariæ à Bonaventura confectum Ecclesia Romana approbat, quippe quod, approbante facultate Theologicâ Parisiensi, in linguam Gallicam transfusum, & Parisiis editum atque à Bellarmino defensum est. At in eo pro nomine Jehovæ Mariæ nomen ponitur, adeoque honor Dei ad hominem transfertur. Exemplum cape. Cùm David dicit psalmo 132. 1. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*,

ej', p eo Bonavētura suppōit, *memēto Domina David*, quasi David Mariam invocâsset, quod falsum esse, ipsi norunt pueri. Leo X. l. 8. Epist. 17. apud Bembum, Mariam Lauretanam Deam appellat. Fr. Suaretz tom. 2. in 3. p. Thom q. 37. art. 4. Disp. 22. Sect. 2. ei applicat sententiam Apostoli de Christo dictam, *Dedit ei nomen, quod est supra omne nomen*. Idem disp. 23. Sect. 1. approbat, quòd Gregorius Nicomediensis in oratione sua Mariam vocat *omnipotentem*, & quòd Petrus Damiani serm. 1. de Nativ. Mariæ dicit, *Data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra, & nihil tibi impossibile*. Cassander in Consult. Art. 21. scribit; *Quin & eo ventum est, ut Christus jam in cœlo regnans matri subjiciatur, quomodo in nonnullis Ecclesiis canitur, Ora Patrem & jube Filio*. Item, *O felix puerpera, Nostra pians scelera, jure matris impera Redemptori*. Exstat in Missali ad usum Ecclesiæ Tullensis.

XXVII. Tertiò in cultu *imaginum*. Nam adorationem imaginum in Concilio Niceno secundo actione VII. decretam approbat, contra legem Dei, Exod. 20. Obiter nota, crassissimum errorem ibi propositum actione quartâ. *Maior est imago, quàm oratio*. Aliqui Papistæ hodie clamant, *se non adorare imagines*. Non adorant? Res aliud testatur. In Concilio Niceno secundo, à Papa Romano approbato, Constantinus, Episcopus Constantinopolitanus, dicit, *Ego imaginibus eundem honoris cultum exhibeo, qui debetur vivificæ Trinitati*. Concilium Tridentinum Sess. 25. *Adorare*, inquit, *imaginem est ipsum Christum adorare*. Adhuc dices, Papistas imagines non adorare? Cassander in Consult. Art. 21. respondet, *Manifestius est, quàm ut multis verbis explicari debeat, imaginum & simulacrorum cultum nimiùm invaluisse, & affectioni, seu potiùs superstitioni populi plus satis indultum esse, ita ut ad summam adorationem, quæ vel à Paganis suis simulacris exhiberi consuevit, & ad extremam vanitatem, quā Ethnici in suis simulacris & imaginibus effingendis & exornandis admiserunt, nil à nostris reliqui factum esse videatur*. Sic magni nominis Papista. Nota. Qui negant, se adorare imagines, fatentur, eos errare qui adorationem docent. Id accipimus. Quòd verò negāt factum, hoc est ab impudentia, cujus convincuntur à socio. Is provocat ad praxin, quæ est instar multorum testium.

XXIIX. Quartò in cultu *Reliquiarum*. In tractatu de mirabilibus Romæ, traditur, arcā ostētari fœderis & virgam Aāronis & Mosis, itemq; altare, quo Baptista utebatur in deserto. Christi præputium tum Romæ ad Johannis Lateranensis, tum Charrovii apud Pictones adoratur. Præsepe Christi non est Romæ tantùm, sed etiam alicubi in Hispania. Virginei lactis vasculum, miro candore, haberi in Lateranensi Ecclesia, auctor Blondus lib. 3. instauratæ Romæ. Plerique Papistæ tribus clavis Christum affixum dicunt: alii quatuor nominant: nemo plures. Qui ab Helena inventos dicunt, unum coronæ Constantini insertum, ex duobus frenum factum memorant. Gregorius Turonensis scribit, quartum in mare abjectum ad sedandam tempestatem. Et tamen quot clavos ostentat Papatus? Mediolani unum, Romæ alium, ad divæ Helenæ;

Universidad de Deusto
Biblioteca

tertium, ibidem ad S. crucis; quartum, Senis; quintum, Venetiis; sextum, Coloniæ ad trium Mariarum: septimum, ad S. Dionysii in Francia; octavum, Lutetiæ in S. Sacello; nonum, ibidem apud Carmelitas; decimum, apud Bituriges; undecimum, in Abbatia, cui à forcipibus nomen; duodecimum, Draguiniani; Carpentoracti, frenum factum ex duobus. Aliquanto pudentiùs Ethnici, Iphigeniæ gladium duabus assignârunt urbibus, apud Dionem Cassium lib. 35. Lauretanum sacellum hîc non tangam, in extrema Italia situm. Dicunt, fuisse Cameram, in qua Maria virgo sit nata, educata, ab Angelo salutata, & filium nutriverit annos duodecim. Dicũt, Cameram post adscensionem Domini, virginis & Apostolorum consilio consecratam in Ecclesiam, illustratam imagine virginis à Luca pictâ. Invalescente Muhammedismo, ab Angelis translatam in Sclavoniam, inde, quia non satis honoraretur, ex virginis desiderio translatam in agrum Recanatensem, ac in media sylva depositam, quam possidebat matrona Loreta; hinc propter crebra latrocinia, translatam in montem quendam duorum fratrum juri subditum, qui cùm tanto lucro oblato non possent esse inter se concordes, tandem depositam, ubi nunc est, loco feliciori. Hoc Maria revelavit viro cuidam Anno Domini 1290. Hæc consideranti an error Ecclesiæ Papisticæ obscurus esse possit?

XXX. Septimò. Becanus dicit, *Ecclesiam veram à doctrina & fide Apostolorum deficere non posse.* Assumo: Ecclesia Romana Papistica à fide Apostolorum defecit. Hinc prona est conclusio, non esse veram Christi Ecclesiam. Minor à nostris millies probata est & à me probatur toto hoc Commentario. Si vis, in compendium disputatio conferatur. Suprà proposita est antithesis doctrinæ Apostolicæ & Pontificiæ. Num. 6. & 7. Quid Petrus & Paulus suos docuerint, manifestum. Inde recessit Ecclesia Pontificia. Aut igitur principes Apostolorum errârunt, aut Ecclesia Romana errat. Illud blasphemum: Istud igitur verum.

XXXI. Veritati suffragantur querelæ, confessiones & assertiones eorum, qui in Romana Ecclesia vixerunt. Hîc vetera exempla repetere, quæ reformationis tempus antecesserunt, nimis longum foret. Sunt consignata in Catalogo Testium veritatis, itemque à Johanne Wolffio in Lectionibus memorabilibus & Mornæo in Mysterio Iniquitatis, unde Gerhardus repetit in Confess. Cathol. lib. 1. par. 1. cap. 4. Pauca recentiora testimonia theologorum, Episcoporum, & Principum laudabo. Cassander in Consultat. art. 7. postquàm præcipuam distractionis Ecclesiæ causam illis assignâsset, qui inani quodam fastu Ecclesiasticæ potestatis inflati, superbè contempserunt rectè & modestè monentes, addit; *Quare nullam Ecclesiæ firmam pacem sperandam puto, nisi ab iis initium fiat, qui distractionis causam dederunt, hoc est, ut ii, qui Ecclesiasticæ gubernationi præsunt, de nimio illo rigore aliquid remittant, & Ecclesiæ paci aliquid concedant, ac multorum piorum votis ac monitis obsequentes, manifestos abusus ad regulam divinarum literarum & veteris Ecclesiæ, à qua deflexerunt, corrigant.* Joh. Ferus in Matth. c. 15. *Omnium maximè reprehensibile est, quòd constitutiones Ecclesiasticas plerumque præceptis divinis æquamus imò præferimus: cuius indicium est, quòd maiores conscientias propter hoc formamus, quàm propter transgressionem mandatorum Dei. Deinde transgressores Ecclesiasticarum constitutionum rigidiùs punimus tam in foro conscientiæ, quàm in exteriore foro, quàm transgressionem legis divinæ.* Johannes Hofmeisterus in præfatione locor. comm. ad Romanam Ecclesiam accommodat illud Basilii ep. 69. *Subversa sunt pietatis dogmata, turbati pietatis ritus.*

XXXII. Jam aliquot Episcopi loquantur. Johannes Episcopus Chemensis, Auctor Oneris Ecclesiæ c. 31. *Ecclesia fidesque catholica iam tota penè claudicat.* Franciscus Richardotus Episcopus Atrebatensis Concilium Tridentinum concione sess. 24. habitâ admonuit, *cùm iam totum biennium illa sanctissima synodus parturiret, omnesque in summam exspectationem adducerentur eius partus, non convenire, ut fœtum aliquâ sui parte truncatum, aut mutilatum in lucem emittat, cùm prolem solidis membrorum artubus, & partum integrum orbis exspecter. Id ut effectum detur, in Apostolos intuendum, & Martyres, & Ecclesiam antiquam, eamque sibi proponendam in exemplar, unde prolis nascituræ lineamenta sumantur. Hæc esse doctrinam, religionem, disciplinam, quæ omnia cum his temporibus degenerârint, in pristinum statum esse restituenda, atque hoc illud esse, quod tamdiu exspectationem sui commoverit, & adhuc exspectetur.* Refert Petrus Suavis in hist. Concil. Trid. lib. 8. pag. 874. Antonius Sebastianus Uxentinus Episcopus in Oratione Synodica Tridenti 4. Sept. Anno 1562. habitâ dixit: *Equidem humana imbecillitate fortassis & aliquâ præfectorum Ecclesiæ incuriâ, vel etiam (ne quid gravius dicam) præpostera pietate irrepsisse in Ecclesiam res nonnullas antiquatione, abrogatione, vel moderatione dignas, fateamur, necesse est.* Hæc omnia sunt quidem modestè dicta testimonia, tamen erroris in Ecclesia Romana agniti.

XXXIII. Si vis, unum vel alterum Principem audi. Sigismundus Augustus Rex Poloniæ per Legatum, suo & Regni nomine, quinque postulata Paulo IV. Pontifici exhibet, nempe *de Missa linguâ patriâ & populari celebranda: De cœna Domini sub utraque specie percipienda: De sacerdotum coniugio: De Annatarum solutione tollenda: De Concilio eius Nationis ad abusus ibi reformandos.* Apud Petrum Suavem lib. 5. pag. 448. Cùm Adrianus VI. per Cheregatum à Principibus Germaniæ in comitiis Norimbergensibus rationem peteret, quâ commodissimè Lutheranorum sectæ obviam eatur, respondẽt, *sibi videri, cùm non de Luthero solùm agendum sit, sed de eradicandis* multis erroribus *& vitiis* longâ *consuetudine inveteratis, quibus alii per* imprudentiam, *alii per* malitiam *patrocinentur, non aliam esse viam commodiorem, quàm Concilium pium, liberum & Christianum, de assensu Imperatoris, in urbe aliquâ Germaniæ ad eam rem opportuna.* Petrus Suavis refert lib. 1. pag. 29. Imperator Carolus V. in Oratione ad Clementem Pontificem Anno 1530. Bononiæ habita sic disserit; *Audivi & ego sæpè Platonicum illud mihi dici, ut parentum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

„ *tum deliria ferenda sunt, ita in civitatibus*
„ *& religionibus vitia quædam dissimulanda*
„ *esse. Modus est ejus rei & in Imperiis & in*
„ *Ecclesia. Fundamentum certè in Ecclesia re-*
„ *tinere oportet. Et hæleges æternæ in Imperiis*
„ *& Ecclesia retinendæ sunt, quæ prohibent*
„ *idolorum invocationes & libidinum confu-*
„ *siones. Irrepserunt autem in Ecclesiam quæ-*
„ *dam invocationes contumelioſæ contra De-*
„ *um, & turpitudo libidinum in conſpectu est.*
Hi magni testes.

XXXIII. Hactenus ex hypothesibus & concessis fuerunt argumenta. Alia deinceps sequuntur. Primum. Vera Ecclesia Christi superstructa est super fundamentum, id est, doctrinam Prophetarum & Apostolorum: at Papistica Ecclesia non est superstructa super doctrinam Prophetarum & Apostolorum. Ergo non est vera Christi Ecclesia. Major est Apostoli Ephes. 2, 20. Minor inde patet, quia omnium dogmatum firmitatem suspendit ab auctoritate sua. Verba sunt Bellarmini lib. 2. de Sacr. c. 25. *si tollamus auctoritatem præsentis Ecclesiæ, & præsentis (Tridentini) Concilii, in dubium revocari poterunt omnium aliorum conciliorum decreta, & tota fides Christiana.* Item, *Omnium dogmatum firmitas pendet ab auctoritate præsentis Ecclesiæ.*

XXXIV. Secundum. Cujus Ecclesiæ principia ducũt homines ad atheismum, ea non est vera Christi Ecclesia. Papisticæ Ecclesiæ principia ducunt homines ad atheismum. Ergo. Major per se claret. Minor probatur inde, quia omnium dogmatum firmitas pendere dicitur ab infallibilitate Pontificis Romani. Per præsentem enim Ecclesiam Papistæ intelligunt auctoritatem Papæ. Sic igitur constat Syllogismus: Dubitare de auctoritate Pontificis infallibili, vel contrarium sentire, non est hæreticum, nec de fide. Sic Stapletonus Controv. 3. Relect. princip. q. 4. Sic olim Gerson, Occam, alii. At firmitas omnium dogmatum pendet ab auctoritate Pontificis Romani infallibili. Sic iterum magna Papistarum cohors. Ergo de omnium dogmatum firmitate dubitare vel contrarium sentire, non est hæreticum.

XXXV. Tertium. Cœtus, qui fungitur cultu à vero Christianismo alieno, eumque sub anathemate omnibus obtrudit, non est vera Christi Ecclesia. Papistica Ecclesia fungitur cultu à vero Christianismo alieno, eumque sub anathemate obtrudit omnibus. Ergo. Minor patet. Colit imagines, & per has tum Deum, tum Sanctos. Hic cultus est à Christianismo alienus; destituitur enim solido fundamento, est prorsus idololatricus, & similis Ethnico. Probo prius. Solidum fundamentum religiosi cultus est Scriptura sacra: at eo caret cultus imaginum. Non habemus mandatum, non promissionem illis factam, qui imagines colunt, non comminationem adversùs cultus illius contemptores, non exemplum sive laudati cultus, sive reprehensi neglectus. Imò habemus his omnibus contraria. Posterioris prior pars patet. Transfert enim honorem soli Deo proprium ad creaturas. Primò Gentiles varia coluerunt Numina; similiter Papistæ. Secundò illi Neptunum aquæ, Vulcanum igni, Cererem frugibus, Junonem studiis, alia Numina aliis rebus præficiebant, quod illis

illis objicit Prudentius l. 2. contra Symmachum. Sic Papistæ inter Sanctos variè distribuerunt provincias, quæ illos peculiariter colunt. Germaniæ datus Patronus S. Martinus & Gregorius; Romanis, Paulus & Petrus; Hispaniæ, Jacobus; Gallis, Michael & Dionysius; Polonis, Stanislaus; Moscovitis, Nicolaus; Sebastianus Lusitanis; Florentinis Johannes Baptista; Venetis Marcus; Anglis Georgius & Thomas Cantuariensis; Parisiensibus Genovefa virgo; Mediolanensibus Ambrosius; Siculis Agatha & Lucia; Neapolitanis Januarius. Vide inter alios Salmeronem in 1. Timoth. 2. Tertiò. Gentiles non ab omnibus omnia, sed à certis diis apud peculiares statuas res certas petebant. Auctor Tatianus contra Græcos. Sic adversùs pericula maris invocabant Papistæ Nicolaum & Christophorum, adversùs noxias tempestates, Johannem & Paulum; contra incendia ignis, Agatham & Floreanum; pro vitibus, Urbanum; contra rubiginem, Jodocum; contra bruchos, Magnum; contra pestem, Sebastianum & Rochum; contra febrem, petronellam; contra venenum, Johannem Evangelistam & Benedictum Abbatem; contra dentium dolores, Apolloniam; contra oculorum vitia, Ottiliam; contra morbos pudendos, Apollinarem; contra calculum, Liberium; contra ignem sacrum, Antonium; contra epilepsiam, Valentinum; pro restitutione rerum amissarum, Vincentium; contra subitam mortem, Barbaram. Anserum cura commendabatur Gallo; ovium, Wendelino; equorum, Eulogio; boum, Pelagio; porcorum, Antonio. Studiosi Gregorium & Catharinam colebant; medici, Cosmam & Damianum; pictores, Lucam; equites, Georgium; fabri, Eulogium; sutores, Crispinum; sartores, Gutmannum; figuli, Goarum; venatores, Eustachium; meretrices, Aram & Magdalenam.

XXXVII. Quartò. Gentiles Deos suos simulacris effinxerunt; Similiter Papistæ. Quintò. Illi colebant Deos suos, auro, ebore, gemmis. Lactantius lib. 2. c. 2. Similiter Papistæ. Sextò. Illi coram idolis thus incenderunt. Arnobius lib. 7. adverſ. Gentes. Sic Papistæ. Septimò. Illi idolis thymiamata & libamina obtulerũt. Socr. lib. 2, cap. 4. Sic Papistæ offerunt dona. Octavò. Illi statuis cereos apponebãt. Cicero lib. 3. off. Annon idem faciunt Papistæ? Baronius ad Ann 58. num. 72. absurdum non esse, scribit, si à Gentilibus hoc, ut alia multa, acceptũ esse, dicamus. Nonò. Illi honorabant statuas coronis, floribus, &c. Non aliter Papistæ. Decimò. Gentiles imagines cereas læsarum & pòst sanatarum corporis partium suspẽdebant; Similiter Papistæ. Polydorus Virgilius agnoscit, morem hunc manãsse è Gentilismo. Verba ejus sunt lib. 5. de Rerum Inventor. cap. 1. *Inde valuit consuetudo, ut Saturnalibus & cerei missitarentur, & sigilla, idest, oscilla (ad humanam effigiem formata, quasi parva ora) arte fictili fingerentur, ac venalia exponerentur, quæ homines pro se ac suis piaculis Diti & Saturno offerrent. Hæc quodammodo nostra vaticinabantur sacra: Nam sic & nos ex cera sigillaria, hoc est, imaguncula templis offerimus & oscilla; quoties enim aliqua pars corporis læsa fuerit, ut puta manus, pes, mammilla, statim vota facimus Deo & ejus* DIVIS, *quibus mox recuperatâ sanitate il-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lam manum, illum pedem, illam mammillam ex cera formatam offerimus. Quæ consuetudo sic increbruit hactenus, ut istiusmodi sigillaria ab hominibus ad reliqua animalia transierint. Sanè sic pro bove, sic pro equo, sic pro ove oscilla templis ponimus. In quare quispiam scrupulosè verecundus fortassis dicet, se planè nescire, an nos priscorum religionem potius, vel superstitionem æmulemur, cùm talia Christianæ Ecclesiæ Rectores etiamnum admittant, quando auctore Catone de re rustica, sic Romanorum mos fuit, pro bobus, ut valerent, vota facere. Undecimò. Illi adorabant simulacra coram iis prostrati; sic quoque Papistæ. Duodecimò. Illi ea ab uno loco in alium solennibus ceremoniis transferebant ad avertendas publicas calamitates. Arnobius lib. 7. adversùs Gentes. Sic prorsus Papistæ. Decimò tertiò. Illi imagines in publicis supplicationibus circumferebant, & turbæ antè & pòst adorabant, Baruch. 6, 3. 5. Sic Papistæ. Denique illi diis suis jejunabant, & festa eorum nominibus instituebant. Arnob. l. 7. Livius Dec. 15. Pariter Papistæ.

Sectio XI.

An Ecclesia reformata sit vera Christi Ecclesia?

I. BEcanus Ecclesiam reformatam, in qua sunt Lutherani & Calvinistæ, quos improbè vocat, esse veram Christi Ecclesiam, negat, idque variis argumentis probare conatur. Nos affirmativam sustinêtes, excutiemus singula. Primum. *Una tantùm est Christi Ecclesia. Si ergo Romana, seu Pontificia est vera Christi Ecclesia, certè reformata, in qua adversarii sunt, vera Ecclesia Christi esse non potest. Alioquì cùm hæc ab illa dissideat, essent duæ Christi Ecclesiæ, inter se diversæ ac discrepantes.* Num. 64. R. Primò. Una tantùm est vera Christi Ecclesia universalis. Plures particulares. Si igitur Romana, seu Pontificia est vera Christi Ecclesia universalis, fatebor, nostram non esse veram Christi Ecclesiam. Non enim est illius membrum. At id nondum probatum est. Becanus ex dictis arcessit probationem. Dicta lego, relego; non invenio argumentum ullum, quo constet, Ecclesiã Romanã, seu Pontificiam esse Ecclesiam universalem, nedum Ecclesiam veram Christi universalem. Ne quidem vetus Romana fuit universalis. Fuit particularis, sive accipias pro cœtu, qui Christo Romæ colligebatur, sive pro collectione Ecclesiarum, quæ à Romano Episcopo pendebant. Semper enim extra eam fuerunt Ecclesiæ Christi. Num moderna facta est universalis? Quãdo? Quo Auctore? Quo decreto & ubi edito? Secundò. Est dissidium religionis qualecunque & particulare, est fundamentale & catholicum. Non omne religionis dissidium tollit unitatem Ecclesiæ. Etiam inter Christi Ecclesias particulares oritur sententiarum discrepantia. Nec inde licet argumentari: hæc est vera Christi Ecclesia, e. ista ñ est, qa invicẽ sunt diversæ & discrepãt, nisi ad discrepãtiã fundamentalem catholicã, & pertinacem evictæ veritatis fundamentalis abnegationem restringas. Orientalis Ecclesia in quæstione paschali à Romana dissidebat, & eo nomine à Victore excommunicabatur. Non tamen sive illa, sive ista vera

vera Ecclesia esse desinebat. Irenæus utramque veram agnoscebat. Rursum Africana à Romana dissentiebat, tempore Cornelii & Cypriani, in controversia de hæreticis rebaptizandis. Eo non obstante, semper mansit Cyprianus in communione Ecclesiæ Catholicæ. Dissidentes Ecclesiæ erant veræ Christi Ecclesiæ. Nec tamen erant duæ Ecclesiæ universales, sed una, cujus membra à se dissidebant. Minimè igitur absurdum est, duas esse Christi Ecclesias particulares inter se diversas ac discrepantes. Si reluctari pergant Jesuitæ, dispiciãt, utra sit vera Christi, an mavis, Papistica Ecclesia? Romana, an Gallicana? Utraque Papistica. Dissident tamen in primario fidei Papisticæ capite, id est, de Potestate Romani Pontificis. Illa Pontificem Concilio Generali præfert; ista subjicit. Illa summam etiam in temporalibus potestatem tribuit Pontifici; ista non tribuit. Illa credit, Papam posse Reges deponere, & ab excommunicatorum obedientia subditos absolvere; ista non credit. Uno verbo; Illa theologiam Hildebrandinam amplectitur in solidum; ista minimè. Pro hoc capite doctrinæ, quanta bella gesta? quantum effusum est humani sanguinis? Unde prægnans conjectura, Ecclesiam Romanam non plus, hac parte, concessuram esse Gallicanæ quamvis Pontificiæ, quàm Reformatæ in alio capite fidei. Si dicas, Romanam & Gallicanam non esse æquè puras, etsi utraque verè sit Pontificia, bene est. Sic inter duas veras Ecclesias Christi potest esse discrepantia, non inter æquè puras. Non omnis dissensus tollit veritatem Ecclesiæ, sed æqualem puritatẽ.

II. Secundum, *Vera Ecclesia est sponsa Christi. At reformata Ecclesia non est sponsa Christi; Ergo non est vera Ecclesia.* Minor est falsa. Ille promittit probationem ex nostris principiis; his nempe. 1. *Romanam Ecclesiam primis quingentis annis, aut circiter, fuisse veram & legitimam sponsam Christi.* 2. *Tandem post illud tempus, cœpisse paulatim prostitui & corrumpi, ac eò tandem devenisse, ut tempore Lutheri publica meretrix & adultera deprehensa sit, itemque à Christo repudiata.* 3. *In ejus locum successisse Ecclesiam reformatam, in qua Lutherani & Calvinistæ sunt.* Num. 65.

III. Hæc non sunt nostra principia, Jesuita sic vocat; Nostrates non agnoscunt. Imò ne quidem eo sensu asserunt, quem Sophista captat. Nam primò Romanam Ecclesiam primis quingentis annis, veram sponsam Christi fuisse, haud gravatim quidem concedimus: At nec solam, nec sine omni labe ac corruptela ad illud usque tempus permansisse, concedimus. Fuerunt aliæ extra Romanam, quæ non minùs quàm illa ad sponsam Christi pertinebant. Non omni labe puram mansisse, nunc non alio exemplo probo, quàm quòd Eucharistiam infantibus necessariò dandam esse, cum Augustino tenuit. Hæc labes. Secundò. Ita est, Romana Ecclesia paulatim cœpit corrumpi; at non demũ Lutheri tẽpore publica meretrix & adultera deprehẽsa est. Aliquot seculis ante Lutherũ deprehẽsa est. Hussi, Wiclefi, Waldensium tempore est deprehensa. Waldenses disertè meretricem appellârunt. Habes annos trecentos quinquaginta ante Lutherum. Nec ab unius loci hominibus pauculis deprehensa est meretrix. Ubicunque locorum

docuerunt Waldenses, ibi detexerunt meretricem, id est, in Gallia, Germania, Anglia, Hispania, Bohemia, Polonia, Livonia, Moravia, Bulgaria, Croatia, Dalmatia, imò ipsa Italia, quippe per quam totam usque in Siciliam dogma suum sparsisse, testatur Fridericus Secundus in edicto contra eos edito. Tertiò. Quis nostratium unquam hoc principium suum fecit, quòd *Ecclesia Romana tempore Lutheri à Christo sit repudiata*? Quis unquam dixit? Nos certè non dicimus. Quartò. Nostra Ecclesia Papisticæ non successit, sed Ecclesia Christi nostris locis splendorem Evangelii externum, quem amiserat, recuperavit, fugatis papisticis tenebris. Sicut Catholica Ecclesia, tempore Athanasii, non successit Arianæ, sed ab Arianismo, tanquam anthrace, fuit liberata; sic nostra non successit papisticæ, sed ab anthrace pestifero est sanata. Una enim est Ecclesia catholica, quæ laborabat, & aliquâ sui parte apud nos restituta est; pars adhuc laborat sub papatu. Quintò. Quid? ut maximè tria ista supponas, quæ Becanus nostra principia malè vocat, non tamen solidè probatur, nostram Ecclesiam non esse Sponsam Christi, nec magni momenti sunt consequentiæ, quas inde Sophista nectit, ut absurditatis nos convincat.

IV. Videamus. *Hinc*, inquit, *multa sequentur absurda*. Num probat? Non probat, nudè memorâsse contentus. Turpis error, quo nostram causam non evertit, sed suam prostituit adversarius. Primò dicit, *Omnia falsa esse, quæ de perpetua & indissolubili coniunctione Christi cum Ecclesia à Prophetis & Apostolis prædicta sunt*. Num. 65. Non sequitur. Nam primò nec à prophetis, nec ab Apostolis prædictũ, Ecclesiam Romanam visibilem semper mansuram esse virginem incorruptam, & semper adhæsuram Christo. Nec usquam apparet testimonium, indissolubilis conjunctionis inter Christum & Romanam Ecclesiam initæ. Certè hactenus nulla prædictio sive Prophetæ, sive Apostoli, nullum testimonium eam in rem productum est. Jesuitæ producant, si habent. Secundò. Indissolubilis conjunctio Christi & Ecclesiæ Catholicæ prædicta est. Hoc quid ad Ecclesiam Romanam? Sæpe dixi, non esse Catholicam, sed particularem. Cogor repetere. Conjunctio igitur Christi & Ecclesiæ manet firma, etsi in adulterio deprehendatur Ecclesia Romana. Sicut non solvebatur vinculum inter Deum & Ecclesiam veterem, cùm fidelis urbs facta esset meretrix, Jesai. 1, 21. Deus semper extra Romanam Ecclesiam habuit Ecclesias particulares. Nominavi suprà. Imò non dubitamus, quin Deus semper in medio Romanæ Papisticæ Ecclesiæ scortantis sibi servaverit Ecclesiam, quæ ad Christi sponsam pertineret. Quid? nulli dubitamus, Deum suos adhuc hodie Romæ habere, qui non minùs super abominatione gemant, quàm olim pii Israëlitæ, grassãte publicè idololatriâ Hierosolymæ. Tertiò. Revoco Sophistam ad minoris probationem, quam promisit, non præstat hac sequelâ. Num enim falsa sunt omnia prædicta in prophetis & Apostolis, si Ecclesia nostra sit Christi Sponsa? Rideo. Non immeritò; qualis enim sequela?

V. Secundò infert, *nullum ex hac parte discrimen esse inter Ecclesiam Christi & Synagogam Judæorum, utramque enim propter adulterium esse repudiatam* l.l. Bz. Primò. Nunquam in Scriptura inter Synagogam & Ecclesiam novi Testamenti visibilem hoc discrimen traditum, quòd illa potuerit scortari, & sit scortata, hæc nec scortatura sit, nec possit scortari; imò ꝑdicta apostasia gẽeralis, & scortatio meretricis illius magnæ, sedentis super aquas multas, cum omnibus Regibus & incolis terræ, 2. Thessal. 2. Apocal. 17. & 18. Sed & cùm Apostolus Judæos per infidelitatem defractos esse, ostendisset, monet Ecclesiam Gentium, ac nominatim Romanã, ne efferatur animo, sed timeat atque videat, ne Deus ipsi quoq; non parcat, Roman. 11, 21. quo ipso significat, excindi posse. Tantum abest, ut usquam illud veteris & novæ Ecclesiæ indicatum sit discrimen, quòd Ecclesia Romana nec scortatura sit, nec scortari, ac id propter ex Dei fedære excindi possit, nisi Jesuitæ heri vel nudiustertius novas authenticas tabulas invẽerint hujus privilegii testes. In veteribus non legimus. Secundò. Ecclesiam Christi propter adulterium esse repudiatam, nec nos dicimus, nec ex eo sequitur, quòd nostram Ecclesiam sponsam Christi, Papisticam adulteram appellamus. Exemplum cape ab Orientalibus Ecclesiis. Quot quot earum in Muhammedis torum transierunt, repudiatæ sunt; non tamen repudiata Dei Ecclesia; imò habet suam Ecclesiam Deus in Oriente. Sic cùm Occidentales ab Antichristo illo magno occuparentur, semper mansit vera Ecclesia in Christi toro, quãvis publico puro ministerio alicubi aliquando destituta. Tertiò. Etsi Romana Papistica Ecclesia deprehendatur adultera, manet tamen ingens discrimen inter Judaicam & Christianam Ecclesiam. Illa quoad Evangelii contemptorum multitudinem, sic repudiata est, ut ejus politia sit prorsus abrogata & instituta nova. Umbræ legales, sacrificia, ablutiones, templum Hierosolymitanum, sacerdotium Leviticum cessarunt; Circumcisioni & agno paschali successit baptismus & sacra cœna. At Ecclesiæ Christi politia manebit, usque ad consummationem seculi. Tempore restitutionis non habet aliam, quàm tempore fundationis. Idem verbum, eadem sacramenta. Quartò. Fundamentum falsæ sequelæ est præconcepta falsa opinio. Jesuita finxit, Romanam Papisticam Ecclesiam esse totam Ecclesiam novi Testamenti. Non est. Inde sequela in fumum abit.

VI. Tertiò. Sequi, dicit, *Christum aliquot seculis non habuisse sponsam, sed adulteram* l.l. Bz. Aliquot seculis Romanam Papisticam Ecclesiam, sub Antichristo, non fuisse castam sponsam, sed adulteram, sequitur; Christum non habuisse sponsam, non sequitur. In mundo castam sponsam & adulteram esse, repugnat; Sponsam & adulteram esse non repugnat. Multæ adulteræ tolerantur à maritis, non mox abdicantur. Qui tolerant, sponsam seu conjugem quidem habent, sed adulterã. Sic in negocio Christi: Ecclesiam esse castam sponsam & adulterã, repugnat esse sponsam & adulteram, non repugnat. Christus aliquando sponsam adulteram tolerat. Tunc non cessat ha-

bere sponsam. Hîc tamen ingens discrimen est inter sponsam secularem & spiritualem. *Illa* est una persona; ideo si adulterium committit, tota fit adultera: non aliquâ sui parte manet casta, aliâ fit adultera. *Ista* non est una persona, sed collectio multarum personarum. Inde potest fieri adultera aliquâ sui parte, & manere casta reliquâ sui parte. Ita Israëlitica Ecclesia erat adultera in externo publico ministerio & promiscua multitudine: Scortabatur enim cum Baale: Casta erat sponsa in septem millibus. Imò Judaica Ecclesia visibilis tota aliquando scortabatur, non tamen mox desinebat esse sponsa. Si Christus non ideo non habebat sponsam in veteri Testamento, quòd aliquando tota visibilis Ecclesia deprehenderetur in adulterio, quãto minùs in novo Testamento sponsâ caruit, quamvis Papistica Ecclesia multis seculis fuerit meretrix? Pone, cũ Romana Papali Ecclesia reliquos particulares visibiles cœtus omnes fidẽ violâsse, ñ servâsse debitam puritatem; servârunt tamen electi, qui illorum membra fuerunt, fidem Christo semel datam. In his servatur Ecclesia, columba, sponsa, hortus occlusus, fons signatus. Nec est ut obvertas, aliam esse brevis, aliam longi temporis rationem. Nam Christum non habere uno momento sponsam, tam repugnat federi, quàm non habere multis seculis: & hoc non magis repugnat, quàm illud. Aut igitur in veteri Testamento non habuit sponsam, cùm in tota visibili Ecclesia nusquam esset publicum purum ministerium, ullusvé appareret cœtus integer, qui Deum purè coleret, aut non sequitur, Christum non habuisse sponsam in novo Testamento, si tota Ecclesia visibilis scortata est. Multo minùs sequitur, non habuisse sponsam, si olim se volutavit Papistica Ecclesia in meretriciis sordibus. Habuit quippe partim extra, partim sub Papatu, ut suprà demonstravimus, ac certum, etsi propter historiæ defectum demonstrare non possemus. Nunquam enim fuit sine sponsa, nunquam esse potest.

VII. Quartò infert, *ex hac adultera natos esse, Lutherum & Calvinum; itaque spurios esse, non legitimos Ecclesiæ filios* l.l.&. Primò. Non tantùm uxor casta, sed & adultera interdum legitimos filios parit marito. Miscetur cum adultero, non semper ex illo concipit. Interdum ex viro suo concipit, & post conceptum miscetur alieno. Hinc ipsa adultera; filius non semper adulterinus. Quem post mixtionem cum adultero ex viro suo concepit, non est adulterinus, sed legitimus, quamvis ipsa adultera. Res manifesta. Sic non tantùm sponsa casta, sed etiam adultera parit Dei filios, quando non apertè transit in torum alienum, & non excutit semen Dei, id est, verbum. Testimonium perhibuit Ezechiel suprà. Non tamen nascuntur, propriè loquendo, ex Ecclesia adultera, sed in Ecclesia. Ejus enim solùm est ministerium, quo Deus sapientissimè ad suum honorem utitur. Lutherum igitur & Calvinum in adultera Ecclesia, id est, Papistica natos esse, haud gravatim concedimus, sive de carnali, sive de spirituali nativitate loquaris; ex adultera natos, negamus. De carnali nativitate res per se clara. Nec obscura de spirituali. Baptismus enim

enim, per quem sunt regeniti, non est adulteræ, sed Christi baptismus, & verbum Dei, cujus lectione atque auditione ad veritatis agnitionem pervenerunt, est semen Dei, non adulteræ. Quemadmodum circumcisio olim non erat adulteræ Judaicæ Ecclesiæ, sed Dei, cui generabat filios etiam adultera, quamvis non ex se, & quatenus adultera.

VIII. Secundò. Cavillum de spuriis contemnimus. Primò enim per se ineptum, quia non omnes ex adultera nati sunt spurii, sed nati ex adulterio. Num Calvinus & Lutherus ex adulterio nati? Si verum, jam agnoscis, Ecclesiam Papisticam, ex qua natos pronuncias, adulteram esse. Si falsum, cur spurios vocas? Neque tamen illa non adultera, quia illi non sunt spurii. Aliunde adulterii convincitur. Legitimi filii non purgant labem matris ex furtiva commixtione contractam. Ita nec Lutherus & Calvinus Ecclesiam Romano-Papalem, in qua sunt nati, purgant à reatu. Deinde cavillatio non tangit magis Calvinum & Lutherum, quàm omnes Dei filios, quos Deo pariebat olim Ecclesia Judaica adultera. Nam in nativitate spirituali filii non sequuntur conditionem matris, ut in carnali; sed patris. Qui credunt in Deum, non sunt spurii, sed legitimi filii Dei, quamvis nati adulteræ ministerio. Imò & veræ Ecclesiæ filii, non spurii, sed legitimi. Semper Deus enim sibi servat sponsam, quamvis Romano-Papistica, quæ est particularis, vel etiam tota visibilis Ecclesia scortetur. Illius thesauri sunt verbum & sacramenta. Ad illam pertinent etiam, quos adultera Deo parit ex Dei semine. Sic veteris Testamenti & Christi tempore non erant ideo spurii, quos Ecclesia Judaica Deo pariebat, quòd ipsa esset adultera, sed quos postea corrumpebat. Unde Christus inter doctrinam Mosaicam & fermentum Pharisæorum distinguit. Per illam gignebantur filii Dei, per hoc filii gehennæ. Num septies mille, tempore Eliæ, in Israële latentes, num Simeonem, Hannam, Zachariam, Elisabetham spurios, non legitimos Ecclesiæ filios appellabimus? Nati enim erant in adultera Ecclesia. Appellabimus certè, nisi Calvino & Luthero obtrectare Becanus desinat.

IX. Quintò infert, *Ecclesiam reformatam esse Lutheri & Calvini novercam, non matrem.* Ridiculum, ex hypothesi falsissima. Supponit Sophista, Ecclesiam Evangelicam demum cœpisse cum Luthero & Calvino. At sicut doctrina, quam profitemur, cum illis non cœpit, sed à Christo & Apostolis tradita, sic quoque Ecclesia nostra semper fuit, semel à Christo fundata, & propagata ab Apostolis. Hæc Ecclesia Catholica, non minùs illorum, quàm nostra mater. Illa nunquam exspiravit, quamvis sub Papatu, corrupto ubique publico ministerio, aliquando non apparuerint omni errore puri cœtus particulares, illustres, & omnibus in mundo publicè noti. Illi matris titulum adultera Hierarchica Papalis Ecclesia nõdum eripuit, nec quidem filios, quicquid jactet. Papistica se gerebat matrem, sed, detecto adulterio, titulo tam honorifico indignã se ostendit. Lutherus verò & Calvinus, à Patre luminum illuminati veritatis notitiâ, eam nec fidelem matrem, nec tam no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

novercam, quàm hostem sunt experti, non minùs, quàm Paulus ad Christum conversus Ecclesiam Pharisaicam, in quâ erat natus. Multi, qui in Papatu manserunt, longè ante illos senserant novercam. Id Adriano IV. familiariùs quærenti, quid de se & Ecclesia homines sentirent, respondebat Beneventi Johannes Saresburiensis, Camotensis Episcopus. Ipse refert in Polycratico, quòd quæ mater sit omnium, se non tam matrem exhibeat aliis, quàm novercam, multorum judicio.

X. Jesuita dicit, *se & suos aliter sentire de ipsorum matre. Non duas, sed unam agnoscere, non adulteram, sed castam, non repudiatam, sed sponso suo charam, & perpetuò illi adhærentem.* Num. 66. Nos quidem unam, non duas Romanas Pontificias Ecclesias agnoscimus, sed castam agnoscere & prædicare per conscientiam non possumus. Nimis apertè scortatur. Verùm non duas, sed unam catholicam Ecclesiam, eamque non adulteram, sed castam matrem, sponso suo charam & perpetuò adhærentem in verè sanctis agnoscimus. Illa non mox adultera, quia Papistica Ecclesia adultera. Illius castitatem nobiscũ prædicant genuini ecclesiæ filii; Papisticę castitatẽ lenones Pontificii pdicent plenis buccis, non persuadebunt nobis, qui novimus, quantum distent æra lupinis.

XI. Ille Augustinum nominat ὑιὸν, Serm. 12. de tempore, qui est sermo octavus de Nat. Dom. *Hic est speciosus formâ præ filiis hominum, sanctæ filius Mariæ, sanctæ Sponsus Ecclesiæ, quam suæ genetrici similem reddidit. Nam & nobis eam matrem fecit, & virginem sibi custodivit. Ad hanc quippe dicit Apostolus,* Aptavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo, *de qua rursus dicit,* matrem nostram, non ancillam, sed liberam, cujus multi filii, desertę magis, quàm ejus, quæ habet virum. *Est ergo & Ecclesia, sicut Mariæ, perpetua integritas, & incorrupta fœcunditas.* Et serm. 50. De verbis Domini: *Christus Ecclesiæ concessit in spiritu, quod mater ejus habet in corpore, ut & mater & virgo sit.* Et serm. 119. de temp. *Virgo est, Ecclesia. Dicturus es mihi fortè: si virgo est, quomodo parit filios? Respondeo, & virgo est, & parit. Mariam imitatur, quæ Dominum peperit, & virgo permansit. Sic etiam Ecclesia, & parit & virgo est.* Non satis certum, an sermones de tempore sint Augustini. Sermo quoque quinquagesimus de verbis Domini, est dubiæ fidei. Esto tamen, Agnoscemus, Augustini verba esse. Parùm juvat adversarium. Neque tamen id totum dicam, quod possem. Non nunc dicam, de ecclesiæ conditione non ex hominum arbitrio, sed Dei verbo & reipsa esse judicandum, non dicam, nimis evidenter ab ipsa historia patere, quòd Ecclesia Romana non semper virgo manserit. Dicam, hæc non pertinere ad ecclesiam Romano Papisticam, cujus castimoniam ineptè prædicat Sophistarum turba, postquàm in adulterio palàm est deprehensa.

XII. Probo. Nam primò Augustinus loquitur de catholica ecclesia electorum, quæ est in verè sanctis. Verba perspicua sunt sermone centesimo decimo nono, *Sancta Ecclesia nos sumus: sed non dixi, vos, quasi ecce qui hîc sumus, qui me modo audistis. Quotquot hic sumus, Deo propitio, Christiani fideles in hac Ecclesia, id est, in*

in ista civitate, quotquot sunt in ista regione, quotquot sunt in ista provincia, quotquot sunt & trans mare, quotquot sunt & in toto orbe terrarum. Vis clarius? Lib. 5. de civitate Dei, cap. 8. ait: *Nunquam à Satana Ecclesia seducetur prædestinata & electa ante mundi constitutionem, de qua dictum est, Novit Dominus, qui sunt ejus.* At Romana Papistica, de qua inter nos quæritur, non est electorum vereque sanctorum ecclesia, non est catholica, sed particularis.

XIII. Secundò. Augustinus de ea loquitur, quæ est Christi corpus. Allegat enim illud Apostoli, *Vos estis corpus Christi & membra.* Jam audi in Psal. 55. (56) dicentem; *Corpus autem ejus est Ecclesia, non ista, aut illa, sed toto orbe diffusa. Nec ea quæ nunc est in hominibus, qui præsentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his, qui fuerunt ante nos, & his, qui futuri sunt post nos usque in finem seculi. Tota enim Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput positum in cœlestibus, quod gubernat corpus suum. Etsi separatum est à visione, sed annectitur charitate.* Num Papistica Ecclesia est illud corpus Christi? At non continet omnes fideles, qui unquam fuerũt, qui sunt, qui futuri. Imò multos continet, qui, fatentibus ipsis Papistis, sunt membra Diaboli. Dicunt enim, constare ex electis & reprobis, ex bonis & malis; quod verum est de Ecclesia particulari, de qua Augustinus non disserit; Non verum de catholica, de qua vir Sanctus disserit.

XIV. Tertiò. Augustinus de ea loquitur Ecclesia, cujus ipse fuit filius. Atqui non fuit Ecclesiæ Papisticæ, sed catholicæ filius. Quartò. De ea locutum esse, haud dubiè dicent Papistæ, in cujus communione beatè est mortuus. Subsumo. At in Romanæ Papisticæ communione non est mortuus. Probatur inde, quia Romana Papistica Ecclesia nondum erat, cùm Augustinus moreretur. Nõ fuisse, patet, quia Pontifex oecumenicus nondum erat; Nisi corpus existat sine capite. Nondum erat doctrina Pontificia cognita. Aut igitur Ecclesia potest esse ante doctrinam, aut Ecclesia Pontificia nondum erat, cùm Augustinus moreretur. Denique optimus Pater, Ecclesiæ Romanæ apostasiam non vidit, quam nos videmus & deploramus hodie, quam si terris redditus conspiceret, ecclesiam illam virginem non esset prædicaturus. Idem dicendum est de aliis Patribus Augustino antiquioribus, ex quibus Papistæ laudes Ecclesiæ Romanæ repetunt. Non viderunt fœdam apostasiam.

XV. Jesuita in tractatu de Ecclesia quæst. 2. conclus. 3. fert indignissimè, quòd dicimus, *modernam Ecclesiam Papisticã ab ea doctrina defeciisse, quæ fuerit tempore Augustini & aliorum Patrum.* Contrà jactat, *eandem tenere hodie, quam illo tempore tenuerit Ecclesia catholica.* Inanissima gloriatio, quæ repressa est à nobis suo loco. Hîc de primis tribus seculis, quorum consensum ne ullâ quidem specie obtendere potest Papistica theologia, non dicam, sed tantùm paucis exemplis ostendam, Augustinum horribilem illam apostasiam non vidisse. Docuit, credidit, tenuit illius temporis Ecclesia, quod Pontificia hodie non docet, credit, Eec tenet,

tenet. Vicissim hæc docet, credit, tenet hodie, quod illa non agnovit, docuit, credidit, tenuit. Prius patet à primæ controversiæ exemplis. Nam primò. Illo tempore credebant, in iis, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniri illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi. Sic Augustinus lib. 2. de Doctrin. Christ. c. 9. Hodie Romanus Papatus negat. Secundò. Illo tempore studium vertendi Scripturam sacram in linguas vernaculas laudi ducebatur & utile Ecclesiæ ad propagationem fidei. Hodie à Romana Hierarchica Ecclesia improbatur & damnosum judicatur. Tertiò. Ad Scripturã legendam in lingua vernacula omnis ordinis, sexus & conditionis homines admittebantur, imò excitabantur, tempore Augustini, juxta illud Chrysostomi, hom. 6. in 1. Corinth. *Qui volunt servari, attendant Scripturis.* Hodie laicos arcet Papatus à Scripturæ lectione. Si vis, quartum cape ab Eucharistia. Integra dispensabatur populo Christiano, Augustini tempore, secundùm Christi institutionem. Hodie ereptus est calix populo per decretum, nõ obstante divinâ institutione.

XVI. Posterius doceo his exemplis. Primò. Papistæ transsubstantiationem docent & habent pro articulo fidei. Ecclesia, Augustini tempore, non docuit, non habuit pro articulo fidei. Lateranense Concilium demum definivit. Inde Scotus 4. sent. dist. 11. q. 3. dixit, ante Concilium Lateranense non fuisse dogma fidei transsubstantiationem, apud Bellarminum lib. 3. de Euchar. cap. 23. Secundò. Romana Papistica Ecclesia vulgatam latinam versionem authẽticam declaravit & sub anathemate recipiendam decrevit. Vetus Ecclesia non agnovit. Tertiò. Illa imagines Dei, Christi & Sanctorum colit religiosè & adorat: Ista non coluit religiosè, non adoravit, Augustini tempore. Quartò. Illa circumgestat Eucharistiam, ut adoretur: Ista minimè circumgestavit, ut adoraretur. Quintò. Illa absolutionem ab homicidio, incestu, parricidio taxat nummis redimendam: Ista non taxavit. Sextò. Illa jejunium pœnitentiale pecuniâ ut redimatur, concedit: Ista minimè. Septimò. Illa legem fert, secundùm quam aliquis pro peccati pœna satisfaciat per alium jejunando: Ista minimè. Octavò. Invocatio Sanctorum hodie in Romana Papali Ecclesia est articulus fidei: qui negat, hæreticus declaratur. Augustini tempore non fuit articulus fidei: qui negabat, non declarabatur hæreticus. Nonò. Purgatorium in Papatu est articulus fidei. Ætate Augustini non erat articulus fidei. Episcopus Roffensis Art. 18. adversùs Lutherum, fatetur, aliquandiu purgatorium incognitum fuisse & serò cognitum receptumque Ecclesiæ universæ. Decimò. Nicolaus Papa dictavit Berengario, corpus Christi dentibus conteri; id non agnovit Augustinus, qui credebat, fide, non dente teneri. Non agnovit Ecclesia illius temporis. Undecimò. Hodie mirificè jactant Papistæ indulgentias Papales & thesaurum, in quem satisfactiones Christi & Sanctorum superfluæ repositæ, quem Romanus Pontifex dispenset. Nihil ejusmodi cognitum Ecclesiæ, seculo Augustini. Gabriel Biel lect. 57. super canonem Missæ, *Dicendum*, inquit, *quòd ante tempora beati Gregorii* „ *modicus vel nullus usus fuit indulgẽtiarum.* Inde Alphonsus de Castro libr. 8. adverss. Hæres. de indulgentiis agens scribit, *Inter omnes res, de quibus in hoc opere disputamus, nulla est, quam minùs apertè sacræ literæ prodiderint, & de qua minùs vetusti scriptores dixerint. Neque tamen hac occasione sunt contemnendæ, quòd earum usus in Ecclesia videatur SERO receptus: quoniam* „ *MULTA sunt posterioribus nota, quæ vetusti illi Scriptores PRORSUS ignoraverũt.* „ Item: *Quid mirum, si ad hunc modum contigerit de indulgentiis, ut apud priscos nulla* „ *sit de eis mentio?* Denique hodie Papa Romanus arrogat sibi potestatem super Imperatores & Reges, etiam in temporalibus & quidem tantam, ut regna det & auferat, quibus velit. Num Romana Hierarchica Ecclesia ei non tribuit? Nihil ejusmodi vidit Augustinus. Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. c. 10. fatetur, *Ecclesiam Romanam, Gregorii tempore, nondum habuisse politicum Principatum.* Augustinus igitur Apostasiam, quam nos lugemus, non vidit.

XVII. Inquis: Ex Augustini verbis colligo 1. *Ecclesiam esse nostram matrem.* 2. *Esse simul virginem, idque perpetuò.* 3. *In utroque similem Mariæ genitrici Dei.* Num. 67. Ista omnia nihil prosunt Sophistæ. Primò enim quis negat, Ecclesiam catholicam exquisitè dictam, id est, prædestinatam & nostram matrem esse, & perpetuò virginem, in utroque Mariæ virgini similem? De prædestinata enim loquitur Augustinus. Secundò, ad Ecclesiam vocatorũ, seu visibilem cùm transfertur sermo, distinctè pronunciandum est. Etiam illam Christus facit matrem, & virginem, est virgo & mater, quàndiu parit Deo filios, & fidem tenet incorruptam, quæ duo non pugnare secum, voluit ostendere Augustinus, ne quis putet, ideo Ecclesiam non esse virginem, quia pariat; partu enim non tolli virginitatem, sed fidei corruptione. Partus autem & fides incorrupta simul possunt consistere. Sed & Ecclesia debet esse virgo. Ideo Augustinus serm. 119. de tempore, non nudè ait, sicut Becanus mutilatè recitat, *Virgo est Ecclesia. Dicitur? es mihi fortè &c.* Sed, *Ecclesia virgo est, virgo sit, caveat seductorem, ne inveniat corruptorem.* Quòd visibilis Ecclesia perpetuò maneat virgo, nec corrumpi possit, nusquam dictum Augustino, nusquam Scripturæ. Sunt in ea electi & reprobi, verè fideles & hypocritæ, boni & mali. In electis & verè fidelibus manet virgo. Glossa Ordinaria in 2. Corinth. 11. vocat vera membra; In cæteris non manet. Patet. Seductio est corruptio virginitatis. In quib⁹ ergo nõ seducitur totaliter & finaliter, in illis manet virgo. An in nullis seducitur totaliter & finaliter? Leõhard⁹ Coquæus Com. in Aug. l. 20. de civitate Dei, c. 8. super illa verba, *Illã (Ecclesiã) nec solutus utique seducturus est*, sic annotat; *Cùm Ecclesia constet ex omnibus fidelibus, bonis & malis, prædestinatis & reprobis, id tantùm intelligendum est de prædestinatis, quod ab Augustino hic dicitur, qui quidem prædestinati sunt, præcipua & nobilissima membra Ecclesiæ, quos nunquam ita seducturus est Diabolus, ut à fine ultimo & gloria, ad quam prædestinati sunt, excidant.* In his igitur Ecclesiæ conservatur perpetua virginitas, etiamsi tota externa societas corrumpatur, nec usquam maneat pu-

purum publicum ministerium, seu cœtus integer, qui Deum purè colat.

XVIII. Tertiò. Comparationi Ecclesiæ cum Maria, qua Augustinus, ad encomium Ecclesiæ amplificandum, oratorum more utitur, non est nimis morosè inhærendum, præsertim cùm dissimilitudo ac ab ipso quidem Augustino fuerit tacita. De Ecclesia enim dicit serm. 119. de tempore, *Magna est sponsi & singularis dignatio, meretricem invenit, virginem fecit. Quia meretrix fuit, non debet negare, ne obliviscatur misericordiam liberantis. Quomodo non erat meretrix, quæ post idola & dæmonia fornicabatur? Fornicatio cordis in omnibus fuit, in paucis carne, in omnibus corde. Et venit & virginem fecit.* Audin', Ecclesia priusquàm fieret virgo, erat meretrix; Ecclesiam virginem fecit. Id virgini Mariæ applicare, horret mens Christiana. Illa ante partum, in partu, post partum fuit virgo incorrupta. Quartò. Si comparationem Mariæ & Ecclesiæ visibilis in perpetua virginitate præter mentem Augustini tam morosè urgere omnino stet sententia, illud velim considerent Jesuitæ, virginitatem Mariæ perpetuam non esse articulum fidei. Quòd virgo Christum pepererit, est articulus fidei. Quòd Maria post partum semper virgo manserit, tenetur piè à nobis, at non esse articulum fidei, jam olim pronunciavit magnus Basilius. Non igitur ex hac comparatione rectè concluditur, Ecclesiæ visibilis perpetuam virginitatem esse articulum fidei. Denique si ex Augustini verbis colligas, Romão-Papisticam Ecclesiam esse nostram matrem, & simul virginem perpetuò, & in utroque similem Mariæ, perinde facis, ac si publicæ scorto applices, quod erat de casta virgine dictum. Non opus est verbis. Scortatio ejus est in omnium oculis.

XIX. Sophista de hoc securus struit duplex argumentum ex Augustini verbis: Unum sic habet; *Sicut olim habiti sunt hæretici, qui dicebant, B. Mariam non semper mansisse virginem, ita nunc habendi hæretici, qui docent, Ecclesiam non semper mansisse virginem. Est enim eadem ratio utriusque secundùm Augustinum.* Num. 67. Primò id non colligitur ex mente Augustini. Secundò de Ecclesia visibili, de quæ loqui Augustinum, non constat, falsum: Nusquam enim illi perpetua virginitas est promissa, nusquam prædicta. Egesippus apud Eusebium dicit, non diu mansisse virginem. De Ecclesia, quæ est in prædestinatis, & verè Sanctis, verum esse, agnoscimus: sed hoc quid ad Papisticam Ecclesiam, de qua Augustinus minimè cogitabat? Virgo mansit catholica Ecclesia, & manet adhuc hodie, cùm Papistica medio sole scortatur impudentissimè. Alterum sic habet; *Ideo Ecclesia dicitur mater, quia nos gignit in spiritu: ideo virgo, quia servat incorruptam fidē & semper manet virgo secundùm Augustinum. Ergo semper servat incorruptam fidem.* R. De Ecclesia catholica exquisitè dicta datur totum. De Ecclesia visibili negatur antecedens, nec ex Augustino sumitur. De Papistica hîc nihil audio, & de illa tam verum est, quàm Thaidem perpetuò fuisse virginem, cujus actus meretricii palàm erant noti. Sicut ridiculum esset, meretricem publicam hoc argumento negare velle scortationem, quòd perpetuò futura esset virgo: sic ridiculum planè, virginem velle prædicari Papisticam Ecclesiam, cujus scortatio in vulgus est notissima.

XX. Tertium. *In vera Christi Ecclesia viget donum miraculorum. At in Ecclesia reformata, in qua Lutherani & Calvinistæ sunt, non viget donum miraculorum. Ergo non est vera Christi Ecclesia,* & verè de illis scripsit Erasmus in Diatribe, *nullum eorum adhuc exstitisse, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Num. 68. R. Primò. Minoris probatione non est opus, si quidem tempus respicias, quod à Luthero hucusque elapsum est. Fatemur enim; ut non esset, cur Erasmi equo claudo vectis ad hoc cõtra nos agendum in scenam prodiret Sophista, præsertim cùm & ipse vix equum claudum monstrare possit, quem intra centum annos sanaverit Romanus Pontifex. Neque tamen nostra Ecclesia miraculorum dono semper fuit destituta. Habuit in Apostolis, eorumque discipulis. Illi nostram doctrinam confirmârunt miraculis; nos enim non novam, sed Apostolicam doctrinam profitemur. Inde nobis non opus est novis miraculis. Testis Bellarminus lib. 4. de Eccles. c. 14. ubi scribit, quòd *miracula necessaria sint ad novam fidem, & extraordinariam missionem.* Secundò. Major de omni tempore accepta falsa est. Non nego, aliquando miraculorum donum Ecclesiæ Christi fuisse divinitus concessum, sed quòd in vera Christi Ecclesia donum miraculorum semper vigere debeat, nec usquam promissum à Christo, nec prædictum usquam. At non semper vigere debuisse, eventus comprobat. Exspiravit enim. Nec mirum; cessat enim causa finalis, quæ erat Messiæ manifestatio. Ad eam refertur tum prædictio prophetica, Jes. 35. 4. 5. tum Christi promissio, Mar. 16. v. 17. 18. Chrysostomus Homil. 23. in Johan. *Nonne & nunc quoque signorum petitio tentantium est? Sunt sane & hac nostrâ ætate, qui quærant, quare & nunc signa non fiant? Si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est, non indiges signis, signa enim incredulis dantur.* Ex adversariis fatetur Episcopus Roffensis de capt. Babyl. adverss. Lutherum c. 10. part. 4. *Promisit*, inquiens, *Christus, ut discipuli dæmonia ejicerent, quam promissionem NULLUM HIS DIEBUS EFFECTUM sortiri, dilucidè cernimus. Nemo enim est, qui nunc corporaliter dæmonium ejicit, aut morbos sanat, & tamen minimè ambigimus, quin plurimi sint, qui fidem eandem & æquè magnam cum priscis fidelibus habeant, nec tamen inanis illa promissio fuit, quam NOLUIT EFFICACIAM habere PERPETUAM, sed pro tempore* nascentis & adolescentis Ecclesiæ. Bellarminus lib. de Sacr. Confirm. c. 2. *Initio Ecclesiæ, qui credebant, operabantur miracula, juxta illud Marc. ult.* Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur; super ægros manus imponẽt, & bene habebunt. *Nunc cessavit iste effectus fidei Nec tamen est fides ociosa & inanis, quia habet effectum suum principalem, qui est vivificare.*

XXI. Si deinceps suæ majori obstinatè inhæreat Sophista, vastabit propriam segetem. Sic enim arguo. In vera Christi Ecclesia viget donum miraculorum. At in Papistica Ecclesia non viget donum miraculorum. Ergo. Minorem probat

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum experientia. *Confessio*: Audivimus Roffensem Episcopum. Illi addimus Gregorium de Valentia. *Aliis*, inquit ille, *quibusdam accidentibus, tanquam ex notis, in suo primordio cognosci Ecclesia potuit ac etiam debuit, quibus nunc quidem, post Evangelii prædicationem, non perinde est prædita. Erant illis temporibus Ecclesiæ notæ, non tantùm quædam illius proprietates, quas nunc habet, & tunc etiam habebat (ut quòd erat una, apostolica &c.) sed etiam mira quædam prodigia & signa visibilia, quæ tunc cernebantur in Ecclesia, id est, cœtu fidelium. Quas notas ipse miraculorum auctor, Dei filius assignavit, atque ostendit hominibus.* Nam signa, *inquit*, eos qui crediderunt, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, &c. *atque etiam descendebat Spiritus Sanctus super eos, qui manuum impositione ab Apostolis confirmabantur.* Hæc signa non perinde nunc in Ecclesia fiunt. l. 6. Analys. fid. cap. 7. In specie de Papa Romano profitetur Lessius disp. de Antichr. Dem. 10 cum ne quidem canem mortuum posse excitare. Bellarminus lib. 3. de Pont. Rom. c. 21. *Pontifices*, inquit, *nec vera, nec falsa nulla miracula fecerunt, neque hoc seculo, nec superiore.* In quo magis vigeret donum miraculorũ, quàm in Pontifice, quem caput Ecclesiæ oecumenicum fingunt? Maximè vigebat in Apostolis, & non vigeret in eo, cujus solius munus Apostolatus dicitur, si credas Bellarmino. *Experientia*: jam integro seculo, & quod excurrit, pugnatum est inter Ecclesiam Evangelicam & Papisticã. Nullum signum sive à Papa, à quo inprimis exspectabatur, tanquam prætenso capite, sive à quocunque Papista ad convincendum Lutherum & Calvinum vidimus, audivimúsve editum toto isto tẽpore. Quis credat, non edituros fuisse miracula, si donum miraculorum haberent Papistæ?

XXII. Becanus in Opusc. distinguit inter Japoniam & Europam. *In Japonia*, dicit, *fidem Christi nunc primùm prædicari, ideo ad ejus confirmationem opus esse miraculis. In Europa pridem prædicatum & receptam esse, nec indigere novâ confirmatione.* Satis prudenter. Ex Europa, Asia, & Africa, nullum producere thaumaturgum potest; Sciebat, Bellarminum post diligentem inquisitionem, nullum invenisse seculo decimo sexto, solum Xaverium ex India produxisse. Illa longè abest, ut tutiùs de rebus illîc gestis mendacia spargantur, confutentur difficiliùs. Ideo in Japonia causæ præsidium quærit. Et sanè multi quidem de Japonicis miraculis multa jactant; Verùm quibus testibus confirmantur, nisi Jesuitis? Franciscus de Victoria Hispanus Relect. 5. prop. 5. referente Thoma Mortono, *Nulla*, inquit, *miracula audio.* Acosta l. 6. de Indorum salute cap. 4. *Quæ est prædicatio nostra? Quæ fiducia? Signa quidem non edimus.* Cap. 12. Nos prodigia, *quibus Evangelicas voces confirmemus*, nulla *producimus.* Imò l. 6. c. 17. dicit, *nõ opus nunc esse signis.* Lib. 2. c. 9. ait, *Unum illud huic novo orbi potentissimum & ad fidem efficacissimum & penè* singulare miraculum *necessarium est, mores cum fide congruentes: hoc abundè sufficit.* Et tamen hoc deesse, indicat Benzo lib. 2. hist. nov. orbis cap. 18. Cùm enim Indos, Hispanorum impietate, multo deteriores

res esse factos, multis exemplis probâsset, & inprimis retulisset Indi cujusdam interrogati, cur aleæ & blasphemiæ esset deditus, responsum, *Nos*, inquiẽtis, *ex vobis ipsis hæc exempla didicimus*, subjicit. *At bis ipsis hæc ferè sunt miracula atque prodigia, quæ Hispani apud Indos edidere.* Cæterùm cùm de miraculis quæritur, si ullum Jesuitis fuit necessarium in hac nova missione, necessarium fuit donum linguarum. At hoc non habuerunt. Fatetur Xaverius lib. 3. Epist. 5. ad Societatem Goam scribẽs, *Si nos linguam calleremus Japonicam, non dubito, quin plurimi fierent Christiani. Faxit Deus, ut eam brevi addiscamus, tum demum aliquam Christianæ rei navabimus operam; nam nunc quidem inter eos, tanquam* mutæ statuæ, *versamur: multa enim illi de nobis & dicunt & cogitant, ad quæ nos obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari. In præsentia in linguæ hujus percipiendis elementis repuerascimus.* Adde, quòd Xaverius de miraculis suis, quæ alii jactant, nihil usquam scribit. Miraculum naturæ non tacuit, quod viderat in capro lacte suo hædos alente, & tacuisset miracula gratiæ? Jesuitæ id tribuunt modestiæ. Quasi verò Apostoli modestiæ limites transgressi sint eo, quòd memorârunt, quæ Deus per ipsos effecerat, Act. 14, 27. 15. 14.

XXIII. Cùm in Europa non opus esse miraculorum dono, Becanus dicit, haud obscurè defectum agnoscit, quem profitetur clariùs, dum ejus culpam in Evangelicos transfert. Jactat enim, *Jesuitas hîc non facere miracula, sicut in Japonia, quia Lutherani & Calvinistæ illis nolint credere*, tom. 2. Opusc. p. 187. At enimverò primò, fides erat facienda priùs miraculis Japonicis, quàm Lutheranorum & Calvinistarum incredulitas prætenderetur. Secundò. Papistæ narrant, superioribus seculis quosdam hæreticos miraculis esse confutatos à Papistis. Nominatim Baronius ad Annum 1192. refert, quomodo aqua, per commixtionem corporis Christi, in sanguinem Christi sit, propè Erfurdiam, transsubstantiata, & paulò pòst precibus Moguntini Episcópi & Sacerdotum pristinam formam recuperaverit, num. 21. 22. 23. 24. Addit, hoc miraculum confutâsse hæresin, isto seculo obortam, negantium, aquam vino mixtam mutari in sanguinem. Bzovius, Annalium Ecclesiasticorum Continuator ad Ann. 1199. num. 43. scribit, Berengarianam hæresin in Germania repullulantem miraculis repressam esse. Idem ad Ann. 1204. num. 23. & seq. dicit, *Sanctum Dominicum vicisse Albigenses igne confessionem utriusque partis probante.* Ad An. 1232. num. 6. refert, *Petrum Veronensem Catharorum Episcopum superâsse miraculo nubis, sereno cœlo, auditores obducentis.* Hîc quæret pius, si Berengarianorũ, Albigensium & Catharorum incredulitas non obstitit, quominùs Papistæ miracula ederent, cur Lutheranorum & Calvinistarum, (sic homo vocat) incredulitas obstet? Papista vix explicabit. Tertiò. Nec ibi conspiciuntur miracula, ubi nulli palàm apparent Evangelici, qui contradicant. Obstare nostrorum incredulitatem, quominùs edant Jesuitæ in Italia & Hispania miracula, nescio, an cordati Papistæ sint credituri. Nec enim inter suos patrant miracula.

XXIV. Sed esto. Memorare possint effe-

effecta stupenda, quid tum? Memorabant etiam sua Donatistæ, apud Augustinum lib. de Unit. Eccles. c. 19. Septemcastrensis lib. de moribus Turcarum cap. 44. (cit. D. Gerhard.) memorat, quòd ipsorum Religiosi plurima miracula faciant tam vivi, quàm mortui. Augerius Busbequius Epist. 4. scribit, Monachum Turcicum, se inspiciente, manum candenti ferro injecisse, idque ori insertum aliquamdiu versâsse, non sine salivæ stridore. Macedonium, Pneumatomachum, multos à morte sua morbis liberâsse, refert Baronius ex Cedreno ad An. 515. num. 10. Inter Gentiles Actius Nævius augur, coram Tarquinio Prisco, novaculâ secuit cotem. Claudia Vestalis, castitatem suam probatura, navem duxit suâ zonâ, quam ei alligaverat, apud Ludovicum Vivem in Com. ad Aug. lib. 10. de Civ. Dei cap. 16. Inde non immeritò quæras, unde Papistæ probent, vera esse sua miracula, non falsa? Discerni enim hodie non possunt, sive ex solo sensuũ judicio, sive ex signis, quæ in patrante sint conspicua, sive ex Scriptura. Non ex solo *sensuum* judicio. Christus enim illi discretionem nusquam tribuit; fallitur in ludicris Agyrtarum actionibus, multò magis Satanicis illusionibus. Inde prædicitur sub Antichristo futura seductio generalis, cui prudentes locum non essent tam facilè concessuri, si sensuum beneficio à veris miraculis falsa possent discernere. Non ex *signis*, quæ exstant in homine, qui facit miracula. Incertum enim, sitne verè, an apparenter sanctus. Multi videntur sancti, qui verè sunt hypocritæ. Diabolus se in angelum lucis potest transformare, 2. Corinth. 11. Nemo scit, quid sit in homine, n, si spiritus, qui est in eo, 1 Corinth. 2. Non denique ex *Scriptura*. Aut enim judicanda ex comparatione doctrinæ, aut non possunt ex Scriptura discerni. Prius si Papistæ agnoscant, falsa deprehendentur miracula Papistica facta ad confirmãdum purgatorium, invocationem Sanctorum, imaginum & reliquiarum cultũ religiosum, transsubstantiationem &c. Fiunt enim ad confirmandam doctrinam falsam. Si negent, jam non alia supereſt discernendi ratio in Scriptura, quodnam enim inde nobis promet criterium?

XXV. Dicam igitur, quæ isti, dogmatum illorum & similium probandorum causâ facta, jactant, esse incerta, tum quoad efficientem principalem, sitne Deus, an Satanas, tum quoad actus ipsius veritatem, quam nunquam probare possunt indubitatis argumentis. Imò negare non possunt multiplices fraudes, & interdum ipsi derogant eis fidem non obscurè. De *fraudibus* Agrippa lib. de van. scientiarum c. 97. *Cæteri Divorum construunt historias, piè nonnihil admentientes, supponunt reliquias, fabricant miracula, confingunt que terribiles fabulas.* Lyranus in Dan. 14. *Aliquando fit in Ecclesia maxima deceptio populi in miraculis fictis à sacerdotibus, vel eis adhærentibus, propter lucrum temporale, & talia sc. sunt exstirpanda à bonis prælatis, sicut ista miracula exstirpata sunt à Daniele.* Cassander in Consult. Art. 21. scribit, pernicioſam opinionem improborum de intercessione & patrocinio Sanctorum, quantum fieri potuerit, *commentis miraculorum* confirmatam esse. Fidem miraculis

culis Papisticæ Ecclesiæ non obscurè derogat Bellarminus, cùm ait, *Ante approbationem Ecclesia non est evidens, aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quòd sit verum miraculum.* Et paulò pòst; *Non constat, nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, non esse illusionem Satanæ. Dæmon enim, etsi non potest facere verè miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quæque*, lib. 4. de Notis Eccles. c. 14.

XXVI. Quid? Alexander III. decrevit, neminem debere moveri miraculis ad colendos defunctos, ante approbationem Romanæ Ecclesiæ, C. 1. *Audimus.* 3. Decretal. Sic evanescit omnium illorum fides. Quænam enim Ecclesia approbavit miracula Papistica? Papalis. At eam esse veram Ecclesiam, priùs erat probandum. Nos non agnoscimus. Proferant igitur certa indicia & quidem quæ non etiam de suis potuerint proferre Ethnici. Si ad operum *magnitudinem*, quæ vires Diaboli superet, si ad *simplicitatem* eorũ, q patrârunt, si ad *auctores*, q vel viderunt, vel ab aliis, q viderant, acceperũt, provocẽt, nulli erunt. Eodem modo Ethnici sua comendabunt. Quid majus cæcorũ illuminatione? Et tamen Titus Vespasianus luminibus orbato visum restituit. Non in angulo obscuro res gesta, sed pro concione. Viderunt adstantes: qui interfuerunt, memorant. Sic Tacitus, sic Suetonius. Papistę simplicitatem suorum probãt, & suspicionem collusionis cum Satana diluunt hoc argumento, quòd plurimi Dæmones expulerint. At etiam Serapis, qui Græcis Pluto dicitur, apud Ægyptios Symbola dedit, quibus Dæmones expellerentur. Porphyrius è balneo quodam Dæmonem, ab indigenis Canſathan nominatum, ejecit. Zvingerus ex Eusebio & Eunapio refert, in Theatro vit. hum. pag. 367. & 1524.

XXVII. Si dicant, se non teneri, indicia certiora edere, ego dicam, teneri; id quod probo triplici argumento. Primum est. Quja signa magna faciet Antichristus, 2. Thessal. 2, 9. 10. Apocal. 13, 13. 14. ubi nota, nullum miraculorum genus excludi. Alterum, quia fatentur Papistæ, Antichristum similia illis facturum, quæ fecit Christus. Blasius Viega Comm. in Apocal. 13. sect. 11. *Faciet multa signa & prodigia falsa & sophistica, cæci resipiscent, claudi ambulabunt, surdi audient, dæmoniaci curabuntur, convertet solem in tenebras & lunen in sanguinem apparenter. Leprosos mundabit, paralyticos sanabit, mortuos excitabit, expellet Dæmones &c.* Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. c. 15. *Antichristus videbitur excitare mortuos & sanare ægrotos.* Tertium est. Quia manifestis exemplis constat, prudentissimis quibusque impositum esse miraculorum specie. Dubitas, aut negas? Una Magdalena Crucia Hispana testis esse potest locuples, quippe cui in cœnobio S. Claræ, ope Satanæ, per miracula plurima, quibus clarebat, tanta sanctitatis fama accrevit, ut Pontifices, Imperatores, Reges, per literas, ejus sese precibus commendarent, atque adeò Caroli V. uxor Philippum filium in fascis, quas Magdalena suis precibus consecrâsset, primùm involvi curaverit. Hæc enim omnia fuisse Satanæ ludibria, tandem ipsa prodidit & deflevit, postquàm triginta annos cum Diabolo sub Aethiopis specie consuevisset. Vide Theatrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Zvingeri vol.5.lib.4.pag.1334. Hactenus Sophista vastavit propriam segetem. Cōclusio enim ex præmissis firma fluit, Papisticam Ecclesiam non esse veram Christi Ecclesiam.

XXVIII. Ille majorem probare conatur ex 1.Cor.12. ubi Apostolus confert Ecclesiam cum humano corpore. *Nam* inquit, *sicut in humano corpore sunt multa membra, quæ habent diversa officia & actiones: Ita in Ecclesia sunt multi fideles, qui habent diversa dona à Deo concessa. Nam alius habet donum miraculorum, alius interpretationis Scripturæ, alius aliud.* Num.68. Comparationem apostolicam agnoscimus; donorum varietatem in Ecclesia prædicamus; dona isto loco recensita in primitiva Ecclesia viguisse, novimus; omnia in Ecclesia perpetuò vigere debuisse, nec dicit Apostolus expressè, nec è textu rectè colligitur. Non debuisse omnia, comprobat eventus. Quòd non expresè dicat Apostolus, apertum. E textu, quo argumento colligas? Recensentur ibi tum gradus in Ecclesia, tum dona. At illi gradus non omnes futuri erant perpetui, sed alii perpetui, alii temporarii, v.28.29. Similiter diversa dona memorantur, quorum quædam ordinaria & perpetua, alia extraordinaria & temporaria. Patet. Nominatur donum linguarum, quod cessâsse, & fatentur Papistæ, & res ipsa ostendit. Ut igitur ex hac Apostoli comparatiõe non sequitur, donum linguarum in Ecclesia esse debere perpetuum, sic nec donum miraculorum; Aut dicant, quinam in Papistica Ecclesia polleant linguarum dono? In textu enim non magis illud, quàm hoc prædicatur perpetuum.

XXIX. Quartum *Vera Christi Ecclesia errare non potest. Ecclesia reformata potest errare in fide. Ergo. Instat, majorem suprà fusè probatam esse, minorem nos cogi concedere.* Num.69. Imò quòd & quatenus vera Christi Ecclesia visibilis errare possit, nos suprà declaravimus ac demonstravimus, refutatis Sophistarum argutiis. Majorem igitur, ut jacet, constanter negamus; nec immeritò. Ecclesia enim Corinthiaca vera fuit olim Ecclesia; fuit Ephesina, Philippensis, Colossensis, Thessalonicensis; fuerunt Orientales omnes, quæ numero longè superant Occidentales. Unus Armenorum Metropolitanus plures quàm mille Episcopos sub se habet, apud Baronium, ad Annum 1145. num.23. Errârunt tamen. Ipsi Papistæ dicunt. Imò addunt, omnes particulares Ecclesias, exceptâ Romanâ, errare posse. Aut igitur nulla particularis Ecclesia, exceptâ Romanâ, est vera Christi Ecclesia, aut vera Christi Ecclesia errare potest. Jesuita infert, *totam nostram Ecclesiam errare posse.* De tota nostra visibili Ecclesia unius temporis omnino concedimus, errare posse. Ille porrò infert, *neminem igitur apud nos securum, aut tutum esse de fide.* Hoc jam nego sequi. Probare conatur isto dilemmate: *Vel sequuntur Ecclesiam suam, vel ab ea dissentiunt. Si illam sequuntur, nihil certi habent, si ipsa errare potest. Si ab ea dissentiunt, magis perplexi sunt, quia si tota ipsorum Ecclesia errare potest, multo magis singuli ipsorum possunt.* Num.69. Distingue inter sequelam absolutam & limitatam. Scripturam sequimur absolutè, quia est indubitatum verbum Dei, qui errare non potest. Maledictus enim, qui aliud Evangelium prædicat, Galat.1. Ergo

go etiam, qui sequitur. Ecclesiam sequimur limitatè, quatenus illa sequitur Scripturæ ductum; Ecclesiam à verbo Dei declinantem non sequimur, juxta mandatum Domini, Ezech.20,18.19. Nemo vitio nobis det sequelæ limitationem. Innocentius III. C. *Anobis.* Extra. de senten. Excom. *Iudicium Dei,* inquit, *veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ non nunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli.* Ille quidem in quæstione Excommunicationis versatur, nihil tamen obstat, quominùs sententia universaliter accipiatur. Cùm igitur Ecclesia nostra hodie teneat Dei verbum, meritò illam sequimur. Si tamen illa deinceps in errorem incideret, fideles omnino, quoad illum errorem, rectè ab ea dissentirent, nec tamen ideo magis fierent perplexi.

XXX. Patet ab exemplo Ecclesiæ Israëliticæ. Tota Ecclesia Israëlitica visibilis errabat reipsâ in cultu Baalitico, ideo ab ea dissentiebant septies mille viri Eliæ minimè cogniti. Neque tamen isti magis erant perplexi, quia ab Ecclesia Israëlitica dissentiebant. Tempore Achatzi nusquam erat publicum purum ministeriũ, nusquam apparebat cœtus integer, ac illustris, qui palàm Deum purè coleret. Error igitur totam visibilem Ecclesiam occupaverat. Hîc nemo pius dicet, fideles debuisse consentire in publicam cultûs corruptionem, & communem errorem Ecclesiæ sequi. Ergone securi, aut tuti de fide esse non poterant? Imò poterant. Habebant enim legem: illi debebant se conformare. Illa præstabat securitatem. Præterea de Pharisaica Ecclesia, q̃ ante Johannis præconium errâsse, certum, arguamus. Illam Judæi vel sequebantur, vel ab ea dissentiebant. Si Ecclesiam Pharisaicam sequebantur, nihil certi habebant, si ipsa errare poterat. Si ab ea dissentiebant, magis erant perplexi; quia si tota Pharisæorum Ecclesia errare poterat, multo magis singuli. Errâsse Ecclesiam illius temporis de persona & officio Christi, suprà probavimus perspicuè. Aut igitur Judæi isto tempore nihil certi habuerũt, aut nos hodie aliquid certi habere possumus, etsi Ecclesia possit errare. Nempe illi habebant Scripturam; ad eam remittebantur à Christo, Johan.5,39. Eandem & nos habemus, & quidem novi Testamenti libris egregiè auctam. Inde nobis tuta securitas, quam Papistæ nec habent, nec habere possunt, nisi nostris principiis assentiantur.

XXXI. Id sic ostendo. Papista Pastorem suum, quem audit, aut sequitur, aut ab eo dissentit. Si eum sequitur, nihil certi habet, si errare potest. Si ab eo dissentit, magis perplexus est, quia si Pastor errare potest, multo magis ipse. Quò se recipiet, ut ab errore tutò liberetur? Aut ad Scripturam, aut ad alios Pastores Pontificios. Si ad hos, aut eos sequitur, aut ab eis dissentit; Si sequitur, nihil certi habet, si illi errare possunt. Si ab eis dissentit, magis perplexus est: Si enim multi Pastores errare possunt; multo magis ipse potest. Singulos posse errare, fatentur Papistæ. Adeat ergo congregatos in Concilio. Eos aut sequitur, aut ab eis dissentit. Si eos sequitur, nihil habet certi, si errare possint congregati; Si ab eis dissentit, ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gis erit perplexus. Si enim Pastores in Concilio errare possunt, multo magis ipse potest. In particulari Concilio errare posse, & res ipsa testatur, & fatentur Papistæ. Supereſt Concilium generale. Difficile remedium, quod rarissimè potest obtineri. Intra sedecim secula, quàm pauca Concilia sunt celebrata, quibus generalium nomen tributum est? Sed possit Papista Concilium generale consulere. Aut id sequitur, aut ab eo dissentit. Si sequitur, nihil habet certi, si errare potest: Si dissentit, magis erit perplexus: Si enim generale Concilium errare potest, quanto magis ipse? Hîc varii sunt Papistæ. Errare posse, negant, cùm favet causæ Pontificis: cùm non favet, clamant, errare posse. Chalcedonense Concilium, quod Gregorius M. cum tribus aliis profitetur, se recipere, ut quatuor Evangelia, tum Andradius in defensione fidei Tridentinæ, tum Bellarminus erroris arguit. Constantiense & Basileëse, in causa calicis populo erepti, laudant; in causa Pontificis contra legem naturæ, contra manifestas Scripturas, contra vetustatis auctoritatem & contra catholicam Ecclesiæ fidem decrevisse, contendit Albertus Pighius in Hierarchia Ecclesiastica. Quid hîc faciat Papista? Ubi securitatem inveniet? Apud Romanum Pontificem, inquiunt Jesuitæ. Is si confirmet Concilia, non possunt errare, quia ipse errare non potest. Non jam quærant, unde Papista cognoscat? Quid si errare possit? Aut illum sequitur Papista, aut ab illo dissentit. Si dissentit, erit perplexus. Si eum sequitur, nihil habet certi, si errare potest. Nam *si Papa erret, tota Ecclesia errabit*, inquit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 3. Si tota Ecclesia, quam securitatem habebit Papista? Jesuitæ quidem strenuè negant, Papam errare posse: Verùm nobiles Papistæ contrarium tenent, nominatim Panormitanus, Guilh. Occam, Joh. Gerson, Tostatus Episcopus Abulensis, Antoninus, Turrecremata; Imò errâsse, dicunt multi, nominatim Lyranus, Volaterranus, Alphonsus à Castro, Concilium Basileense. His suffragatur historia. Quò nunc se vertet Papista? Num ad Concilium? Jam quidem Sorbona Parisiensis dicit, Concilium esse supra Papam. At Baronius hæresin appellat, cui adstipulatur curia Romana. Ex hoc labyrintho Papista se nunquam expediet, nûquam erit securus, nisi nobiscum Scripturam consulat. Illa errare non potest, fatente Papâ. Illam ergo nobiscum si sequatur, securus erit & tutus. Aliter non erit.

XXXII. Becanus de his minimè solicitus, jactat, quòd Ecclesia nostra errare possit, & nemo apud nos securus aut tutus sit de fide, se magis confirmare ex duobus principiis, quæ nostri statuât. Quid opus est confirmatione prioris, cùm ultrò concedamus, nostram Ecclesiam non minùs, quàm aliam quamcunque errare posse, si declinet à verbo Dei? Quomodo securi simus & tuti, non obstante Ecclesiæ falsibilitate, perspicuè ostendimus. Quæ Sophista facilè prævidebat, sed noluit tangere. Ostentare se mavult strophis non vulgaribus, an lectorem incautum possit implicare. Poteramus nostro jure præcidere, quicquid deinceps assuit. Videamus tamen, ne clamet, nos fugere.

Pro-

Producit duo principia, tanquam nostra. Unum est, *Pontificiam Ecclesiam non subitò, sed sensim defecisse à fide, ac tandem, omni fide abjectâ, adulteram factam esse.* Num. 70. Ita est. Statuimus, Pontificiam Ecclesiam sensim defecisse à fide, & tandem adulteram esse factam; omnem fidem abjecisse, non statuimus. Retinet enim articulum de Trinitate, de creatione & providentia, de persona Christi, de adscensione in cœlum, de reditu ad judicium, de resurrectione carnis. Alterum est, *defectionem illam initio fuisse latentem & occultam, adeo ut nec locus, nec tempus, nec aliæ circumstantiæ illius certò designari potuerint. Tandem tamen post aliquot secula à Luthero & Calvino publicè fuisse notatam & deprehensam.* l. l. Quòd nostri defectionis initium occultum fuisse, dicûnt, id habent ab Apostolo. Is prædicit defectionem futuram; is jam suo tempore mysterium iniquitatis peragi cœpisse, dicit, is revelationem prædicit. Defectionem plenam occultam fore, non dicit, sed initium & fundamentum poni occultè, dicit satis apertè. Mysterium enim vocat propter occultam molitionem, non mox omnibus patentem, fucatam quippe specie Sanctitatis atque titulo pietatis. Molitionem clancularian, variis artificiis tectam, coloribusque pictâ, sequetur detectio. Princeps & caput defectionis, homo ille peccati, tandem patebit regnans. Reteget se ipse factis, ut deprehendatur, agnoscaturque, & retegetur ab aliis. Non mox ab initio se manifestè prodet, sed quibus poterit modis, fraudem occultabit. Quapropter iniqui sunt, qui mutationis in omnibus ac singulis dogmatibus factæ, atque temporis omnes circumstantias speciatim à nobis, post tot secula, exigunt. Ut enim à subitaneis morbis in eo differunt lenti, quòd illorum causæ & tempus facilè notantur, horum initia occulta, progressus tardi, donec totum occupârint corpus; sic defectio Papalis à reliquis hæresibus differt.

XXXIII. Neque tamen tam occulta fuit defectio, quin aliquæ circumstantiæ notari possint, & non uno, non duobus, sed pluribus seculis, ante Lutherum & Calvinum sint animadversæ. Certè nusquam nostri tam occultam fuisse, dicunt, nusquam dicunt, tamdiu occultam fuisse, donec à Luthero & Calvino sit deprehensa. Causam defectionis principem Satanam, jam olim nobis nominavit Apostolus, 2. Thessal. 2, 9. 1. Timoth. 4, 1. Instrumenta fuerunt tum hæretici, quorum falsa dogmata interpolavit Papatus, variis è Judaismo & Gentilismo adscitis ceremoniis, tum Pontifices Romani primatum quærentes, obtinentes, defendentes, amplificantes, tum denique Scholasticorum turba. Historiam Ecclesiasticam & veterum Commentarios qui consulit, intelliget, nos verum dicere. Sed & præterea intelliget, Patres, qui vel à Gentilium scholis, vel ab hæreticis ad Ecclesiam venerant, vel ante natas hæreses liberiùs disserebant, vel cum hæreticis disputabant, interdum inconsideratiùs duriusque locutos esse, unde hominibus citerioribus errandi graviùs præbita occasio. Imò Patres de quibusdam dubitârunt, de aliis, tanquam probabilibus, disputârunt, ea posteriori ætati visa arrisêrunt, à Scholasticis, ut vera, recepta, à Cô-

cilio Tridentino & modernis Papistis, tanquam creditu necessaria, contra veritatem ex Scriptura luculentissimè demõstratam, defenduntur. Adeò ut à certis, quæ ab Apostolis erant tradita, ad dubia, à dubiis ad opiniones probabiles, ab opinionibus ad errores, ab erroribus ad hæreses factus sit progressus, quemadmodum rectè monet Chemnicius, & alii nostri in specialibus controversiis ostendunt. Locum designat Apocalypsis, urbem sc. septicollem habentem imperium in Reges terræ, in qua sessurus Antichristus. Ex illa prodierunt funesta Paparum decreta jubilæa, indulgentiæ, alia prodigiosa dogmata.

XXXIV. Temporis momenta quædam à nostris nominantur. Nimis longum esset, hîc sigillatim persequi. Vide Auctores Centuriarum Magdeburgensium. Illi distinctis seculis annotârunt. Ipsi Papistæ annotârunt insignes mutationes. Nicolaus Machiavellus in principio suæ Historiæ scribit, circa annum Christi sexcentesimum consuetudines seu dogmata veteris Ecclesiæ cummiraculis novæ pugnare cœpisse. Nam spectrorum apparitiones & alias imposturas Satanæ miraculorum veterem illam formam religionis prorsus evertisse. Johannes Wolfius recitat verba in Lectionibus memorabilibus. In hoc ferè tempus insignis mutatio Ecclesiæ Romanæ incidit, sub Bonifacio III. qui primus Oecumenici Pontificis titulum à Phoca parricida impetravit anno sexcentesimo quinto, teste historiâ; postquàm Gregorius M. paulò antè scripsisset, quicunque universalis appellari vult, Antichristi præcursorem esse. Gregorius VII. dogmata antè inaudita promulgavit. Baronius recitat ad Annum millesimum septuagesimum sextum. De hoc tempore scribit Aventinus, *Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices, tum imperium Antichristi cœpisse, quòd ea, quæ Christus servator noster tot annos antè nobis cantavit, eveniisse eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidere*, lib. 5. annal. Bojor. p. 470. Ibidem ex Gerocho acerrimo Gregorii defensore hæc verba recitat; *Romani divinum honorem sibi usurpant, rationem actorum reddere nolũt, nec sibi dici, æquo animo ferunt, cur ita agis? Illud Satyricum inculcant*; Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. pag. 446. Sequente paginâ de suo addit; *Tum illa, quæ de Sylvestro & Constantino vulgò inculcantur, & alia pleraque quæ ob modestiam Christianam referre pudet, non minùs imperitè, quàm impudenter mendaciterque conficta sunt, simulata religio, specie pietatis invasit. Compilationes, nundinæ sacrorum irrepsere, & sacrosancta philosophia humanis commentis, fabulis anilibus, à Sycophantis callidâ interpretatione pollui, corrumpi, violari cœpit adeò, ut sine multorum pernicie religio sancta procurari, & ad pristinam majestatem restitui non possit.* Ludovicus, Arelatensis Episcopus, in Concilio Basileensi dixit, quòd Oratores Eugenii ubique novam doctrinam prædicent, & Concilium Papæ subjiciant, apud Aeneam Sylvium lib. 1. de Gestis Concil. Unum tantùm exemplum hîc addam de cultu. Leo III. Sanctos primus canonizavit, apud Bellarminum lib. 1. de beat. Sanct. cap. 8. Is vixit ætate Caroli M. Martinus Peresius par. 3. de Tra-

Tradit. consid. 7. dicit, à tempore Cornelii intercessiones Sanctorum, à tempore Basilii invocationes commendatas esse. Imaginum cultum religiosum demùm à Gregorio II. (Ann. 731.) & Stephano (An. 770.) confirmatum esse, affirmat Beierlinck conc. select. 21. pag. 409. apud D. Gerhardum. Bellarminus primam pro eo Synodum Romanam citat, sub Gregorio III. Anno 733. habitam. Alia vide à nostris annotatâ. Non verò dubium est, quin multò plura notari possent, nisi suppressa esset historiæ veritas. Quò pertinet, quod Aventinus l. l. p. 453. memorat, Gregorium VII. non solùm ad ambitionem suam occulendam fabulas commentum esse, annales corrupisse, res gestas invertisse, sed etiam cœlestia oracula adulterâsse, divinas literas falsò interpretando suæ libidini servire coëgisse. Quis credat, hunc solum artem istam exercuisse?

XXXV. Jam repeto, quod dixi, non primùm à Luthero & Calvino animadversam esse defectionem ab Apostolica doctrinæ & ceremoniarum puritate & simplicitate. Ceremoniarum multitudinem jam suo tempore improbabat Augustinus, Epist. 119. ad Januarium. Romani Pontificis primatum impugnat Concilium Carthaginense tertium circa An. 397. Cùm eum ex supposititio quodam Nicæni Concilii canone tueri vellet Papa, fraudem detegebat Carthaginense sextum. Delectum ciborum improbat Concilium Gangrense. Cultum imaginum rejecit Concilium Francofordense, & tum Galli, tum Germani reprehenderunt, in qua sententia Germani, adhuc ætate Friderici Barbarossæ, perstiterunt, teste Cassandro in Consultatione. Separationem tori in sacerdotibus damnat Concilium sextum generale Trullanum, Can. 13. Cœlibatus legem impugnant multæ Ecclesiæ in Germania, Italia, Gallia & Anglia. Multa dogmata Papalia improbârunt Waldenses, multa Wiclefus, multa Joh. Hussus & Ecclesiæ Bohemicæ, omnes ante Lutherum & Calvinum. Non igitur dicimus, tam latentem fuisse defectionem, ut nemo animadvertere potuerit. Imò multi animadverterunt in medio Papatu. Vide Catalogum testium veritatis.

XXXVI. Ita evanescit argutiola, quâ ludibundus nobis insultat Sophista; *Quod contigit Ecclesiæ Pontificiæ, potest etiam contingere Ecclesiæ reformatæ. At Pontificia, ut adversarii dicunt, sensim, latenter & occultè defecit à fide, nobis non advertentibus. Ergo etiam reformata potest sensim, latenter & occultè deficere, ipsis non advertentibus. Quid si ergo jam defecerit, & ipsi non adverterint? imò, quomodo possunt advertere, si defectio latens & occulta est? Manent ergo incerti de sua fide & Ecclesia.* Hîc planè constrictos nos esse, clamat, & se non videre, quid respondere possimus. Num. 70. 71. Nondum sentimus, nos constrictos; etsi Sophista non videat, quid respondere possimus, nos tamen videmus, Dei beneficio. Nec major, nec minor recto stat talo. Non *maior*: Nam diversa est ratio Papisticæ Ecclesiæ & reformatæ. Illa persvasa est, se simpliciter errare non posse; ideo securè agit, nec multum attendit, an impingat, nec ne: Ista novit, se errare posse, nisi unicè adhæreat verbo Dei.

Dei. Vigilat igitur & seipsam excutit, an sequatur Dei verbum, ne ullâ parte ab eo declinet. Illa, bruto impetu sequitur Papæ dictamen, tanquam infallibile: Ideo non inquirit in Scripturis, num ita se habeant, quæ dicit. Huc pertinet efficaci a erroris, quam Deum missurum esse, prædicit Apostolus, 2. Thessal. 2. Ista, sententiæ apostolicæ, Galat. 1, 8. memor inquirit. Berhoënsium exemplo, Act. 17. an ita se habeant, quæ à doctoribus suis dicuntur. Ideo non tam facilè error potest obrepere.

XXXVII. Non *minor*: Etsi enim nec Papa agnovit, nec cæca multitudo, propter efficaciam deceptionis à Deo justè missam, non observavit defectionem, nunquam tamen defuerunt extra & in Papatu, qui notarent, vel saltem ingemiscerent. Guntherus Colonienſis & Tetgaudus Trevirensis, Episcopi Ann. 858. Nicolao I. sic scribunt, sub habitu & cultu Pastoris lupum sentimus, apud Aventinum l. 4. Annal. pag. 329. Arnulphus Aurelianensis Ann. 991. ad Synodum Rhemensem differens, Papam appellat Antichristum in templo Dei sedentem, & sese ostendentem, tanquam sit Deus. Judicium plerorumque bonorum de Hildebrando audivi mus suprà. Leodiensis Ecclesia Ann. 1100. in responso dato Paschali II. Romam vocat Babylonem. Honorius Augustodunensis circa Ann. 1120. Romam & Episcopos in ea sub appellatione Babylonis & sedis Bestiæ graviter perstringit. Bernhardus circa Ann. 1130. citante Hugone Cardinale in Postillis super cap. 1. Joh. *Videtur, bone Jesu, adversùs te conspirâsse universitas Christianorum & illi in tua persecutione primi sunt, qui in Ecclesia videntur primatum tenere & gerere principatum.* Idem Dominatum Papalem apertè reprehendit lib. 2. & 3. de Cõsiderat. ad Eugen. Johannes Saresburiensis Episcopus Carnotensis (circa Ann. 1150.) in suo Polycratico scribit, sedere in Ecclesia Romana Scribas & Pharisæos ponentes onera importabilia in humeros hominum. Eodem tempore Elisabetha virgo Germana, prophetico spiritu insignis, in scriptis, quæ Parisiis sunt impressa, cum præfatione Fabri, affirmat, quòd Papa & reliqui Prælati eos errare faciant, quos custodire & regere debebãt. Abbas Joachimus Calaber, in rhythmis suis germanicis, eosdem Antichristos nuncupat, circa Ann. 1230. Eodem titulo prosequitur Papam Episcopus Tullensis, apud Aventinum, in oratione ad collegas suos, circa An. 1280. Petrus Cantor, Parisiensis, circa Ann. 1210. scribit, abusus in Ecclesia & religione in immensum excrevisse. Multi in Alsatia circa An. 1213. statuerunt, licere quolibet die carnibus vesci: impiè facere, qui sacerdotibus conjugio interdicant. Sic in historia Hermannus Mutius. In Suevia multos liberè contra Papam circa Ann. 1240. concionatos esse, & inter cætera dixisse, se annunciare indulgentiam, non à Papa confictam, non à Prælatis compositam, sed ab omnipotente Deo per Christum concessam, testis Urspergensis in suis Paralipomenis. Fridericus II. circa Ann. 1240. scribit, multos Antichristos inesse Romanensibus. Illos, nec ullos alios, quod opera ostendant, exitio Christianæ religionis esse. Anno 1325. Petrus Pyrnensis Pontificem Romanum Antichristum, & Ecclesiam Romanam meretricem Babylonicam vocat. Johannes de Rupescissa circa Ann. 1340. asserebat, Ecclesiam Romanam esse meretricem, Papam Antichristi ministrum, Cardinales, pseudoprophetas. Ad id prædicandum se missum esse, dicebat Monachus quidam Minorita circa Ann. 1345. teste Henrico de Erphordia.

XXXVII. Matthias Parisiensis sub Ann. 1580. in libro de Antichristo scribit, Antichristum venisse, & omnes universitates & eruditorum collegia seduxisse, ita ut jam nihil sani doceant, aut Christianis rectè suâ vitâ præluceant. Militius Bohemus (tempore Gregorii XI. qui sedit ab Ann. 1370. usque ad Ann. 1378.) docuit, esse in Ecclesia idola destruentia Jerusalem, & desolantia templum, sed ea tegi hypocrisi. Anno 1328. Ludovicus IV. Johannem XXII. mysticum Antichristum & Hæresiarcham in publicis Imperii Comitiis declarat. Eodem tempore Marsilius Patavinus, in defensione pacis, graviter invehitur in errores Papæ, & ostendit, sacerdotes esse æquales, nec habere Papam super alios Episcopos superioritatem aliquam, multo minùs super cæsarem; summum judicium debere esse penès verbum Dei; Clerum & Papam debere esse subjectum Magistratibus; Ecclesiam esse universitatem fidelium; Ecclesiæ fundamentum & caput esse Christum, nec constituisse Christum aliquem unum vicarium, nec Papam. Episcopos eligendos esse ab Ecclesia, & clero suo. Conjugium sacerdotum piè concedi posse. Denique doctrinam Papæ non esse sequendam, quia ducat ad æternum exitium. Circa Ann. 1432. Concilium Basileense Papæ tyrannidem compescendam judicavit. In illo Thomas de Corsellis, oratione habitâ, apud Aeneam Sylvium ait, inter Romanos Pontifices fuisse hæreticos. Eodem tempore Georgius Heimburgensis, in libello de primatu Papæ, Papam ejusque Synagogam subinde Babylonem & Babylonicam meretricem appellat. De quibus omnibus vide prolixè in Catalogo testium veritatis. Sic minore Sophistæ destructâ, in fumum abit illusio amara, *quid si jam defecerit, & ipsi non adverterimus? Imò quomodo possimus animadvertere, si defectio latens & occulta sit?* Nostram Ecclesiam non defeciſſe à vera fide, certi sumus ex comparatione nostræ doctrinæ cum Apostolica, quo argumento nihil firmius esse potest. Quod simpliciter occultum est & latet, id non potest animadverti. At nos tam occultam defectionem Papisticæ Ecclesiæ non comminiscimur, ut à nemine fuerit animadversa ante Lutherum, quamvis etiam tum animadversam esse, sufficiat. De fide & Ecclesia nostra non manemus incerti, sed per Dei gratiam certi sumus, quia certi de cõformitate doctrinæ cum Scripturis Prophetarum & Apostolorum. Quamdiu Ecclesia verbum Dei sequitur, non errat.

XXXIX. Sophista clamat, id frustrà esse, & repetit argumentum, an nos fortiùs queat constringere. *Quicquid contigit Ecclesiæ Pontificiæ, id potest etiam contingere Ecclesiæ reformatæ. At Pontificia, ut ipsi volunt, sensim, latenter & occultè deseruit verbum Dei, nobis non advertentibus. Ergo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam reformata potest sensim, latenter & occultè deserere verbum Dei, ipsis non advertentibus. Num.71. Ingeminet millies eandem strophan. Nihil proficiet. De majore dictum paulò antè. Id repeto, quoties opus est. Minor non subsumitur, quod fingit adversarius, ex nostra hypothesi. Ecclesia Romana tam occultè non deseruit Dei verbum, quin aliqui defectionem observaverint. Observârunt plurimi in medio papatu. Bene multos nominavimus. Inanis est verborum strepitus, quòd ex hoc labyrintho nunquam simus elapsuri. Vide Ecclesiam Israëliticam ætate Eliæ tempore. Errâsse, certum. Num mox animadvertebat? Non patet. Imò cultum Baaliticum, tanquam legitimum, defendebat. Nõ igitur agnoscebat errorẽ. Num ideo septies mille, qui Baali genua non flexerant, incerti erant de sua fide? Contra hos poterant cultus Baalitici defensores sic disputare: Quod nobis accidit, idem vobis potest accidere. At nobis, vestrâ opinione, accidit, ut erremus non animadvertentes. Ergo idem potest vobis accidere non animadvertẽtibus. Ergo certi non estis de fide vestra, quòd Baal non sit colendus. Num bene? Vix dices. Si non bene, ergo nec Becanus bene. Eâdem enim oberrat chordâ. An fortasse nemo potest errare, quin animadvertat? An non pastor? An non Concilium particulare? An generale non potest, quod à Pontifice non est confirmatum, quin mox animadvertat? Papas errare posse, imò errâsse, fatentur nobiles Papistæ. An mox ab initio animadverterunt, se errare, nominatim Cœlestinus & Honorius? Si non mox animadverterunt ipsi, se errare, an alii certi esse non poterant, quòd rectam fidem adversùs Nestorianos & Monotheletas tuerentur, quibus illi favebant? Illi si poterant errare non animadvertentes, cur Ecclesia Papistica non posset? Si alii poterant de sua fide esse certi, quamvis & cœlestinus & Honorius errarent, id non animadvertentes, cur nos certi esse non possimus de fide, quamvis Ecclesia Papistica erraverit, dum putaret, se verum tenere? Erecta signa prostant, quæ viam rectam indicent. Aliqui viatores negligunt confisi ducis vel comitis peritiæ, alii observant. Illi aberrant, nec animadvertunt errorem, priusquàm moneantur: Isti non aberrant, dum signa respiciunt & sequuntur. Sic se res habet. Papistica Ecclesia, confisa duci suo, neglexit Scripturam, veræ viæ indicem; Inde erravit, nec mox animadvertit. Nostra respicit, & sequitur Scripturam falli & fallere nesciam. Cum ea consentiens doctrina & Ecclesia non potest non esse vera & apostolica. Nostra autem consentit. Vera igitur est & doctrina & Ecclesia nostra.

XL. Instat; *unde constet, an nostra, vel ipsorum Ecclesia sequatur verbum Dei, nec ne; Nos nostram, Papistas suam defendere. Designemus ipsi judicem infallibilem, qui sententiam ferat. Nos non posse.* Cur non possimus? *Vel enim,* inquit, *designabunt ipsum verbum Dei, vel Ecclesiam, vel singulos, qui sunt in Ecclesia, vel aliquos ex illis. Si designent verbum Dei, nos vicimus. Nam verbum Dei expressè asserit, Ecclesiam esse columnam veritatis, quam nullæ inferorum vires eversuræ sint. Idem nos asserimus. Si autem designent Ecclesiam, contra se faciunt. Vel enim sententia Ecclesiæ infallibilis est, vel falli potest. Si infallibilis est, errant ipsi, qui*

qui dicunt, errare posse. Si falli potest, iterum errant, quia cùm debeant assignare judicem infallibilem, designant Ecclesiam, quam aiunt falli & errare posse. Si designant vel singulos, vel aliquos eorum, qui in Ecclesia sunt, magis despiunt. Si enim tota Ecclesia errare potest, quanto magis singuli, qui in Ecclesia sunt? Num.72,&c. Nec designamus Ecclesiam, nec singulos, nec aliquos in Ecclesia judices infallibiles. Abit igitur in fumum, quicquid ille operosè declamitat, hoc toto numero. Designamus ipsum Dei verbum, seu Deum in verbo suo loquentem. Sic ante nos Basilius Epist.80. sic Augustinus in Ps.57. sic Optatus Milevitanus lib.5. Hîc homo exclamat, se vicisse; Inanis triumphus ante victoriam. Cur vicerint? *Quia,* inquit, *verbum Dei expressè asserit, Ecclesiam esse columnam veritatis, quam nullæ inferorum vires eversuræ sint. Idem nos asserimus.* Ridiculè! Vide argumentum; *Ecclesia Dei est columna veritatis; Ergo Papistica Ecclesia, est vera Ecclesia, cuius proprietates Becanus explicavit.* Nimis ridiculè. Apostolus isto titulo officium Ecclesiæ describit. Titulus est officii faciendi index, non est index officii semper facti. Concludat igitur hinc Jesuita, Ecclesiam Papisticam debere sequi verbum Dei; quòd reipsâ sequatur, concludere non potest solidè. Inquis, Paulus ait, *Ecclesiam Dei esse columnam veritatis.* Agnoscimus, & id verum quoque erat de Ephesina Ecclesia, quam nihilominùs errare potuisse, nimis manifestum. Erravit enim & defecit, quæ Pauli tempore erat columna veritatis. Errârunt & defecerunt Asiaticæ reliquæ. Romanam Ecclesiam errare non posse, sed perpetuò sequi Dei verbum, qui ex ista Apostoli sententia concludit, is vel graviter halucinatur, vel malitiosè torquet Scripturam. Non enim loquitur de Ecclesiæ Romanæ privilegio singulari. Tantum abest, ut vicerint Papistæ, verbo Dei, vel Deo, quatenus in Scriptura loquitur, designato judice. Quòd portæ inferorum non prævalituræ sint adversùs Ecclesiam, est privilegium catholicæ exquisitè dictæ suprà expositum. Non est privilegium Ecclesiarum particularium, qualis est Romana. Proinde singulos atque adeo omnes particulares cœtus, errare non posse, inde minimè sequitur. Etsi verò omnes particulares cœtus errent, non tamen Ecclesiæ prævalent inferorum portæ. In cœtibus enim errantibus Deus sibi servat gregem, qui veritati salutiferæ adhæret, quamvis non semper sit illustris & ab aliis omnibus palàm ita separatus, ut Respublica Veneta ab omnibus Rebuspublicis discreta monstrari potest.

XLI. Jesuita præoccupat, quòd fortè dicturi simus; *duplicem esse Ecclesiam; unam visibilem, in qua boni & mali permixti; alteram invisibilem, in qua soli prædestinati sint. Totam visibilem errare posse, non item invisibilem.* Fortè non dicturi sumus; Imò non dicimus, duplicem esse Ecclesiam, unam visibilem, alteram invisibilem. Unam & eandem Ecclesiam, diverso respectu, visibilem & invisibilem esse, dicimus. Quatenus errare, vel non errare posse, dicamus, patet à sectione quinta. Becanus clamat, *qui hoc dicant, secum pugnare.* Nos non dicimus, totam visibilem Ecclesiam sic errare, ut nulli prorsus in ea supersint à fundamentali errore immu-

nes, quamvis illi non semper constituant cœtum integrum, illustrem, omnibus notum, ab errantibus separatum. Idem dicunt alii. Cur verò id dicentes secum pugnant? *Nam*, inquit, *omnes prædestinati, quos aiunt esse in Ecclesia invisibili, sunt etiam in Ecclesia visibili: Ergo si tota visibilis errare potest, omnes etiam prædestinati errare possunt: Aut si hi non possunt, nec tota Ecclesia visibilis potest. Quod autem prædestinati omnes sint in Ecclesia visibili, ne adversarii quidem negare possunt. Et ratio manifesta est, quia nullus salvatur extra Ecclesiam visibilem, ut conclusione tertiâ ex illorum confessione probatum est. At omnes prædestinati salvantur. Ergo nullus prædestinatus est extra Ecclesiam visibilem.* Num. 73. Sic nondum probatur pugna. Tota moles verborum superstruitur fundamẽto ruinoso, q̃ de suo supponit, à nobis nõ habet Sophista. Fingit, totã visibilẽ Ecclesiã sic ex nostra sententia errare posse, ut nemo simpliciter in ea supersit, qui non erret. Vere fingit. Non enim ea est nostra sententia. Inde ruit moles superstructa. Etsi tota visibilis Ecclesia ratione *publici ministerii erret*, non ideo omnes prædestinati errãt. Nisi nulli sunt prædestinati, nisi in ordine ministrorum publico. Et rursum etsi cœtus prædestinatorum ab errore lethali præservetur, non tamen ideo Ecclesia visibilis tota errare non potest ratione publici ministerii. Extra visibilem Ecclesiam ordinariè non quærimus prædestinatos, nempe qui jam vocati sint voce ministerii. Id tamen non obstat, quominùs aliqui, ante vocationem voce ministri factam, & ab ipsis susceptam, sint extra visibilem Ecclesiam. Paulus enim ante conversionem prædestinatus erat, neque tamen membrum erat Ecclesiæ visibilis. Sed nec obstat, quominùs prædestinati fideles aliquando versentur extra visibilem Ecclesiam. Vide sectionem quartam. Omnium minimè obstat, quominùs prædestinati sint extra Ecclesiam Romanam Papisticam, quam solam hodie Papistæ pro vera visibili Ecclesia habent. Quo sensu dicatur nullus servari extra visibilem Ecclesiam, suprà est explicatum, Sect. 4. num. 1. & 3. Ad Romanam Papisticam transferre, nimis est alienum. Particularis enim est, extra quam salutem obtingere, ne acerrimi quidem Papistæ negare possunt. Sic moles verborum ruit, quâ adstruendâ Jesuita frustrà se fatigat, non probatur, nostros secum pugnare.

XLII. Jam mihi vide Papistas. Unde nobis insultant, in eo deprehenduntur ipsi succumbere. Jesuita clamabat, nobis non constare, an nostra, vel ipsorum Ecclesia sequatur verbum Dei, quia non possimus judicem infallibilem designare, qui litem decidat. Designavimus. Ipsi potiùs hîc hærent incerti. Non possunt designare, qui pro ipsis infallibiliter pronunciet. Vel enim designabunt verbum Dei, vel Ecclesiam, vel singulos in Ecclesia, vel aliquos ex illis. Si designent verbum Dei, nos vicimus. Illud enim doctrinam nostram confirmat. Conscientia dictare videtur Jesuitis. Declinant enim, omnibus viribus, hujus judicis tribunal. Si eo judice sperant victoriam, cur nolunt admittere? Cur Jesuita infrà rejicit? Si Ecclesiam designant, vel omnium temporum, vel præsentem designant. Si omnium temporum, nos rursum vicimus. In ea sunt Apostoli, in quibus Ecclesia est infallibilis. Illi pro nobis pronunciant in Scriptura contra Papistas. Ecclesia, quatenus in aliis consistit, vel consentit cum Apostolis, vel dissentit. Si consentit, nos rursum vicimus, quia Apostoli causam nostram approbant. Si ab illis dissentit, fallitur & ipsa, & Papistæ errant, quia cùm debeant judicem infallibilem assignare, designant Ecclesiam, quæ ab Apostolis dissentit. Si præsentem Ecclesiam designant, quam intelligunt? Papisticámne, an aliam? Si aliam, cadunt causâ. Dicunt enim, solam Papisticam esse Ecclesiam Christi, quæ errare nequeat. Si Papisticam intelligunt, bis sunt ridiculi, bis desipiunt. Illius enim agitur causa. Quæritur, an sequatur Dei verbum? Si ipsa judex designetur, perinde est, ac si jubeamur credere, Papisticam Ecclesiam sequi Dei verbum, quia ipsa dicit, se verbum Dei sequi. Porrò si singulos, vel aliquos eorum, qui sunt in Ecclesia Papistica, designent judices, magis desipiunt. Debent enim designare judicem infallibilem. Si dicant, singulos vel aliquos illorum esse infallibiles, errant; Cùm unus judex infallibilis petatur, dant innumeros, aut saltem multos. Si denique unum hominem in Ecclesia Papistica designent, omnium maximè desipient. Quis credat, plurimos & quidem congregatos Pastores errare posse, unum non posse? Et quæso, quis ille? Romanus Pontifex? At primò illius agitur causa. Quæritur, an ille sequatur Dei verbum. Licetne ei esse judici in propria causa? Deinde aliquos Pontifices errâsse, Papistæ celebres fatentur. Illi nequeunt Pontificem designare judicem sine magno errore. Qui negant, cogitent de sæculo decimo & undecimo. Baronius dicit, *Romæ sedisse horrenda monstra & portenta.* Num horrenda monstra & portenta fuerint judices infallibiles tantæ causæ? Si non fuerunt, ubi unus ille judex infallibilis latuit istis temporibus? Si tum falli potuerunt, qui tenebant sedem Romanam, cur hodie non possint?

XLIII. Adhuc unum addo: Jesuita dicebat, si verbum Dei judicem designemus, vicisse Papistas, quia illud dicat, *portas inferorum non esse superaturas Ecclesiam.* Tostatus olim Episcopus Abulensis, Cajetanus, & Ferus in Commentario monent, id non de Ecclesia, ut communiter accipitur, sed prædestinatorum intelligi. Becanus ad Romanam Ecclesiam transfert. Atqui nec Christus, nec Antiquitatis primæ consensus ei suffragatur. Ipse verò se evertit. Interpretatur de infallibilitate, & fingit, prævalere Ecclesiæ inferorum portas, si possit errare. Quid igitur, si Papa possit errare? Tota Ecclesia Papistica poterit. Ergo portæ inferorum poterunt eam superare. Ergo non erit infallibilis judex. At Papam errâsse, agnoscunt, ut aliquoties dixi, præstantissimi Papistæ. Ergo aut Papistica Ecclesia superata est à portis inferorum, aut Papistæ non vicerunt eo, quòd Scriptura dicit, portas inferorum non esse Ecclesiæ prævalituras.

XLIV. Becanus ex dictis duo dilemmata colligit & in nos torquet. Unum est, *Vel tota Ecclesia visibilis erravit in fide ante ortum Lutheri, vel non erravit: si tota erravit, omnes & singulos Christianos errâs-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

se necesse est, etiam prædestinatos. Nulla igitur tunc erat fides in terris. Unde igitur Lutherus eam accepit? Si non erravit, cur adversarii fingunt, eam errâsse? Cur eam, ut errantem, deserunt? Num. 74. Duo hîc præsuppono. Unum est, quòd tota Ecclesia visibilis errare dicitur vel respectu singularum Ecclesiarum particularium, vel respectu hominum singulorum, qui in ea sunt. Alterum, quòd illud *ante ortum Lutheri* vel notat universum tempus continuum, quod fluxit à Christo usque ad Lutherum, vel tempus ortum Lutheri proximè antecedens. His præsuppositis, facilis est responsio. Primò. Totam omnium temporum Ecclesiam visibilem semper usque ad Lutherum errâsse in fide, nos non dicimus, imò fides, quam tota visibilis Ecclesia Apostolorum tempore tenuit, Lutheri ministerio, in iis, quæ Protestantes verè Catholici communi consensu docent, instaurari cœpit. Ea est fides in propheticis & apostolicis Scripturis tradita. Secundò. Si totam Ecclesiam visibilem unius temporis, quæ videlicet ortum Lutheri proximè antecessit, errâsse, diceremus, non ideo omnes Christiani etiam prædestinati errâssent & quidem in fundamento fidei. Errare enim potest in omnibus cœtibus particularibus, ratione publici ordinarii ministerii, ut tamen non erret in singulis omnium particularium cœtuum membris. Cùm omnes particulares cœtus errant, tota dicitur errare visibilis Ecclesia. At non ideo mox errant omnes Christiani etiam prædestinati. Quemadmodum totus Israël dicitur servandus, postquàm introierit multitudo Gentium, Roman. 11. Neque tamen ideo simpliciter omnes Judæi etiam reprobi servabuntur. Nempe à toto non distributo, ad totum distributum non valet consequentia. Particulares cœtus sunt totum dissimilare; constant enim electis & reprobis. Illi in veritate fundamentali conservantur, isti seducuntur.

XLV. Tertiò. Si diceremus, omnes & singulos Christianos ante Lutheri ortum errâsse, sequeretur, non fuisse fidem in terris omnibus modis puram; non sequeretur, quod concludit adversarius, nullam tum fuisse in terris fidem. Ab errore enim simplici ad infidelitatem non rectè concluditur. Perfecta & omnibus modis pura fides cum errore consistere nō potest. Imperfecta, quæ tamen ratione fundamenti vera sit, potest cum errore aliquo, non potest cum fundamentali errore consistere circa veritatem sufficienter manifestatam. Potest igitur esse fides in terris, etiam tum, cùm omnes Christiani aliquo errore præoccupantur, qui videlicet fundamentum non evertit. Quartò. Ut omnis sophisticandi occasio hominibus præcidatur, dicimus, non errâsse totam Ecclesiam visibilem saltem lethaliter, id est, in fundamento veritatis satis manifestatæ ante Lutheri exortum. Fuit enim Ecclesia Waldensium, quam idem fundamentum salutis nobiscum tenere, aliqui Papistæ fatentur; imò Poplinerius in Histor. Franc. Ann. 1581. (citante D. Gerhardo) scribit, illorum doctrinam parùm ab ea differre, quam hodie Protestantes profitentur. Certè consensus in fundamento à confessione, quam Lutherus præfatione suâ commendavit, mediocriter patet. Cur *igitur*, inquit Sophista, *fingitis, eam errâsse.* Cur eam, ut errantem, deseritis? Non deserimus Ecclesiam totam, ut errantem, sed Ecclesiam Papistam, ut errâtem, deserimus. Eam qui deserit, non mox totam visibilem Ecclesiam deserit. Est enim particularis, non universa Ecclesia. Ideo non mox periisset fides in terris, si in Ecclesia Papistica periisset. Aliud est, errâsse Ecclesiam Papisticam, aliud, totam Ecclesiam errâsse. Ecclesiam Papisticam errâsse, non fingimus, sed verè dicimus, & probamus; totam Ecclesiam errâsse, non dicimus. Deus primò, ut dixi, in multis regnis & provinciis servavit Waldensium Ecclesiam visibilem quamvis contemptibilem & variè pressam. Deinde in aliis cœtibus extra & sub Papatu Romano suos servavit, corrupto passim publico ministerio, sicut septem millia in Israële à lapsu præservavit, errante totâ visibili Ecclesiâ Israëlitica. Si Sophista non quiescat, sic arguo: Tempore Eliæ vel tota visibilis Ecclesia Israëlitica erravit in fide, vel non erravit; si erravit, sequitur, omnes Israëlitas errâsse, etiam prædestinatos. Nulla igitur erat fides in Israële. Si non erravit tota, cur eam Elias accusat, tanquam errantem? Cur sejungit se ab ea? De hoc non potest respondere solidè, nisi suæ argutiolæ mittat nuncium. Cæterùm Lutherus fidem, quam nobiscum tenet, accepit è Scriptura, quæ etsi in Papatu Christianorum manibus extorta esset, non tamen prorsus perierat, sed, quæ est singularis Dei gratia, in medio illius conservabatur. In illo codice fidem invenit; sed & invenit in decalogo, symbolo apostolico, oratione dominica & verbis baptismi, quæ quoties legebantur in Papatu, toties audiebat ab ore Papistarum doctrinam, protestantibus verè catholicis communem, quam ipse ministerio suo postea illustravit. Adjuverunt eum præterea purioris Antiquitatis monumenta, quæ cùm evolveret, agnoscebat, quantum à primis purioribus seculis ætas citerior defecisset. Denique multa in posteriorum seculorum Auctoribus inveniebat, quæ suffragarétur veritati ab Hierarchia Papistica publicè obscuratæ pressæque.

XLVI. Alterum sic proponit; *Vel tota Ecclesia Reformata, in qua Lutherani & Calvinistæ sunt, potest errare in fide, ipsis non advertentibus, vel non potest. Si non potest, quomodo Pontificia potuit? Si potest, quid si jam erret, & ipsi non advertant?* Num. 75. Ex depravata sententia, quomodo rectè concludat Sophista? Dixi aliquoties, nos tam occultam defectionem Papisticæ Ecclesiæ non asserere, ut eam nemo in Papatu observaverit; imò multos animadvertisse, probavi paulò antè. Cæterùm, cur Papistica Ecclesia errare potuerit, Papistarum multitudine non advertente, exposui: Alia est nostræ Ecclesiæ ratio, in qua non pastores, sive omnes, sive singulos, sive unum aliquem, sed solam Scripturam totius doctrinæ unicam infallibilem regulam agnoscimus. Et tamen non diffitemur, nostram Ecclesiam errare posse, si declinet ab illa regula, idque si Deus permitteret, multis non advertentibus. At hodie totam in iis, quæ communi consensu tenet, non errare, inde certi sumus, quia tenet doctrinam pro-

Prophetícam & Apostolicâ. Ideo frustrà nos monet adversarius, ut hunc errorem deponamus, & sentiamus de matre Ecclesia, quod majores nostri senserunt. Nec enim ullius erroris convicti sumus, nec quidem nobis conscii, sed de matre Ecclesia sentimus, quod senserunt majores nostri Prophetæ, Apostoli & alii verè Catholici, non quod senserunt multi errore sui temporis decepti Papistæ. Ideo, si verum est omen Jesuitæ non errabimus. Sed & de Romana Pontificia Hierarchica Ecclesia sentimus, quòd multi majores nostri, qui in Papatu vixerunt, senserunt. Sensum suprà expressimus in occasione. Multi agnoverunt fallibilitatem & errorem. Eandem sententiam utinam tandem amplecterentur & suam deponerent moderni Papistarum Doctores! Ita certè præclarè consulerent & suæ saluti & toti Ecclesiæ Christianæ.

XLVII. Restat hujus controversiæ epilogus. Noluit absque eo Jesuita novum sermonem ingredi. Erat aculeus lectoris animo imprimendus. Id molitur epilogo. Jactat, ex dictis magnam cõsolationem & securitatem percipere suos Catholicos, id est, Papistas, in negocio fidei ac religionis; Adversarios è contrario confusionem & diffidentiam. Ad populum phaleræ! Quæ illa magna consolatio & securitas Papistarum, qui soli Catholici dici volunt? Quæ illa nostra confusio & diffidentia? Consolationem & securitatem suorum ab Augustino petit, *Nam*, inquiens, *Catholici cum Augustino, ut dixi suprà, sequuntur hanc certam & fixam regulam; Tota Ecclesia visibilis non potest errare in fide. Ex quâ tria inferunt.* 1. *Romanam Ecclesiam, quam Adversarii concedunt, primis trecentis, aut quadringentis annis fuisse veram Christi Ecclesiam, hactenus non errâsse in fide.* 2. *Tutos ac securos se esse in fide, quamdiu publicè profitentur id, q. Romana Ecclesia toto orbe diffusa, publicè profitetur.* 3. *Se in defensione Romanæ Ecclesiæ similes esse probis filiis, qui matri suæ honorem deferunt, & subsidium præstant.* Num. 76.

XLVIII. Hîc tu mihi, pie lector, primò vide fundamentum Papisticæ consolationis & securitatis. Ponitur in unius Augustini, magni quidem, sed hominis fallibilis consensu. Satisné tutò? Viderint Papistæ. Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus, Comm. in epist. ad Rom. cap. 3. apud Rivetum in Critico sacro scribit; *Non vos moveat Augustinus vel tantillum. Hoc est enim illi peculiare, ut cùm aliquem expugnat errorem tantâ vehementiâ illum exaggeret, ut alteri errori opposito ansam præbere videatur. Ita cùm Arium insectatur, videtur favere Sabellio: cùm Sabelliuro, Ario: cùm Pelagium, Manichæis: cùm Manichæis, Pelagio. Quod admodum ponderare oportet.* Quid si in causâ contra Donatistas idem illi accidisset? Ego non affirmo, sed moneo Papistas, ut videant, quàm solidum fundamentum consolationis jecerit Jesuita, si Mussus verus est. Secundò. Etsi Mussus hac parte fuisset mutus, aut omnino falsus, nondum tamen satis tutum esset fundamentum. Nusquam enim Augustinus certam & fixam regulam nominat, quam Jesuita jactat, Papistas cum illo sequi. Nusquam sensu Papistico dixit, totam visibilem Ecclesiam errare non posse in fide. Ipsi Papisticam Ecclesiam intelligunt: Augustinus nusquam de illa loquitur. Quo sensu tota

tota visibilis Ecclesia errare possit, declaravimus & probavimus suo loco. Hoc fundamento subruto, ruit omnis consolatio & securitas, quanta quanta in illo est collocata.

XLIX. Tertiò. Etsi ponas idque cum publico plausu, non tamen inde Papistis solida consolatio, non tuta securitas speranda. Jam enim esto, tota visibilis Ecclesia errare nequeat in fide, nihil eorum sequitur, quæ Papistas inde inferre, Jesuita triumphabundus gloriatur. Non ideo Romana Papistica Ecclesia hactenus non erravit in fide. Papistæ non ideo sunt tuti & securi in fide, si profitentur, quod Ecclesia Papistica publicè profitetur. Papistica enim non est tota visibilis Ecclesia. Est particularis. Præterea confundit homo Papisticam Ecclesiam cum Romana. Hodie quidem una est. At primis trecentis, aut quadringentis (plures hîc non nominat) annis, non fuit una eademque. Tum erat Romana, quam tanquam veram Christi Ecclesiam laudamus. Papistica, quam vituperamus, nondum erat. Nisi corpus fingas sine capite. Nondum enim erat natus Pontifex Oecumenicus. Extra Papisticam aliæ plurimæ Ecclesiæ Christi fuerunt in Oriente ac Occidente. Si solidum est fundamentum Jesuiticæ consolationis & securitatis, illæ omnes parem capiunt inde consolationem & securitatem. Rectè igitur concludunt Græci, suam Ecclesiam hactenus non errâsse. Num cõcedent Papistæ? Atqui fatentur, primis trecentis, aut quadringentis annis fuisse veram Christi Ecclesiam. Si Græcos negant hinc magnam percipere consolationem & securitatem, cur Jesuita inanib⁹ promissis illudit Papistis? Sic solatur suos: *Tota visibilis Ecclesia non potest errare in fide: Ergo Papistica hactenus non erravit in fide.* Idem prorsus suum facere possunt Græci sic inferentes; *Tota visibilis Ecclesia non potest errare in fide: Ergo Ecclesia Græca, quam Romano-Pontificii primis quadringentis annis veram Christi Ecclesiam fuisse, concedunt, hactenus non erravit in fide.* Tuti ergo sunt Græci in fide, si profitentur id, quod publicè Ecclesia Orientalis profitetur. Sed & gerunt se in defensione Orientalis Ecclesiæ similes probis filiis, qui matri suæ honorem deferunt & subsidium præstant. Si placet, cur Pontificii accusant Orientales erroris? Si non placet, non meliùs consultum scias Papistis. Nihilo sunt tutiores. Non magis similes probis filiis, quàm Orientales Christiani. Similes sunt Israëlitis, qui defendebant matrem suam, Ecclesiam Samaritanam. Ea scortabatur cum ligno & lapide. Tegebant, pingebant Israëlitæ, ut poterant, factum matris. Illi si probi filii, Jesuitæ quoque probi sunt.

L. Sic in levem auram abit ficta consolatio & securitas Papistarum. Jam si vis nostram videre confusionem & diffidentiam, attende. Jesuitæ postremus conatus in eam desinit. Hinc autem arcessit, quòd contrariam regulam, hanc nempe teneamus; *Tota Ecclesia potest errare in fide & de facto erravit.* Hæc nulla nobis regula. Imò ne quidem nobis est conclusio. Tota enim Ecclesia complectitur omnia tempora. Nos verò non dicimus, omnium temporum Ecclesiam errâsse in fide, non dicimus, errare posse. Mendacium erat confusioni & diffidentiæ præstruendum,

unde lector facilè intelligit, majorne sit Jesuitæ confusio & diffidentia, an nostra? Ille calumniam struit; nos patimur. Quo sensu totam visibilem Ecclesiam esse fallibilem, & aliquando errâsse, dicamus, patet à suprà dictis. Fidei nostræ firmitatem, non ab Ecclesiæ infallibilitate, sed à Dei verbo suspendimus. Inde nulla nobis metuenda est confusio, nulla nostra apparet diffidentia. Ille se contra nos tria inferre dicit ex regula. 1. *Totam nostram Ecclesiam errare posse.* 2. *Neminem apud nos securum esse de fide.* 3. *Omnem nostrum conatum, quo contendimus, Romanam Ecclesiam errâsse, & adulteram factam esse, eò spectare, ut fateamur, nos esse spurios & adulterinos. Nam illi,* inquit, *spurii & adulterini sunt, qui nascuntur ex matre adultera. At Lutherus, Calvinus & similes ministri, nati sunt ex Ecclesia Romana, seu Pontificia: Ergo si illa Ecclesia tunc fuit adultera, necesse est, ipsos ex adultera natos esse. Quis ergo illorum parens est? Hoc viderint eorum nepotes, qui nunc sunt.* Num. 77. Nondum video nostram confusionem & diffidentiam, nisi ea sit in confessione fallibilitatis. Non est. Ultrò fatemur, totam nostram Ecclesiam ita errare posse, ut non appareat cœtus integer, illustris, omnibus notus, qui veritatem publicâ ministerii incorrupti voce sonet. Sensit, credo, Papatus, nos non ideo causæ diffidere. Cur nemo apud nos sit securus de fide, si tota Ecclesia visibilis eo, quo dixi, modo errare potest? An apud Papistas nemo certus est, se vivere, quia tota Papistarum universitas potest mori? Certos de vita omnes esse, dices, non obstante mortalitate. Sic securi sumus de fide, quamvis Ecclesia nostra sit fallibilis. Securitas fidei non pendet ab Ecclesiæ infallibilitate.

LI. Cavillatus de spuriis nos minimè maculat. Non mox fateri tenemur, nos esse spurios, si Ecclesia Papistica errat, & est adultera. Non omnes sunt spurii, qui nascuntur ex adultera: Sed qui nascuntur ex adulterio. Adultera etiam legitimos filios aliquando parit marito, quos nempe ex ipso, non ex adultero, cõcepit. Nisi dicas, Jesaiam, Jeremiam, Ezechielem, alios Prophetas, spurios esse, quòd Ecclesia adultera eos peperit. Adulterium negari nequit. Exprobrant enim apertè matri suæ. Num alia illorum mater, quàm Ecclesia Israëlitica? ergo aut spurii, aut non omnes spurii, qui habent matrem adulteram. Præterea Lutherus, Calvinus & similes ministri, non sunt, si propriè loquaris, ex Ecclesia Papistica nati. Non enim ex illius semine nati. Patrem Deum habent, sicut Jesaia, Jeremia, Ezechiel, alii Sancti viri. An non potest habere patrem legitimum, cujus mater est adultera? ergo omnes Israëlitæ spurii fuerunt, postquàm Ecclesia facta est meretrix: nulli habuerunt Deum Patrem. ergo nec Simeon, Zacharias, Elisabetha, nec Petrus, nec Paulus, nec cæteri Apostoli. Nisi illo tempore Ecclesia Judaica fuit adhuc casta virgo. Atqui Christus Pharisæos & Scribas nominat nationem malam & adulterinam, Matth. 12, 39. Ita nos non maculat Jesuitæ cavillatus. Nostrates nõ mox sunt spurii, quia Ecclesia Papistica deprehensa est in errore & adulterio; sicut nec Prophetæ, nec Apostoli, nec alii fideles, quorum ma-

ter fuit Ecclesia Judaica visibilis, non pura virgo, sed adultera.

LII. Concludam, ubi notavero confusionem & diffidentiam Papisticam, quâ prodit Jesuita. In quæstione, an *Ecclesia Romana erraverit, & errare possit*, non admittit judicem Dei verbum, seu Deum in Scriptura loquentem, sed poscit judicem Ecclesiam. Quam verò? Papisticam. Præsentem enim poscit; aliam autem non agnoscit, quàm Papisticam. ergo non vult causam Ecclesiæ Papisticæ disceptare, nisi ipsâ judice. en diffidentiam! Jesuitæ magni hodie docent, non esse nobiscum ex Scripturis disputandum. Idem consilium suis dat Albertus Pighius lib. 1. Eccles. Hierarch. cap. 4. Idem laicis interdicunt Scripturæ lectione. en iterum diffidentiam! Solent quidem variè pingere; Non omnes tam crassè produnt, ut Episcopus ille, qui apud Joh. Wolfium Lect. memorab. cent. 16. suis dicebat, *Scitisne, quid ego cum epistolis Pauli agerem, si eas solus haberem? sub rosâ dictum sit, in ignem eas conjicerem. Ehem tunc dirutum omne Lutheranorum armamentarium foret.* Plerique tamen produnt satis apertè.

LIII. Porrò Jesuitæ tenent hanc *regulam, Si Papa Romanus errare potest, totam Ecclesiam errare posse.* Ita infallibilitatem Ecclesiæ ab unius Papæ infallibilitate suspendunt. At illum errare posse & errâsse, multi confessi sunt Papistæ. Baronius dixit, *monstra horrenda & portenta sedisse Romæ.* Pependerit ergo aliquando totius Ecclesiæ infallibilitas ab uno eoque horrendo monstro; à multis successivè. Non enim unum, sed plura sedem Pontificiam tenuisse, dixit Baronius. ego inde tria concludo, 1. totam Papisticam Ecclesiam errare posse, totam errâsse. 2. neminem apud eos securum esse de fide. 3. Cardinalium & Jesuitarum omnem conatum, quo contendunt, Papam Romanum esse sponsum Ecclesiæ, & suum Patrem infallibilem, à quo pendeat fidei certitudo, eò spectare, ut fateantur, matrem suam sponsum habuisse monstrum idque non anno uno, aut altero, sed longissimo tempore, & se esse monstra horrenda & portenta, & fidem suam pendere à monstro horrendo, aut certè se esse spurios. Si enim genuini filii sunt Pontificis, ergo monstra: Quod enim ex monstro generatur, monstrum sit oportet: Si non genuini, ergo spurii. Eligant, utrum volent. Non evadent, nisi vel monstrum pariat filios non monstrosos, vel spurius non sit, qui non est genuinus. Nam Cardinales sunt filii Pontificis: Monstra, de quibus Baronius, creârunt Cardinales. Idque per annos centum & quinquaginta, si credas Genebrardo, qui vocat illius temporis Pontifices Apotacticos & Apostaticos. A monstris creati Cardinales non potuerunt nisi monstra seu monstrosos Pontifices creare. Ab his monstris per monstra in sedem evectis nova monstra prodierunt, quibus auctum est Cardinalium collegium & conservatum donec Julii Simia, velut singulare ornamentum accessit, unde pater agnoscere tur. Si Ignatius Lojola, Xaverius & similes Jesuitæ nolint hos suos & Cardinalium parentes agnoscere, quem habent Patrem? Hoc viderint eorum nepotes, qui nunc sunt. Ita cavillatum tuum, Becane, & salivam reforbeto. Vos verò ite,

Jesuitæ, nostramque confusionem & diffidentiam cum socio tradueite. Imò vestram videte ac lugete. Nos meliorem mêtem vobis precantes ad alia pergimus.

CONTROVERSIA QVARTA, De CAPITE ECCLESIÆ.

SECTIO I.

De Christo Ecclesiæ capite, seu Monarcha.

I.

BEcanus de capite Ecclesiæ disputaturus, primùm explicat notionem capitis, deinde proponit Papistarum sententiam de triplici Ecclesiæ capite, ac de unoquoque capite distinctè sic disputat, ut tum sua promat argumenta, tum quædam diluenda sibi objiciat. Bono cum Deo, expendemus singula, veritati simplici patrocinaturi, fraudes detecturi, errores confutaturi. De notione capitis dicit, *suos per caput nihil aliud intelligere, quàm principem, primatem, gubernatorem, pastorem Ecclesiæ.* Adde *œcumenicum*, & intellige *caput visibile.* Sic tenebis Pseudocatholicorum Papistarum sensum. Si sententiam postules, illos *triplex caput* agnoscere, testis est Becanus, *Christum, Petrum & Romanum Pontificem.* Docent enim 1. *Christum cùm esset in hac vita fuisse visibile caput Ecclesiæ.* 2. *Post adscensionem Christi, Petrum fuisse ejus vicarium in eadem Ecclesia visibiliter gubernanda,* 3. *Romanum Pontificem esse successorem Petri in eadem gubernatione.* In Manuali lib. 1. cap. 4. num. 1.

II. Catholici agnoscunt & venerantur Ecclesiæ caput Christum, juxta Scripturam. Ephes. 1,22. *Et omnia subjecit pedibus ejus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ.* C. 4,15. *Adolescamus in eumper omnia, qui est caput, nempe Christus.* Ephes. 5,23. *Vir est caput uxoris, ut & Christus caput Ecclesiæ.* Coloss. 1,18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ;* idque tum quâ parte in cœlo triumphat, tum quâ in his terris militat. Nec negant, Christum post adscensionem in Ecclesia sua reliquisse sui vicarios, per quos regat Ecclesiam. At militantis nec unum Petrum, nec Romanum Pontificem agnoscunt Oecumenicum totius Ecclesiæ gubernatorem principemvé.

III. Becanus de tribus capitibus Ecclesiæ disputat distinctè, idque nominatim contra Marcum Antonium, quatuor conclusionibus propositis de Christo, quibus exçutit, 1. *quando cœperit esse caput Ecclesiæ?* 2. *An sit caput visibile, an invisibile?* 3. *An solus Christus sit caput Ecclesiæ?* l. l. Num. 3. Marcus Antonius de Dominis, Episcopus quondam Spoletanus veniebat quidem è Papatu ad nos; At è nobis non erat. Si enim è nobis fuisset, utique mansisset nobiscum. Ad Papatum rediit; unde patet, quo animo venerit. Illius igitur patrocinium non suscipimus, nisi in quantum ipse veritatis, cujus se testem profitebatur in libris de Republica Ecclesiastica. De primo & secundo non admodum contendimus, in tertio vertitur cardo controversiæ. Videamus tamen conclusiones.

IV. Prima conclusio. *Christus in hac vita existens fundavit, seu ædificavit suam Ecclesiam, & Apostoli eandem post Christi adscensionem auxerunt & propagârunt.* Num. 4. Posnanienses malunt Ecclesiam novi Testamenti ordiri ab Apostolis in die Pentecostes Spiritu cœlitus misso in fide roboratis & confirmatis. Nos concedimus totam, si rectè intelligatur. Concedimus, inquam, Christum in hac vita existentem fundâsse, seu ædificâsse Ecclesiam. Alioquì enim non solùm cæteri, qui per baptismum Christi suscipiebantur, sed & ipsi Apostoli ante adscensionem ad Christianam Ecclesiam non pertinuissent, & sacra cœna, quippe à Christo ante passionem celebrata, non Christianæ, sed alterius Ecclesiæ illo tempore fuisset sacramentum. Verùm in Judæa collectam ex Judæis ædificavit; quin etiam omnia necessaria instituit ad structuram plenam Gentium & Judæorum. At post adscensionem in cœlos Apostoli auxerunt & propagârunt, id est, Christus unam Ecclesiam constituit, Apostolorum ministerio, è Gentibus & Judæis, de qua tam præclara dicuntur in propheticis & Apostolicis literis. Rectè dicuntur auxisse & propagâsse Ecclesiam Apostoli, sed malè negatur, Christum ædificâsse per Apostolos post adscensionem in cœlum.

V. Illud & ñ aliud probant rationes adversarii, quas affert p priore conclusionis parte. Sunt a. istæ 1. Quia *Christus in hac vita instituit ministerium, nempe duodecim Apostolos & septuaginta discipulos, quorum hi presbyteri fuerunt, illi Episcopi.* 2. *In hac vita instituit nova sacramenta.* 3. *Instituit novum sacerdotium & sacrificium.* 4. *Sancivit novas leges Evangelicas.* 5. *Condidit novum Testamentum, cujus ipse mediator est.* 6. *Hæc omnia perfecit & consummavit in cruce, cùm dixit,* consummatum est. 7. *Post resurrectionem dedit Apostolis Spiritum Sanctum, & potestatem remittendi peccata, Petro autem dixit, pasce oves meas.* Num. 4. Quærit, quid amplius requiratur ad fundandam & ædificandam Ecclesiam? Applicatio illorum mediorum. Christus omnia necessaria ordinavit, instituerat ministros, dederat verbum, sacramenta, potestatem clavium, modum agendi præscripserat, ipse impleverat omnia in cruce, quæ erant prædicta, & aboleverat suâ morte umbras; quibus continebatur Ecclesia vetus, ut locus esset Ecclesiæ è Gentibus & Judæis colligendæ, quin etiam ædificii initium fecerat in Judæa: Supererat, ut Apostoli in festo Pentecostes, virtute ex alto induti, promulgarent Dei voluntatem Judæis, & inde proficiscerentur in orbem universum ad erigendas Ecclesias.

VI. Porrò obiter nota, rationibus Becani aliena, falsa, ambigua, & quæ Papistis nocent, admiscери. *Aliena* sunt, quæ post resurrectionem facta memorat. Conclusio enim agit de actione Christi in hac vita. Resurrectio & quæ illam secuta sunt, ad hanc vitam non pertinent. Hæc enim vita omnium sensu est mortalis. Post resurrectionem Christus agebat vitam immortalem. Cur autem Becanus huc trahit? Cuperet lectori persuasum, Petrum à Christo in hac vita institutum esse caput Ecclesiæ Oecumenicum. Unde persuadeat, non invenit in verbis in hac mortali vita pronunciatis à Christo. Ideo confugit ad tempus Christi, ad vitam alteram immortalem resuscitati. Quod diverticulum esse frustrà, patebit, Deo volente, infrà. Etsi enim Petro præ aliis gravissimè lapso ad eum erigendum confirmandumque in apostolatu est seorsim dictum, *pasce oves meas*, nihil tamen ei delatum, quod non ex æquo reliquis Apostolis competeret.

VII. *Falsa*; Primæ rationi assuitur cauda, quòd Apostoli fuerint Episcopi, septuaginta discipuli, presbyteri. Nusquam hoc dicit Scriptura; nec vero est consentaneum. Jure enim divino presbyteri ab Episcopis non differunt, ut patet ex Act.20,17.28. Philip.1,1. & diligenter annotatur à Theodoreto & Hieronymo, Comm. in Tit. c.1. Præterea Episcopi, seu presbyteri sunt ordinarii; at Apostoli erant extraordinarii. Unde Cyrillus Hierosolymitanus eos χειραγωγηθέντας appellat. Illi certæ Ecclesiæ præfecti, hi toti. Falsa quoque est quarta ratio, quo quidem sensu Papistæ eam tenent, Dicunt, legem esse doctrinam inchoatam, quæ fuerit mutanda, veniente Christo. In Evangelio Christum novas leges propriè dictas tulisse. Lex moralis sive lex operum, cui lex fidei opponitur, est doctrina absolutissima & perfectissima regula justitiæ moralis, quam Christus implevit, non aliquid ei superaddidit. Nec mutari debuit, nec mutata est, veniente Christo. Eundem adhuc habemus decalogum, quem habuerunt Judæi. Nulla perfectio moralis potest statui, quæ illo non comprehendatur; nulla pars obedientiæ nominari, quæ eo non mandetur. Vide summam, Matth.22. descriptam, & quære, an aliquid majus invenias. Veritas dixit, *qui fecerit hæc, vivet in eis.* Quid amplius obtineri potest, quàm æterna vita?

VIII. Tertia ratio *ambigua*: Intelligitur enim vel de sacerdotio Christi, quod ipse in propria persona obiit, & sacrificio cruento peracto in ara crucis, quod Becanus num.13. nominat, vel de sacerdotio in ministris erigendo, & sacrificio externo propriè dicto per illos offerendo. Priori sensu vera est, sed non ad rem; posteriore, falsa, ut, Deo volente, monstrabitur suo loco, cùm quæstio illa infrà proponetur. Denique Papistis nocet, quod quarta ratio habet, Christum in hac vita instituisse nova sacramenta: Hinc enim constat, nova sacramenta non esse, quæ Christus in hac vita non instituit, ut sint sacramenta. At non instituit in hac vita confirmationem ejusque materiam, quã Papistæ fingunt, nempe Chrisma, ejusque inunctionem, non unctionem extremam: nihil ejusmodi habent Evangelistæ. Matrimonium & pœnitentia etiam in

in veteri Testamento fuerunt, Christus non demum instituit, nec ullibi legimus in Scriptura, quòd instituerit, ut quæ antè erant, deinceps essent sacramenta. Ordinem ministerii instituit in hac vita; at nõ instituit, ut esset Ecclesiæ sacramentum propriè dictum. Quæ à numero quinto usque ad nonum contra Marcum Antonium disserit, nec nos tangunt, nec officiunt nostræ sententiæ, sed ad implendas chartas sunt composita. Sed nec admodum nocent Antonio, quippe qui de Ecclesia Christi à Synagoga prorsus separata loquitur, cùm eam demum post adscensionem Christi inchoatam esse, contendit. Christo enim in his terris vivente, sui Synagogæ erant permixti.

IX. Becanus monet, *distinguenda esse tria tempora. Primum ante mortem Christi. Tunc simul viguisse Synagogam veterem & Ecclesiam novam, simul baptismum & circumcisionem, simul sacrificium Eucharistiæ & sacrificia Mosaica, simul legem & Evangelium. Alterum in morte Christi. Tunc exspirâsse Synagogam cum suis ceremoniis & sacrificiis, tunc legem Mosaicam abrogatam esse. Tertium post mortem Christi. Tunc Synagogam sepultam esse, tunc ceremonias & sacrificia cœpisse fœtere*, id est, *esse mortifera*. Num.9. Illud totum de temporum distinctione non ad rem facit. Nos ipsi tempora distinguimus, ante mortem Christi, in morte, post mortem. Ante mortem dicit *simul viguisse Synagogam & Ecclesiam novam*. Non satis accuratè. Vivebat Synagoga; at non vigebat; ægrotabat enim. Simul observabantur veteres & novæ ceremoniæ, & erant utiles etiam veteres. In Eucharistia sacrificium externum reale propriè dictum fuisse ante mortem Christi, falsum, impium. Semel mortuus est non in cœnæ celebratione, sed in cruce. Facessat igitur commentum. In morte Christi emoriebantur umbræ omnes, non tamen mox fiebant mortiferæ; at post mortem & resurrectionem Christi sepeliebantur, & fiebant tandem mortiferæ, si quis honestè sepultas vellet refodere. Sicut Augustinus scribit Epist.19. *Vetera sacramenta, cùm jam venisset fides, quæ priùs illis observationibus prænunciata, post mortem & resurrectionem Domini revelata est, amiserant tanquam vitam officii sui. Veruntamen sicut defuncta corpora, necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè, non autem deferenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morsibus, objicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, sed impius sepulturæ violator.* Tempus sepulturæ datum non coarctamus ad paucos dies, sed extendimus usque ad demolitionem tẽpli. Jesuita sic Hieronymo tribuit, immediatè post Christi mortem cœpisse mortifera esse, ut ipse sepulturæ tempus restringat ad diem Pentecostes, prætendens auctoritatem Augustini. Atqui Augustinus non tam arctè restringit. Dicit enim Epist.19. fuisse permittenda paulùm eis, maximè, qui ex illo populo, cui data sunt, venerant. Num tantùm permittenda usque ad Pentecosten? Nec verum, nec dictum Augustino. Patet ab Apostoli exemplo, quod Augustinus urget. Is enim Ti-

Timotheum circumcidit, Actor.16,3.& solvit votum Cenchreis, Act.21. Si statim post festum Pentecostes Mosaica sacrificia, aliæque ceremoniæ attulissent mortem, etiam Paulo attulissent. Legem Mosaicam, quam à ceremoniis & sacrificiis Becanus distinguit, in morte Christi abrogatam esse, dicit. Si intelligat moralem, falsum dicit. Mors Christi legem moralem non abrogavit, sed maledictionem sustulit, Gal.3,13.

X. In altera primæ conclusionis parte desidero inprimis, quòd probat id, quod probatione non indiget, nempe propagationem Ecclesiæ per Apostolos factam. Num.11. Quis ignorat, quis negat, Apostolos Evangelium primùm prædicâsse Hierosolymæ, deinde in Samaria, tandem per orbem terrarum? Non probat, quod indiget probatione, nempe Christum post adscensionem per Apostolos non ædificâsse Ecclesiam suam ullo modo. Quòd enim ædificatio sit absoluta in diebus carnis, repugnat Scripturæ, rationi & Papistarum hypothesi. *Scripturæ*: Christus enim dicit, Johan.10,16. *Alias habeo oves, quæ non sunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere; nam vocem meam audient, fietque unum ovile & unus pastor.* Hoc unum ovile factum post adscensionem, maceriâ dirutâ, quæ erat inter Judæos & Gentes, Eph.2,14.15. Christus dicit, *ædificabo Ecclesiam meam*: quis credat, hanc promissionem esse tam brevis temporis? Apostolus dicit, *superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, Eph.2,20. Hoc factum post adscensionem. Idem dicit, *Dei sumus administri, Dei arvum, Dei ædificatio estis*, 1.Corinth.3,9. De se ait, *ut peritus architectus fundamentum posui*, v.10. Ædificatio igitur non cessavit ante adscensionem. *Rationi*: Ædificatio est collectio hominum ad Christum per præconium verbi & dispensationem sacramentorum. Hæc collectio etiam facta post adscensionem. *Hypothesi Papistarum*: Dicunt, Ecclesiam ædificatam esse super Petrum. Num illud factum ante Christi mortem? At dicunt, eum demum post mortem declaratum esse caput Ecclesiæ. Hîc tenetur constrictus Sophista. Aut enim Ecclesia non supra Petrum ædificata, aut ædificatio non est absoluta à Christo in hac vita. Dicit enim Bellarminus l.1. de Pont. Rom. c. 10. p. 847. Petrum, quando negavit Christum, nondum fuisse fundamentum. Negavit autem tempore passionis; post negationem factum esse fundamentum ante mortem, vix dicet Sophista. Ergone post resurrectionem ante adscensionem? Sic Bellarminus. De eo videbitur postea. Jam quæro, quomodo post resurrectionem ante adscensionem Christus ædificaverit Ecclesiam super Petrum? Nam toto illo tempore Apostoli non prædicabant palàm Evangelium, sed exspectabant promissionem Spiritus Sancti. Aut igitur non est supra illum ædificata, aut ædificata post adscensionem. Præterea homo jactat, quod olim factum sit per Apostolos, idem etiam nunc fieri. Nam & hoc tempore multos Apostolorum imitatores mitti in Indiam, Japoniam & alias provincias, ut Ecclesia Christi novâ semper accessione augeatur & propagetur. O inanem jactantiam! O immanem impudentiam! Nihil minùs sit hodie à Papistis, quàm quod olim factum est ab Apostolis. Hi prædicabant Gentibus Christi Evangelium purè; neminem cogebant, nemini vim faciebant. Quomodo res in India gesta sit, ne ipsi quidem Papistici Scriptores tacuerunt. Qui Hispanicum jugum noluerunt suscipere, & alieno imperio se & sua omnia permittere, horribilibus exemplis trucidati sunt, tantâ sævitiâ, tantâ crudelitate, tanto furore, ut quadraginta quinque annis, & quod paulùm excedit, plusquàm ducenties centena millia Indorum manu Hispanorum perierint. Ita scilicet belli isti imitatores Apostolorum auxerunt & propagârunt in India Ecclesiam Christianam.

XI. Secunda conclusio Becani. *Christus in hac vita fuit visibile caput Ecclesiæ.* Concedimus, fuisse caput Ecclesiæ in Judæa collectæ, & quidem visibile. Non solùm enim illam fundavit, sed & visibiliter gubernavit, docendo, monendo, increpando, corrigendo. Marcus Antonius videtur Ecclesiam à Synagoga prorsus separatam ac è Judæis & Gentibus constructam respicere, illius caput visibile non fuit Christus in hac vita. Gentes enim ad eam nondum pertinebant. Apostolus loquitur, Eph.2. de tota Ecclesia ex Judæis & Gentibus constante, cui Christus datus caput post adscensionem.

XII. Cæterùm Becanus hujus conclusionis probatione plus rebus suis nocet, quàm confert. Christo in his terris viventi, tanquam Ecclesiæ visibili capiti, has actiones tribuit, quòd Ecclesiam ædificaverit instituendo nova sacramenta, ordinando novos ministros, & sacerdotes, sanciendo novas leges, offerendo novum sacrificium in ara crucis, quodque eandem visibiliter gubernaverit, docendo, monendo, increpando, corrigendo. Solus Christus instituit nova sacramenta, solus sacrificium in ara crucis obtulit, nemo post illum; sed nec quisquam potuit, aut debuit. De reliquo nihil est, ad quod post Christi adscensionem faciendum opus fuerit uno visibili capite Oecumenico. Non unus, sed omnes Apostoli potestatem habuerunt alios mittendi ministros. Non unus, sed omnes, imò etiam posteri potuerunt, quoad externum Ecclesiæ statum & ordinem, leges condere, id gloriâ Dei & salute populi postulante; omnes ex æquo Apostoli potestatem docendi, monendi, increpandi, corrigendi acceperunt à Christo. Nihil igitur restat, quod ab uno capite Oecumenico sit obeundum. Id quod hîc erat annotandum.

XIII. Tertia conclusio. *Christus in cœlo nunc existens, adhuc manet caput Ecclesiæ, non quidem visibile, sed invisibile.* Num.16. Est sermo de Ecclesia vel triumphante, vel militante. Utriusque caput est. At triumphantis non invisibile, sed visibile caput, videtur enim à triumphante Ecclesia. De militante conclusionem totam non solùm concedimus, sed etiam urgemus diligentissimè. Ideo non indiget Ecclesia militãs uno capite subalterno Oecumenico visibili: Christus sufficit. Cùm in terris versaretur, regebat eam interiùs & exteriùs. Interiùs gratiæ communicatione; Exteriùs tum immediatè, docendo, monendo, operando, tum mediatè, missis Apostolis & septuaginta duobus

Universidad de Deusto
Biblioteca

discipulis ad prædicandum regnum Dei. Post adscensionem regit interiùs & exteriùs: Interiùs suo Spiritu; Exteriùs tantùm mediatè per ministros, juxta illud Apostoli; *Ipse dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem, in quam, corporis Christi. Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum ad mensuram staturæ adulti Christi*, Eph. 4.11.12.13.

XIV. Becanus magnam sapientiam hîc venditat, cùm notat, Christum metaphoricè caput dici, & exponit duos modos, quibus humanum caput gubernet membra, è quibus Christus olim utrumque nunc unum imitetur. Quasi verò quisquam tam imperitus sit, ut metaphoram hîc non agnoscat. *Caput*, dicit, *regere membra, tum per influxum internum, quatenus ex capite, tanquam ex fonte, derivantur spiritus sensitivi in reliqua membra, tum per externam directionem, quæ in eo consistat, quòd caput per intellectum, voluntatem, visum & alios sensus dirigat reliqua membra in externis actionibus, ne aberrent.* Num.16. De hoc non contendam? Applicationem audiamus. Dicit, *Christum in hac vita utrumque gubernandi modum esse imitatum. At nunc in cœlo existentem per se quidem gubernare Ecclesiam priori modo, id est, per influxum gratiæ: non tamen per se, sed per vicarium, posteriori modo, nempe quoad externam directionem.* Num.17. Prius verum est. Nempe Christus, cùm esset in his terris, non solùm gratiâ Spiritus sui rexit Ecclesiam interiùs, sed etiam exteriùs tum Apostolos & septuaginta duos discipulos immediatè, tum reliquũ Ecclesiæ à se collectę corpus, per se ipsum immediatè: At addendum erat, rexisse etiam Ecclesiam mediatè per suos Apostolos reliquosque discipulos. Probo. Mittebat binos discipulos, qui annunciarent regnum Dei, ubi ipse secundùm corpus aberat, Matth.10, 1. & seqq. Baptismum dispensabat non suâ, sed Apostolorum manu, Johan.4,2. Posterius partim verum, partim falsum, aut saltem ambiguum. Verum, quòd in cœlo existens gubernat Ecclesiam suo Spiritu, per seipsum. Sic lego 1.Corinth.12. Falsum, aut saltem ambiguum, quod de vicario dicitur. *Ambiguum*; non enim exponit Jesuita, loquaturne de pluribus, an de uno. De pluribus, seu toto ministerii ordine expositum facilè conceditur. Cùm enim Christus, ratione sui corporis, mundum reliquerit, ministri nomine ejus funguntur legatione, 2.Corinth.5,20. Per illos Christus ipse regit Ecclesiam, idque non absens, sed totus præsentissimus, quamvis corpus cœlo intulerit. At id non prodest adversariis, qui pugnant pro uno visibili Oecumẽico capite. Falsum, si dicatur, per unum certum vicarium Oecumenicum gubernare Ecclesiam.

XV. Nescio, cur Becanus num.18. sollicitè explicare voluerit, quomodo Christus gubernet Ecclesiam per internum influxum gratiæ. Num nos hoc eramus docendi? Contra nos enim disputat. Dicit, *Christum, quatenus Deus est, per se, physicè & effectivè producere gratiam: quatenus homo, per se moraliter & meritoriè illam conferre. Priorem modum illi communem esse cum Patre & Spiritu Sancto, posteriorem illi proprium.* Num.18. Nos sic: Christus, ut Deus, communiter cum Patre & Spiritu Sancto regit Ecclesiam, cõferendo gratiam: quatenus mediator, regit oeconomicè & gratiam producit, tum meritoriè, tum effectivè, unaquâque naturâ agente, quod suum est, cum communione alterius.

Sectio II.

Argumenta, quibus Becanus, Ecclesiam, præter Christum, unum visibile, Oecumenicum caput in terris habere, conatur probare, confutantur.

I. Quarta conclusio. *Præter Christum qui nunc in cœlo est, debet esse aliquod visibile caput Ecclesiæ in terris, qui loco Christi visibiliter gubernet Ecclesiam.* Num. 19. Hæc demum est prima controversa quæstio hujus loci, & quidem non satis explicatè proposita. Nam cùm dicitur, debere esse aliquod visibile caput Ecclesię in his terris, vel asseritur τὸ πεφυκὸς simpliciter, seu quòd debuerit Christus tale caput instituere, vel ex institutionis suppositione, seu quia Christus instituerit. Priori sensu affirmatio est temeraria. Posteriori est quidem hujus loci, at distinctiùs erat exprimẽdum, quòd debeat esse unum aliquod visibile Oecumenicum caput, quod loco Christi gubernet universam Ecclesiam. Ea enim est mens Papistarum, eaque falsissima. Nos concedimus, esse debere, qui gubernent Ecclesiam; ἀναρχίαν toto animo improbamus: at unum aliquem esse debere, qui totam per universum orbem diffusam Ecclesiam gubernet, negamus. Becanus tres rationes affert, quæ discutiendæ sunt, priusquàm ad nostra argumẽta convertamus.

II. Prima ratio sumitur ex Analogia veteris & novi Testamenti, hoc modo: *Synagoga Mosaica fuit umbra, seu typus Ecclesiæ Christi. At Synagoga semper fuit gubernata ab uno visibili capite, nempe à Pontifice, cui reliqui omnes erant subjecti. Ergo etiam Ecclesia semper debet gubernari ab uno visibili capite.* Sequelam patere, dicit, *quia gubernari ab uno capite, perfectius est, quàm gubernari à multis. Si ergo Synagoga, quæ fuit imperfectior, quàm est Ecclesia, semper gubernata fuit ab uno capite, majori ratione debet Ecclesia gubernari ab uno capite.* Num.20. Alii assurgunt altiùs, Monarchiam Ecclesiasticam ab ipso Adamo repetentes. Cur tot seculorum seriem omiserit Becanus, non satis liquet. Num consequentiæ infirmitatem agnoscebat, an antecedentis probationem desperabat? Certè consequentia laborat, & antecedens nec ullo Scripturæ testimonio, nec alio solido argumento nititur. Sed omittamus, quod ille noluit tangere. Ad præsens argumentum & probationem nos convertamus, cujus ego rectam formam non agnosco. In forma sic esset: Quo modo gubernata est semper Synagoga, eodem modo Ecclesia Christiana gubernari debet. Synagoga Judaica semper fuit gubernata ab uno visibili capite, nempe à Pontifice, cui reliqui omnes erant subjecti. Ergo etiam Ecclesia Christiana semper debet gubernari ab uno visibili capite. Hîc falsa est major. Probatio in forma talis est. Quæ se habent ut

typus & antitypum, illis necessariò convenit una gubernandi ratio: At Synagoga & Ecclesia Christiana se habent, ut typus & antitypon. ergo. Nego utramque præmissam. Et quidem primò minorem, quia non probatur ex Scriptura.

III. Inquies: At Apostolus ait, *Hæc omnia illis contingebant in figuram*, 1. Cor. 10. Item, *umbram habebat lex futurorum bonorum*, Heb. 10, 1. Insignis halucinatio. Figura Apostolo non est significationis analogia, ut aliàs, sed exemplum morale, ut patet tum à textu, tum à reipsa, tum à confessione Papistarum. A *textu*, v. 6. 11. Ibi enim sic Apostolus scribit; *Hæc autem typi nostri fuerant, ut ne concupiscamus res malas, sicut illi concupierunt.* Item; *Hæc autem omnia typicè eveniebant eis; scripta verò sunt ad nostri admonitionem.* A *reipsa*. Nec enim idololatria Israëlitarum significavit Christianorum idololatriam, vel illorum pœna istorum supplicium. Constat autem, exempla moralia non applicari secundùm omnia membra. Nõ igitur magis unum Oecumenicum hinc obtines, quàm eundem morientium numerum, quem in Israëlitarum strage memorat historia. A *confessione Papistarum*; Arias Montanus in h. l. *Omnia hæc illis verè contigere, & proposita sunt nobis ad nostram instructionem, tanquam typi & exempla, atque figura eorum, quæ nobis contingere possunt, tam in approbationem, quàm in reprobationem nostri, si sequamur, quæ ii secuti sunt, qui tunc probati fuerunt, & fugiamus ea, quæ illi sequebantur, qui fuerunt rejecti.* Salmero Disput. 17. in 1. Corinth. 10. *Hæc exstiterant typi nostri, id est*, exemplaria, *in quibus, tanquam in tabellis, Deus nobis delineare voluit, quid fugere & quid sequi debeamus.* Sic quoque ferè ante illos Thomas & Lyra. Jam Epistola ad Hebræos l. l. nec Synagogam, nec Ecclesiam Christianam nominat, sed legem & futura bona. Lex ceremonialis erat umbra, at ista non erat Synagoga, sed in Synagoga; Sicut futura bona, nempe remissio peccatorum & sanctificatio non sunt Ecclesia, sed in Ecclesia Christiana. Num ceremonias legales dicemus umbram Ecclesiæ?

IV. Deinde nego majorem, seu consequentiam. Nam nec Scriptura docet, nec evincit ratio, umbram & rem adumbratam omni ex parte convenire. Imò & Scriptura & ratio contrarium ostendit. *Scriptura:* Vide omnes umbras; dissimilitudo negari nequit. Agnus paschalis frustulatim manducabatur, non Christus; & tamen agnus erat figura Christi. David erat conceptus ex virili semine, non Christus; & tamen David erat Christi figura. Simson ab omnibus ferè veteribus inter typos Christi numeratur. Ille seipsum occidit, convulsis columnis, quibus domus innitebatur, in qua captivus coram Philistæis ludebat. Christus non occidit seipsum, quamvis volens morti se obtulerit. Ideo Ant. Scaynus in Annotat. in 1. Cor. 10. scribit, *Advertit Chrysostomus, quòd figura non debet in toto esse similis figurato.* Nihil igitur obtinet Sophista, nisi probet, Synagogam in eo fuisse Ecclesiæ novæ umbram, quòd haberet unum summum Sacerdotem. Unde hoc probabit? Absq; eo analogia sibi constat. Synagoga habuit unum Sacerdotem summum; sic quoque Ecclesia, nempe Christum,

stum, cujus typum fuisse Aaronem, nemini dubium. Hinc rectiùs concludo; In Synagoga fuit unus summus Pontifex, sine vicario Oecumenico, & is significavit Christum: Ergo Ecclesiam regit unus Pontifex summus, nempe Christus, idque citra unum vicarium Oecumenicum.

V. Probatio sequelæ, quam ille vocat, nec respõdet majori, nec minori. Est igitur potiùs novum argumentum, quàm alterius confirmatio, & quidem heterogeneum; petitum quippe ab axiomate politico, cùm hîc agitetur quæstio theologica. Expendam tamen. Non autem hic disputabo prolixè de gubernationis forma & excellentia. Politicis hanc provinciam permitto, quorum alii Monarchicum, alii aristocraticum præferunt. Gubernari ab uno capite, perfectius esse, quàm gubernari à multis, ego facilè concedo, si gubernatio ἀτελὴς consideretur absque circumstantiis, & caput sit diversæ atque præstantioris naturæ. Quemadmodum optima est gubernatio mundi Monarchica. Deus enim non est pars mundi, sed conditor & Dominus. At sic non considerant Papistæ. Præscribunt enim circumstantias, ut videlicet Monarcha Ecclesiæ sit nudus homo, & unus universam toto orbe dispersam Ecclesiam regat. Quo respectu Monarchia non simpliciter est perfectior. Præterea à perfectione corporis ad Monarchicam ministerialem gubernationem, minùs rectè concluditur. Vide societatem sanctorum Angelorum; Ea sanè est perfectissima, & tamen regi ab uno ministeriali capite, quod omnibus cum auctoritate imperet, non constat à Scriptura. Extra eam, cui revelatum? Scio, Bellarmino dici exploratum, cùm hanc rem agit. Sed ne quidẽ omnibus sociis exploratum judicari, putem. Certè Sandenus hæsitat, imò dicit, unius super cæteros Angelos principatum non tam clarè, aut in Scripturis probari, aut ab Ecclesia hactenus fuisse definitum, ut hæreticus, aut infidelis haberi debeat, si quis contradixerit. Denique Ecclesia habet unum Monarcham, CHRISTUM, qui adest suæ Ecclesiæ usque ad consummationem seculi, Matt. 28. Quòd is habere debeat unum vicarium Oecumenicum, ratio illa non concludit. An fortè debet habere, quia vult? Voluntatis edite firma testimonia, quibus fides nostra tutò acquiescat: hoc argumento eam non probatis. Si voluisset Christus Ecclesiam democraticè regi, illa gubernationis forma in Ecclesia servari debuisset & fuisset illi convenientissima. Adeò in solidum res omnis à voluntate Christi dependet. Cesset igitur disputatio, quæ sit gubernationis forma perfectior, quæ commodior? Qualis esse debeat in Ecclesia, petamus à Christi voluntate. Ea enim & non alia esse debet, quàm ipse voluit.

VI. Jesuita duplicem analogiam Synagogæ & Ecclesiæ urget: Unam, quoad *internum influxum*; alteram, quoad *externam gubernationem*. Priorem in eo cõstituit, quòd *sicut Christus per sua merita præviså contulit Synagogæ internam gratiam; ita per sua merita jam exhibita, multo abundantiorem gratiam conferat Ecclesiæ.* posteriorem in eo, quòd *sicut Moses mediator veteris Testamenti, fuit primum ca-*

put visibile Synagogæ, quo ad externum regimen, ita Christus, mediator novi Testamenti, fuerit primum caput visibile in externo regimine. Rursus, *sicut post mortem Mosis, semper perseveravit visibile regimen Synagogæ, ita post adscensionem Christi, semper perseveret visibile regimen Ecclesiæ.* Num. 21. &. Atqui primò frustrà duplicem analogiam memorat, priusquàm probatum fuerit, Synagogam fuisse umbram Ecclesiæ Christianæ. Deinde ubi constiterit de typo, restant probandæ singulæ partes analogiæ è Scriptura. Priorem partem facilè agnosco; non quidem ex eo, quòd Synagoga fuerit Ecclesiæ Christianæ umbra, sed quòd gratiæ tam veteribus, quàm nobis à Christo præstitæ exstent certa testimonia, Act. 15, 11. Rom. 4, 3. Gal. 3, 6. 7. 8. 9. Heb. 13, 8.

VII. Circa posteriorem hæc noto. Primò Moses fuit typus Christi, quatenus ille mediator fuit veteris Testamenti, iste novi. Id Scriptura innuit. Sed hoc adversarii causam non promovet. Secundò. Moses quidem jam ante institutionem Aaronis fuit summus magistratus politicus, & caput visibile, idemque mansit usque ad mortem. At hoc quid ad rem? Quòd ab initio fuerit primum caput Synagogæ Ecclesiasticum, id est, summus Pontifex, Becanus à Scriptura non habet. Extra Scripturam dicenti fides nõ adhibetur. Et quæso, quodnam illud initium Synagogæ? Num ante legem? Atqui lege demum fuit institutum summũ sacerdotium. Quid? ne quidem ante legem fuit Synagoga Mosaica, quippe quæ per legem demum est constituta. An ergo ad legem referes? In illa ante Aaronem nullus nominatur summus Pontifex. Sicut autem nulla Scriptura memorat, quòd Moses ante Aaronem summus fuerit Pontifex, ita quòd usque ad mortem in Pontificatu Oecumenico fuerit typus Christi, Scriptura nulla canonica docet, nec aliunde certò constat; imò non fuisse, constat, quia, superstite Mose, Aaron, tanquam summus sacerdos, fuit typus Christi. Si igitur Moses unquam fuit summus Pontifex, quod nusquam lego, aut deposuit pontificatum, instituto Aarone, aut duo fuerunt simul summi sacerdotes. Si deposuit; Ergo Christus quoque in hac vita debuit Pontificatum suum deponere, ut impleretur typus. Si non deposuit, & tamen alium constituit; Ergo Christus in hac vita habere debuit alium summum sacerdotem, qui cum ipso præesset toti Ecclesiæ. Falsum & absurdum. *Falsum*; nam non habuit. *Absurdum*; Fuissent enim duo capita visibilia unius corporis.

VIII. Tertiò. Primum caput dicitur, cui vel alia coordinãtur, vel succedũt. Utrocunque sensu dixeris, Christum primum & visibile caput Ecclesiæ, absurdus eris, vel blasphemus. *Absurdus*, si coordinari dicas; Fiet enim Ecclesia monstrum biceps, quia habebit duo capita visibilia. *Blasphemus*, si successionem jactes. Non enim succeditur, nisi vel mortuo, vel destituto, vel resignanti. Jam quidem Christus semel est mortuus, verùm post resurrectionem usque ad adscensionem mansit caput visibile, secundùm Jesuitam. Si primum usque ad adscensionem, successionis mentio non caret blasphemia. Aut enim post adscensionem mortuus fuerit Chri-

Christus, aut destitutus, aut resignaverit munus. Hoc scimus, mortem ei non ampliùs dominari. Nam quòd mortuus est, peccato mortuus est semel, quòd autem vivit, vivit Deo, Rom. 6, 9. 10. Dicant ergo Sophistæ, quis eum destituerit? Num Romanus Pontifex? Egregius successionis titulus! Nisi fortè sponte suâ in alicujus manum munus resignavit. Cujus? ubi? quibus verbis? Papistæ. Hîc in mentem venit, quòd Ferdinandi Imperatoris legato anno Chr. 1558. Romanus Pontifex respondit, necesse esse, ut publicis documentis demonstretur, quomodo per cessionem Caroli imperatoria dignitas vacaverit, & quo jure Ferdinandus in eam successerit. Nec quicquam juvabat, quòd palàm constaret, Carolum, per legatos, Francofurti imperium in Electorum manus resignâsse. Jam quidem id totum ad potentiam Pontificiam amplificandam erat compositum: Si tamen in successione terrena cessio demonstranda est: quanto magis in successione spirituali? Ubi sunt documenta, quòd Christus locum suum uni cesserit?

IX. Quartò. Sicut post mortem Mosis semper perseveravit visibile regimen Ecclesiæ, sic post Christi adscensionem semp perseverare debere, & semper perseveraturum esse regimen Ecclesiæ visibile Monarchicum subalternum, non constat ullo Scripturæ textu. Nulla exstat promissio, ratio est planè dispar, eventus reclamat. Nulla, sat scio, exstat *promissio*. Quæ enim? Ubi legitur? Promatur è sacro codice, ut videamus. Fides enim Christiana verbo Dei nititur. *Ratio dispar*. In veteri Testamento uni genti unus summus Pontifex præerat. Illum omnes facilè adibant, ille omnes Synagogas commodè regere poterat. In novo Testamento Ecclesia per totum orbem diffusa est. Num quia uni genti unus præfectus, ideo toti orbi unus præesse debet? Rectè Calvinus dixit, perinde hoc esse, ac si quis contendat, totum mundum à præfecto uno debere regi, quia ager unum, non plures præfectos habeat. *Eventus* reclamat. Imò nunquam fuit, quod nos quidem sciamus. Ubi enim? Extra Papatum nemo unquam sibi arrogavit regimen Monarchicum, supra universam Ecclesiam Christi, nisi fortè Constantinopolitanus eo nomine sit culpandus, quem Universalis titulum sibi vendicâsse, constat. Nec ille, nec Papa Romanus unquam habuit. Quid? Aliquando in Papistica Ecclesia regimen Monarchicum fuit interruptum, & quidem semel quinquaginta annos continuos. Tanto enim tempore duravit unum Schisma, duobus de sede contendentibus, &aliis hunc, aliis illum venerantibus ac oppositum impugnantibus.

X. Jesuita de analogia securus ex ea colligit sequentia. 1. *Invisibile caput Synagogæ & Ecclesiæ quoad internum influxum gratiæ, esse idem, nempe Christum.* 2. *Visibile caput Synagogæ & Ecclesiæ quoad externam gubernationem esse diversum. Idque quia visibile caput ab initio fuerit Moses, cui postea successerint Pontifices legales. Visibile autem caput Ecclesiæ ab initio fuerit Christus, cujus locum postea suppleverit Petrus, & ejus successores.* 3. *Mosen fuisse figuram Christi, quoad externam gubernationem. Nam sicut Moses fuerit legislator, mediator*

&

& Princeps in veteri Testamento; ita Christum in novo. 4. *Pontificem veteris Testamenti fuisse typum Pontificum novi Testamenti.* R. Atqui primò analogia typica nondum est à Becano probata. Quid igitur inde solidè colligat. Deinde quæ colligit, ñ sunt ejusdē notæ. Primum verum est, quia sacra Scriptura docet; ñ propter analogiam, quam Scriptura non docet.

XI. Secundum nititur falsa hypothesi, quòd post Christum semper sit unum Oecumenicum caput Ecclesiæ. Qui enim dicit diversū, is dicit, aliquod esse; at hoc nondum probatum. Probent Jesuitæ. Ex analogia fictitia, unde Becanus vellet colligere, minimè colligitur. Mosen fuisse Synagogæ primarium prophetam, certum. Deus enim testatur, Num. 12,8. Sed & caput populi civile, id est, summum ducem fuisse, constat ab eadem Scriptura. Primum Pontificem Oecumenicum fuisse, non constat. Vocatio ad principatum describitur in Exodo: ad Oecumenicum Pontificatum vocatio facta nullibi legitur. Et tamen si fuit summus Pontifex, à Deo vocatus immediatè fuerit, oportet, aut à populo electus. Nemo enim sibi honorem sumit, Hebr. 5. Neutrum lego in Scriptura. Primogeniti ante Aaronem fuerunt sacerdotes: inter hos non fuit Moses. Aaron enim primogenitus erat, 1. Chron. 23, 13. Moses illo tribus annis minor, Exod. 7,7. Jam quis dicat, virum tam sanctum se ingessisse muneri tam gravi? At Scriptura Mosen & Aaronem in sacerdotibus numerat, Psalm. 99. Bugenhagius Mosen in sacerdotibus numerari, dicit, quòd toti' sacerdotii fuerit consecrator. Non autem ideo fuit summus sacerdos, qui ante legem nullus erat, sub lege ante Aaronem nullus declaratus. Aliis placet, ibi non esse districtè Ecclesiæ ministerii nomen, sed honoris atque dignitatis. Vox enim *Cohén* aliquando Principem significat, quo sensu filii Davidis dicuntur fuisse *Cohánim*, 2. Sam. 8,18. (secundùm Tremel. 9,4.) 1. Chron. 18,2. quos sacerdotes fuisse, alienum. Non enim erant ex Aaronis prosapia, sed ex tribu Juda, cujus respectu nihil de sacerdotio locutus est Moses, Heb. 7,14. Vide Nicolaum Lyram in 2. Samuel. 8. Certè quoties enumerantur Pontifices veteris Testamenti, Aaron primus nominatur. Nec usquam aliter Scriptura. Unde habent Papistæ, Aaronem & reliquos Pontifices legales successisse Mosi? Non successerunt. Succedere enim dicitur, qui eodem fungitur munere, quo prior erat functus. Aaron autem eodem non fungebatur. Moses enim erat dux populi: quòd sacerdos summus fuerit, non constat ullo Scripturæ testimonio. Aaron non fuit dux, sed tantùm sacerdos. Josua dux, jussu Dei, Num. 27,18. 19. 20. non sacerdos. Si igitur analogiam hîc urgeas, sequitur, Christo neminem successisse.

XII. Conscientia Jesuitæ dictabat, successionem aures piorum non ferre; ideo dicit, *Petrum locum Christi supplevisse*. At sic non elabitur. Vel enim Petrus Christi locū supplevit, sicut cæteri Apostoli, vel sicut Eleazar locū Aarōis. Si *prī*, perit Pōtifici Romano Episcopat' Oecumenicus solitarius. Non n. unus, sed multi suppleverint Christi locum. Ad unum igitur restringere post Apostolos non licet, nisi aliunde pateat, restringi debere.

Hinc

Hinc non patet. Si *posterius*, Christo assignabitur successor, cui successum non esse, Scriptura docet, & agnoscunt Patres. *Scriptura* docet; est enim sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, habet sacerdotium æternum, Heb. 7,24. E *Patribus* Athanasius Orat. 3. contra Arianos; *Aaroni quidem*, inquit, *successores dati sunt, & omnino legale sacerdotium, mortis & temporis progressu, alios atque alios Pontifices accepit. Dominus autem sine transitione & sine successore sacerdotium obtinens, fidus firmusque Pontifex factus est in perpetuum perseverando.* Chrysostomus Hom. 13. in Epist. ad Heb. *Propterea ergo salvat, quoniam non moritur, quia semper vivit & non habet successorem.*

XIII. In tertio intelligitur externa gubernatio vel civilis, vel sacerdotalis. In sacerdotali non fuit figura Christi, quia illa penès Mosen nunquam fuit, quod quidem ex Scriptura constet. Legislator & internuncius inter Deum & populum in lege danda fuit, Exod. 19,8. Populus enim ajebat, metu perculsus, *loquere tu nobiscum, & audiemus, sed ne loquatur nobiscum Deus, ut non moriamur*, Exod. 20,19. Inde lex per Mosen data dicitur, Joh. 1,17. Princeps fuit politicus, & tanquam Princeps rexit universum populum. Num in eo fuit typus Christi? At iste se non gessit in carne Principem civilem. Nec in adulteram judicis partes sibi sumere, Joh. 8, 11. nec quæstionem super hæreditate ad se delatam decidere voluit; regnum externum declinavit, Joh. 6,16. regnum suum ex hoc mundo non esse, testatus, Johan. 18,36. potestati civili se submisit, adeò ut etiam tributum solverit, Matth. 17,27. Dices, *Mosen gubernâsse non tantùm populum, quatenus erat corpus civile, sed etiam quà corpus Ecclesiasticum, id est, administrâsse politiam, non tantùm civilem, sed etiam sacram, atque in hoc fuisse typum Christi.* Non nego, administrâsse politiam Judæorum Ecclesiasticam. At ista gubernatio primò fuit civilis architectonica, non proprie Ecclesiastica, qualis erat Aaronis. Deinde consecrato Aarone, non cessavit. Tanquam Princeps populi summus, jussu Dei, constituit certam divini cultus formam, & officia Ecclesiastica. Sic post illum Josua curabat, Israëlitas circumcidi Jos. 5. & legem Dei promulgabat, Jos. 8. David distribuebat tabernaculi ministeria, 1. Paral. 23. Levitas, curatores & janitores constituit, 1. Paral. 26. Similiter Ezechia divisiones & ministeria Sacerdotum & Levitarum constituit, 2. Paral. 30, 2. 3. 15. idque non potestate proprie Ecclesiasticâ, quæ est sacerdotalis, sed civili architectonicâ. De qua minimè lego, quòd exspiraverit in Mose, postquàm Aaron summus esset declaratus Pontifex. Posito igitur, Mosen ejus respectu fuisse typum Christi, nihil hoc facit ad rem, ubi de gubernatione sacerdotali quæritur.

XIV. Quartum incertum, imò falsum est. *Incertum*; nullo enim Scripturæ textu docemur. Legimus quidem in Damasi Decretali quarta, Mosen & Aaronem fuisse figuram summorum Pontificum. Verùm Jesuita hoc nollet de Mose concedere; deinde nihil juvat Romanum Pontificem. Ibi enim summi Pontifices disertè declarantur esse Episcopi, qui sunt numero plures. *Falsum*: sive Aaronem, sive cæteros Pontifices, ejus successores,

intelligas. Si *Aaronem*: Nam primò is fuit figura Christi, id quod patet ab Epistola ad Hebræos. Si figura Christi, non igitur vicarii Christi, quia alius est, ex suppositione Becani, figura absolutè summi Pontificis, alius, ejusdem Vicarii. Deinde Aaron figura esse non potuit ejus, qui tantùm Vicarius est summi Pontificis. Ipse enim non erat Vicarius Mosis, sed Pontifex in terris absolutè summus. Romani autem Pontifices se jactant Vicarios absolutè summi Pontificis, id est Christi C. *Fundamenta.* in Sexto Decret. l. 1. de electio. & electi potestate C. *ad apostolicæ.* Eodem sexto Decreta. de *sententia & re judicata.* Si *cateros Pontifices legales*; Eorum & Aaronis par ratio. Non habebat Eleazar, patre defuncto, quenquam, cujus esset vicarius: nec illius successores. Et cùm Apostolus figuram Christi monstrat in summo Sacerdote legali, non subsistit in Aarone. Non igitur erant figura novorum Pontificum Oecumenicorum.

XV. *Secunda ratio sumitur ex iis Scripturæ testimoniis, ubi Ecclesia comparatur cum exercitu bene ordinato,* Cant. 6,3. *Cum regno,* Dan. 2,44. *cum ovili,* Joh. 10,16. *cum domo,* 1. Timoth. 3,15. *cum humano corpore: si ita est, necessariò sequitur, sicut exercitus benè ordinatus regitur ab uno Imperatore, regnum ab uno Rege, ovile ab uno pastore, domus ab uno patrefamiliâs, corpus humanum ab uno capite, ita etiam Ecclesiam gubernari ab uno rectore.* Num. 23. R. Primò. Probatur, quod non eget probatione; non probatur, quòd debebat probari. Probatur, Ecclesiam gubernari debere ab uno rectore. At hoc controversiâ caret. Nos enim Christum nominamus, unum illum Imperatorem Spiritualis militiæ, Principem vitæ, unum Regem, pastorem unum, unum patremfamiliâs, denique unum caput. Non probatur, regi debere ab uno rectore Oecumenico præter Christum, id est, à duobus rectoribus, uno summo, altero subalterno. Secundò. De Rectore subalterno Oecumenico nego consequentiam. Similitudines enim non sunt ultra scopum dicentis extendendæ. Nisi igitur probes, in unitate rectoris subalterni Oecumenici Spiritum Sanctum comparâsse Ecclesiam cum exercitu, regno, ovili, domo, corpore humano, frustrà laboras. Certè ex textibus laudatis nihil ejusmodi patet, si singulos excutias.

XVI. Tertiò. Nec verba Cantici Sophistæ favent, nec verborum sensus. Non *verba*; Salomo non dicit, *sponsam esse, ut castrorum acies ordinata*, sed hoc totum est à versione latina. Salomo sicin sua lingua ait, reddente Aria Montano, *Terribilis, ut vexillationes.* Non *sensus*; Salomo enim hîc exercitum non considerat, quatenus vel unum, vel duos Imperatores habet, sed quatenus ἐν παρατάξει, & hosti est formidandus. Et tamen si unus Imperator Salomoni venisset in mêtem, satisfactum ei esset nominato Christo. Inquis; *in exercitu, quando procedit contra hostem, necessariò debet adesse unus summus dux, aut in ejus absentia aliquis illius vicarius, qui omnia dirigat, & cui omnes reliqui obediant.* Num. 23. Atqui primò, non necessariò in omni exercitu est unus dux supremus, possunt esse duo: quemadmodum

dum Græci interdum duobus committebant, & tamen rem gerebant satis feliciter. Sic Athenienses adversùs Spartanos eligunt duos duces, Periclem & Sophoclem. Deinde alia est ratio militiæ corporalis & spiritualis. In illa opus est præsentia corporali, hîc sufficit spiritualis. Sic noster dux supremus non abest, sed adest nobis præsentissimus, juxta promissionem, Matth. 28. nec obstat, quòd abest suo corpore secundùm loci indistantiam. Præsentia enim corporalis ad faciendum officium ducis non est necessaria. In exercitu homo per se non potest administrare rem, si loco absit corpore. Christus potest in Ecclesia. Est enim Deus & homo. Tu dicis, *Christum non posse, quoad externam gubernationem.* Externè gubernat per ministros. Num per illos nequeat, cùm abest suo corpore? Minus ergo posset, quàm nudus homo. Is quippe potest rem administrare per senatum polemicum. Dicis: *si non sit unus vicarius visibilis, cui omnes obtemperent, non erit unitas, sed schisma & dissensio.* l. l. Falsa consequentia, quæ supponit, ad continendam Ecclesiam in unitate fidei necessariam esse corporalem ejus præsentiam, qui proximè continet. At hoc falsum. Est enim unitas spiritualis, 1. Corinth. 12, 13. Eph. 4, 3. ad quam sufficit præsentia spiritualis. Aliâs Christus hodie per seipsum non contineret Ecclesiam in hac unitate. Continet autem, si Scripturæ credas; in illo solo unitatem Scriptura ponit, Johann. 17, 21. Romanor. 12, 5. Galat. 3, 28.

XVII. Instat. *Sint in exercitu duo vel plures Imperatores cum pari potestate, quorum unus decernat, pugnandum cum hoste, alter quiescendum, tertius fugiendum. Hic tolletur unitas, orietur schisma, exercitus dissipabitur. Sic in Ecclesia sint plures Episcopi cum pari potestate, qui nullum in terra superiorem agnoscant. Unus eorum decernat, Ecclesiasticos non obligari ad cœlibatum, alius contrarium statuat, tertius dubitet. Quid clerici inferiores, qui Episcopis subjecti sunt? Distrahentur in varias sectas & dissidia. Quis rediget illos ad unitatem, si non est unus aliquis superior, cui omnes teneãtur obtẽperare?* Nũ. 24. Hæc tota moles falsis constructa est hypothesibus. Primò. Supponit Sophista, plures esse in Ecclesia Episcopos cum pari potestate, qui nullum in terra superiorem agnoscant. Hoc est insigne figmentum. Christus non instituit ullum Episcopum, qui nullum haberet in terris superiorem: omnes sunt obnoxii judicio Ecclesiæ. Secundò supponit, dissentientes Episcopos non posse in unitatem redigi, nisi unus Oecumenicus omnibus præsit cum imperio. Hoc falsum. Discrepent igitur inter se de cœlibatu ministrorum, quod exemplum iste proponit; unus approbet, alter improbet, tertius dubitet. Non opus est uno summo Oecumenico Episcopo, qui decidat. Ecclesia potest judicare, idque juxta Scripturam. Sic Cyprianus anabaptismum approbabat, Stephanus Episcopus Rom. improbabat. Num unus decernebat, qui esset super utrumque? Imò Ecclesia definivit, teste Augustino. Athanasius, post Alexandrinus Episcopus, cum Ario contendebat; causam decidit non unus Oecumenicus, sed Ecclesia in Concilio Nicæno, cui nec præfuit Romanus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec quidem interfuit sive per se, sive per legatos. Ibidem variæ erant inter Episcopos dissensiones. Non præerat illis unus Episcopus Oecumenicus. Sopitæ tamen dissensiones.

XVIII. Constantinus Magnus, apud Eusebium lib. 3. de vita Const. cap. 16. *Istud*, inquit, *maximè omnium mihi propositum putavi, ut in sanctissima Catholica Ecclesiæ multitudine, una fides, sincera charitas & consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus servaretur. Verum quoniam istud haud poterat in loco tuto firmoque collocari, nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars in unum convenisset, singulique suum judicium de rebus ad sacratissimam religionem pertinentibus interposuissent: eam ob causam, cùm cœtus, quantum fieri poterat, maximus coactus esset, ipse tanquam unus è vestro numero præstò unà adfui.* Viden' quantam ab Imperatoris sensu piis approbato Becanus distet! Hic dicit, Episcopos in religione conciliari non posse, nisi sit unus Oecumenicus. Imperator testatur, non potuisse, nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars in unum convenisset. Adeò ille ab uno, iste à multitudine sperat remedium. Unus si poterat mederi, quid opus erat multorum congregatione? Rursum magnis turbis agitabatur Ecclesia Constantinopolitana propter Chrysostomum, aliis eum persequentibus, aliis colentibus. Hîc Innocentius, Episcopus Romanus, favebat Chrysostomi innocentiæ. Unde remedium petendum censet? ab uno, an à multitudine? Si unus sufficiebat, quid fatigarentur multi? Innocentius multo aliter, quàm Becanus. Sic enim ad Constantinopolitanum Clerum populumque scribit; *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit synodalis cognitio, quam etiam multò iam antea congregandam esse, diximus. Ea quippe sola est, quæ procellarum impetus retundere potest. Quam quidem donec consequamur,* (indicere enim non poterat ipse) *expedit medelam calamitatis huius committere voluntati magni Dei, ac Christi eius, Domini nostri. Illa universis, quæ nunc per invidiam diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit.* Sozomenus refert lib. 8. cap. 26. Inde Baronius repetit ad Ann. 404. num. 89.

XIX. Tertiò. Becanus tacitè persuasum esse vult lectori, in uno Oecumenico sufficiens esse remedium ad prohibenda schismata, & servandam unitatem. Reclamat experientia. Jactant Sophistæ, Romanum ab initio fuisse Oecumenicum; unde igitur divulsio Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ? cur vulnus non solidavit tot seculis Oecumenicus? Unde tot dissensiones inter Papistas, & quidem de rebus maximi momenti, nominatim de potestate Pontificis Ecclesiastica & temporali? Ipsi Papistæ numerant triginta schismata Pontificum Romanorum. Aut igitur illo tempore nullus fuit Oecumenicus, aut in eo sufficiens tollendo schismati remedium malè quæritur.

XX. Quartò. Daniel æternitatem regni Christi prædicat; illius regni unum vicarium Oecumenicum non prædicat. Jam Ecclesiam regnum appellat. Regnum à Rege dicitur. Regem habemus Christum, is & quidem solus in mentem nobis

nobis venit, quoties regnum cogitamus. Num omne regnum regitur ab uno vicario? Primò non est universaliter verum. Nam unius Regis possunt, imò sæpe solent plures esse Proreges. Rex Galliæ in singulis provinciis suos habet vicarios. Hispanũ vide. Num ille necessariò unum habet Proregem, qui præsit omnibus regnis? Præterea absentia Regis interdum suppletur, non per unum, sed per Senatum integrum. Sic Constantinus Constantinopolim profectus, Romæ reliquit Senatum, penes quem esset rerum summa. Deinde infirma est consequentia. Non enim necessariò est eadem ratio terreni & cœlestis regni. Agnoscit & urget Bellarminus l. 1. de cler. c. 7. *respondeo*, inquiens, *aliam esse rationem terrenæ, aliam cœlestis, id est, Christianæ Reipublicæ.* Quod eo verius, quòd Christus dixerit, regnum suum non esse de hoc mundo, Johan. 18, 36. Sed & res ipsa ostendit. Nam 1. Ecclesia est corpus mysticum; Respublica corpus politicum. 2. Una est, quæ ubique diffunditur, Ecclesia, & omnia Ecclesiæ membra sunt unius civitatis; at in orbe terrarum multa sunt regna & respublicæ, nõ est unum regnum, quod omnia complectatur. 3. Ecclesia nullis locorum & temporum finibus est circumscripta. At respublica certos habet fines & terminos. Denique Rex secularis sæpe abest toto suo regno; Rex noster non abest à suo regno: secundùm corpus hodie est in meliori regni parte; spiritu, majestate & efficaciâ ubique jam in cœlo constitutus habet clavem Davidis, Apocal. 3, 7. claves inferorum & mortis, cap. 1. v. 18. Ideo ubique magis debet attendi institutio Regis, quàm similitudo regni; alioqui hoc prætextu dominatum vindicabis ministris Ecclesiæ, quem Rex ipse prohibuit Apostolis, Luc. 22.

XXI. Quintò. Christus Ecclesiam unum ovile nominat; idem unum pastorem fore docet. Quis autem ille sit, non est, cur petamus è longinquo. Christus paulò antè descripserat, imò nominaverat. Descripserat, quòd animam suam ponat pro ovibus, Joh. 10. v. 11. quòd sit Dominus ovium, quia oves illius propriæ, v. 12. Nominaverat, *Ego*, inquiens, *sum pastor ille bonus*, v. 11. 14. oves vocat suas oves. Ab his ut divellamus, quæ sequuntur, v. 16. prohibet evidens textus cohærentia. Ad alium si trahas, excludetur Christus. Si duos jactes, unum summum, alterum vicarium, & verba refragantur, & descriptio pastoris, & vis similitudinis. *Verba*; Non dicit, *duo erunt pastores*, sed, *unus pastor*. Refragatur *descriptio pastoris*. Pastor hic intelligitur, qui vitam ponit pro ovibus redimendis, cujus oves sunt propriæ: at nec vicarius ponit vitam pro ovibus redimendis, nec oves sunt illius propriæ. *Vis similitudinis*: Huc enim affertur à Sophista, ut Ecclesia regatur ab uno pastore. At Christus & ejus vicarius visibilis Oecumenicus non sunt unus pastor. Aut igitur ille, aut iste excludendus. Quis Christum excludat? Bona igitur cum Becani venia intelligimus hîc magnum ovium pastorem, Hebr. 13, 20. Pastorem & Episcopum animarum nostrarum, ad quem conversi sumus, 1. Pet. 2, 23.

XXII. Sic ante nos Patres. Augustinus tract. 47. in Johan. Chrysostomus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Homil.59. in h.l. ubi quod hîc Christus dicit, *erit unum ovile*, dicit esse idem quod Paulus asserat his verbis, ut *duos condat in semetipso in unum hominem*, Ephes.2. Cyrillus lib.6.in Joh,c.6. *Ex hujusmodi Gentium adductione ad fidem, factum est unum ovile, scilicet Ecclesia credentium, & unus pastor Christus.* Theophylactus, *unus enim character omnibus, unum sigillum baptismatis, unus pastor, verbum Dei & Deus in* h.l. Procopius; *Et unus pastor horum & illorum Christus.* Similiter Cæsarius Nazianzeni frater Dialogo 4. in fine. Sic quoque Papistæ. Nominatim Lyra: *Et unus pastor*, scilicet Christus: *alii autem non sunt nisi vicarii huius pastoris.* Arias Montanus in elucidationibus: *Et unus pastor ipse ego, in quo omnes (oves) conjunctæ erunt, tanquam membra in capite.* Dionysius Carthusianus; *Et fiet unus Pastor, id est, Christus, qui fuit Pastor Judæorum solùm, fiet Pastor Judæorum & Gentium.* Guillaudus; Unum ergo ovile, *hoc est, una Ecclesia ex Judæis & Gentibus in unam religionem conspirantibus facta, congregataq, est sub uno Pastore, capite huius Ecclesiæ, Christo.* Nec alia mens Jansenii; scribit in Concord. Evangel. cap. 79. de hoc uno Pastore, Jes.40. Jer.23. Ezech.34. prædictum esse.

XXIII. Sextò. Similitudo domus non patrocinatur adversario. Primò enim, unius domus est quidem unus paterfamiliâs, sed non necessariò unus œconomus; Imò in magna domo, locus est pluribus. De Ecclesia certum, ex Paulo, qui œconomos nominat, 1.Corinth.4,1. & Episcopum comparat œconomo, Tit.1,7. Quot igitur sunt Episcopi, tot sunt œconomi. Aut igitur Pontifex est paterfamiliâs, aut non est; Si est, ergo Christus non est, quid ad eum similitudo? Becanus enim unitatem patrisfamiliâs urget, non œconomi, quam urgebat Bellarminus lib.1. de Pontif.Rom.c.9. qui frustrà producit fidelem dispensatorem & interpretatur de Petro ex Luc.12,42. Nam ibi non magis unus significatur dispensator, quàm unus paterfamiliâs, & fur unus, v. 39. Christus omnibus Apostolis applicat, v.40. Nec Petrus, Christum omnium Apostolorum nomine interrogans, se discernit à reliquis, nec Christus respondens; imò cùm præmium commune proponit, non obscurè ostendit functionem pluribus communem notari.

XXIV. Certè ad Prælatos communiter pertinere, disertè testatur è Patribus Ambrosius lib.7. in Lucam. *Illa quidem*, inquiens, *in omnes præcepti forma generalis; verùm series sequentis exempli dispensatoribus, id est, sacerdotibus videtur esse proposita, quos sciant sibi gravem in futurum pœnam esse subeundam, si secularibus intenti deliciis familiam Domini plebemque commissam sibi gubernare negloxerint.* Non aliter Theophylactus. Sed & sic è Papistis veteribus Lyra, Thomas & Auctor Glossæ Ordinariæ. At è recentibus Arias Montanus, *ad omnes pertinet parabola, namque omnes servi sunt; sed alii aliorum ministri, hoc est, constituti ad distribuenda pensa atque munia aliis. Omnes oportet officium facere ac paratos esse; nullus ex negligentibus pœna immunis erit; nullus ex sedulis præmio suo fraudabitur; uniuscujusque in ordine suo habebitur ratio.* Jansenius in Concord. Evangel. cap.87. Primùm quidem Petro & successoribus dictum, opinatur, nihilominùs etiam ad omnes Ecclesiarum Rectores pertinere, fatetur, imò ad Principes seculares & omnes homines pertinere, dicit.

XXV. Deinde meminerimus, quamcunque veram etiam particularem Ecclesiam esse domum Dei. Sic enim Ephesinam vocat Apostolus, in quâ erat Oeconomus Timotheus, sicut in Cretensi ad tempus Titus, in aliis alii. Hinc constat, in Catholica Ecclesia plures esse Oeconomos. Vides, unitatem Oeconomi œcumenici ex hac similitudine non colligi. Si huc trahas, quòd Christus dicit, *omnibus suis bonis præficiet eum* v.44. frustrà eris. Nam eo non promittit universalem dominatum in Ecclesia, sed præmium æternæ beatitudinis. Sic Glossa Interlinearis, sic Lyra, sic Emanuel Sà in h.l. sic Jansenius.

XXVI. Septimò. Corporis humani similitudo accommodatur ad significandam unionem tum totius Ecclesiæ cum Christo, tum fidelium inter sese. Priori modo accommodatur, Eph.1,22.23.cap. 4,15.& 5,25. Coloss.1,18. Posteriori, Rom. 12,4.5. 1.Corinth.12. Ex *illa* accommodatione nos rectè concludimus, solum Christum esse caput Ecclesiæ. Ex *ista* non rectè concludunt Sophistæ unum caput Ecclesiæ universale subalternum. Nam primò scopus Apostoli non huc, sed aliò ducit. Is est, eos, qui sunt, vel sublimiori loco constituti, vel præstantioribus donis ornati, à contemptu inferiorum, at eos, qui humiliori loco positi, vel paucioribus charismatis donati sunt, ab invidia & prava æmulatione dehortari. Nec enim hîc tantùm gradus officii, sed & donorum attenditur, idque quia Apostolus non solùm ministeriorum, sed etiam donorum & facultatum discrimina memorat, unde qui sunt in Ecclesia, magis vel minùs redduntur conspicui. Theodoretus; *Eos qui minora dona acceperunt, per hæc docet, non ægrè ferre, sed contentos esse iis, quæ data sunt.* Item, *ab hoc deinceps loco docet eos, qui majora dona acceperunt, ne alios despiciant, sed tanquam membra necessaria honorent.* Lombardus in h.l. *Corpus humanum, cui Ecclesia similis est, non est unum membrum, sed multa, ita in Ecclesia non omnes unius officii & doni sunt.* Item ex Ambrosio; *Diversa sunt membra, sed majora non possunt dicere minoribus, quòd eis non indigeant: Ita in Ecclesia potior non potest dicere inferiori, non es mihi necessarius. Potest enim aliquid humilis, quod non sublimis. Potest ferrum, quod non potest aurum.*

XXVII. Secundò. Non est hîc sermo de capite Ecclesiæ, seu qui regat totam Ecclesiam, sed de capite in Ecclesia, seu iis, qui respectu singulorum fidelium in Ecclesia existentium, sunt instar capitis. Ejusmodi autem non est unus, sed plures. Theophylactus in h.l. *Etiamsi tu videaris minus charisma accepisse, ne ea de causa murmura. Membrum enim es Ecclesiæ, quod est corpus Christi, etiamsi inferiorem locum nactus es.* Item, *submissioribus factis nec non pacatis, iam qui minora charismata acceperunt, ad eos nunc, qui maioribus præeminentes intumescebant, verba facit, qui inferiores se adspernabantur, ut inquit, oculus non potest dicere reliquis membris, non habeo opus vestra opera; uno namque*

Universidad de Deusto
Biblioteca

que deficiente, claudicat totum corpus: sic neque qui majora charismata acceperunt, attollere sese possunt adversùm eos, quibus sunt minora. Eorum enim & ipsi opera indigent; ipsi enim soli non sufficiunt, ut Ecclesiam Dei ædificent.

XXVIII. Tertiò. Non tam præcisè agitur de Ecclesia Catholica, ut in particulari idem locum non habeat. Corinthiis enim applicat Apostolus. *Vos autem*, inquiens, *estis corpus Christi*, v.27. In singulis igitur Ecclesiis est tale caput. Plura igitur, non unum in Ecclesia Catholica. Quartò. Ipsa similitudo non exigit unitatem capitis, id est, ut tantùm unus sit caput, nisi similiter duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, id est, binos certos homines designes, qui id muneris obeant in Ecclesia. In capite enim magis unitatem numericam, quàm in oculis, auribus, manibus & pedibus binarium urgere, à similitudine est alienum. Si numerus singularis te moveat, cogites velim, eodem numero appellari oculum, manum, aurem, at indifferenter pedem & pedes, ne præposterè hæreas in numero, sed rem potiùs expendas.

XXIX. Quintò. Applicatio aliud ostendit, quæ est in his verbis, *Vos autem estis corpus Christi & membra ex parte. Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, deinde constituit potestates, deinde dona sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Num omnes Apostoli? num omnes Prophetæ? num omnes donum habet sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?* v.27.28.29.30. Viden' cùm gradus officiorum memorat Apostolus, quòd nullum memoret, in quò unus tantùm exstiterit, sed Apostolis disertè primum locum assignet, ut intelligas, illos, propter primam & summam dignitatem, quam habebant in Ecclesia, comparari capiti in humano corpore. Commentarius Ambrosio inscriptus Apostolos exsertè caput interpretatur. Verba sunt: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos. Caput itaque in Ecclesia Apostolos posuit, qui legati Christi sunt, sicut dicit idem Apostolus, pro quo legatione fungimur.* At non unus fuit Apostolus, sed plures. Antonius Scaynus in Annot. *Enumerantur autem primo loco Apostoli ex prima & potissima dignitate, quam in universali Ecclesia obtinuerunt, & quibus etiam omnia dona in plenitudine sunt collata.* Commentarius Hieronymo inscriptus caput interpretatur prælatos Ecclesiæ, sic quoque Thomas Aquinas in h.l. nec aliter applicabat Basilius jam olim multis præsulibus, Ep. 70. ad Gallos & Italos, & Ep. 77. ad Transmarinos Episcopos. Quod si amplectatur Sophista, rursum caput Oecumenicum subalternum hîc fruſtrà quærit. Certè magnus socius amplectitur. Cornelius à Lapide caput interpretatur Apostolos eorumque successores, Papam & Episcopos. Non igitur unum caput Oecumenicum.

XXX. Tertia ratio sumitur ex institutione Christi hoc modo: *primum regimen, quod Christus instituit in Ecclesia, fuit visibile Monarchicum, quoad externam gubernationem. Nam ipsemet Christus, tanquam supremum caput & Monarcha, visibiliter suam Ecclesiam fundavit & gubernavit.*

Vel ergo post adscensionem Christi, mansit visibile & monarchicum regimen, vel mutatum est. Si mansit, necesse est, Ecclesiam Christi semper gubernatam esse ab uno visibili capite seu Monarcha. Si mutatum est, planè sequitur, Ecclesiam ipsam mutatam esse, nec eandem nunc esse, quæ olim fuit. Sicut enim quælibet Respublica censetur mutari, teste Philosopho, quando modus, seu forma gubernandi mutatur; sic etiam de Ecclesia statuendum est. Atqui absurdum est dicere, Ecclesiam esse mutatam. Ergo absurdum & illud, ex quo hoc sequitur. Num. 25. R. Confunditur regimen summum cum subalterno. Illud in Monarchia civili est Regis; hoc Proregis. Illud Christus instituit in Ecclesia semel, exercet semper, quamvis non eodem modo. In terris existens, exercebat visibiliter & invisibiliter. Nunc in cœlo existens, invisibiliter. Subalternum monarchicum Christus non instituit in terris existens, non admisit. Non enim habuit unum aliquem vicarium universalem in diebus carnis suæ. Jam fraus Sophistæ patet. Ab institutione regiminis monarchici summi, ad perpetuam durationem monarchici subalterni nimis ineptè concludit. Summum regimen monarchicum mansit, & mutatum est. Mansit, quia Christus adhuc hodie non minùs regit suam Ecclesiam Spiritu & verbo, quàm olim in terris existens. Olim utebatur Apostolorum & septuaginta discipulorum ministerio: sic post adscensionem eodem usus est; deinceps per Pastores & Doctores regit, non per Apostolos; quam esse mutationem aliquam, impudens neget. Mutatum est ratione cujusdam modi, quia ante adscensionem regebat visibiliter, mediatè & immediatè; post adscensionem non regit visibiliter per seipsum immediatè in his terris, sed mediatè. Neque tamen ideo Ecclesia mutata est, quoad essentiam.

XXXI. Becanus Philosophi mentem aut pervertit, aut non intelligit. Hîc enim docet, non videri eandem civitatem, puta formaliter, cùm politia sit alia specie; id quod fit dupliciter: primò mutatâ ipsâ formâ Reipublicæ in diversum, puta, Monarchiâ in Democratiam, vel Democratiâ in Aristocratiam. Deinde translatâ majestate ab una Republica ad aliam, manente eâdem reguminis formâ. Sic mutata est Chaldaica Monarchia à Cyro Persa; Persica, ab Alexandro Macedone; Græca, à Romanis. Nil ejusmodi in Ecclesia Christiana contigit. Manet Rex idem Christus, manet eadem majestas monarchica, cædem leges, eadem jura, privilegia, immunitates, pœnæ. Manet igitur eadem Ecclesia, quamvis Christus abstulerit corporis præsentiam; sicut idem manet regnum Galliæ, sive Rex versetur domi, sive in Italia, & suum regnum administret per Parlamentum. Nisi fortè cùm Carolus Octavus bellum gereret in Italia, & regnum Neapolitanum occuparet, non erat idem regnum Galliæ, quod ante Caroli discessum fuerat, quòd illo peregrè profecto, penès Parlamentum summa esset potestas. Ergo Imperii Romano-Germanici forma toties mutata fuerit, quoties Carolus Imperator ex Germania in Hispaniam proficiscebatur. Nec enim omnem potestatem Rempublicam administrandi, & controversias decidendi in unum, sed in Senatum

viginti duorum conferebat, quibus unus præsidebat, nec illi Senatui permittebat omnia, sed quosdã casus sibi reservabat. De quo quicquid fiat, vix diceret Becanus, non esse idem regnum, si posset Rex corpore absens omnibus suis ministris suggerere, quid ab unoquoque fieri velit: Quâ fronte igitur dicat, mutari regimen Ecclesiæ, cùm Christus Deus homo suis adsit omni loco, omnesq; actiões inspiciat & dirigat, virtute suâ, juxta promissionem? Matth. 28,20.

XXXII. Jam quòd de subalterno regimine Monarchico disputat, vel mansisse, vel mutatum esse: Perinde est, ac si ego arguam, Becanum vel semper retinuisse cornua, vel abjecisse. Absurdum, eum abjecisse. Retinuit igitur. Aut si mavis, Becanus vel mansit hucusque corruptor aulæ Cæsareæ, vel esse desiit. Quòd desierit esse corruptor, non dicet: diceret enim, se fuisse corruptorem. Nec concedet, se manere corruptorẽ. Quin potiùs postulabit, ut probemus, se aliquando habuisse cornua, & fuisse corruptorem aulæ Cæsareæ, priusquâm seipsum impetamus cornuto. Si iniquum postulat, repellendus est; si æquum, nos idem postulamus non immeritò de regimine subalterno Monarchico. Illius institutionem monstret, ut piæ mentes habeant, in quo tutò acquiescant. Levibus ratiunculis non moventur, in Servatoris nostri voluntatem unicè intenti. Hanc igitur monstrent Sophistæ; monstrent autem in Scriptura canonica. Ibi enim est plenè manifestata de omnibus ad salutem scitu necessariis. Quid juvat, multum contendere, quale regimen Ecclesiæ esse debuerit? Res tota in eo versatur, quale Christus esse voluerit. Hinc patebit, quale debuerit esse.

Sectio III.

Argumenta contra caput Ecclesiæ visibile, Oecumenicum, solitarium producuntur & vindicantur.

I. HActenus fuerunt Becani ratiunculæ è Bellarmino transcriptæ. Sequuntur argumenta, quæ sibi ipse objicit ex Marco Antonio de Dominis. Primum ex Rom. 12,5. *Multi unum corpus sumus, in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Hinc infert Marcus Antonius, non aliud caput agnoscere Apostolum, nisi Christum, & inter membra Christi non secus includere Petrum, quàm se & alios Apostolos & fideles; & Apostolum non dicere, *Christi membra*, sed *alter alterius*, ut meliùs significaret, æquè omnibus convenire, ut sint membra ad invicem, & neminem eorum aliam habere relationem ad alios, nisi membri. Petrum igitur non modò esse membrum, comparatum ad verum caput, quod erat Christus, sed etiam membri parem rationem, comparatum ad alios Apostolos & fideles, cum ipsis obtinuisse.

II. Becanus excipit, *Apostolum disertè hîc loqui de Christo, quatenus est caput Ecclesiæ per internum influxum gratiæ: sic omnes fideles, etiam Petrum & Pontificem, esse membra, non caput. Si autem sermo sit de Christo, quatenus est caput Ecclesiæ, per externam gubernationem, tunc non solùm ipsum, sed etiam Petrum esse caput; illum quidem primarium, & propriâ virtute, hunc secundarium & virtute ab illo participatâ.* Num. 26.

III. Respondeo. Primò: Fruströ hîc Petrum ingerit, priusquàm probaverit, eum à Christo constitutum esse, ut post ipsum sit caput unicum Oecumenicum. Fruströ Christum primarium, Petrum secundarium caput Oecumenicum nominat; priùs demonstrandum est, Christum voluisse, ut præter se ali⁹, & quidem unus sit totius Ecclesiæ caput secundarium. Secundò. Etsi Apostolus loco citato disertè facit mentionem gratiæ, non tamen ideo nullam habet externæ gubernationis rationem. Nominat enim exteriora munera, quibus tum regebatur Ecclesia. Prophetiam dico & diaconiam, utriusque species enumerans; Illius quidem duas, doctrinam & exhortationem; istius verò tres, nempe curam ærarii Ecclesiastici, præfecturam, puta disciplinæ, & pauperum ægrorumque curam, v. 6. 7. 8. His Christus gubernat suam Ecclesiã. Consideratio igitur externæ gubernationis hîc excludi non debet.

IV. Tertiò, Sophista textus Scripturæ complures omittit, quos partim Marcus Antonius, partim nostrates citant. Causam quæris? In illis nimis clarè gubernationis externæ fit mentio, ut Eph. 1,20. 21. 22. 23. Verba sunt, *Quam* (efficacitatem roboris ipsius) *exeruit in Christo, cùm suscitaret eum ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in cœlis, longè supra omne imperium & potestatem & potentiam, dominium & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ. Quæ est corpus ipsius & complementum ejus, qui omnia implet in omnibus.* Hîc Christus dicitur constitutus caput super omnia ipsi Ecclesiæ. An tantùm ratione interni influxus, non externæ gubernationis? Absurdum. Reclamant verba; *subjecit omnia pedibus ejus*; Item, *qui omnia implet in omnibus.* Hîc Ecclesia tota intelligitur, triumphans sc. & militans. Becanus agnoscit in Theol. schol. par. 3. tract. 1. cap. 20. num. 2. Aut igitur hodie Christus non externè gubernat Ecclesiam triumphantem, aut externa gubernatio à ratione capitis hoc textu excludi non potest. Ad impletionem istam pertinere externam quoque gubernationem, perspicuè declarat Apostolus, cap. 4,10. 11. 12. 13. *Qui descendit*, inquiens, *ipse est, qui etiam adscendit longè supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Dedit igitur ipse alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas.* Cap. 5,23. 24. *Quoniam vir est caput uxoris, ut & Christus est caput Ecclesiæ, & is est, qui salutem dat corpori. Itaque sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & uxores suis viris subiectæ sunto in omnibus.* Illic enim externa gubernatio citra manifestam impietatem excludi non potest; imò si excludas, peribit vis argumenti apostolici. Vir n. est caput uxoris, quoad externã gubernationẽ, & uxores viris suis, quoad externã gubernationẽ, sunt subjectæ. At sic subjectæ dicuntur, sicut Ecclesia Christo subjecta. Vis veritatis tanta, ut coëgerit Sophistam fateri, hîc agi de externâ gubernatione. Cùm enim citâsset hunc locum, subjicit, *ubi Christus eo sensu dicitur caput Ecclesiæ, quo vir est*

caput mulieris, nempe per externam gubernationem, Par. 3. Theol. Scholast. tract. 1. c. 20. num. 5. Jam res apertissima. Nominatur unum caput respectu externæ gubernationis. Non igitur locus est capiti secundario, nisi uxori concedas duo capita, unum primarium, alterum secundarium, id est, virum primarium & secundarium. Adhuc tergiversaris? Arguo. Aut ex Eph. 1, 22. non potest concludi, unum esse caput Ecclesiæ, quoad internum influxum, aut ex c. 5, 13. rectè concluditur, unum esse caput Ecclesiæ, quoad externam gubernationem. Ratio, quia eodem modo utroque loco unum caput nominatur. At illud ex Ephes. 1. rectè concluditur.

V. Quartò sic arguo. Si Christus est caput Ecclesiæ, etiam respectu externæ gubernatiõis, nemo præter illum erit caput. At prius verum est ex dictis. Ergo. Consequentia patet, quia est caput Ecclesiæ, ut maritus uxoris; at hic non ita est caput uxoris, ut ei secundarium quoddam subordinari queat. Ideo Scriptura, quæ Christum Apostolum confessionis nostræ, Heb. 3, 1. Virum prophetam, Luc. 24, 19. Doctorem justitiæ, Joel. 2. Pastorem & Episcopum animarum nostrarum, 1. Pet. 2, 25. appellat, eosdem quidem titulos, secundariâ quâdam ratione, hominibus tribuit: at nusquam alium, præter Christum, appellat caput Ecclesiæ. Quintò. Duo finge capita, & Ecclesia erit monstrum biceps. Absurdissimum.

VI. Becanus excipit, *nihil hîc novum esse. Nam & regnum Angliæ posse hoc sensu esse biceps, si Rex peregrè proficiscens, relinqueret domi vicarium, qui tantisper regnũ administraret. Et de facto regnum Lusitaniæ biceps esse, quia Regem absentem habet, & Proregem præsentem, utrumque ut caput in externo regimine, sed alterum alteri subordinatum. Idem dicendum esse de Ecclesia, eam bicipitem esse, quia habeat duo capita primarium & secundarium. Num. 27.* ℟. Novum nihil? Novum certè. Confertur enim Ecclesia cum humano corpore. Num Becanus vidit humanum corpus biceps, quod non esset monstrum? Si non ille, num sociorum alius quispiam? Quod de Anglia & Lusitania affert, alienum est. Nam primò Anglia non esset biceps, etsi Rex in absentia sua constitueret vicarium: Vicarius enim non esset caput regni, sed Rex maneret solus, quãvis absens. Nova hæc Politica, Vicarium regni caput esse. Deinde Sophista vafrè declinat comparationis invidiam. Quod in corpore est caput secundarium, id non esset in Anglia Vicarius, sed Rex secundarius. Quod enim caput est in corpore, id Rex in regno. Jam nescio, an Rex si peregrè proficiscatur, sit post se relicturus Regem secundarium. Id certè prorsus esset novum. Lusitania unum habet caput, & quidem hodie, postquàm hæres Antonius, in quem ordines consenserant, pulsus est, Regem Hispaniæ: Proregem Lusitaniæ dici caput, hactenus non est auditum. De quo tamen quicquid fiat, nihil juvat adversarium. Nego enim consequentiam, idque tum, quia in Lusitania constat de volũtate Regis Vicarium designantis, in Ecclesia non constat; tum, quia illîc Rex totus abest, hîc rex adest totus, quippe qui, ut Augustinus Tract. 102. in Joh. loquitur, reliquit mũdum corporali discessione, non deseruit potentiæ gubernatione; tũ, quia alia prorsus est Reipublicæ civilis, alia Ecclesiæ gubernandæ ratio.

VII. Becanus aliud dat exemplum ex Apostolo, Ephes. 5, 23. inquiente, *Vir caput est mulieris. At mulier præter virum, qui caput ipsius est, habet etiam naturale caput in suo corpore. Igitur biceps est. Et ipsemet M. Antonius tria habet capita: Unum in suo corpore, naturale; alterum in directione spirituali, Christum; tertium in directione politica, Regem Angliæ. Nec ullum negare audet. Triceps igitur est. Non miraris?* Num. 27. ℟. Non miror, hominem terræ cœlum miscere, ut colorem afferat monstro bicipiti. Sed ne sic quidem obtinet. Primùm, locutio propria cum metaphorica fœdo exemplo confunditur. Caput mulieris naturale est caput propriè, vir caput mulieris metaphoricè. Nullo igitur modo ea mulier est biceps, quæ habet caput unum naturale, & unum maritale, sed quæ habet vel duo capita naturalia, vel duo maritalia, unum primarium, alterum secundarium, id est, quæ duos habet maritos, uno eodemque tempore. Similiter ineptissimè tricipitem dicas, qui, ut homo, habet caput naturale, ut Christian⁹, caput mysticum, ut civis Reipublicæ, caput politicum. Sed illum dixeris rectè tricipitem, qui vel habet tria capita naturalia, vel tria capita mystica, vel tria capita politica. At in Ecclesiæ causa agitur de capite, quod, quoad influxũ internũ, respondet capiti naturali, at quoad gubernationem externam, viro, qui caput est mulieris. Hîc tu affere duo capita, & habebis tam verè monstrum, quàm si videas mulierem duo habentem capita naturalia, vel duos viros; nisi fortasse hoc in schola Jesuitica excusari possit primarii & secundarii distinctione.

VIII. Secundò sibi objicit ex M. Antonio: Sicut caput & reliqua membra hominis constituunt unum corpus integrum naturale, ita Christus & Ecclesia constituunt unum integrum corpus mysticum, quod conflatum est ex capite & membris, 1. Corinth. 12. Ergo omnes, præter Christum, qui caput est, sunt membra corporis Ecclesiæ. Ergo nullus præter Christum est caput Ecclesiæ. Excipit, *hanc objectionem eodem modo dilui, quo prior. Quoad influxum internum unius corporis unum esse caput; quoad externum regimen, unius corporis posse esse duo capita. Quo pacto corpus mulieris habeat unum caput, à quo recipiat influxum spirituum sensitivorum, at duo, à quibus regatur in actionibus externis, nempe naturale & morale, id est, virum. Sic Ecclesiam habere unum caput, quoad influxum internum, nempe Christum, at duo, quoad externum regimen, nempe Christum & Petrum. Apostolum loqui priori modo, ut à textu pateat. Si M. Antonius ad externam gubernationem referat, primò seipsum impugnare, quia negat, Christum esse ejusmodi caput. Deinde facilè solvi objectionem à Papistis. Nam Christum cum suo vicario fore caput, reliquos omnes membra, sicut fiat in Regno Lusitaniæ. Ibi Regem cum suo Prorege esse caput: alios membra.* Num. 28. 29. ℟. Cùm eandem exceptionem repetat, nos tutò repetimus nostram responsionem. Alia enim non est opus. Addamus tamen paucula. Primò. Cùm unius corporis humani dicuntur posse esse duo capita, quoad ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ternam directionem, intelligitur caput & directio vel ejusdem, vel diversi generis. Si *ejusdem*, falsum. Nullum enim corpus humanum dirigitur externè à duobus capitibus naturalibus & naturaliter. Si *diversi*, alienum. Quæritur enim de eodem capitis & directionis genere. Alioqui assignabuntur quoque uni corpori duo capita, quoad influxum, nempe naturale & mysticum. Nam corpus unum regitur, quoad influxum internum, tum à capite naturali, tum à mystico. De illo constat. De hoc testis Apostolus, dicens, *Corpora nostra esse membra Christi*, 1. Corinth. 6, 16. Sed Sophista ratione influxus unum tantùm caput agnoscit. Deinde maritus dicitur uxoris caput, 1. Corinth. 11, 3. Eph. 5, 23. corporis muliebris caput non dicitur. Unde habet Becan[9], corpus mulieris habere duo capita? Num corpus mulieris regitur, & non potiùs ipsa mulier? Dicet, *habet igitur mulier duo capita, naturale & morale.* Mulier, quà homo est, non habet duo capita, sed unum, sc. naturale. Vir enim non est caput mulieris, quà homo est, sed quà uxor. Alioqui vir quivis mulieris cujusvis esset caput. Nec mulier quâ uxor, duo habet capita, sed unum, nempe virum: nisi illi assignes duos viros, quod absurdum. Comparatio fit ab Apostolo, respectu unius capitis moralis. Uxor habet unum caput, quia unum virum, sic Ecclesia habet unum caput, quia unum virum, nempe Christum.

IX. Tertiò. Quàm absurdè fingitur Ecclesia duo habere capita, quoad externam gubernationem, quorum unum alterius vices suppleat? Quid simile in mulieris corpore? Hoc enim urget Sophista. Num vel caput naturale in regendo mulieris corpore supplet vices viri, vel vir vices capitis naturalis supplet? Num caput naturale est primarium, an morale? An potiùs utrumque æquale? Hoc debet explicari ab adversario, aut nuncius mittendus duobus capitibus. Quartò. Evertit seipsum Sophista. Si Ecclesia habet duo capita, quoad externam gubernationem, Christus simul externè Ecclesiam gubernat & Papa. At Jesuita negat, Christum hodie gubernare externè; Christo verò in terris existente, Papa non rexit Ecclesiam. Quintò. Apostolum non tantùm loqui de Christo, quatenus est caput Ecclesiæ, quoad internum influxum, patet ex ipso textu. Tribuit enim illi, ut capiti, quod dederit primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, deinde constituerit potestates, 1. Cor. 12, 28. Hoc totum ad gubernationem externam pertinere, & res ipsa clamat, & docebat suprà Jesuita, num. 4. An hodie non amplius dat Doctores & Pastores? Si non dat, quis igitur? Si dat, patet satis externa gubernatio. Sextò. Nec Antonius impugnat seipsũ, nec Papistæ facilè solvũt objectionem. *Antonius seipsum non impugnat*: Non enim negat, Christum externè gubernare Ecclesiam, sed affirmat, per suos ministros gubernare, nihil prorsus variatâ formâ regiminis, lib. 1. de Rep. Eccles. c. 1. num. 12. *Papistæ non facilè solvunt objectionem.* Christus enim & Vicarius nõ sunt unum caput: Christus enim summum; Vicarius dicitur caput subalternum. Rex Hispaniæ non est cum suo Prorege, sed solus caput Lusitaniæ. Quãvis si esset, quid tum? Nihil ad rem faceret.

ret. Vellet enim. Nil tale de Christo constat. Nusquam constituit unum Prorege Oecumenicum. Nusquam dixit, se unum cum illo caput agnosci velle.

X. Tertiò ex M. Antonio sibi objicit, Patres non agnoscere ullum caput Ecclesiæ, nisi Christum. Augustinum lib. de Unit. Eccles. c. 2. & 4. Tract. 108. in Johan. & lib. de Pastoribus cap. 13. Gregorium in Psalmum 5. pœnitentialem & l. 4. Ep. 38. Chrysost. Hom. 11. in Epist. ad Ephes. Et probari ex illo Eph. 4, 15. Respondet, *eandem esse solutionem. Apostolum non loqui de capite, quoad influxum internum. Idem docere citatos Patres. Non negare tamen, quin præter Christum sit aliud caput visibile, quod in externo regimine gubernet Ecclesiam.* Num. 30. R. Eadem igitur est nostra responsio Et quidem quòd Apostolus nõ tantùm interni influxus, sed etiam gubernationis externæ rationem habeat, ab ipso textu clarescit. In præcedentibus enim memoraverat institutionem ministerii, ejusque graduum, v. 11. quæ ad gubernationem externam pertinet. Non nego, gratiæ influxum hîc spectari. Egregiè enim describitur, v. 16. Solùm spectari, nego. Patrum verba sunt perspicua. Augustini lib. de Unit. Eccles. c. 4. *Totus Christus caput & corpus est. Caput unigenitus Dei filius, & corpus eius Ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne una. Quicunque de ipso capite à Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicunque de ipso capite Scripturis consentiunt, & unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiũt.* Tract. 108. in Johan. *Sed quoniam per hoc, quòd Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus factus est caput Ecclesiæ, illi (sc. Apostoli) membra sunt eius, ideo ait, quod sequitur*, Et pro eis ego sanctifico meipsum. *Quid est enim*, Et pro eis ego sanctifico meipsum, *nisi eos in meipso sanctifico, eùm & ipsi sint ego? Quoniam de quibus hoc ait, ut dixi, sunt membra eius, & unus est Christus caput & corpus.* Hæc sunt clara.

XI. Gregorius sanè illud subterfugium non admittebat in causa Johannis Constantinopolitani, imò repellebat non obscurè. Johannes enim non jactabat se caput, quoad influxum interiorem, sed quoad gubernationem. At hoc respectu unum caput Christum agnoscit Gregorius lib. 4. Epist. 36. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: *Ex eo*, inquiens, *in quo sedebat, cinere, ex ea, quam prætendebat, humilitate, jactantiam sumpsit, ità ut universa sibi tentet adscribere, & omnia, quæ uni soli capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis, ejusdem Christi audet sibi membra subingare*; Et Ep. 38. *Certè Paulus Apostolus, cum audiret quosdam dicere*, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego Cephæ, *hanc dilacerationem corporis dominici, per quam membra eius aliis quodammodo capitibus se sociabãt*, vehementissimè *perhorrescens clamavit, dicens*: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? *Si ergo illa membra dominici corporis, certis extra Christum quasi capitibus & ipsis quidem Apostolis subiici, particulariter evi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

evitavit, tu quid Christo, universalis sc. Ecclesia capiti, in extremi judicii dicturus es examine? qui cuncta eius membra tibimet conaris Universalis appellatione supponere? Hîc Gregorius in Johanne impugnat aut influxum gratiæ, aut directionem externam universalem. Si *illum*, calumniatus est; Iohannes enim eum sibi ñ vindicabat. Si *istam*, aut verè rectèque impugnavit, aut malè. Si rectè, habemus quod volumus, nempe præter Christum non esse alium Rectorem totius Ecclesiæ in terris universalem, solitarium. Si malè, erravit igitur: Potest igitur Papa Romanus errare. Sic perit omnis firmitas doctrinæ Papisticæ, & tota ruit magnæ structuræ moles uno impetu. An visibile caput Oecumenicum, de quo nostra est quæstio, Patres alibi agnoscant, videbimus, Deo volente, infrà.

XII. Quartò. Becanus sibi objicit æternum Christi sacerdotium. Christus est sacerdos in æternum, ut passim docet Scriptura, Psalm. 110. Hebr. 7. Quid ergo necesse est, dare illi vicarium, vel successorem in terris? cur summum hîc Pontificem quærimus, si Christus Sacerdos & Pontifex noster sempiternum habet sacerdotium, & Pontificatum sempiternum? ex Marci Antonii lib. 1. de Rep. Eccles. cap. 1. num. 11. Excipit, primò. *Si ex eo, quòd Christus dicitur sacerdos in æternum, contendat, probare Antonius, nullum esse Pontificem, nisi Christum, similiter eum probare posse, nullum esse sacerdotem, nisi Christum. Ubi igitur Antonii sacerdotium? Episcopatus?* Secundò. *Apostolum loco citato docere, Christum dupliciter differre à sacerdote & Pontifice veteris Testamenti. 1. Quia Pontifex veteris Testamenti erat mortalis. 2. Quando moriebatur, indigebat successore. Christus, quia non moritur, non indiget successore.* Tertiò. Clamat, *se non dare Christo successorem, sed vicarium & ministrum, quæ duo valdè differant. Sicut ergo non pugnat, Christum habere sacerdotes, tanquam ministros in oblatione sacrificii Eucharistiæ, ita non pugnare, si habeat ministros & vicarios in externa Ecclesiæ gubernatione. Inter hos ministros unum supremum esse, qui dicatur Pontifex.* Dehinc quærit, *quid hîc mali sit?* Respondet ipse, *nihil penitus.* Num. 31.

XIII. Benè est, quòd adversarius ipse agnoscit, primum responsum non esse ad rem. Verè enim ad rem non est. Non ludo. Illo enim dato, dicit, *sed ad rem.* Ergo primum ad rem non erat. Excutiamus tamen. Omnes Christiani sumus sacerdotes, sed spiritualiter, ob victimas spirituales, 1. Pet. 2. Ministerium Evangelii est sacerdotium metaphoricum, non propriè dictum, Rom. 15. 16. Sed nemo est sacerdos propriè dictus, præter Christum. Primò enim nullum instituit; Deinde unâ pro peccatis oblatâ victimâ, in perpetuum sedet ad dextram Dei, Hebr. 10, 12. unica oblatione consecravit, in perpetuum, eos qui sanctificantur, v. 14. semel obtulit, cùm semetipsum obtulit, Hebr. 7. 27. Per proprium sanguinem semel ingressus est in sacrarium, æternam redemptionem nactus, Hebr. 9, 12. semel in consummatione seculorum ad abolendum peccatum, per suiipsius immolationem patefactus est, 1. 1. v. 26. Christus semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret, v. 28. Ministri Evangelii hoc sacrificium non offerunt propriè, nec eget repetitione, nec quidem admittitur repetitio. Vetera repetebãtur, q. a imperfecta, Heb. 10, 1. 2. 3. At hoc perfectũ est. Celebrãt igitur memoriã sacrificii illius unici semel in ara crucis oblati. Chrysostom. Hom. 17. in c. 10. Heb. *Quid*, inquit, *ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus. Et una hæc est hostia, nõ multa. Quomodo una est, non multæ? quia semel oblata est in sancto sanctorum: Hoc a. sacrificium est exemplar illius; idipsum semper offerimus.* Paulò pòst: *Pontifex a. noster ille est, qui hostiam mundantẽ nos obtulit, ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc a. quod facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum est,* Hoc n. facite, *inquit*, in meam commemorationẽ. *Non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed idipsum semper facimus: magis a. recordationem sacrificii operamur.* Ubi igitur sacerdotium & Episcopatus Antonii? Sacerdotium propriè dictũ, subalternũ non constituit Christus, q. perpetuò vigeret in terris. Tale igitur Antonius jactare nunquam debuit. Episcopatus, qualem Scriptura proponit, non est sacerdotium propriè dictum; ideo retineri potest, etsi non sint sacerdotes propriè dicti in terrâ. Episcopatus, qualem Papistæ exercent, præter inanem larvam vix quicquam habet reliquum. Ejus igitur jactura Antonio gravis esse non debuit.

XIV. In secundo comparationem Christi & sacerdotum veterum non plenè explicat Sophista. Apostolus enim comparat in sex punctis 1. In modo sanctionis; Veteres Sacerdotes constituti sunt lege; Christus jurejurando Dei, Hebr. 7, 20, 21. 2. In fedĕre; Christus est multo præstantioris fœderis mediator, quàm illi, v. 22. 3. In numero; illi plures simul & invicẽ succedanei, quia mortales, v. 23. Christus solus absque collega & successore, quia sacerdotium habet æternum, v. 24. 25. 4. In conditione; illi erant peccatores; Christus sanctus, impollutus, idque necessariò, v. 26. 5. In fine sacrificii; Veteres offerebant non solùm pro peccatis populi, sed etiam suis; Christus pro suis non obtulit; nec necesse erat, quia sanctus, v. 27. 6. In genere & numero sacrificii; Illi victimam frequenter offerebant; Christus semetipsum semel. v. 27. Hac comparatione excluditur fictitius ille Vicarius, pro quo Sophista depugnat. Si enim Christus perpetuò fungitur suo sacerdotio, quid opus est Vicario Oecumenico? An ille non sufficit explendo muneri? aut non vult solus eo fungi in perpetuum sine Vicario? Illud blasphemum. Hoc falsum, nisi heri aut nudius tertiꝰ cognoverint Sophistæ Domini voluntatem de electo sacerdotii Vicario. Certè Scriptura, qua hucusque usi sumus, nullam capitis unius, aut sacerdotis Oecumenici electionem memorat.

XV. Tertium rem minimè conficit. Nam primò, ut maximè Christo successorem verbis assignare erubescant hactenus Sophistæ, à re tamen parùm absunt. Nominant enim Papam sponsum Ecclesiæ. Mulier non potest habere duos viros legitimos, nisi succedat alter alteri; sic nec Ecclesiæ. Aut igitur Ecclesia est digama, aut Papa Christo successit. Secundò non tantùm successor, sed etiam Vicarius Oecumenicus excluditur à Christi sacerdotio. Per proprium enim sanguinem semel ingressus in cœlum apparet pro nobis in conspectu Dei, Hebr. 9, 12. 24.

Unde servare prorsus potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis, Hebr. 7,25. Tertiò. Imò repugnat æterno Christi sacerdotio, habere sacerdotes propriè dictos, tanquam ministros sacrificii externi propriè dicti. Nam offerri est instar victimæ mactari & destrui ad Dei cultum. Bellarminus dicit, sacrificia necessariò destruenda esse viva per occisionem, si inanimata solida, per combustionem, liquida per effusionem, lib. 1. de Missa cap. 2, pag. 1296. At Christus non sæpius mactatur, vel destruitur. Mori enim non potest amplius. Non igitur, propriè loquendo, offertur in missa. Non igitur eam in rem habet ministros. At quominùs habeat sacramenti ministros, nihil penitùs obstat. Illos instituit, ipse manens unicus sacerdos propriè dictus. A ministris sacramentorum ad Vicarium sacerdotis Oecumenicum ridicula est conclusio; qualis scilicet esse potest ab institutione divina ad humanum commentum. Et Jesuita adhuc quærat tam audacter, quid hîc mali? Ex dictis patet. Si vult, dicam pressiùs. Hoc mali. Adjungitur Christo Vicarius sacerdotii Oecumenicus, quo non eget, quem non delegit, quem Ecclesiæ Christianæ nusquam promisit, sive in veteri per Prophetas, sive in novo Testamento per seipsum, nusquam præfecit; Inter ministrorum gradus novus reponitur, quem Scriptura nullo loco memorat. Ecclesiæ duo aut potius tria (nempe Christus, Petrus, Petri successor) Oecumenica capita assignantur, cùm unum ei regendæ abundè sufficiat, atque illa uno capite, Christo, contenta non aliud unquam à Deo postulaverit, non exspectaverit, non agnoverit, non acceperit, quod quidem Scriptura minimo indicio significet. An hoc nihil mali? Imò plus mali, quàm facilè dici queat.

XVI. Vindicavimus argumenta, quæ Becanus confutanda delegerat. Jam pauca subjiciemus, quæ ille noluit attingere. Esto igitur quintum. Si Ecclesia, præter Christum, aliud caput habet, erit alterius præterquàm Christi corpus. At Ecclesia non est alterius, nisi Christi corpus. Ergo. Consequentia patet: perpetua enim est relatio inter caput & corpus. Sicut caput est corporis caput, sic corpus est capitis corpus. Hinc sicut Christus dicitur Ecclesiæ caput, sic Ecclesia Christi corpus, Ephes. 1, 22. 23. Minor patet. Quis enim ferat, Ecclesiam esse corpus Petri, vel Papæ, vel cujusquam hominis? Inquies, *Ecclesiam dici corpus Christi, non Petri & Papæ, quia ille sit caput primarium, hi secundaria. Sicut regnum non est Proregis regnum, & domus non dicitur Oeconomi domus.* Resp. Illam distinctionem capitis primarii & secundarii jam suprà repulimus, tanquam repugnantem rei naturæ, à qua petitur similitudo. A qua cùm discreditur, perit similitudinis ratio. Sed ne hîc quidem quicquam juvat Sophistam, quia non obstat primarii & secundarii differentia, quominùs in suo cujusque genere agnoscatur relationis reciprocatio. Sic Proreges dicuntur suarum provinciarum Proreges, & provinciæ suorum Proregum provinciæ. Rectè dicitur, regnum non esse Proregis regnum, domum non Oeconomi domum: At vice versâ neque Prorex est regni Rex, neque Oeconomus dominus domus: sic nec Ecclesia dicitur alicujus, præterquàm Christi, corpus, nec aliquis, præter Christum, Ecclesiæ caput.

XVII. Sextum. Si Christus Oecumenicum Pontificem & Caput Ecclesiæ instituit, illud fuerit oportet in hierarchia Ecclesiastica Apostolica. At Oecumenicus Pontifex & Caput Ecclesiæ in hierarchia Ecclesiastica Apostolica non fuit. Ergo. Consequentia patet, quia Apostoli citra dubium talem hierarchiam habuerunt, qualem Christus instituit. Nisi vel nesciverint, Christum instituisse, vel noluerint Christi institutionem observare. Illud absurdum; Ducebantur enim à Spiritu Sancto in omnem veritatem. Hoc blasphemum. Minor probatur. Nemo Apostolorum hunc gradum nominavit. Et tamen Paulus gradus ordinis hierarchici enumerat, Eph. 4, 11. Qui haud dubiè nominâsset, si fuisset in rerum natura. Si neges consequentiam eo, quòd Apostolus ibi recenseat varia dona, non delineârit hierarchiam Ecclesiæ, frustrà eris. Ut n. recensuisse varia dona, cõcedo, sic negari nequit, ea recensuisse, q̃ serviũt administrandæ Ecclesiæ. Nimis enim clarum à textu, hæc dona collata esse ad op⁹ ministerii, v. 12. Deinde omnes ordines recensiti sua dona conferebant ad regendam Ecclesiam. Si comprehendi hîc dicas Oecumenicum, quo gradu collocabis? Nominantur gradus temporarii & perpetui. In *temporariis* non est, quia vult esse perpetuus. Inter *perpetuos* non est: Nec enim doctor, nec pastor. Plures enim sunt, & monente Chrysostomo, infra Evangelistas. At ille vult esse unicus, omnium sc. doctorum & pastorum magister. Nec inveneris è veteribus quenquam, qui nominet hîc Oecumenicum caput. Quid? Quòd Paulus Apostolis primum locum assignat, 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. Agnoscit Bellarminus lib. 4. de Pont. Rom. cap. 23. *Apostolica*, inquiens, *dignitas est prima & suprema dignitas in Ecclesia.* Supra illam igitur non erat alius locus, non alia dignitas. Sic actum est de Oecumenico.

XVIII. Bellarminus quidem lib. 1. de Pont. Rom. cap. 9. illum videri vult invenisse in Apostolica hierarchia, cùm scribit; Pontificatum summum disertè positum esse in illis verbis, *Et ipse posuit in Ecclesia primùm Apostolos.* Si intelligeret summum *ministerii* gradum, verum diceret. At si intelligat *dominium* summum & Oecumenicum, nihil falsius dici poterat. Primò enim Apostolus non dominii, sed ministerii gradus memorat. Deinde summum gradum non in unum, sed plures simul collatum prædicat, cùm ait, *posuit Apostolos.* Et fateri cogitur ipse Sophista, in illis Ecclesiæ primordiis necessarium fuisse ad fidem toto orbe celeriter disseminandam, ut primis prædicatoribus & Ecclesiarum fundatoribus summa potestas & libertas concederetur. Non ergo uni concessa, à quo omnes penderent. Quòd autem dicit, *datam esse illam potestatem Petro, ut ordinario, cæteris Apostolis, tanquam delegatis*, id nec disertè, nec obscurè dicit Apostolus, sed de suo fingit Sophista. Iterum igitur, si quidem hierarchiam Ecclesiasticam Apostolicam spectes, actum est de Papistarum Oecumenico. Quem ne quidem Hieronymus suo tempore in hierarchia agnoscebat, cùm

contra Luciferianos scriberet, *Ecclesia in multis gradibus consistens, ad extremum diaconis, presbyteris Episcopisque finitur.* Ubi hîc Oecumenicus Pontifex? Diaconus esse nolit; nec velit in Presbyterorum scamno sedere. An stat in Episcoporum ordine? Hic secundùm Isidorum lib.7. Originum cap.10. quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitis & Episcopis. At Oecumenicus eo, quòd vult haberi Oecumenicus, nec est Patriarcha, nec Archiepiscopus, nec Metropolitanus, nec simplex Episcopus. Isti enim omnes plures; ille solitarius, tanquam alter phœnix.

XIX. Septimum. Si CHRISTUS dominationem in Ecclesia esse noluit, non est locus Oecumenico Pontifici. Prius verum ex Luc.22,25.26. *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ita.* Consequentia patet. Primatus enim, quē Sophistæ tuentur, est dominatus, quem ipse Præsul Romanus non solùm suo pileo, qui, ut ceremoniarum liber habet, *Regnum* appellatur, & triplici corona ornatur, significat, sed etiam exercet ipso opere. Hinc decreta funesta Gregorii septimi; *Quòd solus Papa possit uti Imperialibus insignis*; Quòd *illi liceat Imperatores deponere.* Quòd *à nemine ipse judicari debeat.* Quòd *à fidelitate iniquorum subiectos possit absolvere*, apud Baronium ad Ann.1076.num.32.33. Hinc illud Bonifacii Octavi de Major. & obed. extr. com. *subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis.* Item, *omnes potestates Papæ subditas esse.* Hinc jactat Adrianus Papa, in Epist. ad Archiepiscopum Trevirensem, Moguntinum & Colonien sem, sicut Zacharias Papa transtulerit imperium à Græcis ad Teutonicos, ita se posse ab Alemannis transferre ad Græcos, apud Aventinum lib.1.Annal.Boior.p.62. Hinc Papa juramentum fidelitatis ab Imperatore exigit, idque præstari solitum esse, gloriatur Clemens V. cap. *Romani.* in Clem. de *jureiurando.* Idem gloriatur, se superioritatem habere in Imperium, &, vacante Imperio, Imperatori succedere. Cap. *Pastoralis* Clem. lib.2.tit.11. Si dicas, *Christum prohibere tantùm tyrannidem, non dominatum*, nego. Jansenius quidem, Bellarminus, & alii urgent verbum κατακυριεύειν, quod in deteriorem partem capiatur. At ego contendo, id sæpe in meliorem partem accipi pro simplici κυριεύειν. Usurpatur enim de homine primo, Gen. 1,26. imò de ipso Deo, cui tyrannis affingi nequit sine blasphemia. Si urgeas particulam οὕτως, quæ modum dominandi certum prohibeat, dicam, simpliciter negare. Id postulat textus, in quo Regibus opponuntur Apostoli. Quod igitur de illis affirmatur, id de his negatum intelligitur. Id postulat Scripturæ usus, quo particula οὕτως simpliciter negat. Psalm.1. οὐχ οὕτως ἀσεβεῖς. Matth.19,8. ἀπ' ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτω. Nec aliter soluta fuisset Apostolorum disceptatio. Non enim de tyrannica dominatione contendebant, sed de primatu simpliciter, sine circumstantiis.

XX. Nostram sententiam jam olim veteres Patres approbârunt. Unum atque alterum testimonium coronidis lo-

co subjiciam. Cyprianus igitur Epistolâ quinquagesimâ quintâ, *singulis*, inquit, *pastoribus est adscripta portio gregis, quam regat unusquisque & gubernet rationem sui actus Domino redditurus.* Id scriptum ad Cornelium Romanum, cùm Fortunatus & Felicissimus Romam confugientes judicium Episcoporum Africorum eludere conarentur. Jam vide; si singulis Pastoribus est adscripta portio gregis, quomodo uni grex totus sit adscriptus? Si singuli Episcopi rationem sui actus Deo sunt reddituri, non igitur est unus Episcopus, penès quem à singulis rationem exposcendi sit potestas. Nullus igitur Oecumenicus. Ubi notandum, Cyprianum conferre inter se Episcopos singulos, quorum nullus alium judicandi potestatem habeat, non conferre cum Episcoporum multitudine, aut cum Ecclesia, quæ sanè à singulis actuum rationem potest exigere. Hieronymus Epist.85. ad Evagrium; *Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdē meriti, ejusdē & sacerdotii. Potētia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorē, vel inferiorē Episcopum non facit. Cæterū omnes Apostolorū successores sunt.* Si omnes ejusdem meriti & ejusdem sacerdotii, Oecumenico non est locus. Is enim esset haud dubiè amplioris meriti, quàm cæteri. Rursum si omnes sunt Apostolorum successores, nullum inde uni præ cæteris debetur privilegium. Gregorius primus Papa Romanus Mauritio Augusto scribit, lib.6. Epist.30. *Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristo præcurrit, quia superbiendo se cæteris proponit. Nec dispari superbiâ ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille, Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super cæteros sacerdotes se extollit.*

Sectio IV.

Prima Becani conclusio M. Antonio opposita de vi Spiritus Sancti vicaria expenditur.

I. DEinceps Becanus ad Petri primatum convertitur, ubi iterum disputat nominatim adversùs Marcum Antonium de Dominis, & quidem primùm deligit phrases, quibus, tanquam æquipollentibus, Papistæ describant dignitatem Petri. Deinde sententiam Antonii Archiepiscopi proponit. Tertiò tres conclusiones illi opponit. Phrases æquipollentes hæ sunt. 1. *Petrus est caput visibile totius Ecclesiæ, loco Christi.* 2. *Petrus est Vicarius Christi in regimine totius Ecclesiæ.* 3. *Petrus habet primatum totius Ecclesiæ.* Utantur his eodem sensu, prohibere non possumus. Quàm rectè, patebit infrà. Hîc tantum dico, intelligendum esse caput totius Ecclesiæ unicum, Oecumenicum, itemque primatum jurisdictionis: alioqui non satis ad rem. Marci Antonii defensionem non suscipimus, nisi ubi ille suscepit veritatis defensionem.

II. Becanus illi quatuor tribuit. Primò. *Nullum esse caput Ecclesiæ præter Christum; intelligo Oecumenicum.* Secundò. *Spiritum Sanctum esse propriè Vicarium*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi in regimine Ecclesiæ, non Petrum. Tertiò. *Petrum non habere primatum Ecclesiæ, seu primatum Ecclesiasticæ potestatis & iurisdictionis.* Quartò. *Habere tantùm primatum ætatis, vocationis & charitatis, respectu aliorum Apostolorum.* Num.33. Primum est immotæ veritatis, nec subverti potuit à Jesuita. Secundum non facimus nostrum, quo Spiritus Sanctus *propriè* dicitur esse Vicarius Christi; de Petro agnoscimus nostrum. Tertium optimè habet. Quartum ut probabile defendi potest, non ut articulus fidei. Jam sequuntur conclusiones Jesuitæ.

III. Prima conclusio. *Spiritus Sanctus non est propriè Vicarius Christi, in regimine Ecclesiæ.* Num.34. Conclusionem ipsam facilè largimur. Nos enim distinguimus inter formam loquendi accuratam & popularem, propriam & impropriam. Populariter & impropriè loquendo, Spiritus Sãctus dici fortè possit, Christi Vicarius. Sed nos sic non loquimur. Propriè & accuratè loquendo dici non potest. Nos igitur non tangit ista conclusio, quippe qui Spiritum Sanctum, propriè loquendo, Christi Vicarium esse, non diximus, non dicimus, non dicturi sumus, sed loquimur cum Scriptura, & tacemus cum eadem. Cùm discipuli mœsti essent ob prædictum discessum Servatoris ex hoc mundo, eriguntur sæpius promissione Paracleti, qui absentiam Christi corporalem suâ operatione suppleret. Sic enim Christus, Johann.16,7. *Ego veritatem vobis dico, expedit vobis, ut ego abeam. Nisi enim abiero, consolator ille ad vos non veniet. Sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.* Et cap.14,26. *Consolator autem ille, id est, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Hæc nobis sufficiunt, ut inde cognoscamus, loco præsentiæ corporalis Christo promissum esse Sanctum Spiritum, tanquam ductorem doctoremque veritatis.

IV. Hîc poteramus quiescere. Quæ enim Becanus contra M. Antonium disputat, nos minimè feriunt. Non tamen possumus non monere lectorem de fraude & argumentis Sophistæ. Fraudem insignem committit, dum fingit, sibi rem esse cum solo Antonio, cùm illi res sit non minùs cum Tertulliano & Auctore Quæstionum veteris & novi Testamenti. Hos laudaverat Antonius. Becanus Sophistarum more reticet, quia aut Antonii sententia erat approbanda, aut Tertullianus cum eo improbandus. Illius enim verba sunt perspicua lib. de Præscript. ubi inter articulos fidei unum dicit esse, *Credere, Jesum Christum in cœlos ereptum, sedere ad dextram Patris, misisseq; vicariam vim Spiritus Sancti*; & ait postea: *Age nunc omnes erraverint, deceptus sit & Apostolus de testimonio reddendo quibusdam. Nullam (Ecclesiam) respexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritate deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesiam aliter interire, intelligere, aliter credere, quàm quod ipse per Apostolos prædicabat.*

V. Argumenta Sophistæ non omnia sunt solida, & admiscet veris falsa. Rationem hanc affert, *quia vicarius propriè loquendo minor est eo, cuius est vicarius.* Gõcludit, *eum qui asserit, Spiritum Sanctum esse*

esse propriè Christi vicarium, consequenter debere asserere, Spiritum sanctum etiam minorem Christo: Quæ sit hæresis Macedoniana. Num.34. Hîc confunditur gradus naturæ & officii. Vicarius propriè loquendo minor est ratione officii, eo cujus est vicarius, at non semper naturâ: Probo. Regis filius designatur Vicarius patris; officio igitur est patre inferior: Non tamen naturâ; uterque enim homo. Qui igitur Spiritum Sanctum dicit propriè Vicarium Christi, ratione hujus officii eum dicit inferiorem Christo, non respectu naturæ. Macedoniana autem hæresis errabat de gradu naturæ, non solius officii *Macedoniani*, inquit Augustinus de Hæres. cap.92. *de Patre & Filio rectè sentiunt, quòd unius ejusdemque sint substantiæ & essentiæ; sed de Spiritu Sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes.* Similia habet Rufinus lib.1. Hist. Eccl. cap.25. Sic è Papistis Alphonsus de Castro lib.5. adversùs Hæres. voce *Deus*, Hæres.10. Becanus ipse part.1. Theol. Scholast. tract.2. cap.3. q.2. Macedonianam hæresin in eo collocat, quòd negaverit, Spiritum Sanctum esse Deum. Potest igitur Antonius illi opponere communem regulam, *Nihil obstat, quo minùs, qui essentiâ sunt pares, officio sint impares*; Vel, *Inæqualitas officii non tollit unitatem naturæ, nec personarum æqualitatem.*

VI. Becanus ut rationem firmet, provocat ad communem hominum usum & conceptum, ad Calvinianorum sensum, ad ipsum Antonium. Nihil illorum caret fraude. Non *primum*. Nam communi hominum usu & conceptu constat, Vicarium esse inferiorẽ eo, cujus est Vicarius, ratione officii: inferiorem esse semper naturæ conditione, non constat communi hominum usu & conceptu. Imò contrarium loquitur res ipsa. Vide Proreges Galliæ, & Hispaniæ. An non ejusdem sunt essentiæ cum suis Regibus? Ecclesia Papistica ingentem alit Vicariorum turbam. Nonne illi omnes eandem cum iis habent naturam, quorum sunt Vicarii? Non *secundum*. Dicit, *cùm Calvinus Christum appellat Vicarium Patris, id Calvinianos interpretari secundùm humanitatem, non secundùm Deitatem, ne cogantur fateri, Christum esse secundùm Deitatem minorem Patre, quæ sit hæresis Ariana.* At nostri, quos ille immeritò Calvinianos nominat, id non nudè, quod ille fingit, interpretantur de humanitate, sed ratione Oeconomiæ, seu officii mediatorii, quod sustinet non nudè, ut homo, sed ut Deus-homo. Quod dum docent, non coguntur concedere, Christum esse minorem Patre, secundùm Deitatem & essentiam, quæ est hæresis Ariana, sed ratione officii, quod secundùm utramque naturam gerit, quæ non est Ariana hæresis, sed doctrina Spiritus Sancti in Scriptura revelata.

VII. Non *tertium*. A consideratione textus id clarescit. Antonius lib.4. de Repub. Eccles. cap.1. num.4. citat Patrum testimonia, qui Pontificem appellant, Vicarium Petri, & hinc concludit, Pontificem esse Petro inferiorem. Hîc eum loqui de inæqualitate officii & dignitatis, vel clarum ipsis pueris. Jam arguit Becanus; *Vel benè concludit, vel malè. Si malè, nihil efficit. Si benè, supponit, Vicarium minorem esse eo, cujus est Vicarius, & consequenter, si Spi-*

Spiritus Sanctus propriè est Vicarius Christi, minorem esse Christo. Hic evadere non potest Antonius, ut seipsum non neget. Benè concludit, Pontificem esse Petro inferiorem, ratione officii & dignitatis, & supponit quidem, Vicarium esse inferiorem eo, cujus est Vicarius, ratione officii: at hinc minimè sequitur, Spiritum Sanctum, ut maximè ab aliquo dicatur Vicarius Christi, esse eo minorem secundùm naturam, quæ erat Macedonii hæresis. Minorem esse Christo, ratione illius specialis officii, non erat hæresis Macedonii, quod constet ullo vetustatis testimonio. Si habent Jesuitæ, in apertum proferant, ut videamus.

VIII. Becanus Antonio graviùs insultat, duo in eum contorquens dilemmata. Nobis nocere nequit, qui illam opinionem nostram non facimus. Non tamen approbamus Sophisticam Jesuitæ. Prius dilemma sic habet, *Vel Spiritus Sanctus propriè est Vicarius Christi secundùm humanitatem, vel secundùm divinitatem. Si prius, sequitur, Spiritum Sanctum esse minorem Christo homine, & esse Vicarium hominis. Si posterius, sequitur, Christum secũdùm divinitatem, non secundùm humanitatẽ esse caput Ecclesiæ, q̃ est æquè absurdum.* Num. 35 In disjũcto datur tertiũ, nempe personæ officii ratione, seu quatenꝰ est mediator humani generis. Ita perit Jesuitæ totꝰ ille lusus. De Vicario Regis sic possem arguere. Filius Regis est patris Vicarius, vel secundùm animã, vel secũdùm corpus. Si secundùm animam, tum pater erit Rex secundùm animam, non secundum corpus; Absurdum. Si secundùm corpus, sequitur, filium Regis esse minorem corpore. Æquè absurdum. Totus enim homo præstat parti hominis inferiori.

IX. Obiter nota argumentum Jesuitæ, quod Antonio opponit. *Christus est caput Ecclesiæ, secundùm eam naturam, secundùm quam meritus est exaltari & caput Ecclesiæ agnosci. At meritus est exaltari secundùm humanitatem. Ergo secundùm humanitatem est caput Ecclesiæ.* I, I. Verum est, Christum esse caput secundùm humanitatem, idque rectè concluditur isto argumento. Falsum, Christum esse caput secundùm solam humanitatem, idque non rectè concluditur. Primò enim falsum, Christum meruisse exaltationem, si propriè & exquisitè loquaris. Deus illi donavit nomen, quod est supra omne nomen. Humiliatio fuit via, non causa meritoria, si propriè loquaris. Secundò falsum, meruisse, ut secundùm *solam* humanitatem agnoscatur caput; imò agnoscitur secundùm utramque naturam, secundùm quam officio capitis fungitur adhuc hodie. De exaltatione loquimur absolutè & relatè, seu respectu nostri. Absolutè & *in se* exaltatus est Christus secundùm solam humanitatem, tanquam exaltationis capacem, minimè secundùm Deitatem, quippe quæ in se capax non est exaltationis. Relatè & respectu nostri etiã exaltatur secundùm Deitatem, nempe quoad manifestationem majestatis antè occultatæ. Probo. Per resurrectionem declaratus est filius Dei, Roman. 1, 4. Idem ostendit exinanitionis collatio. Exinanitus est absolutè & in se secundùm solam humanitatem: at respectu nostri etiam secundùm Deitatem, quippe cujus majestatem ad tempus occuluit, Phil. 2. De absoluta exaltatione falsa est major exclusivè intellecta; de relativa minor. Sicut luna in se & respectu nostri obscuratur in eclipsi, sol non in se, sed tantùm respectu nostri, sic Christus secundùm humanitatem in se & respectu nostri exinanitus est, secundùm deitatem non in se, sed tantùm respectu nostri. Similiter de exaltatione est sentiendum

X. Alterum dilemma sic habet; *Vel Spiritus Sanctus præcipuè est Vicarius Christi in externo & visibili regimine Ecclesiæ*, vel in interno & invisibili. *Non prius, quia non gubernat Ecclesiam per se visibiliter, sicut Christus in hac vita gubernavit. Non posterius, quia internum regimen Ecclesiæ consistit in interno influxu donorum gratiæ. Hunc autem influxum præstat Christus, vel meritoriè, quatenus est homo, vel Physicè & effectivè, quatenus est Deus. At Spiritus Sanctus neutro modo potest esse ipsius Vicarius. Non priori, quia non meretur nobis gratiam, imo cùm purus Deus sit, mereri non potest. Nec posteriori: quia tametsi effectivè producat gratiam, tamen illa productio est communis tribus illis personis, juxta axioma Theologorum; Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Ergo nulla causa est, cur in tali productione Spiritus Sanctus sit potiùs Vicarius filii, quam Pater, aut Filius sit Vicarius Spiritus Sancti.* Num. 36. Hoc magis stringit, fateor, quàm alterum, cùm agitur de Vicario propriè dicto, quem quia, ut multoties repetendum fuit, nos non agnoscimus, nihil nobis facit negocii. De reipsa dicam tribus verbis. Negari non debet, Christum per Spiritum Sanctum regimen Ecclesiæ etiam externum administrare. Etsi enim is, non ut Christus in terris existens gubernat, quia carnem non assumpsit, Christus tamen per illum administrat. Patet. Ad externum regimen pertinet vocatio ministrorum, revelatio divinæ voluntatis, redargutio mundi. Jam Spiritus Sanctus dicebat, *separate mihi Barnabam & Paulum operi, ad quod eos advocavi*, Act. 13, 2. Ibidem dicuntur missi à Spiritu, v. 3. & tamen certum, Christum eos vocâsse, & misisse. Quomodo? Per Spiritum Sanctum. Rursum Scriptura testis, Filium revelare nobis volũtatem Patris. Et tamen Filius ait, de Spiritu, quòd sit ipsis renunciaturus. Nempe ipse renunciaturus erat per Spiritum Sanctum. Ideo ait, *Non loquetur à semetipso, sed quicquid audierit, loquetur*, Joh. 16, 13. Item, *de meo accipiet, quod renunciabit vobis*, v. 15. Inde Johannes audit, Apocal. 2, 11. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis*: Et tamen antè audiverat, v. 8. *Hæc dicit primus ille & ultimus, qui fuit mortuus & vivit.* Dicit ergo Christus Ecclesiis; dicit item Spiritus Sanctus, quia Christus dicit per Spiritum Sanctum. Porrò Spiritus arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio, Joh. 16, 8. Hoc pertinet ad regimen externum. Per ministros enim arguet. Nonne Christus arguet per Spiritum? Certè arguet, sicut dicit Augustinus Tract. 95. in Joh. *Spiritus Sanctus in discipulis eius toto orbe diffusus, nõ unam gentem intelligitur arguisse, sed mundum: nam hoc illis ait adscensurus in cœlum*, Non est vestrum, scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientis in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem & in tota Judæa & in Samaria, & usque in fines terræ. *Hoc est arguere mundum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum Spiritus Sanctus & non arguat ipse Christus, cùm clamet Apostolus, An vultis experimentum accipere ejus, qui in me loquitur Christus? *Quos itaque arguit Spiritus Sanctus, arguit utique & Christus.* Habemus, quomodo Spiritus Sanctus Ecclesiam regat externè, & Christus per illum. Jam ad influxum gratiæ, in quo internum regimen Becanus constituit, Spiritus Sanctus non concurrit meritoriè. Meritum enim est ab exinanitionis obedientia, quæ in solum Christum cadit, in Spiritum Sanctum non cadit. Concurrit ergo effectivè, & quidem ut unum principium cum Patre & Filio. Etsi verò Pater Filius & Spiritus Sanctus unus ille Deus, sit unum principium, id tamen non obstat, quominùs sit ordo agendi æquè ac existendi. Pater à nullo est, Filius genitus à Patre, Spiritus Sanctus procedit ab utroque. Sic nullus agit per Patrem: non Filius & Spiritus Sanctus: Sed Pater per Filium & Spiritum, nec Spiritus Sanctus regit Ecclesiam interiùs per Filium; sed Filius per Spiritum Sanctum.

Sectio V.

Conclusio secunda Becani de Primatu ætatis, vocationis & charitatis consideratur.

I. Secunda conclusio Becani hæc est: *Primatus Petri non consistit in eo, quòd fuerit primus ætate, vocatione, & charitate inter omnes Apostolos.* Num. 40. Homo cum astutissimè causam agēdam suscipit, magno argumento prodit impudentiam. Dum enim hunc primatum Petro denegat, omnem intercipit. Nam quem vellet ei conferre, eum non potest tueri; quem posset utcunque tueri, hunc ei denegat. Marcus Antonius Primatum ætatis, vocationis & charitatis probaverat ex Patribus. Jesuita omnia ferè sicco pede præterit. Hoc si non malæ conscientiæ, certè causæ malæ indicium haud leve. Rationes illius videamus. Prima est, *quia incertum est, an Petrus fuerit ætate senior, quàm alii.* Num. 40. Seniorem fuisse Petrum & Andream ipsius fratrem, cæteris Apostolis, facilè concedent omnes. Chrysostomus Com. in Gal. cap. 2. docet, Petrum propter ætatis Primatum à Paulo habitum fuisse in pretio; *Post tanta*, inquiens, *taliaque benefacta, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret vocatione, sed honore par esset illi, nihil enim hîc dicam amplius, tamen adscendit velut ad maiorem & seniorem.* Hieronymus lib. 1. adversùs Jovin. quærens, cur Christus assumpserit Petrum, non Johannem, ut capite constituto tollatur schismatis occasio, respõdet; *Ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens & penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur.* Cùm igitur Petrus simul prælatus sit Jacobo, & cæteris, probabiliter colligit Antonius, ætatis ratione factum esse; Præsertim cùm de solo Andrea sit dubium. Hunc enim Epiphanius Hær. 51. seniorē Petro fuisse, affirmat. At Chrysost. Hom. 59. in Matth. didrachmum pro Petro solutū fuisse, asserit, quia & ipse erat, sicut & Christus, primogenitus. Si primogenitus, ergo senior quàm Andreas. Cassianus lib. 3. de Incarn. de Petro. *Primum decuit respondere, ut idem esset ordo responsionis, qui erat honoris,*

ris, & ipse antecederet confessione, qui antecederet ætate. Ne verò te turbet unius Epiphanii contradicentis auctoritas, nota, non defuisse, qui contrarium traderent, auctore Baronio, tom. 1. ad An. 31. num. 23. quibus Baronium, Lorinum, Serarium, homines quamvis doctos, novellos tamen frustrà opponit Jesuita. Antonio suffragatur Papistarum facilè doctissimus Arias Montanus in Elucidationibus in Joh. 21. super hæc verba, *Diligis me plus*, sic commentatus: *Confirmatur amor Petri erga Christum. Ipsius Petri confessione indicatur amor Christi ardentissimus, erga oves, quarum pascendarum cura Apostolis & Petro, ut seniori inter Apostolos, præcipuè commendatur, præsentibus aliis.*

II. Si obvertat ex Baronio, *rem incertam esse, cùm nemo diem natalem duorum fratrum notatum viderit, nemo parentes interrogaverit*, memineris distinguere inter conclusionem necessariam & probabilem, itemque inter res fidei, & res ad fidem minimè pertinentes. Conclusionem necessariam de rebus fidei, seu ad salutem cognitu necessariis velle fundare in hominum testimonio, nihil aliud profectò esset, quàm super arenam ædificare, cujus stultitiæ exempla multa Papatus nobis dedit. At conclusionem probabilem, & quidem de rebus ad fidem non pertinentibus, Scripturæ auctoritate confirmari, non est præcisè necessarium. Quod sani omnes facilè agnoscent. At primatus Petri, quoad ætatem, nō est de fide. Fuerit, non fuerit reliquis Apostolis senior, fides non periclitatur. Et de eo probabilem conclusionem, non simpliciter necessariam, moliri voluit Marcus Antonius, cui statuminandæ Patrum dicta videbantur illi sufficere apud homines non contentiosos. Si contentiosis non sufficiunt, quid ad nos? Non ideo obtinebit Sophista, quod quærit.

III. Ratio secunda: *quia falsum, Petrum fuisse vocatum ante omnes Apostolos.* Atqui plurimorum Patrum auctoritate se muniverat Marcus Antonius. Quid de his Becanus? Simulat, se non vidisse, ne cogatur honorem eis exhibere. Is est mos Sophistarum. Sed quî probat, falsum esse? Distinguit triplicem vocationem: primam vocat, *quâ Andreas, Petrus, Philippus & Nathanael non quidem propriè vocati, sed tamen admissi sint ad Christum, tanquam auditores familiares.* Secundam, *quâ sint propriè vocati, tanquam discipuli cum illo permansuri.* Tertiam, *quâ propriè vocati sint, tanquam Apostoli.* Jā dicit, *In prima Andreā primū fuisse.* Joh. 1, 41. *In secunda, Petrū & Andreā simul esse vocatos. In tertia omnes duodecim simul esse electos*, Luc. 6, 13. Num. 41. Distinctio est Lyræ & multorum aliorum. Benè autem est, quòd primam vocationem non propriè vocationem fuisse, ipse monet Jesuita. Non enim fuit. Ad rem igitur non facit, quòd Andreas prior adfuit Christo, quàm Petrus. In altera, quæ fuit propriè vocatio ad discipulatum, Petrus prior adhæsit Christo, & audivit ante omnes ex eodem, *Ne metue: ab hoc tempore homines vivos capies*, Luc. 5, 10. In tertia verum est, simul esse duodecim delectos Apostolos; sic tamen, ut primus sit delectus Petrus, cujus nomen reliquis præponitur.

IV. De Patribus non dubito, quin agnoverint prioritatem vocationis. Epi-

phanius Hæres.51. *Occursus Andreæ primus contigit, cùm minor esset Petrus tempore ætatis. Postea enim rursùs quando perfecta renunciatio facta est, à Petro facta est, ipse enim fratrem suum præcessit.* Cyprianus ad Quintum opponit Epist.71. dicit, *Christum Petrum primum elegisse.* Num jurisdictione Primum? Imò tempore. Primò enim novellos & posteros. Verba integra sic habent; *Nec Petrus quem Dominus primum elegit & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere & obtemperari à novellis & posteris sibi potius oportere.* Hilarius in Matth. can.7. *Petrus primus credidit, & Apostolatus est Princeps; nempe quia primus adhæsit Christo & in eum credidit.* Gregorius lib.2. super Ezech. Homil.18. de Petro dicit, *Non ad memoriam revocat, quòd primus in Apostolatum vocatus est.* Huc respicit Chrysostomus de Pœn. Homil.9. *Petrum*, inquiens, *cùm dico, Petram nomino indebilem, crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum discipulorum, primum vocatum, primum obedientem.* Quo sensu etiam Paulus novissimus in ordine, primus in meritis appellatur ab Hieronymo Epist.13. ad Paulinum. Denique Gregorius de Valentia, Petrum primum esse vocatum, & quidem Apostolum, contendit, tom.3. in Secundam secundæ Thom. disp.1.q.1.puncto 7. col.262.263. Ita egregiè inter se consentiunt Jesuitæ.

V. Tertia. *Incertum est apud bonos Autores, an Petrus habuerit primatum charitatis præ aliis Apostolis.* Quæ ratio? Nam inquit, *Thomas quæstionem proponit, an Petrus plus dilexerit Christum, quàm Johannes? & pro sua modestia, non audet definire, sed affert varias Auctorum sententias. Deinde etsi plus Petrus dilexerit, quàm Johannes, quòd non negat, non tamen sequi, contendit, primatum Petri, quem Scriptura & Patres illi tribuunt, in illa dilectionis eminentia consistere. Hoc enim probari non posse. Se autem probare velle, quòd consistat in prærogativa potestatis & jurisdictionis.* Num.42. 43. R. Quòd Petrus reliquos Apostolos charitate antecelluerit, non tam incertum est apud bonos Auctores, ut quidem videtur Jesuitæ. Primùm enim ex Evangelio notum satis, ubi Christus interrogat, *diligis me plus quàm hi?* quod Petrus non negat, sed præsupponit, tanquam Domino notum. Et sanè amoris hujus ferventissimi signa passim ediderat plurima. Ad Christum properans, moræque impatiens mittit se bis in mare, Matth.14, 29. Johan.21,7. exserto gladio Christum conatur defendere, Matth.26. Johan.18. Hinc erat, quòd nollet sibi lavari pedes à Domino, Johan.13,6. Hinc promissiones illæ audaciores de constantia, Matth. 26,33. De quibus sic Ambrosius lib.10. in cap.24. Lucæ; *Devotio parata semper & prompta credebat, & ideo studebat frequentiora fidei signa colligere. Alibi cum Johanne, alibi solus, ubique tamen impiger currit, ubique aut solus, aut primus, non contentus vidisse, quæ viderat, repetit intuenda, & quærendi Domini amore succensus, non satiatur videndo. Videt solus, videt cum undecim, videt cum septuaginta, videt & quando Thomas credidit, videt, cùm piscaretur, sed non vidisse contentus, impatiens desiderii, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reverentiæ, ubi Dominum vidit in littore, veste se texit, ferum æstimans, si cum cæteris navigio perveniret. Sic cum in mari Dominus ambularet, super undas maris naturæ suæ oblitus occurrit. Sic cùm à Judæis teneretur, adversùs turbas gladium solus exseruit. Sic & nunc cum Dominus stetisset in littore, periculoso compendio religiosum maturavit obsequium.* Cyrillus l.12. in Johan. cap.64. *præveniebat alios Petrus: ardore namque Christi præcipuo fervens & ad faciendum & ad respondendum paratissimus erat; unde tarditatem modò navigii videns, tunica succinctus in mare exilit, &c.*

VI. Chrysostomus Homil.57. in cap. 17. Matth. *Tu verò Matthæi Philosophiam considera, qui non celavit nomina eorum, qui propositi fuerunt, quod & Johannes sæpius facit, cùm eximias Petri laudes verissimè & diligentissimè describat. Nullum enim in hoc Apostolorum consortio livor, aut inanis gloria locum habet. Primos igitur Apostolorum seorsim assumpsit.* Infrà; *Quamobrem hos accipit? Quia excellentiores cæteris videlicet erant. Et Petrus quidem, quia valdè Christum diligeret, idcirco præstabat.* Et Homil.86. in Johan: *Cùm autem eum* (Jesum) *agnovissent, proprios mores referunt. Petrus & Johannes; ille ferventior, hic altior erat; Ille vehementior, hic perspicacior: Ideo Johannes prior agnovit Jesum; Petrus prior ad eum properavit.* Hanc ob causam Bernhardus Tract.de pass. Dom.cap.17. Johannem lilium castitatis, Petrum rosam charitatis appellat. Refert Antonius. Huc pertinet, quòd Eusebius lib.1. Hist. Eccles.cap.14. eum appellat ob virtutis excellentiam, Apostolorum facilè principem, cùm ait, *E vestigio sub ipso Claudii imperio, optima illa Dei omnium & humano generi amica providentia constantissimum & magnum Apostolum Petrum reliquorum omnium, virtutis causa, Principem, Romani adversùs tantum (Simonem) vitæ corruptorem deduxit &c.*

VII. Si Papistas audire malis, Glossa ordinaria sic habet, *Jesus scit, quod interrogat, an plus diligat.* Jansenius in Concord. Evangel. cap.148. *Hic Johannes Petro aliisq; perspicacior erat ob puritatis magnitudinem; Petrus verò sui non dissimilis, ferventior hic inventus est ob vehementiam amoris.* Infrà: *Dominus prius ab eo rogat, num se diligat, & plus diligat, quàm cæteri, qui aderant Apostoli, non tanquam ignorans, cùm tanquam Deus omnia sciret, & tanquam homo didicisset, jam ipso facto excellentem præ aliis Petri dilectionem.* Ex dictis intelligimus, primò, Patres Scripturæ testimoniis inductos asseruisse, quod Thomas nolebat definire, áliàs satis audax quæstionum obscurarum definitor. Deinde eosdem argumento amoris Petrum reliquis prætulisse. Tertiò. Becanum sauciatæ conscientiæ signum edere. Non negat, Petrum plus dilexisse, quàm cæteri. Vellet tamen per Thomæ modestiam incertum reddere; imò negat, illam dilectionis eminentiam ad Primatum pertinere. Quo argumento? Num inde removent Patres? Imò huc applicare audivimus, de quibus nullum verbum respondit M. Antonio Sophista. Unicè cogitat de jurisdictionis primatu, & metuit, ne hic pereat, si alterum concedat.

Inde honestum Primatus titulum, quem Antonius Petro permittit, ipse repudiat, ut obtineat jurisdictionis primatum insolentem. Placeat sibi, quantum velit, in hac astutia. Frustrà erit. Insolentem enim nũquam probabit solidè, quod deinceps videbimus.

Sectio VI.

Primum Becani argumentum pro Petri Primatu potestatis & jurisdictionis, à Scriptura petitum, confutatur.

1. Conclusio tertia. *Petrus habuit primatum potestatis & jurisdictionis Ecclesiasticæ præ aliis omnibus, seu, quod idem est, fuit Vicarius Christi, Caput Ecclesiæ, Pastor ovium.* Num. 44. Falsa est conclusio, expositio ambigua, probatio minùs solida. Conclusionem falsam esse, bono cum Deo, paulò pòst probabimus evidentissimè. Expositio est ambigua: Si enim Vicarium Christi Caput Ecclesiæ & Pastorem ovium Christi Oecumenicum & solitarium intelligas, æquipollentiam do, sed in falsitate. Si pastor ovium Christi ex sensu Scripturæ capiatur, æquipollentiam nego. Quilibet enim Episcopus est pastor ovium Christi, Act. 20, 28. 1. Petr. 5, 3. Titulus Vicarii & Capitis Ecclesiæ, etsi non est usitatus Scripturæ, potest tamen, generali quodam sensu, Apostolis ex æquo tribui. Jam probationem consideremus. Tria profert argumenta pro Petri primatu jurisdictionis & potestatis Oecumenico.

II. Primum è verbis Christi, Johan. 21. *Pasce oves meas.* Dicit, se hæc verba fusè explicâsse lib. 2. de Repub. Eccles. cap. 3. Discussu digna. Non habeo librum ad manum. Ex illo igitur peto, ex quo sua describere solet Jesuita. Argumentum in forma sic erit. *Qui oves Christi pascere jubetur, is est Vicarius Christi & Ecclesiæ totius Pontifex Oecumenicus, solitarius. At Petrus jubetur oves Christi pascere.* Ergo. Majorem nego, idque tribus de caulis. Prima. Quia pascere oves Christi non est idem, quod ovibus Christi imperare, multominùs est, tam in pastores quàm in oves dominium exercere, & quidem summa potestate. Petrum testem laudo, qui sic scribit, *pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non ut dominantes cleris.* Secunda. Pascendarum ovium Christi curam non habuit unquam unus aliquis solus, sive Petrus, sive quisquam alius, sed cum Petro Apostoli cæteri, & post eos Episcopi omnes. De Apostolis clarum ex Scriptura & Antiquitate. Ex *Scriptura*; Omnibus enim pariter dictum est, Matth. 28. *profecti docete omnes gentes.* Hic propriis verbis enunciatum, quod figuratè dicebat Christus Petro. Ex *Antiquitate.* Cyprianus lib. de Unitat. Eccles. *Pastores sunt omnes, sed grex unus, qui ab Apostolis* Omnibus *unanimi consensione pascatur.* Clerus Romanus ad Clerum Carthaginensem apud Cyprianum Epist. 3. *Simoni sic dicit Dominus,* diligis me? *Respondit*; Diligo. *Ait illi,* pasce oves meas. *Hoc verbum, factum ex actu ipso, quo cessit, agnoscimus, & cæteri discipuli SIMILITER fecerunt.* Magna vis veritatis. Bellarmino lib. 1. de pontif. Rom. cap. 11. hanc vocem expressit, *Omnes Apostoli fuerunt capita, rectores ac pastores Ecclesiæ universæ.* Clara confessio, q̃ si vera; aut Apostoli omnes potestatem pascendi totius gregis à Domino acceperunt, aut sibi auctoritate propria vindicârunt. Hoc ab eorum pietate alienum. Illud igitur verum.

III. Ad alios Episcopos pertinere, testis Scriptura, Antiquitas, res ipsa. In Scriptura Petrus dicit presbyteris, *pascite gregem Dei,* 1. Pet. 5, 3. Hinc Apostolus *pastores* vocat, Eph. 4, 11. *Antiquitas.* Ambrosius lib. de Dignit. Sacerdot. cap. 2. sibi & aliis sui temporis sacerdotibus applicat. *Quas,* inquiens, *oves, & quem gregem non solùm tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas suscepimus omnes.* Augustinus similiter suo applicat ordini, Tract. 123. in Johan. *Non ergo nos, sed ipsum amemus & in pascendis ovibus ejus, ea quæ sunt ejus, non quæ sunt nostra, quæramus.* Et Serm. 62. de verbis Dom. hoc textu citato subjicit; *Ergo fratres cùm obedientia audite, oves vos esse Christi, quia & nos cum timore audimus,* pasce oves meas. *Pertineat ergo ad nos cura, ad ad vos obedientia; ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis.* Tract. 47. in Johan. *Christus quòd Pastor est, dedit & membris suis: Nam & Petrus pastor, & Paulus pastor, & cæteri Apostoli pastores, & boni Episcopi pastores. Res ipsa.* Alii enim Episcopi pascunt oves Christi, suo ordine, loco & gradu.

IV. Tertia. Petrus non pavit omnes oves Christi, quæ quidem sic dicuntur directè respectu Christi, in quibus & ipse Petrus, & Apostoli haud dubiè numerabantur. patet. *Non pavit Apostolos.* Nam si pavisset, vel docendo, vel corrigendo, vel mittendo, vel imperando pavisset. At non docuit eos; imò erant pariter omnes docti à Spiritu Sancto, quem ex æquo omnibus promittit Christus, Joh. 14. & 16. Paulus ait, *Non statim contuli cum carne & sanguine,* Galat. 1, 10. Id est, secundùm Cornelium à Lapide, *ab homine Evangelium non sum edoctus, quia cum nullo homine illud contuli, sed à Deo solo, illud per revelationem accepi.* Item ait; *Qui sunt in pretio, nihil mecum præterea contulerunt,* Galat. 2, 6. Id est, interprete eodem Cornelio, *nihil communicârunt, contenti mea sufficienti communicatione & expositiõe doctrinæ meæ, quam Evangelizo.* Hic igitur negat, se ab Apostolorum primoribus aliquid novi in doctrina accepisse. Quinam erant in pretio? Jacobus, Cephas, & Johannes; Illi enim putabantur esse columnæ, v. 9. Ergo Petrus Paulum non pavit docendo. Clemens quidem septimo Hypotyposeõ apud Eusebium, lib. 2. Hist. cap. 1. aliquem ordinem, quem Christus in communicanda doctrina servaverit, prætendit, nõ autem papistis proficuum. Petrum enim tertio loco collocat, *Iacobo,* inquiens, *Iusto, Iohanni & Petro post resurrectionem suam Dominus scientiam tribuit, illi verò eam reliquis Apostolis tradiderunt: Apostoli postea septuaginta discipulis.* Non *correxit,* quod legatur uspiam in divinis, vel humanis Scripturis. Imo ipsum correxit Paulus Apostolus, Galat. 2, 11. Non *misit*: Non enim opus erat, cùm omnes essent missi à Christo immediatè, & muniti auctoritate docendi omnes Gentes, Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. Paulus seriùs accessit. Neque tamen missus à Petro, sed ab ipso Christo. Historia describitur, Act. 9. Paulus

Universidad de Deusto
Biblioteca

lus ipse de se scribit, *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum ac Deum Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis*, Galat.1,1. Num ab eo missus postea? Negat, *Neque*, inquiens, *redii Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerant Apostoli, sed abii in Arabiam, ac denuò reversus sum Damascum*, Galat.1, 17. Elapso triennio rediit quidem Hierosolymam, verùm ut viseret Petrum, non ut ab eo mitteretur, v.18.& c.2,6. ait, *nihil mecum contulerunt*. Ergo nec ratione missionis. Denique non imperavit, ac ne quidem potuit. Æquales enim erant in Apostolatu.

V. Imò Petrus ne quidem reliquas oves Christi universas pavit. Pavisset enim vel per seipsum, vel per Apostolos à se missos. Non per *se ipsum*, quia non ad omnes penetravit. Leo dicit, Apostolos imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepisse. Petrus igitur aliquas partes imbuendas Evãgelio suscepit. Quòd Gentiũ Apostolatũ susceperit, è Scriptura ñ constat, imò constat, convenisse inter Paulum & tres Apostolos, inter quos erat Petrus, ut ille & Barnabas inter Gentes, isti autem inter circumcisos Apostolatu fungerentur, Galat.2,9. Dicunt quidem aliqui Veteres, Petrum Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleviſse; sed nihil certi. Baronius Antiquitatis solertissimus indagator omnia perscrutatus ñ invenit, unde affirmaret. Imò de locis, quò in Romana profectione venisse dicitur, scribit, *De rebus tam antiquis & incertis, quid potissimum affirmare debeamus, non satis constat*, ad Ann.44.num.28. Item, *De divisione & profectione Apostolorum ad prædicandum Evangelium Gentibus, hactenus sanè res est perdifficilis investigatu. Quod verò pertinet ad res ab ipsis gestas, postquam ab invicem semel separati sunt, res quidem æquè perobscura est*, inquit ibidem, num. 41.& 42. Sed docuerit Petrus illis locis, docuerit etiam Romæ, quod plurimi affirmant. Quid tum? Non ideo per seipsum omnes oves pavit. Nõ ad Indos, nõ ad Æthiopes, nõ ad alios, ad quos alii venerunt Apostoli. Ubi nota, quòd Apostolus Paulus scribit, se cavere, ne super alieno fundamento ædificet, Rom.15,20. Ibi ergo Petrus non docuerat. Non per Apostolos à se missos; illi enim missi sunt à Christo æquè ac Petrus, non missi à Petro.

VI. Sophistæ, ut Oecumenicum Pontificatũ ex his verbis exstruant, tria potissimũ urgent; primum, *soli Petro esse dictum, Pasce oves meas*. Secundò, *pascendi verbo summam potestatem significari*. Tertiò, *oves Christi, hîc esse Ecclesiam universam, etiam ipsos Apostolos*. Primum prolixè probat Bellarminus: at frustrà. Non enim negamus. Probandum erat, aliquid Petro peculiare datum esse, reliquis non cum ipso commune. Id sequi, negamus, Imò Augustinus lib. de Agone Christiano cap.30. *Cùm*, inquit, *Petro dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oves meas*. Potest enim esse alia specialis compellationis causa in privilegio communi. Imò fuisse, docent nos Patres, & quidem duplicem, nempe tum, ut triplici professione dilectionis dilueretur macula trinæ abnegationis, tum ut Apostolatus dignitas, qua suo merito exciderat, ipsi specialiter confirmaretur. De *priori* sic Gregorius Nazianzenus Orat. in sancta lumina; *Petrum Christus admisit, & triplici interrogatione & confessione triplicem negationem sanavit*. Chrysostomus Hom.87.in h.l. *Quid tandem, aliis omissis, his duntaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum & princeps. Simul ut ei ostenderet, jam sibi fiduciam habendam: tanquam enim negationis oblivisceretur, fratrum curam ei committit*. Item: *Ter interrogat, & semper idem præcipit, ut demonstret, quanti ovium suarum curam faciat*. Augustinus Tract.123. in Joh. *Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minùs amori lingua serviat, quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium, pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium, negare pastorem*. Hæc repetit Glossa ordinaria in Johan.21. Vide etiam Augustinum tract.47. in Joh. Similia habet Cyrillus l.12.in Johan. ubi de *posteriori* causa hoc subjicit: *Ternâ igitur confessione Petri, trinæ negationis delictum evacuatum est. Dixit autem, Pasce agnos meos, Apostolatus ipsi renovans dignitatem, ne propter negationem, quæ humanâ infirmitate accidit, labefactata videretur*. E Papistis Jansenius in Concord. Evangel. cap.148. duplicem causam affert; *suam*, inquiens, *erga oves suas curam & dilectionem magis adhuc declaravit Dominus, cùm non semel tantùm, sed ternâ etiam vice Petrum interrogârit, quãquam & alia sit ratio ter repetitæ à Domino interrogationis, nimirum, ut Petrus trinâ confessione trinam recompensaret negationem, sicque lapsum, qui verbo factus fuit, etiam verbo curaret*.

VII. Jam quidem Sophistæ summam potestatem ex verbo *pascendi* vellent exsculpere. Verùm frustrà se fatigant. Nam in verbo nihil est, quo summa potiùs, quàm subalterna, aut etiam infima potestas designetur. Quinimò notum est omnibus, eo significari munus eorum, qui ut plurimùm non suas, sed alienas oves, citra ullum dominium pascunt. Præterea cogitandum erat, pastores post Apostolos, post Prophetas, post Evangelistas, adeoq; quarto demum loco reponi, Eph.4,11. Nemo enim tam insanus erit, ut summum in Ecclesia nominet, quod quarto demum gradu Spiritus Dei per Apostolum constituit. Et ne hæreas, idem verbum ποιμαίνειν iis tribuitur, qui appellantur Presbyteri, 1.Pet.5. quibus, credo, summam potestatem nunquam permittent Sophistæ.

VIII. Rationes sunt inutiles, quibus contrarium suadere conantur, nempe, quòd *non propriè pascere dicatur, qui cibum alii, quacunque ratione, ministrat, sed qui curat, quod est gubernatoris*; quòd *per hoc verbum communi usu omnis actus pastoralis contineatur, qui est non tantùm præbere cibum, sed etiam ducere, regere, tueri, corrigere*; quòd ποιμαίνειν *sit regendo pascere*; Denique quòd *Patres officium hoc verbo commissum Petro nominent præfecturam*. Inutiles, inquam, sunt hæ rationes. Nam primò cum procuratione cibi non est necessariò conjuncta potestas dominandi, nedum suprema. Secundò non nego, *pascendi* verbo in significatione propria omnem actum pastoralem significari. Vicissim autem cogitandum erit,

cùm metaphoricè capitur, determinandam esse significationem ἀναλόγως ad subjectum, de quo agitur, non cuilibet eodem modo accommodandam. Aliter enim pascit Episcopus gregem Christi; aliter Rex subditos. De Episcopo igitur usurpatum notat omnem actum pastoralem, qui Episcopo conveniat; de Rege, omnem actum pastoralem, qui competat Regi. Ut igitur in Rege non notat, quòd subditos pascere debeat præconio verbi & sacramentorum dispensatione, sic in Episcopo, non significat, quòd dominari debeat Ecclesiæ.

IX. Tertiò. Verbum ποιμαίνειν est regendo pascere, nempe usurpatum de Rege; de ministro Ecclesiæ, non est. Johannes indicat non obscurè. Bis enim utitur verbo βόσκειν, quod non Dominium, sed nutritionem spectat; semel utitur verbo ποιμαίνειν, ut nullum dominatum hîc queramus, sed intelligamus, ποιμαίνειν ut βόσκειν hîc eodem capi sensu. Sophistæ hinc potestatem summam vellent concludere, quòd Evangelista semel utatur verbo ποιμαίνειν, bis verbo βόσκειν. Subtiliter! Nego, hîc latere mysterium. Illi probent. Neque enim omnes Papistæ assentiuntur. Non assentitur Jansenius; negat enim, hîc latere mysterium. E Veteribus Leo serm. in natali Apost. Petri & Pauli. *Non aliud*, inquit, *ab hac mentis tuæ intentione quæsitum est, quàm ut pascendis ejus, quem diligeres, ovibus cibum, quo ipso eras opimatus, impenderes.* Sed licet morosiùs urgeas dominatum, non tamen nisi in oves obtinebis, si obtinebis. Certè non in pastores. Sic Homerus Agamemnonem non vocat ποιμένα βασιλέων, sed ποιμένα λαῶν. At Oecumenicus dominatus, quem moliuntur Sophistæ, inprimis exercetur in pastores. Quartò. Patres non tuentur Sophistas, dum officium Petro commissum nominant præfecturam. Quemlibet enim Episcopatum sic nominant. Vide Chrysostomum lib. de Sacerdotio. Paulo dicuntur πρεσβύτεροι προεστῶτες προεστῶτες, 1. Tim. 5, 17. Ergo presbyteri munus est προστασία, id est, præfectura. Nec tamen potestas summa & Oecumenica.

X. Denique per oves hîc intelligi universam Ecclesiam, seu omnes Christianos simpliciter, ipsis quoque Apostolis comprehensis, non intelligo. Est enim propositio indefinita, quæ non semper æquipollet universali. Exempla passim sunt obvia. Jud. 2, 11. *Fecerunt filii Israëlis quod malum videtur in oculis Iehovæ, coluerunt que Bahalimos.* Num omnes filii Israëlis? Sic cap. 4, 1. cap. 6, 1. Sic Exod. 15, 24. *Tunc murmuravit populus contra Mosen.* Non utique omnes in populo, sed aliqui, sic explicante Apostolo, 1 Corinth. 10, 10. Rursum Psalm. 106, 14. *Majores nostri ducti concupiscentiâ in deserto tentârunt Deum fortem in solitudine.* Indefinitè dictum, nõ universaliter: quidam enim tantùm tentârunt, interprete eodem Apostolo. Similia habes Matth. 23, 37. Actor. 2, 17. 4, 26. Non igitur magis hinc sequitur, Petro oves omnes simpliciter esse commissas, quàm singulis Apostolis omnes simpliciter subditos esse Christianos, cùm omnibus & singulis dictum sit, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, Matt. 28. Et nemo Christianorum fuerit, qui non ad aliquam Gentem pertinuerit. Aut igitur dicito, Petri institutionem & curam Apostolis commissam esse

esse à Christo, quia Gens Judaica, in qua natus Petrus, inter Gentes numeratur, quas Christus commisit Apostolis, aut agnosce, vi illius verbi non omnes oves, citra omnem exceptionem, Petri curæ esse traditas. Præsertim cùm similis locutio usurpetur de pastoribus, Ezech. 34, 8. Ubi sic lego, *Pascunt pastores seipsos, gregem autem meum non pascunt*; quibus non simpliciter omnes oves commissas fuisse, constat inter omnes certissimè.

XI. Bellarminus mysterium quærit in eo, quòd bis nominentur agni, *semel* oves, cõtendens, per *agnos* intelligi populũ Judaicum & Gentilem, per *oves*, Episcopos, qui sint illorum matres. Si autem legamus cum Ambrosio *agnos*, *oviculas* & *oves*, intelligi *incipientes, proficientes, perfectos*; Vel per agnos *populos*, per oviculas *presbyteros & parochos*, per oves *Episcopos*. Suavis Philosophia! Atqui primùm Ambrosiana lectio refragatur omnium codicum fidei, qui habent semel ἀρνία, bis πρόβατα. Deinde agni & oves pro eodem sumuntur in Scriptura multoties. Confer Matth. 10, 16. Luc. 10, 3. Actor. 8, 32. Cum Jesa. 53, 7. Atque sic accipiunt Patres hoc loco oves & agnos, ut mysterio non sit locus. Non alios hîc laudabo; sufficit Ambrosius, qui lib. de Dignit. Sacerd. cap. 2. satis ostendit, mysterium hîc nullum se quærere, cùm ait: *Repetitum est à Domino tertiò, Pasce oves meas.* Si id tertiò repetitum, ergo in variatione vocum nullum mysterium. Agnoscit Jansenius in Concord. Evangel. cap. 148. *Non est*, inquiens, „ *quærendum mysterium in eo, quòd in prima* „ *interrogatione dixerit*, agnos meos, *in se-* „ *cunda verò & tertia*, oves meas. *Rursum* „ *quòd in prima & in tertia sit Græcis βόσκε,* „ *in secunda ποίμαινε. Non enim significationis* „ *alicuius gratiâ, sed tantùm elegantiæ causâ,* „ *verisimile est, hac variatione usum Evan-* „ *gelistam.* Agnoscit Maldonatus in h. l. *Agnos*, inquiens, *esse oves, qui in grege, id est,* „ *Ecclesia Christi essent, dubium non est, nec* „ *subtiliter disputandum, cur agnos potiùs,* „ *quàm oves appellaverit, quod qui fecerit, vi-* „ *deat etiam atque etiam, ne doctis homini-* „ *bus risum præbeat.* Id probè notent Jesuitæ.

XII. Si allegoriam nolint deserere, quid eos tandem juvabit à variis inflexa tam variè? Ambrosii expositio non significat diversos ministerii gradus, quos hîc vellet exstruere Sophista. Sunt enim perfecti æquè ac incipientes & proficientes in populo, quem per oves Petro commendatas intelligi Ambrosio, ab ejus verbis clarum, lib. de Dignit. Sacerd. inquientis, *Quid jam de plebeia dixerim multitudine, cui non solùm præferri (honor Episcopalis) à Domino meruit, sed ut eam quoque jure patrio tueatur, præceptis imperatum est Evangelicis. Sic certè ad beatum Petrum dicitur:* Petre amas me? *Et ille,* tu scis Domine, quia amo te. *Et cùm tertiò fuisset interrogatus, & trinâ responsione fuisset subsecutus, repetitum est à Domino tertiò,* Pasce oves meas. *Quas oves & quem gregem non solùm tunc beatus Petrus suscepit, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes. Unde regendæ sacerdotibus contraduntur, meritò rectoribus suis subdi dicuntur.* Nihil hîc audis, oves esse Episcopos, vel ipsos Apostolos; hi enim non subditi sacerdotibus; sed audis, plebeiam multitudinem, extra sacerdo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium constitutam, oves intelligi. Pro discrimine agnorum, ovicularum & ovium, quid afferent contra omnium codicum Auctorumque omnium consensum? Nunc enim non quæram, quomodo agni ab ovibus distinguantur? Agni enim fortè apud Jesuitas non sunt oves, ne parvæ quidem.

XIII. Inquis: *Pasce oves meas, idem est, quam curam habe mei ovilis. At unicum est ovile; universum igitur gregem Christus Petro commisit.* Concedo, illa duo idem valere, itemque unicum esse ovile. Sequitur, commissum esse Petro unicum ovile Christi, quod non nego. Cùm pro *unico* substituitur *universum*, fraus latere nequit. Differunt enim, quod faxo, ut intelligas. Christus dicit, *docete omnes Gentes*, Matth. 28. Marcus habet, *prædicate Evangelium omni creaturæ*. Hîc Apostolis committit curam sui ovilis, quod unicum esse, agnoscunt ipsi adversarii. Apostolis igitur universi gregis cura est commissa. Hîc include Petrum & dic, ejus curam esse commissam Jacobo cæterisque Apostolis, aut agnosce, phrasi Christi Apostolos non subjici Petro.

XIV. Bellarminus instat: *Cùm Dominus ait*, Pasce oves meas, *vel commendavit Petro oves suas omnes, vel nullas, vel aliquas certas ac definitas. At nemo dixerit, nullas, aut aliquas certas esse commendatas. Nec etiam aliquas indefinitas; Ergo omnes simpliciter.* Imò indefinitas illi commendavit, quia nec omnes, nec nullas, nec aliquas certas. Non *omnes*, quia nec Apostolos, nec etiam quasdam Gentes, nempe quas ille non attigit. Non *nullas*; Non enim fuisset pastor. Non *certas aliquas*; Sic enim non fuisset Apostolus. *At*, inquis, *non est sapientis provisoris, relinquere indefinitam curam, cùm possit eam definire, præsertim cùm contrà confusio & perturbatio ex illa indeterminatione oriatur.* Ita Christus insipiens fuerit provisor, cùm Apostolis omnes commendaret indefinitè, non has illi, istas illi. Facessat blasphemia. Confusio non erat metuenda, quia Apostoli ducendi erant à Spiritu Sancto. Instat; *commendare aliquas, & non indicare quas, idem esse videtur, ac si commendarentur nullæ.* Falsum. Nisi nullæ Gentes fuerunt Apostolis singulis commendatæ, quia nullæ certæ Gentes sunt assignatæ. Sic Abrahæ verè promittebatur terra, cùm primùm vocaretur, quamvis terra non statim definiretur, sed indefinitè Jehova diceret, *Abi à terra tua & cognatione tua, atque à familia patris tui in eam terram, quam ostendam tibi*, Genes. 12, 1. Inquit: *Quas pascet, qui gregem suum non agnoscit.* Nemo pascet gregem, quem ignoret, cùm munus pastoris exequi debet: At pascere potest suo tempore gregem, quem non novit, quando mandatum accipit; postea enim potest nosse. Sic Apostolus Gentes, quas postea pavit, non noverat, cùm audiret ex Christo, *Ego te procul ad Gentes mittam*, Actor. 9, 15. Ubi nemo ita insaniet, ut dicat, Christum ad nullas Gentes voluisse mittere, quia nō dicebat definitè, ad quas esset missurus. Si Paulus non ideo ad nullas Gentes erat mittendus, quia ab initio non noverat, ad quas esset mittendus, cur Petro dicantur nullæ commissæ oves, quia nec omnes, nec definitæ aliquæ illi dicuntur commissæ?

Sect.

Sectio VII.

Secundum argumentum pro Primatu Oecumenico, à Petri titulis petitum, refutatur.

I. Secundum argumentum Becanus petit ex Patribus, quos dicit, tam clarè, disertè ac rotundè loqui de Primatu Petri, ut clariùs, disertiùs & rotundiùs loqui non possint. Becanus debet probare Oecumenicum Pontificatum Petri; non invenit in puriori Antiquitate; ideo substituit Primatum. Jam fraus manifesta, cur suprà tres phrases inculcaret, tanquam æquipollentes. Atqui non omnis primatus est Oecumenicus Pontificatus. Nec capitis titulus eum infert. Ideo adversarius non habet, quod vult, ut maximè vocem *primatus & capitis* in Patribus inveniat: quod ut fiat clarius, videbimus omnes & singulos titulos, quos ex Patribus producit, qui sunt in quadruplici ordine, juxta quadruplicem respectum Christi, Apostolorum, Ecclesiæ, aliorum Pastorum. In primo ordine unicum collocat, nempe quòd aliqui Petrum vocant *Vicarium Christi*, ut Ambrosius in cap. 24. Lucæ, Anshelmus in cap. 16. Matth. Bernhardus lib. 2. de considerat. ad Eugenium, Gennadius Scholarius de primatu Papæ, Sect. 2.

II. Argumentum sic erit: *Vicarius Christi est Ecclesiæ totius Pontifex Oecumenicus. Petrus fuit Vicarius Christi. Ergo totius Ecclesiæ Pontifex Oecumenicus.* R. Primò. Num solus Petrus inter Apostolos erat Vicarius Christi? Nusquam dictum à Scriptura, nusquam ab ætatis primæ Patribus. Si non solus, non fuerit ideo Oecumenicus Pontifex. Dico igitur, minorem exclusivè sumptam non esse de mente Patrum primæ Ecclesiæ. Testes à Becano laudati, sunt ætatum valdè diversarum. Ambrosius satis quidem antiquus, nec tamen tertium seculum attigit, sed quarti seculi postremis annis floruit. Cæteri multo recentiores. Ille non simpliciter vocat Vicarium Christi, sed quasi amoris Christi Vicarium. Verba sunt hæc; *Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non ut disceret, sed ut doceret; quem elevandus in cœlum amoris sui nobis veluti Vicarium relinquebat.* Audis, relictum non externæ gubernationis, sed amoris veluti Vicarium. Ab amore ad externam gubernationem non valet consequentia. Anshelmus claruit sub finem seculi decimi, Bernhardus duodecimo, Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus seculo decimo quinto post Florentinum Concilium. Jam duos ejus libellos tomo quinto bibliothecæ Patrum à Papistis nuper editæ invenio: At liber de primatu Papæ, si quem scripsit, videre mihi nondum contigit. Nec quicquam valet unius illius auctoritas in re tam gravi.

III. Secundò. Major est falsissima. Omnes enim Apostoli sunt Vicarii Christi, omnes veri Episcopi. De Episcopis dicam suo locō. De Apostolis testes laudo è Scriptura, ex Antiquitate, ex Papatu. Ex Scriptura laudo Paulum. Is dicit, 2. Corinth. 5, 20. *Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Antiquitate do Ambrosium. Ille sic in cap.1.Rom. *A Deo ergo Patre per Christum Dominum, hanc acceperunt (Apostoli) potestatem, ut vice Domini signis doctrinam dominicam acceptabilem facerent, & virtutem, quam in Salvatore zelarentur perfidi Judæi, hanc in servis ejus à turbis admirari videntes, vehementiùs torquerentur. Testis enim doctrinæ virtus est, ut quia quòd dicatur, incredibile mundo est, gestis fieret credibile. Missos igitur Apostolos vocat, ut prædicarent fidem omnibus gentibus, ut obedirent, ut salvarentur: ut donum Dei non jam solis Judæis, verùm etiam omnibus Gentibus concessum videretur, & hanc esse Dei voluntatem, ut in Christo & per Christum omnibus misereatur, Vicariis ejus prædicantibus, hoc est, pro nomine ejus, sicut alibi dicitur, pro quo legatione fungimur.* In 1.Cor. 3. *Dei enim sumus operis adiutores. Hoc ad Apostolorum personam pertinet, quos constat, esse Dei adiutores, quia Vicarii sunt Christi.* E Papatu, Hugo de Regress.animar.cap.14.in Biblioth.Patrum, vocat Apostolos Vicarios Christi. Præfatio missæ de Apostolis ait, *quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præesse pastores.* Ubi ridiculum se præbet Cajetanus, qui subterfugium quærit in verbo *operis*, quasi non absolutè appellentur Vicarii, sed ad exequendum. Unde enim constat Cajetano, Apostolos reliquos tantùm executivè in Ecclesiæ regimine processisse, id est, tantùm auctoritate à Petro sibi commissâ, non acceptâ à Christo? Vide Marcum Antonium libr.1.de Rep.Eccles.c.4. num.8.& seq. Eckius l.3.de sermon. Petri cap.35. *Omnes Apostoli fuerunt pastores & Vicarii Domini Iesu Christi, sicut sancta tenet Ecclesia. Verùm unus fuit Vicarius generalis, sanctus Petrus.* Illud benè habet? hoc unde constat? Imò falsum. Quid? Bellarminus l.4.de Rom.Pont.c.23. scribit, illâ sententiâ Christi, Johan.20. *sicut me misit pater, & ego mitto vos,* Apostolos esse factos Christi Vicarios, ex interpretatione Chrysostomi & Theophylacti.

IV. In secundo ordine sunt septem tituli, qui, sive separatim sive conjunctim eos spectes, Oecumenicum Pontificatum non conficiunt, sed indicant primatum ordinis & excellentiæ. Primò *caput Apostolorum* appellat Optatus Milevitãus l.2. contra Parm. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Johan. cap.64. R. Capitis nomen translatitiè non ubique eodem capitur modo. Notare potest dominatũ, auctoritatem, seu magisterium sine dominatu, excellentiam sine utroque. Christus est caput Ecclesiæ omnibus modis. Magisterio deputo, quòd Gregorius M. lib. 4. in 1.Reg. Paulum dicit effectum caput Nationum, *Paulus*, inquiens, *effectus est caput Nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum.* Ad excellentiam refero, quòd Chrysostomus Antiochiam nominat caput orbis, Homil.3.ad Pop.Antioch. Sic Cicero Socratem vocat fontem & caput Philosophorum, l.2.de Oratore. Petrus non dicitur caput Apostolorum propter Dominium. Id enim non accepit à Christo, non exercuit, si Scripturæ & Antiquitati puriori credas. Non propter magisterium. Magistrum enim Apoli habuerunt non Petrum, sed Spiritum Sanctum. Pertinet igitur ad excellentiam. Quemadmodum Chrysostomus Eliam

liam vocat τῶν πεφυτῶν τὸ κεφάλαιον, Rom. 18. in cap.11.Roman. Sic intelligendus Optatus, cujus verba si non corrupta sunt, nescio an excusari possit ejus alucinatio. Legitur enim apud eum, quòd Petrus inde dictus sit *Cephas*, quòd esset omnium Apostolorum caput. At nec Scriptura id docet, nec vox *Cephas* caput significat. Ut quibusdam videatur, assumentum hominis imperiti. Cyrilli hunc sensum esse, quem dixi, ab ipsis verbis est manifestissimum; Sic enim ait, *Quia Salvator discipulos interrogavit dicens, Quem me dicunt homines esse? Cùm iterum post responsionem ab eis quæreretur: Vos autem quem me dicitis esse, ut princeps caputq, cæterorum primus exclamavit, Tu es Christus filius Dei vivi.* Erat ergo jam tum caput Apostolorum. At Pontificatus Oecumenicus nec datus illi ante resurrectionem, nec promissus ante hanc responsionem, si credas Papistis. Et tamen jam tum erat caput Apostolorum, secundùm Cyrillum. Cyrillus igitur eum non declaravit isto titulo Pontificem Oecumenicum. Jam conclude, Petrus erat caput Apostolorum, ex Cyrilli sententia, cùm ederet Confessionem de Christo, Matth.16. Ergo solus fuit Pontifex Ecclesiæ Oecumenicus. Ridiculè.

V. Secundò. *Principem Apostolorum* nominat Cyrillus Hierosolymitanus Catech.2.& 11. Basilius in procemio præceptionum latiùs disputat atum. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Principatus ille non fuit potestatis summæ & universalis super Apostolos, sed ordinis, dignitatis, & donorum personalium. Hoc sensu & Scriptura inter Apostolos aliquod discrimen tradit, & Veteres prædicant. Scriptura tradit: Apostolus enim agnoscit τὸς ὑπερλίαν ἀποστόλους, 2.Corinth.11,5. τὸς δοκῦντας εἶναί τι τὸς δοκῦντας εἶναι στύλους, Galat.2,6.9. Eusebius lib.1. Hist.Eccles. in procemio dicit, se non omnium, illustrissimorum tamen Apostolorum successiones, secundùm insignes adhuc atque memorabiles Ecclesias, vindicaturum esse ab oblivione. Patres igitur dicunt Petrum principem Apostolorum, propter fidem, constantiam zelum, reliquasque virtutes. Hoc sensu Basilius in procemio de judicio Dei scribit, Petrum πάντων μαθητῶν πεφυκέναι. Sic Eusebius lib.2.Hist.cap.13, scribit, Petrum reliquorum omnium Apostolorum, propter virtutis amplitudinem, facilè principem esse. Rufinus, magnificentiâ fidei & virtutis merito primorum principem. Mens eadem fuit Hieronymo. Ne dubites, lib.1.adversùs Pelag. dicit, *sicut Plato princeps Philosophorum, sic Petrus fuit Apostolorum.* De jurisdictione Oecumenica non cogitâsse, hinc clarum, quòd idem in Comm. in cap.64. Jesa. duos principes Apostolorum nominat, Petrum & Paulum. Similiter Bernhardus in festo Petri & Pauli. Idem facit Moses Barcephas Syrus lib.de Parad.cap.11. Imò ipsis Romanis Pontificibus antiquioribus inscriptæ Epistolæ Decretales sæpe Petrum & Paulum pariter principes Apostolorũ nominant. Itemq; citeriores Põtifices. Ita Nicolaus I. laudat Carolum Regem, quòd flectatur ad reverentiam præcipuorum Christi Apostolorum, id est, Petri & Pauli, Epist.7.& Johannes Octavus, se id agere auctoritate principum Apostolo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lorum, apud Antonium lib. 1. de Rep. Eccles. cap. 3. ex Ep. 70. 77. Non enim esse possunt simul duo Oecumenici. Eadem mens Cyrilli. Eodem enim sensu appellat eximium inter Apostolos, lib. 4. de Trin. col. 289. eximium præ aliis, ib. col. 308. Non opus est multis. Nihil est tritius, quàm ut principem vocemus eum, qui non habet dominatum, sed eminet inter alios virtute, scientiâ, ordine, ætate. Sic Hieronymo Polycarpus Asiæ princeps dicitur, in Catal. Script. Eccles. qui erat solùm Episcopus Smyrnensis. Cyrillo Alexandrino Nicodemus Judæorum princeps, lib. 2. in Joh. cap. 4, 31. Ciceroni, Eudoxus in Astrologia facilè princeps, ingenii & doctrinæ princeps Plato, Philosophorum princeps Socrates, Stoicorum princeps Zeno. Ne tamen excipias, à patribus notari imperium Petri in Apostolos, diligenter notari debet, Patres disertè testari, Petrum nihil ἀνθεντικῶς, nihil ἀ ἐξουσιαστικῶς egisse. *Iam & illud considera, quàm Petrus agit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil auctoritate suâ, nihil cum imperio*, inquit Chrysostomus Hom 3. in c. 1. Act.

VI. Tertiò. *Coryphæum Apostolorum* appellat Dorotheus Syrus in Synopsi. Isidorus Pelusiota lib. 1. Ep. 142. Andreas Cæsariensis ad cap. 13. Apocal. Non dicam, quæ Dorothei esse possit auctoritas, non quæ trium illorum ætas. Dicam, appellâsse eo sensu, quo principem dictum audivimus. Quis inde exstruat dominatum in Ecclesia Oecumenicum? Titulus petitus ex communi usu. Illum vide, si non alibi, saltem apud Patres. Chrysostomus Platonem appellat Philosophorum Coryphæum, Hom. 3. in c. 1. Rom. Platonem & Pythagoram Philosophiæ Coryphæum, Homil. 1. in Johann. Theodoretus lib. 2. de curandis Græcorum affect. Homerum Poëtarum κορυφαῖον. Si reluctetur Sophista morosiùs, age temporis ini rationem. Si Petrus fuit Coryphæus Apostolorum, ante resurrectionem Christi, imò ante editam confessionem de Christo, tum non ideo fuit Pontifex Oecumenicus. Paulus Emisenus Episcopus in Homilia habita Alexandriæ (est inter Homilias Cyrilli septima Tom. 4. col. 103.) ait: *Confestim Petrus coryphæus & os Apostolorum, Tu es*, inquit, *fili Dei viventis.* Erat igitur jam tum Coryphæus, antequàm promissio illi facta esset fictitii Pontificatus. Ne enim dicas, Emisenum loqui de tempore cõfessionem insecuto, obstat duorum titulorum conjunctio. Nominat Coryphæum & os Apostolorum. Fuit igitur Coryphæus, quando erat os. Fuit autem os etiam antequàm confessionem illam edidisset. Chrysostomus Petro conjungit Paulum, tanquam Coryphæum Sanctorum, *Ubi*, inquiens, *Cherubim Deum glorificant, ubi Seraphim volant, illic Paulum videbimus cum Petro in Sanctorum choro Coryphæum existentem & præsidentem, geminaque illic dilectione fruemur*, Homil. 32. in cap. 16. Rom. Si ibi erit Coryphæus cum Petro, an hîc non fuerit? Eodem sensu *Antesignanus*, qui quartus est titulus, dicitur ab Isidoro Pelusiota. Ubi à similitudine non est discedendum. Antesignanus miles nec in vexillum, nec in aciem, nec in suos socios habet imperium. Et plures solent esse Antesignani, non unus.

VII. Quar-

VII. Quartò cùm Epiphanius Hæres. 51. *duem Apostolorum* nominat, ordinis ratio habetur: ut enim evitetur confusio, unus in cœtu debet esse primus, unus potest deligi præses: verba sunt, *Insuper autem & in hoc Deus est, qui novit vocationes cordium, & scit, qui dignus sit primo loco locari, & elegit Petrum, ut dux esset suorum discipulorum.* Sed statim à vocationis initio id factum. Præterea ab uno cœtu arguere ad omnes, à præsidentia ad Pontificatum Oecumenicum, nimis aperta est fallacia. Sed & ne imperium hîc fingas, audi Cyrillum ad ordinem hoc referre disertissimè, lib. 4. in Johan. cap. 28. scribentem, *Per unum, qui præerat, omnes respondent, sanctam profectò, sanctisque congruentem disciplinam optimè conservantes & posterioribus prudentiæ atque modestiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confusè, nec prosilientes imprudenter quasi rapta uti ratione, sed cedere iis, qui & consilio & ordine præpositi sunt. Propterea Paulus quoque ait*, Prophetæ duo aut tres, & vicissim loquentur. *Opus igitur erat divinitus comprobatæ prudentiæ, soli responsionem committere illi, qui* ORDINE *major erat.* Hîc intelligendus est ordo, qui competebat Petro ante confessionem editam. Dicunt enim Papistæ, post confessionem editam, illi promissum esse primatum potestatis, at post resurrectionem demum reipsâ collatum. Non igitur imperium, seu jurisdictionem infert ordo, secundùm quem Petrus erat major.

VIII. Restat sextus & septimus titulus. *Verticem Apostolorum* nominant Origenes, Homil. 2. in diversos locos novi Testam. Chrysostomus, Hom. in Petrum Apostolum & Eliam prophetam. *Apicem Apostolorum*, vocat Cyrillus Alexandrinus lib. 14. Thesau. cap. 2. R. Primò. Nescio, an sextus à tertio multum differat. Κορυφὴ enim vertex, κορυφαῖος verticalis. Si insignis est inter utrumque differentia, monstretur à Papistis: Sin minùs, cur distinctè memorant? Deinde. Nec verba apud Cyrillum loco laudato invenio, nec vel dejuvarent nostram causam, vel juvarent adversarium, si invenissem. Dicitur enim *apex* & *vertex Apostolorum*, non propter dominium, sed ordinem & donorum eminentiam atque excelsitatem. Ut enim vertex summo loco, ideoque maximè eminet in humano corpore; sic Petrus in Apostolico collegio. Ab ordine autem & donorum excellentia ad imperium non valet consequentia. Nam Athanasius vertex omnium κορυφὴ τῶν ὅλων appellatur Basilio in Epist. 52. Neque tamen ideo vel Athanasius imperium in omnes sibi arrogavit, vel quisquam ei tribuit.

IX. In tertio ordine sunt quatuor tituli: primus. *Caput Ecclesiæ* appellatur ab Hieronymo in Psalm. 13. Chrysostomo Homil. 11. in Matth. Philone Carpatio in Cantica. R. Jam dictum, non semper absolutam dominationem voce capitis designari. Quatenus verò significatur magisterium, Petro communis est honor cum reliquis Apostolis. Inde Gregorius lib. 4. in 1. Regum, Paulum appellat caput nationum, *Paulus*, inquiens, *effectus est caput nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ Principatum.* Bellarminus lib. 1. de Pont. Rom. cap. 11. agnoscit, omnes Apo-

stolos fuisse capita, rectores & pastores Ecclesiæ universæ. Petrus igitur non fuit caput solitarium Oecumenicum. Quod enim ibidem addit Sophista, quòd non *fuerint reliqui eodem modo, quo Petrus, quia illi subdelegati, iste ordinarius*, id totum affingit de suo. Non igitur accipimus, sed manet idem honor communis Apostolis omnibus. Ubi Christus hoc discrimen constituit? Quis Apostolorum unquam memoravit? Subdelegatorum non est æquè summa potestas ac ordinarii. At diserta sunt Bellarmini verba; *summa potestas Ecclesiastica non solùm data Petro, sed etiam aliis Apostolis.* Non igitur fuerunt capita subdelegata. Quid? In prima Epistola incertorum Patriarcharum in corpore juris Græco-Romani Martyrius Antiochenus vocatur πρώτος καὶ κεφαλὴ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, præses & caput catholicæ Ecclesiæ? Et Gregorius secundus Rom. Episcopus in Ep. ad Germanum Constantinopolitanum in secunda Nicæna synodo, Episcopos Ecclesiæ capita & columnas nominat.

X. Secundus non proponitur citra falsi crimen. Jesuita scribit, Petrum dici caput fidelium & pastorem gregis dominici ab Augustino, vel quisquis sit Auctor lib. Quæst. veteris & novi Testamẽti q. 75. Petrus ibi non dicitur caput fidelium, nedum omnium, quæ est corruptela Nicolai Sanderi, sed caput eorum sc. Apostolorum. Sermo enim est in antecedentibus & consequentibus de Apostolis, quibus confertur Petrus. Quòd appellatur *Pastor dominici gregis*, non est privilegium speciale, sed illi cum cæteris commune. Nam reliqui æquè fuerunt pastores gregis dominici, Præsertim cùm Bellarminus lib. 4. de Pont. Rom. cap. 23. fateatur, Johan. 20. omnibus Apostolis datum esse, quod Petro sit promissum illis verbis, *Dabo tibi claves*, &c. & illis, *pasce oves meas*, exhibitum. Ideo Chrysostomus de Apostolis communiter dicit, orbis terrarum curam suscepisse, Hom. 87. in Joh. Christus dixit, *Profecti docete omnes gentes* Matth. 28. Cyrillus lib. 12. cap. 55. in Joh. scribit, illis verbis, Joh. 20. *sicut misit me Pater*, Apostolos esse ordinatos orbis doctores. Si doctores totius orbis sunt constituti, cur non pastores? Ne quisquam hæsitet, cogitari velim, non minùs magnifica de Paulo nominatim prædicari à Chrysostomo, Homil. 12. in 2. Corinth. *Ille solus rerum suarum curam non gerebat, sed universi terrarum orbis.* Et Hom. 23. in 1. Corinth. cap. 9. dicit, suscepisse orbis præfecturam, τῆς οἰκουμένης τὴν προστασίαν. Non longiùs patet grex Christi, qui quidem hîc pascendus est, quàm terrarum orbis. Negari igitur non debet, dominici gregis curam suscepisse, qui orbis terrarum curam susceperunt. Si dominici gregis curam susceperũt, pastores igitur fuerunt gregis Dominici Paulus & Apostoli reliqui. Non igitur solus Petrus. Neque ille titulus Oecumenici Papatus figmento fidem ullam adjungit.

XI. Tertius non habet majorem difficultatem. Dicitur *petra & crepido Ecclesiæ* atque *rectæ fidei fundamentum*, ex Synod. Chalced. Act. 3. Sic autẽ habe. Primò. Christus κυρίως seu propriè est petra Ecclesiæ, atque rectæ fidei fundamentum. Unicum enim fundamentum agnoscit Apostolus, 1. Corinth. 3. Sic Patres. Tertullianus adversùs Marcionem lib. 4. Hilarius de Trinit. lib. 2. Ambrosius serm. 84. Gregorius Nyssenus postremo capite testimoniorum contra Judæos, *Dominus*, inquit, *est petra fidei, tanquam fundamentum, ut ipse Dominus ait ad principem Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, super confessionem scilicet Christi, quia dixerat, Tu es Christus Filius Dei viventis.* Theodoretus in 1. Corinth. 3. Hieronymus in Matth. 7. *super hanc petram Dominus fundavit Ecclesiam: ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen.* Sic Augustinus de verbis Dom. secundùm Matth. serm. 13. Tract. 124. in Johan. lib. 2. de Trinit. cap. 17. Sic Gregorius M. Christum fidei fundamentum ex Apostolo agnoscit prædicatque, lib. 7. Epist. 47. lib. 9. Epist. 40. Sic pessimus ille Gregorius VII. ut apparet ab ejus versu, *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.* Sic multi nobiles Papistæ. Nicolaus Lyra, Tostatus, Dionysius Carthusianus, Joh. Ferus in Matt. 16. Petrus de Alliaco lib. 2. Concordan. cap. 13. Nicolaus Cusanus, lib. 2. Concord. Cathol. cap. 13. Joh. Arboreus lib. 5. Theosoph. cap. 5. Vide Chamierum tom. 2. Panstrat. lib. 11. de Pont. Oecum. cap. 3. & 4. Gerhardum confess. cathol. lib. 1. par. 2. cap. 2. Secundò. Petrus non est propriè petra Ecclesiæ & fundamentum rectæ fidei. Probo. Evangelista Petrum à petra distinguit tum persona, tum genere. Nec sanè de eodem potest dici nomen & denominatum, ut Grammatica & Grammaticus. Petra autem est nomen, Petrus denominatum. Christus non dicebat, *tu es Petrus*, sed *tu es Petrus.* At jam tum non erat petra. Postea enim Christum abnegavit. Denique manifestum sanis omnibus, Petrum non esse fundamentum triumphantis Ecclesiæ, de qua Christus hîc non minùs loquitur, quàm de militante. Ait enim, *Ecclesiam meam.* Num triumphans non est Christi Ecclesia?

XII. Tertiò. Petrus impropriè & quidem metonymicè dicitur petra & fundamentum Ecclesiæ, quia jecit fundamentum Ecclesiæ & fidei. Sic Nazianzenus Orat. de modest. in disputationibus dicit, Petrum appellatum esse petram, quòd ejus fidei concredita sint Ecclesiæ fundamenta. Epiphanius Hæres. 59. quæ est Catharorum, duplicem causam exprimit, *sanctus*, inquiens, *Petrus verè nobis factus est firma petra, fundans fidem Domini, super quam ædificata est Ecclesia per omnes modos. Primum quidem, quia confessus est Christum filium Dei viventis, & audivit, Super hanc petram firmæ fidei ædificabo Ecclesiam, quandoquidem manifestè confessus est ipsum filium Dei verum. Sed & hic firma petra ædificationis & fundamentum domus Dei factus est in eo, quòd abnegavit ipsum, & rursus conversus est, & à Domino inventus, & dignus factus, ut audiret*, pasce oves meas, & pasce agnos meos, & pasce oves meas. *Christus enim hoc dicens, ad conversionem pœnitentiæ nos duxit, ut in ipso rursus ædificaretur illa benè fundata fides, quæ non desperat de vita hominum, qui in mundo spiritum trahunt, & in veritate pœnitentiam agunt, & delicta sua in hoc sæculo corrigunt.* Theophylactus Comment. in Matth. *Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd super eum ædificavit Ecclesiam. Quia enim confessus erat eum Dei filium Petrus, dixit, quòd hæc confessio, quam confessus est fundamen-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentum erit futurum credentium: ita ut omnis homo exstructurus fidei domum, hoc jacturus sit fundamentum. Inter Ambrosii sermones quadragesimus septimus sic habet, *Petrus petra dicitur, eo, quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit.* Item, *petra pro devotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur.* Audin', petram dici, ob confessionem, ob devotionem, quòd fundamenta Ecclesiæ posuerit, quòd primus posuerit? Postremum illi esto peculiare; jam non disputabo; nihil enim nobis nocet. Certè & confessio & devotio est bonum illi cum cæteris Apostolis commune. Nec solus posuit fundamenta Ecclesiæ. Posuit etiam Paulus, posuerunt etiam cæteri Apostoli. Paulus de seipso testis haud mẽdax, 1. Corinth. 3. De reliquis similiter ex eo clarum, quia fundârunt Ecclesiam in nationibus, ad quas Petrus non pervenit.

XIII. Quartò. Patribus, qui Petrum appellârunt petram, Põtifex Oecumenicus in mentem non venerat. Id hoc loco potissimùm agitur. Id probatu est admodum facile. Contrarium Papistis si probatu difficilimum dicam, parùm dixero; prorsus enim probare non possunt. Certè ex ista appellatione minimè concluditur. Exspectare poteramus probationem Papistarum; nondum enim præstitêrunt. Ostendamus tamen, in mentem non venisse Patribus, idque quòd plures tum in nominis, tum in rei, seu rationis consortium admittant. Hîc enim & nomen & nominis ratio considerari debet. In *nominis* consortium plures admitti, clarum à verbis Origenis tract. 1. in Matt. *Petra*, inquientis, *est, quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spirituali petra. Et super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundùm hanc vitæ institutio. In unoquoque enim perfecto habente congregationem eorum, qui complent beatitudinem verborum, factorum & sensuum, est quæ à Deo ædificatur Ecclesia.* In *rei*, seu *rationis* consortium plures admittuntur, nempe Apostoli, Episcopi, alii fideles. De Apostolis Origenes l. l. scribit, *Quod si super unum illum Petrum tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Johanne filio tonitrui & Apostolorum unoquoq;? Quin alioqui nũc audebimus dicere, quod adversùs Petrum unum non prævalitura sint portæ inferorum, adversùs cæteros autem Apostolos & perfectos prævalitura sint, ac non potiùs in omnibus & singulis eorum, de quibus dictum est, fit illud, quod dictum est,* Et portæ inferorum non prævalebunt adversùs eam? *Item illud,* Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *An verò soli Petro dantur à Christo claves, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est?* Quod si dictum hoc, *tibi dabo claves regni cœlorum,* cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, & quæ priùs dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta sunt omnium communia?

XIV. De Episcopis Cyprianus Epist. 47. *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur & dicit Petro:* Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super

super terram, erunt soluta & in cœlis. *Inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actio Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Ambrosius ubi suprà: *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit, Petrus plantat: Dominus dat incrementum, Dominus irriguum subministrat. At in eadem domo jecerunt & cæteri Apostoli fundamenta; Plantârunt & cæteri, nominatim Paulus, qui ait, Ego plantavi, Apollos rigavit, sed Deus dedit incrementum,* 1. Corinth. 3, 5. Huc pertinet, quòd communiter Apostoli à Patribus appellantur Ecclesiæ fundamenta. Hilarius in Psal. 77. (secundùm Hebr. 78.) *Providus voluntatum Deus, segregavit voluntariam pluviam perficiendo, quæ infirmata est, cùm judicium in se mortis habuit Paulus, cùm Apostoli timent, fugiunt, diffidunt, sed quia in his bonæ voluntatis esset affectus, perfecti ita sunt, ut & fundamenta Ecclesiarum fierent & columnæ.* Petræ igitur facti; nam ipsi Papistæ petram interpretantur fundamentum. Chrysostomus appellat Paulum & Petrum columnas Ecclesiæ, *Qualem,* inquiens, *rosam mittet Christo Roma? qualibus coronis duabus ornatur urbs ista? Qualibus catenis aureis cincta est? quales habet fontes? Propterea celebro hanc urbem non propter columnas, neque per aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ,* Hom. 32. in c. 16. Rom. Quid? Juliani socii deliberant, non aliter cessuros esse Christianos, nisi Athanasio rejecto, utpote qui fundamentum esset Ecclesiæ; in vita Athanasii ex Metaphraste. Denique de aliis fidelibus interpetatur Origenes. Verba recitata sunt paulò antè. Aut igitur tot Oecumenici, quot Apostoli, imò quot Episcopi, ulteriùs enim nunc non progredior, aut Patribus illis Oecumenicus in mentem non venit.

XV. Quartus titulus facilimam habet explicationem. Petrus appellatur *princeps Ecclesiæ Christianorum,* non propter imperium, sed magisterium. Idem titulus Paulo transcribitur pariter. Hieronymus enim in procœmio Commentarii in Epist. Gal. nominat Petrum & Paulum Ecclesiarum principes, quod Cornelius à Lapide repetit in prolegomenis Commentarii in Epistolas Pauli. Sic Paulus dicitur doctor orbis à Cyrillo lib. 3. de trinitat.

XVI. In quarto ordine unicus est titulus: Quòd videlicet dicitur *pastor pastorum* ab Eucherio Lugdunensi in Vigilia S. Petri. Bernhardo lib. 2. de Consider. ad Eugenium. Eucherii nomen frustrà ingeritur. Homiliam enim, quæ citatur, & reliquas de Martyribus ejus esse, nõ constat. Sixtus Senensis incerto auctori vel rhapsodo tribuit. Cæterùm. Non immeritò verò mireris, hunc proferri in hac quidem causa, ubi de jurisdictionis & potestatis primatu quæritur. Cùm enim tituli sint ἀνάλογοι accommodandi subjectis, nemo ex pastoris titulo dominatum inferet in Ecclesia, qui Christum audivit dominatum removere ab Ecclesia. Si pastor non habet dominium, ne quidem Pastor pastorum habebit summum dominatum. Quemadmodum Jacobo non tribuitur Oecumenicus Pontificatus, eo quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd in Epist. quæ sub Clementis Romani nomine circumfertur, appellatur Episcopus Episcoporum. Notatur igitur Petri excellentia, inter omnes pastores, non notatur suprema jurisdictio, quam in Apostolos eum nec sibi arrogâsse, nec habuisse, nec exercuisse, constat à reipsa. Ita nullum deploratæ causæ subsidium Becanus impetrat à Petri titulis.

Sectio VIII.

Argumentum tertium à prærogativis Petri pro ejus Pontificatu Oecumenico sumptum examinatur.

I. TErtium argumentum petitur à prærogativis Petri. Tredecim colligit Jesuita in Manuali cap. 4. num. 45. In compendio Manualis addit decimam quartam. Argumentum sic erit: *Cui multæ competunt prærogativæ, ille est Oecumenicus Ecclesiæ Pontifex. Petro multæ competunt prærogativæ. Ergo.* Ignoscant Papistæ argumentum sic formanti. Non possum aliter. Nec video, quomodo inferant aliter, quod intendunt. At isto argumento nihil ineptius. Nam nec Becanus, nec socii prærogativæ notionem explicant, tantum abest, ut aliquem colorem afferant majori. Prærogativæ vox non eodem sensu ubique capitur. Budæus annotat, quòd sit primò prærogativa suffragiorum: Deinde auctoritas ejus, qui prior censetur: Tertiò eminentia & πλεονέκτημα, seu præstantior conditio. Non autem erat prærogativa suffragiorum, imperium in reliquos, sed jus priùs ferendæ sententiæ, quis Consul fieri deberet. Unde centuriæ prærogativæ Romanis dicebantur, quæ in Comitiis centuriatis sorte primùm eductæ ferebant suffragia. Manutius lib. 15. Epist. 5. auctor est, quoniam prærogativæ centuriæ tanta fuerit auctoritas, ut eam reliquæ sequerentur, inde factum, ut prærogativa pro certo acciperetur signo rem futuram significante. Qua de re multum disputare non est mei instituti. Videat, qui volet, eximium Philologum Matthiam Martinium in lexico. Papistæ autē ante omnia explicare debebant, quo sensu ipsi potissimùm hîc prærogativas nominent. Primum & secundum significatum esse ab hac causa alienum, palàm constat. Quartum, qui est Manutii, si amplectantur, minore nihil esse possit falsius. Quæ enim nobis dabunt signa, quæ futurum Petri Oecumenicum Pontificatum certò renuncient? Signa rerum futurarum sunt naturalia & voluntaria. Nolēt, dici naturalia. Voluntaria ab arbitrio dantis dependent, nec agnoscuntur pro signis, nisi esse declarentur. Sicut Noah iridem pro signo non rediturī diluvii agnoscere non poterat, prjusquàm Deus voluntatem suam declarâsset. Habent hîc Papistæ, quod agant. Demonstrent, quòd prærogativæ, quas Petro tribuunt, ex Christi voluntate prænunciare debuerint Oecumenicum Pontificatum certò conferendum. Ubi ea voluntas est declarata?

II. Si tertius significatus placeat, id est, si prærogativa eminentiam & præstantiorem conditionem significet, ne sic quidem vicerint. Nam primò qui præaliis eminet, cujusque est præstantior conditio, ille non mox est Oecumenicus Pontifex. Deinde eminentia illa & conditio melior vel est personæ, vel officii. Si *personæ*, cum persona exspirat. Non igitur quicunque alii habent, quod inde decerpant; quòd si verum, actum est de Papistarum commento. Quid enim eos juvat, Petro aliquid esse datum, nisi sui perpetuò habeant? Sin *officii*, vel est ejus, de quo controvertitur, vel alterius. Si illius, iterum falsissima minor: si alterius, negamus consequentiam. Nempe non sequitur, Petrus eminet præ cæteris in Apostolatu. Ergo est Oecumenicus Pontifex. Hinc non obscurum, quàm parùm roboris commento sint addituræ prærogativæ, in quib⁹ maximam spem Papistæ collocant. Ex ordine tamen videamus singulas.

III. Prima est, Quòd *Christus soli Petro inter omnes Apostolos proprium nomen mutaverit.* Num. 45. R. Non caruerit mysterio novi nominis impositio. Non repugno. Sed illud mysterium esse Oecumenicum Pontificatum, quis concedat? Patres aliud viderunt, quamvis non omnes idem. Chrysostomus Hom. 28. in Johan. monet, Christum hac ὀνομαθεσίᾳ ostendere voluisse, se eundem esse, qui vetus Testamentum instituerit, quia scilicet pariter mutavit nomen Abrahami, Saræ, Jacobi. Idem more suo repetit Theophylactus in cap. 1. Johan. ubi addit, *scias autem quòd Simon interpretatur obedientia, Jonas verò columba. Igitur mansuetudinis, quæ columbam significat, filia est obedientia. Et qui habet obedientiam, etiam ipse Petrus efficitur per obedientiam proficiens, ut firmetur in bono.* Ex Theophylacto in suū fundum transtulit Jansenius Papista in Concord. Evangel. cap. 17. Augustinus Tract. 7. in Johan. doceri, notat, ædificandum nobis esse super petram. Non audio apud ullum, in puriore Antiquitate, Oecumenicum Pontificatum hinc exstructum. Et sanè hinc nunquam exstruetur, stabilieturve. Nam primò, Scriptura non dicit, Petro mutatum esse nomen. Prius non antiquatur, sed novum prioti additur. Non enim lego, *Non erit ultrà nomen tuum* Simon, sicut de Abrahamo, *non vocabitur amplius nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham*, Genes. 17, 5. Verùm sic lego, *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas*, Johan. 1, 43. Nec Abraham post mutationem dicebatur ampliùs Abram. Contrà Petrus utrumque retinuit nomen; vide Johan. 1, 41. cap 6, 8. 58. cap. 13, 6. 9. 36. cap. 16, 15. Matth. 16, 16. Luc. 5, 8. & quidem post vocationem aliquando nominatur nūdè Simon, Matth. 17, 25. Luc. 22, 31. Johan. 21, 15. 16. 16. aliâs cum adjectione, Simon Petrus, Matth. 16, 16. 2. Petr. 1, 1. Agnoscit Jansenius l. l. Inde dicitur cognominatus Petrus, Act. 10, 32. Sed hoc nec soli absolutè, nec soli inter Apostolos obtigit. Non *soli absolutè*; Pluribus enim in veteri Testamento immutata sunt nomina. Non *soli inter Apostolos*: Nam primò filii Zebedæi acceperunt à Christo nomen *Boanerges*, Marc. 3. ℣. 17.

IV. Si dicas, *nomen illis non mutatum, sed aliud insuper inditum.* Ego primò idem in Simone factum contendo; idque suffragantibus Papistis magni nominis. Joh. Ferus in Matth. 16. *Initio*, inquit, *vocatur Simon, additur deinde à Christo cognomen Petrus.* Salmero Com. 2. Pet. 1. *Non con-*

ten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentus fuit dicere, *Simon, quod est nomen proprium, sed addidit Petrus nomen à Christo impositum.* Deinde oppono Patres, qui hæc exempla, ut paria conferunt. Chrysostomus Hom. 18. in cap. 1. Joh. *Hunc*, inquit, *Petrum appellavit, Johannem verò filium tonitrui.* Theophylactus; *Quamobrem autem agnominat hunc quidem Petrum, illos autem, filios, inquam, Zebedæi, filios tonitrui.* Præterea post resurrectionem Apostolo nomen mutatum esse, agnoscunt Veteres, idque ne inferior esset Petro. *Quâ quæso ratione illius nomen Deus immutans, cùm Saulus esset, Paulum vocavit? Ne quid minus sc. reliquis Apostolis haberet, hac etiam in re, sed quod Apostolorum Coryphæus quasi præcipuum habet, hic quoque possideret, imò majoris dispensationis causam acciperet (καὶ πλείονος οἰκειώσεως ὑπόδειγμα λάβοι,* id est, *majoris necessitudinis argumentum sumeret, ex Interpretatione Chamieri)* Sunt verba Chrysostomi Homil. 1. in cap. 1. Rom. quorum sensum sic exprimit Theodulus Cœlosyriæ presbyter Comm. in h. l. *Quia absentibus scribit, ideo nomen ejus appositum est. Ab Saulo autem propterea in Paulum sanè permutatum est, ut ne inferior esset Apostolorum Coryphæo Petro.* Jam constituant nobis duos Oecumenicos Jesuitæ, aut cessent ὀνομαθεσίαν hîc ingerere. Quid? Marcus unâ phrasi exprimit, quod Simoni & filiis Zebedæi factum, ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι ὄνομα Πέτρον; Et, ἐπέθηκεν αὐτοῖς (Jacobo & Johanni) ὀνόματα Βοανεργές, cap. 3, 16. 17. Si Simoni fuit signum Oecumenici Pontificatus, quid fuerit oportet filiis Zebedæi? Ubi deliberent Papistæ, num Petrus cæterique discipuli prærogativam tantæ dignitatis prænunciam jam tum intellexerint, an posteà demum cognoverint. Si jam tum intellexissent, quis credat, contentionem fuisse inter eos orituram, quis eorum videretur major? Lis enim fuisset decisa. At contenderunt in ultima cœna, Luc. 22, 24. Si posteà demum cognoverunt, quis, ubi & quibus verbis exposuit? Matt. 16. Christus de nomine agit. At non declarat, signum esse futuri Pontificatus Oecumenici. Si enim declarâsset, utiq; posteà non disceptâssent.

V. Secunda. *Quòd quando in Evangelio recensentur nomina Apostolorum, semper primo loco ponatur Petrus.* R. Primò. Ordinis & dignitatis primatum fortè hinc elicias, Primatum potestatis Oecumenicum non magis quàm aquam ex pumice? Quæ enim consequentiæ ratio? An illud inter eos non habet locum, qui potestate officii sunt pares? Habemus testimonium luculentũ in Constantinopolitano Concilio, ubi Constantinopolitanæ sedi idem honor, eadem potestas tribuitur cum Romana, at locus ab ea secundus. Verba sic habent, Can. 36. *Definimus, Constantinopolitanum thronum pari honore frui cum Romano: atque in rebus Ecclesiasticis æquè magnificri, sic tamen ut secundum locum obtineat, post quem Alexandrinus & post hunc Hierosolymitanus.* Sic inter Electores Politicos Imperii Rex Bohemiæ primo loco in aurea Bulla ponitur, neque tamẽ in cæteros ullam habet jurisdictionem, nedum summam. Secundò. Non est perpetuum, quòd Petrus primo loco nominatur; non igitur est prærogativa. Nominatur post Andream, Johan. 1, 45. *Philippus ex Bethsaida urbe Andreæ & Petri.* Post

Post Jacobum ante Johannem, Galat. 2, 9. *Jacobus, Cephas, & Johannes.* Post Paulum, ibidem v. 7. *Cum vidissent, mihi creditum fuisse Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis.* Post Paulum & Apollo, 1. Corinth. 3, 22. *sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas.* Nisi fortè hic locus videatur alienus, quia non ex Evãgelista depromptus. At hoc nimis ineptum. Pauli enim Epistolæ æquè continent Evangelium ac Matthæi, Marci, Lucæ & Johannis libri. Tertiò. Nazianzenus dicit, hoc Petro fuisse commune cum Jacobo & Johanne in Orat. de moderatione in disputa. *Petrus*, inquiens, *& Iacobus & Iohannes, qui præ aliis & erant & numerabantur.* Denique Gregorius de Valentia tom. 3. in 2. 2. Thomæ disp. 1. q. 1. puncto 7. agnoscit infirmitatem consequentiæ, ut quidem noster Jesuita & ante eum alii formârunt; Ideo notat, Catholicos non inde argumentari, quòd Matthæus primò nominaverit Petrum, sed quòd disertè dixerit, PRIMUS Petrus. At sic argumentatus est Becanus, & ante eum Bellarminus. Hi ergo non sunt Catholici, judice Valentiano, aut ipse mentitur splendidè. Cæterùm etsi Matthæus ait, *primus Petrus*, non tamen plus dicit, quàm Marcus & Lucas, qui contenti sunt, dixisse, *Petrus.*

VI. Tertia. Quòd *Scriptura loquatur de Petro, tanquam de principe, de aliis Apostolis, tanquam de subditis.* R. Falsum. Hoc dixisse sufficit. Non enim probat Sophista. Imò Scripturâ loquitur de Apostolis & Petro tanquam paribus. Opponit Bellarminus, quòd multoties nominantur Apostoli & Petrus distinctè, Luc. 8. *Dixit Petrus, & qui cum eo erant.* Luc. 9. *Petrus verò, & qui cum eo erant.* Marc. 1. *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum eo erant.* Cap. 16. *Dicite discipulis & Petro.* Actor. 2. *Stans autem Petrus cum undecim.* 1. Cor. 9. *Sicut cæteri Apostoli & fratres Christi & Cephas. Cur dicitur Petrus & Apostoli? discipulis & Petro? Apostoli & Cephas? nisi quia erat princeps & caput aliorum?* R. Primò. Ergo jam tum fuit Oecumenicus. At negant Papistæ, fuisse ante resurrectionem Christi. Secundò. Non semper sic loquitur Scriptura: sed conjungit, ut pares. Tertiò. Ineptè admodum citantur loci. Num Simon secutus est Christum, ut princeps, reliqui, ut subditi? Marc. 1. At tum nondum erat Apostolus, sed tantùm discipulus. Nominatur præ aliis Simon, in cujus domo pernoctaverat Dominus. Discipuli interrogant Christum communiter, Luc. 8, 9. Expergefaciunt, operâ conjunctâ, v. 24. Petro Jacobus & Johannes conjungũtur, v. 51. nõ ut subditi, sed ut Collegæ. Sic quoque v. 45. Marcus scribit, *discipulos dixisse*, cap. 5, 22. ne dominatui sit locus. Lucâ teste, Christus assumpsit tres, Petrum, Jacobum & Johannem, Luc. 9, 28. Illi dicuntur fuisse cum Petro, v. 32. Num ut subditi? Ridiculum. Marc. 16. Petrus nominatim exprimitur non propter Pontificatum Oecumenicum, sed propter abnegationem, ut bene speret de servatoris gratia. Theophylactus, *Petrum ab aliis discipulis ut præcipuum segregat, ac ob excellentiam nominat illum præ aliis, vel quia negaverat Petrus. Si venissent mulieres & dixissent, quòd præceptum eis esset, ut annunciarent discipulis, dixisset Petrus, Ego negavi eum, jam non sum illius discipulus, abjecit igitur*

Universidad de Deusto
Biblioteca

me abominatus est me. Illius igitur gratiâ apponit de Petro, ut ne offendatur Petrus, quod ipse non meruerit verbum, utpote, qui negârit, & propterea qui indignus sit, qui aliis discipulis connumeretur. Hieronymus in h.l. *Petro, qui se indignum judicat discipulatu, dum ter me negavit magistrum, peccata praterita non nocent, quando non placent.* Glossa ordinaria in Marc.16. ex Beda; Petrus vocatur ex *nomine ne desperet ex negatione. Nisi enim eum Angelus nominatum exprimeret, qui Magistrum ter negaverat, inter discipulos venire non auderet.*

VII. Quarta. Quòd *sæpe loquatur nomine omnium Apostolorum, tanquam illorum Antesignanus.* Hinc fortè colligatur primatus ordinis & donorum, quem Cyrillus lib.4. in Johann. cap.28. nominat; non colligitur potestas Oecumenica. Consul loquitur nomine totius Senatus, imò syndicus sæpe; neque tamen Senatores sunt sive illius, sive istius subditi. Cancellarius loquitur nomine Academiæ totius; nec tamen omnes Professores illi obnoxii, ut subditi suo Principi. Sic Aaron erat os Mosis & ejus nomine loquebatur; non tamen erat ejus Princeps, sed Moses illi erat in Deum, Exod.4.

VIII. Quinta. Quòd *soli Petro facta sit prima revelatio Divinitatis Christi,* Matth. 16. R. Primò. Fingitur prærogativa, quam nec Scriptura tradit, nec Patrum chorus commendat. Quòd solus Petrus nomine Apostolorum responderit Christo, editâ præclarâ confessione, clarum à textu. Quòd illi soli prima revelatio mysterii sit facta, nec ex hoc textu cõstat apertè, nec colligitur quidẽ sive ex illo, sive alio. Nõ *ex textu.* Ibi lego dictum, *Caro & sanguis tibi non revelavit, sed Pater.* Unde colligo, cœlestem revelationem Petro factam: Primò factam, quis solidè colligat? Aliqui ante eum, ut Johannes Baptista & Maria Virgo, aliqui simul cum eo Divinitatem Christi agnoverunt. Num caro & sanguis illis revelavit? An Pater non revelavit? Id affirmandum, hoc negandum, aut ex phrasi, quâ Christus Petrum alloquitur, primo illi revelationem factam esse, non rectè concluditur. At illud affirmare, istud negare, Christianus non potest. Christus enim illud negat, hoc affirmat, cùm ait, *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque quisquam novit Patrem, nisi Filius, & cuicunque Filius voluerit retegere,* Matth.11,27. Huc pertinet descriptio eorum, qui credunt in Christum, de quibus sic Christus, *Qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt,* Johan.1,13. Non *ex alio.* Quem enim dabis, unde colligas? Imò non soli primam revelationem factam esse, inde patet luculenter, quòd Apostoli jam antè fidem hanc erãt professi. Nam Matth.14,33. dixerant, *Verè Dei Filius es.* Item que Johan.6,69. *Et nos credidimus & cognovimus, te esse Christum, illum Filium Dei viventis.* Quid? ab ipsius Petri verbis cum interrogatione collatis constat, cæteros agnovisse eo tẽpore, Christum esse filium. Non enim suo privato, sed omniũ nomine respondet, de quo omnes erant interrogati?

IX. Si excipias cum Bellarmino & Jansenio, *Christum antè vocatum esse filium Dei, non nisi quomodo omnes sancti vocantur filii Dei,* quis non detestetur audaciam? Longè aliter Cyrillus lib.4. in Joh. cap.29. *Illud,* inquiens, *diligenter considera, quòd ubique præcipuè cum præpositione articuli,* tu es ipse Christus, *dicunt,* ipse Dei filius, *ab aliis filiis Dei, qui vocati per gratiam adoptati sunt, verè ac naturaliter Filium separantes, cui nos conjuncti per similitudinem filii dicimur.* Sic è Papistis Lyra in Matth.14. *Dicitur verè,* id est, *non metaphoricè, nec per adoptionem, sicut sancti, sed propriè & ejusdem naturæ.* Illis patrocinatur, quòd Apostoli adorârunt Christum. An ut hominem nudum? Absurdum. Ergo ut verum Deum. Nec obstat, quòd verba Petri, Matth.16. sunt ὑφατικῶτερα. Non enim ideo nova fides, aut nova fidei revelatio. Si dicas, *illum solum prædicatum esse beatum,* oppono Abrahamum. De illo primò legitur, quòd illi imputata sit fides ad justitiam, & tamen ante illum multi crediderant, multi post illum. Idem de Petro dicendum.

X. Secundò. Ut maximè obtineres, soli Petro primam revelationem obtigisse, negarem tamen, eam esse vel argumẽtum Oecumenici pontificatus, vel etiam indicium qualecunque. Cùm enim Paulus nihilo sit inferior, eo, quòd illi postremò revelatus est Christus, cur Petrus sit Oecumenicus Pontifex, ob primam revelationem? Pauli verba lege & confer 1. Cor.15,8. 9.2. Cor.11,5.

XI. Sexta. Quòd *soli Petro inter Apostolos promissa sit stabilitas fidei & cathedræ.* R. primò. De stabilitate cathedræ dictũ à Christo nihil lego. Et est prorsus alienum. Christus enim Apostolos suos non affixit certis cathedris, sed misit in orbem

universum. Quam cathedræ stabilitatem Becanus nobis commendat? Interroganti condonandum est. Ille enim non expressit. Bellarminus dicit, lib.4. de Rom. Pont. cap.3. *Petro impetratum esse privilegium, ut in sede ejus non inveniretur, qui doceret contra veram fidem,* Luc.22.32. Num hæc cathedræ stabilitas Becano nominata est? Sic conjicio. At ô Papistæ, frustrà cathedræ stabilitas jactatur, priusquàm monstretur una promissa cathedra. Ubi & quibus verbis Christus Petro promisit unam certam cathedram? Imò si cathedræ stabilitas Petro promissa; ergo jam tum habuit cathedram. Doni enim præsentis conservatio promittitur, cùm audit, *ne fides tua deficiat.* Atqui ante resurrectionem habuisse, Papistæ non audent pronunciare; ante quam impleri cœpisse promissionem Christi, indubitatum. Vi enim intercessionis prohibita est totalis defectio fidei, tempore passionis, mortis & sepulturæ. Sed & ex prima Antiquitate nemo est, qui sic interpretetur. Bellarminus magno studio vetustatem omnem perscrutatus, an inveniret, gaudet, laborem non fuisse inanem. Num igitur ætatis primæ Patres illi suffragantur? Jactat septem Pontificum veterum, deinde Theophylacti, Chrysologi, Bernhardi testimonia. Inane gaudium, non inanis labor.

XII. Ostendo brevissimè. Primò Pontifices laudat testes in propria causa. At jura testem in propria causa ñ admittũt. Deinde certos incertos testes cõfusè producit. Lucius primus & Felix primus incerti sunt, quibus alioqui tempus auctoritatem videri potuisset tribuere. Uter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que enim vixit tertio seculo. Atqui Epistolæ Decretales non sunt extra dubitationis aleam positæ. Imò supposititicæ, aut impudenter corruptæ. Certè cohærent consequentia cum præcedentibus, etsi totum illud omittatur, quod iisdem verbis, tanquam à Lucio & Felice scriptum, hac de re ibi legitur. Non igitur hîc admittendæ, ubi agitur de totius Ecclesiæ & religionis Papisticæ fundamento. Tertiò. Vim facit testibus. Nec Lucius, nec Felix in iis, quæ sub utriusque nomine circumferuntur, epistolis dicit, vi promissionis neminem in sede Petri inventum iri, qui doceret contra veram fidem. Sed nec id Leoni dictum sermone tertio de assumptione sua ad pontificatum. Verba sunt: *Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinâ gratiâ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Non hîc excutiam, quàm rectè dictum Leoni, firmitatem per Petrum Apostolis conferri, nisi velit sub nomine Petri conferri omnibus. Illud quæram, ubi privilegium cathedræ? Ubi quòd in Petri sede non sit futurus, qui doceat contra veram fidem? Leo de Apostolis loquitur, non de Romanis Pontificibus. Agatho, quem porrò Bellarminus laudat, non est magnæ auctoritatis. Recentior, quàm hæc quæstio permittat. Multo verò recentiores Nicolaus I. Leo VI. Innocentius III. quos ex seculo nono, undecimo & decimo tertio excitare testes Sophista non erubuit. Ideo testes prorsus non idonei.

XIII. Jam falsum, quòd Theophylactus in Luc. 21. apertè doceat, quod hîc privilegium Petro datum, dari omnibus aliis, qui illi in principatu succederent. Falsum, inquam, licet satis audacter affirmet Bellarminus. Chrysologus, cujus epistolam ad Eutychen ex primo tomo Cõciliorum ante Concilium Chalcedonense positam laudat, verborum Christi, de quibus quæritur, mentionem non facit, ipso fatente Bellarmino. Bernhardus, quamvis vir pius, solus non obtinet corruptissimo tempore, quod nec ætas prima agnovit, nec eventus comprobat. Hunc vide. Papistæ duas Petri sedes nominant, Antiochenam & Romanam. Neutram privilegium habuisse, ab eo clarum. De Antiochena ipsi asserunt Papistæ. An in Romana non fuerunt, qui docerent contra veritatẽ? Lyra in Matt. 16. *Inventi*, inquit, *sunt multi Principes & summi Pontifices apostatâsse à fide.* An negabis? Pari labore neges, unquam fuisse noctem Romæ, unquam exundâsse Tiberin. Gregorius I. papa Romanus tertiam sedem agnoscebat, nempe Alexandrinam, quam cum Antiochena & Romana unam Petri sedem appellabat, in quâ tres Episcopi sedeant, lib. 6. Epist. 37. adeò ut ipse sedi discipuli, id est, Marci præsidere videatur, propter magistrum, & Alexandrinus sedi magistri, propter discipulum, lib. 5. Epist. 60. Si tres sedes una Petri sedes, aut trium sedium stabilitas hîc promissa, aut ne unius quidem. Trium sedium stabilitatem Papistæ jactare non audent. Imò negant. Facessat igitur commentum de una in solidum.

XIV. Secundò. Nullam hîc video prærogativam. Non in oratione, non in compellatione, non in fidei stabilitate, non in fratrum confirmatione. Non in *oratione*; Nam ut periculum erat commune, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, ut inquit Leo, sic communis omnibus erat intercessio. Testis Johannes cap. 17, 11. *serva eos per nomen tuum.* V. 17. *sanctifica eos tuâ veritatẽ.* V. 20. *non tantum pro eis rogo, sed pro iis etiam, qui per eorum sermonem sunt credituri.* Sic interpretatur Clemens à Papistis multoties laudatus, lib. 27. constitut. cap. 5. *Ipse*, inquiens, *dicet etiam nunc, sicut olim cùm congregati essemus, rogavi, ne deficiat fides vestra.* Ignatius in Epist. ad Smyrnenses; *Eripiet nos Dominus Jesus Christus, qui rogavit, ne deficeret fides Apostolorum.* Quid Bellarminus l. 4. de Pont. Rom. cap. 3. *Certum*, inquit, *est, Dominum orâsse hoc loco, etiam pro aliis Apostolis.* Addit quidem saltem mediatè. Quid autem illa restrictione opus? cur non immediatè? Non in *compellatione*; Soli Petro hæc verba dicta esse, fateor, sed nego, solum Petrum concernere. Soli Petro dicebat Christus de tentatione Satanica. Non tamen ideo illum solum tangebat. Imò Christus ait: *Satanas appetit vos.* Erat tamen specialis causa illius potissimùm compellandi. Erat Christum abnegaturus præ reliquis; ne igitur absorberet illum desperatio, munitur promissione nominatim. Præterea Theophylactus monet, ità repressum fuisse à Christo. *Ad Petrum*, inquiens, *hæc verba dirigit, qui reliquis audacior erat, & probabile est, superbiisse in iis, quæ à Christo promissa erant. Idcirco & reprimit eum dicens, satanæ quidem fuit multum studium contra vos, Ego autem rogavi pro te.* Aures arrigite Papistæ: num repressio superbiæ est singularis prærogativa futuri Oecumenici Pontificatus prænuncia? Non in *fidei stabilitate*: Fides enim reliquorum Apostolorum nonminùs fuit stabilis, quàm Petri, sive eam *quâ*, sive eam, *quæ* creditur, intelligas. Ea, *quâ* creditur; nũquam enim totaliter eam amiserunt; imò magis retinuisse videntur, quia non abnegârunt Servatorem, ut Petrus. Fides, *quæ* creditur; Nam non magis cæteri docuerunt contra veram fidem, quàm Petrus. Omnes pariter infallibilitatis donum consecuti. An fortasse cæteri potuerunt aliquid docere contra veram fidem? solus Petrus non potuit? Blasphemum. Nulla igitur hîc Petri prærogativa.

XV. Denique non in *confirmatione fratrum*. Etsi enim confirmatio aliquando auctoritatem, quæ est Principis in subditum significat, neque tamen semper, neque hoc loco, nunquam Oecumenicam jurisdictionem & potestatem. Non *semper*; Ex omnibus tribubus Israëlis venerunt, qui confirmârunt Rehabeamum 2. Chron. 11, 17. utique non imperando, sed consulendo. De Jonathane legimus, *Et confirmavit manum ejus* (Davidis) *in Domino*, 1. Samuel. 23, 16. Num auctoritate suâ? Imò promissione divinâ, ut patet à versu decimo septimo. Sic de Jobo dictum, *manus remissas confirmabas*, Job. 4, 3. nempe doctrinâ; præcedit enim, *erudiebas multos*; sequitur, *labantem confir-*

mabant sermones tui. His gemini sunt textus novi Testamenti. De Paulo & Barnaba, *confirmantes animas discipulorum*, Act. 14,12. De Juda & Sila, qui & ipsi Prophetæ, *multo sermone adhortati sunt fratres & confirmârunt*, Actor. 15,32. Rursus de Paulo, *peragravit Syriam ac Ciliciam confirmans Ecclesias.* Non *hoc loco*; Testatus enim erat Christus, dominatum inter Apostolos esse non debere. Non igitur hîc notat confirmationem auctoritatis principalis erga subditos. Instituisset enim dignitatem, quam verbis præcedentibus docuerat inter eos vigere non debere. Si Oecumenicam jurisdictionē isto verbo significari, porrò contendant Papistæ, vel significatum istum in aliis Scripturæ textibus monstrent, vel saltem hoc loco.

XVI. De *Exemplo* hîc exponunt non tantùm Veteres, sed etiam Papistæ. E veteribus Theophylactus, *postquàm negato me fleveris & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum. Intellexerit autem quis non solùm de Apostolis dictum, quòd confirmati fuerint à Petro, sed de omnibus, qui usque ad consummationem seculi futuri sunt fideles. Tu enim Petre cōversus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, ut nullus credentium in te respiciens desperet: qui cùm Apostolus fueris & negaveris, iterum tamen receperis, primatum omnium, & præfecturam orbis per pœnitentiam.* Glossa interlinearis, *Sicut ego orando pro te protexi, ne deficeres, sic tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne de venia desperent.* Sic Apostolus Paulus testatur, se factum exemplum credituris Christo ad vitam æternam, 1. Timoth. 1, 16. Hunc sensum confirmat mentio conversionis. Christus enim ait: *Tu conversus* sc. à peccato ad gratiam, interprete Lyra in h.l. quod sic efferebat paulò antè Theophylactus, *Postquàm me abnegato fleveris & ad pœnitentiam veneris.* Sic Ambrosius, sic Euthymius. Quam explicationem Maldonatus Jesuita non improbat: *Ambrosii*, inquiens, *Theophylacti & Euthymii interpretatio mihi non displicet, qui conversum exponunt à peccato, quo Christum negavit, actâ pœnitentiâ, quasi aliis de suo vulnere fecit medicinam.* Nimis igitur audax Bellarminus, qui conversionem non ad pœnitentiam Petri, sed ad tentationes aliorum transfert, ad quos ille se convertat. Nova certè glossa, Veteribus inaudita, & à textu prorsus aliena.

XVII. Septima. Quòd *Christus pro solo Petro & seipso voluerit tributum solvi in Capernaum* R. Primò. Nulla hîc prærogativa, sive solutionem tributi per se spectes, sive conjunctam solutionem pro Christo & Petro. Illa erat omnibus communis, qui habitabant sub imperio Romano, Roman. 13,6. *propter hoc tributa solvitis.* Conjunctæ solutionis causa erat non Primatus Petri Oecumenicus, non ejus præfiguratio, sed jus civitatis commune. Tributum exigebatur oppidatim. Tenebatur ergo quisque solvere, in qua habitabat civitate. At tum Christus, tum Petrus habuit suum domicilium Capernaumi. De Christo clarum. Nam Matth. 4,13. lego, *Et relictâ Nazareth, venit & habitavit in Capernaum*, cap. 9,1. *Venit in civitatem suam*, quam Capernaum fuisse, patet ex Marci 2,1. Sic tum Veteres, tum recentiores. De Petro inde patet, quia Christus ingressus in Capernaum venit domum Petri, Matth. 8,5.14. Marci 1,21. 29. Luc. 4,31.38. Non igitur dubium, quin & cæteri fuissent soluturi, si ibi habitâssent. Secundò, nego consequentiam. Quâ enim lege à solutione tributi pro Christo & Petro ad Oecumenicum Pontificatum nectitur argumentum? Hac solutione mysterium significatum esse, nullo constat indicio, multominùs significatum Pontificatum Oecumenicum. Imò perniciosa foret applicatio ipsi Pontifici. Si enim hoc erat indicium futuri Pontificatus, ergo cum Christus fecit tributarium Magistratui seculari. Atqui ab aliquot seculis atque adhuc hodie dominatum tenent in Ecclesia Papistica, quam solam Christianam esse, jactant, ne audire quidem sustinent tributi mentionem, quod ipsi quidem solvant Regibus; quin potiùs sibi fecerunt Reges & regna tributaria.

XVIII. At *Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus scribunt, Apostolos hinc cognovisse, Petrum sibi præferri.* Primò. Si rationem postulem conjecturæ, quæ tandem dabitur? Et tamen licet mihi postulare, præeunte Augustino Epist. 19. ad Hieron. Deinde Pontificatum Oecumenicum apud illos Auctores non lego hinc exstructum. Non apud Chrysostomum Hom. 61. in cap. 28. Matth. Aliud enim est *præferri*, aliud *præfici*; Et rursum, multi præficiuntur, qui non habent potestatem & jurisdictionem Oecumenicam, qualem Papa sibi arrogat. Denique ut maximè constaret, quod omnium minimè constat, Apostolos hinc conjeciisse Pontificatum Petri, nos tamen scimus, non suspicionibus Apostolorum, in quas illo tempore veniebant, sed Christi responso standum esse. Tum enim errori erant obnoxii, quem Christus multoties correxit. Et sanè error manifestus, si ex æqualitate pretii, quod ait Hieron. in c. 28. Matth. arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse prælatum. Nam primò causa alia erat aperta, quòd Christus & Petrus unius urbis essent cives. Deinde æquale pretium ubique, in singula capita pendebatur. Hîc igitur non erat indicium Primatus. Quoties igitur homo conjecturam Apostolorum, de qua Scriptura nihil habet, nobis ingerit, toties Christum opponimus, qui cùm Dominium in Ecclesia prohibuerit, noluit sanè hâc cōjunctâ tributi solutione illud sive Petro conferendum significare, sive præfigurare.

XIX. Octava. Quòd *Christus, post resurrectionem soli Petro primò apparuerit*, Luc. 24.1. Corinth. 15. R. Petro inter viros primò apparuisse Christum, verosimile. At primò, non necessariò colligitur, ex locis citatis. Agnoscit Fr. Suarez in 3. p. Thom. Art. 4. Disp. 49. Sect. 4. Ratio manifesta; Si ex eo, quòd Paulus apparitionē Petro factam primo loco nominat, concludas, illi primò apparuisse, pariter concludes, simpliciter illi primò apparuisse, quod Evangelio repugnare, Suaretz observavit. Deinde Maldonato in Matth. 28. verisimile est, non Petro soli, sed Johanni simul apparuisse. Denique apparuerit soli primò: Non ideo designatus intelligitur Pontifex Oecumenicus. Visus enim illi post Mariam Magdalenam, cui primò ap-

apparuisse, certum est à Scriptura. Aut igitur illa anteferenda est Petro, aut hic non eo significatur Oecumenicus. At illa ne quidem in mulieres inde habuit dominium; & hic habiturus in omnes, inde agnoscatur? Videte, quibus fulcris nitatur structura Pontificatus Oecumenici? Nobis melior causa succurrit: ille negaverat Christum præ aliis: præ aliis igitur erigendus videbatur. Hanc cum aliis tangit Chrysostomus, *qui primus*, inquiens, *Christum confessus erat, non abs re primus etiam resurgentem vidit. Præterea, cùm homo se discipulum esse, negâsset, quominùs reiectum se putaret, præ cæteris hunc conspectu suo dignatur. Adhæc quòd huic primo pascendas oves commisit.* Secunda ratio est solida, quam inter Papistas Suaretz l.l. approbat. Duæ reliquæ non sunt satis solidæ. Si Papistæ urgeant morosiùs, dicam, ipsos rebus suis nocere. Quid enim aliud agunt, quàm ut ostendant, fœmellę certò postponendum esse, quem levi conjecturâ moti omnibus imponere vellent Oecumenicum? Negari enim non potest, si ex eo, quòd Christus primò illi soli apparuerit, ducēdum sit argumentum, potiorem esse partem Mariæ Magdalenæ, quàm Petri.

XX. Nona. Quòd *Petrus suâ auctoritate vocaverit alios ad electionem novi Apostoli in locum Iudæ proditoris.* R. Id commentum est Jesuitarum, non historia Lucæ. Act. 1. lego, quòd discipuli à monte Oliveti Hierosolymam reversi adscenderint in cœnaculū, v. 13. quòd perduraverint concorditer in oratione & deprecatione, v. 14. Denique quòd per eos dies assurgens Petrus in medio discipulorum orationem habuerit de eligendo novo Apostolo, v. 15 & seqq. Quòd vocaverit alios ad electionem, idque suâ auctoritate, non lego in Luca, sed in Jesuitarum chartis. Unde illud quoque fluxit, *reliquos mox ad præceptum Petri duos constituisse.* Oratione à Petro habitâ, constituisse, dicit Lucas; ad præceptū Petri constituisse, nō dicit Lucas, sed finxit Jesuita. Quanto meliùs tenuisset & verba & mentē Chrysostomi Hom. 3. in cap. 1. Actor. dicentis, *Jam & illud considera, quàm Petrus agat omnia ex communi discipulorum sententia, nihil auctoritate suâ, nihil cum imperio.* Oecumeni° sic expressit, ὅρα δὲ πάντα μετὰ κοινῆς αὐτὸν γνώμης ποιοῦντα, καὶ οὐκ ἀρχικῶς οὐδὲ μετὰ ἐξουσίας. Quæris, cur nolit tenere, cùm tenuerit Theophylactus, itemque Oecumenius in suo cōmentario, & cùm tenuerint alii? Parùm conferebat ad Oecumenicum Pontificatum. Sed Petrus convocaverit; num ideo Oecumenicus? Nego, Convocaverit suâ auctoritate; indene Oecumenicus? Etiam hoc nego.

XXI. Decima. Quòd *Petrus primus promulgaverit Iudæis Evangelium post acceptum Spiritum Sanctum.* R. Petrum omnium nomine apologeticam orationem habuisse ad multitudinem, constat à textu, idque, si credas Chrysostomo, ex cæterorum consensu, qui illud ei concesserunt. Unde Theophylactus dicit, *communem proposuisse sententiam & vocem; & omnium ipsum oratorem fuisse.* Primum promulgâsse Evangelium, non constat. Certum, antequàm apologiam institueret Petrus, omnes Apostolos locutos esse variis linguis, prout Spiritus illis dabat eloqui, Act. 2, 4. Idque non privatim, sed publicè. Multitudo enim confusa erat, quòd unusquisque audiret eos linguâ suâ loquentes, v. 6. 7. 8. Nec tacuit Lucas, quid locuti fuerint; Auditores enim ajunt, *audimus eos loquentes nostris linguis magnifica Dei facta*, v. 11. Hoc si non fuit promulgare Evangelium, quid tandem fuit? Et quis vel somniet, aliud locutos esse, quàm Evangelium, impulsu Spiritus Sancti? Hîc ostendant, si possunt Jesuitæ, Petrum primum cœpisse loqui inter omnes. E textu certè non possunt. Si cum Gretsero dicas, primam, publicam & ad omnes universim factam promulgationem fuisse Petri, quo teste confirmabunt? Num cæteri loquebantur in angulo, uni atq; alteri, non palàm, universæ multitudini? Dent testem. Quę licet dent, nondum tamen obtinent litem. Nam negabo, primam promulgationem Evangelii Judæis factam esse vel actum, vel signum Pontificatus Oecumenici. Neque enim Mariæ Magdalenæ primatum aliquem concedes, quòd annunciaverit resurrectionem Christi, quę præcipua pars est Evangelii, Apostolis prima. Illa si nullum primatum inde obtinuit, ne quidem inter mulieres, quomodo obtineret Petrus Pontificatum in universa Ecclesia Oecumenicum? quomodo significaretur eo facto?

XXII. Undecima. Quòd *primum miraculum apud Iudæos fecerit in confirmationem Evangelii.* R. Jesuita digitum intendit in claudum sanatum. At primò hoc non fuit primum. Numquid enim donum linguarum non erat miraculum? Aut non præcesserat? Si tamen illud negligas, tanquam factum à Deo in Apostolis, succurrit, quòd Lucas scribit, Act. 2, 43. *Obortus est in omnibus timor: multaque miracula & signa per Apostolos edebantur.* Ubi Chrysostomus Hom. 7. in Acta; *Quemadmodum & in Christo primùm videre licebat signa, dein audiebatur doctrina, & deinde veniebant miracula, ita & nunc.* Hæc sanatione claudi posteriora fuisse omnia, quis nobis probabit? Aliud visum Patribus; nominatim Chrysostomo Homil. 8. dicenti, *Et alia quidem signa non curavit libri hujus scriptor, quod autem magnum afferebat stuporem & omnibus novum videbatur, dicit.* Theophylactus non multò aliter; *Alia quidem signa auctor libri singulatim exponere prætermittit, sed illud signum, quo omnes moti sunt, non prætermittendum duxit.* Oecumenius; πολλῶν δὲ θαυμάτων ἐπιτελουμένων ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων, ὡς καὶ ἀνωτέρω ἐμνήσθη ὁ ταῦτα γράφων Λουκᾶς, τοῦτο ἐκείνων ὀνομαστὶ μνημονεύει, ἀλλ' ἐκεῖνο γράφει μόνον ἀφ' οὗ πάντες ἐκινήθησαν. Glossa Interlinearis interpretatur, miracula adjuncta prædicationi. Fuerunt igitur priora sanatione claudi. Lyra dicit, timorem obortum, tum propter prædicationem Petri, tum propter miracula, quæ fiebant per Apostolos. Fiebant igitur per Apostolos in Pentecoste; in festo enim oboriebatur timor. Tale signum in claudo fortè nondum fecerat, quod notat Chrysostomus, & quo omnes commoverentur. Id si ideo censendum primum, ut quidem vult Gretserus, quid obstat, quominùs Paulus dicatur omnium primum miraculum feciisse excutiendo de manu viperam? Nihil enim ejusmodi antè contigerat. Unde spectatores dicebant, eum esse Deum, Act. 28, 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXIII. Secundò. Fuerit primum. Nego consequentiam, quæ hinc nectitur ad Oecumenicum pontificatum. Hoc enim signum nec actus, nec argumentum, imò nec qualecunque signum fuit Pontificatus Oecumenici. Non *actus*: Ita enim ad Oecumenicum Pontificatum per se pertineret operatio miraculorum. At non pertinere, hinc patet, quòd alioqui omnes qui eum tenent, oporteret miracula edere. Hoc non dabunt Papistæ, quippe qui fatentur, suum Oecumenicum ne quidem mortuum canem posse suscitare. Non *argumentum*: Unus enim debet esse Oecumenicus. At non constat, solum Petrum fecisse hoc miraculum. Solus locutus est; quòd solus miraculum fecerit, non lego. Imò in plurali ait, Actor. 3,12. *Viri Israëlitæ, quid miramini super hoc, aut quid oculos intentos in nos habetis, quasi propriâ vi, aut pietate* effecerimus, *ut hic ambularet.* Sic accipit Basilius Seleucensis Homil. 14. (apud Cham.) *Intentis oculis cum Johanne dixit*, respice nos. *Rectè. Commune enim utrique miraculi opus, ex utroque egreditur medicinæ gratia. Nam etsi Petrus solus locutus sit, tamen collega fuit Apostolus.* Quo pertinet illud Theophylacti, *Vide autem, ut Johannes ubique taceat: Petrus verò etiam pro illo loquatur.* Non *signum*: Vel enim fuit signum, quia primum, vel quia editum in sanatione pedum. Non *illud*. Ubi enim docemur, qui primus edit miraculum post resurrectionem Christi, apud Judæos, illum fore Oecumenicum? Non *istud*: Nam Paulus quoque sanavit Lystræ pedes viri ab utero claudi, Actor. 14,8.9.10. Fuerit igitur Oecumenicus, aut sanatio pedum non est signum Oecumenici. Nec illud unquam scripsit Ambrosius, ut maximè concedam, esse sermonem Ambrosii, (non esse constat) quem Bellarminus citat. Auctor sic serm. 68. *Si Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet; ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.* Sic recitat Valentianus tom. 3. Comm. in 2. 2. Thom. disput. 1. q. 1. punct. 7. col. 264. At Bellarminus prorsus invertit ordinem. A sanatione enim pedum arguit ad fundamentum Ecclesiæ, cùm Auctor sermonis Ambrosio inscripti à fundamento Ecclesiæ ad pedum sanationem procedat. Sic Jesuitæ versantur in Patribus. Urgete ut ostendant vobis in Ambrosio, Petrum sanâsse pedes, ut ostenderet, se esse fundamentum Ecclesiæ. Id certè non habet Ambrosius, nec convenit ingenio Apostoli, qui opera non convertit ad manifestandam suam, sed Christi gloriam. Jam non dicam, quis honor Oecumenico inde accedat. Ut enim fundamentum esse velit, nolet tamen pes in Ecclesia haberi: Esset pars vilissima, cùm princeps haberi cupiat. Ideo capitis titulum sibi arrogat.

XXIV. Duodecima. Quòd *primus prædicaverit Gentibus Evangelium, & quòd ipsi soli sit oblata visio cœlestis de vocatione Gentium.* R. Primò dubium satis, an Petrus primus prædicaverit Gentibus. Samaritani non erant Judæi religione. Gentiles igitur. Illis prior prædicaverat Philippus, postea Petrus & Johannes. Eunuchus erat Gentilis & tamen baptizatus à Philippo. Dices, *natione fuisse, non religione.* Illud accipio: Istud unde habes? quia venit quotannis Hierosolymam & legit Jesaiam. At etiam Gentiles habuerunt græcam versionem auspiciis Ptolomæi confectam. Et Salmero tom. 12. tract. 28. dicit, quosdam puros Gentiles peculiari religione templum Hierosolymitanũ esse veneratos, tum propter structuræ magnificentiam, tum propter græcam versionem Bibliorum. Eusebius l. 2. Hist. Eccles. cap. 1. scribit, Eunuchum primum ex Gentibus à Philippo per apparitionem divini sermonis sacra consecutum esse, primitiasque fidelium per orbem habitantium factum. Baronius quidem eum arguit erroris, ad Annum Christi 435. num. 27. at non convincit. Imò addit Eusebius, Eunuchum in Æthiopia prædicâsse Christum, & in illo impletam prophetiam, *Æthiopia præveniet manum ejus Deo*, Psalm. 67. Idem confirmat Irenæus l. 3. adversùs Hæreses cap. 12. Cyrillus Hierosol. catech. 17. Hieronymus in cap. 53. Jesa. Idem legitur lib. 7. Constit. Clem. c. 42. & apud Dorotheum in Synopsi. Ubi considerandum, quòd non missus à Petro fuerit. Illi n. non adfuit, nec ab illo quicq̃ didicit, sed si missus, à Philippo missus. Docuit igitur Æthiopas, antequàm Petrus Cornelium. Abdias papistis sæpe laudatus dicit, Matthæum, cùm veniret in Æthiopiam, ibi invenisse Eunuchum.

XXV. Secundò. Nego sequelam, sive prædicationem, sive visionem spectes. Nam prædicaverit primus Gentilibus, prædicavit tamen tantùm uni familiæ, intra Judæam. At ex Apostolis primus Paulus cum Barnaba ad totas Gentes missus ad id delectus à Spiritu Sancto, Actor. 13. peragravit plurimas regiones easque complevit Evangelio ab Hierosolyma usque ad Illyricum, Roman. 15 Unde Petro circumcisio, Paulo præputium cessit, Galat. 2. & in Gentium prædicatione primatum obtinuit, secundùm Commentarium inscriptum Ambrosio in cap. 2. Gal. Imò etiam secundùm Bellarminum. Sic enim scribit lib. 1. de pont. Rom. cap. 27. *Paulus in pluribus locis plantavit fidem, quàm ullus alius. Nam cæteri Apostoli missi sunt ad certas provincias, Paulus ad omnes Gentes sine certa provinciæ determinatione.* Tertiò. Jam si visionem spectes, quæ hîc prærogativa? Multo plures Paulo sunt oblatæ, nominatim in via Damascena, cùm convertitur & destinatur pro Gentibus, Act. 9,3. & seqq. 26,16.17.18. Troade, cùm vocatur in Macedoniam, Actor. 16,9. Corinthi, Act. 18,9. Hierosolymæ in templo, ubi mittitur procul ad Gentes, Act. 22,21. In castris, cùm audit, se Romæ debere testificari de Christo, Act. 23,11. Denique in mari, quando illi donantur omnes animæ, quæ erant cum illo, Actor. 28,23.24. Imò in tertium cœlum raptus audivit τὰ ἄῤῥητα, 2. Cor. 12. Si quid ejusmodi de Petro legerent Papistæ, quos gerent triumphos.

XXVI. Inquies; *At soli Petro in visione dictum*, macta & manduca. *Jam capitis est manducare, & per manducationem trajicere cibum in stomachum & illum sibi incorporare. Ergo significatur, Petro convenire, ut ipse tanquam caput convertat infideles, & faciat Ecclesiæ membra.* Sic quidem Bellarminus; sed vos admissi risum teneatis amici! Trajectio cibi hucusque

Universidad de Deusto
Biblioteca

assignata est gutturi, non capiti, incorporatio non capiti, sed stomacho. Incorporat enim, qui concoquit. Num concoctio fit in capite? Oris officium est manducare; Os igitur potiùs hinc declaretur Petrus, quàm caput. Non enim caput secundùm se totum manducat, sed quodam sui membro, sc. ore. Sicut non audit secundùm se totum, sed parte sui aliquâ, sc. auribus. Si hinc velis Petrum caput constituere, alius eum manum faciet. Mactare enim non est capitis, sed manuum. Imò alius faciet pedem. Si ideo caput, quia manducat, ergo erit pes, quia pes ambulat per omnes, Actor. 9,32. Pedum enim est πέριπατειν. Sed relinquamus istas subtilitates Sophistis. Nobis non sapiunt.

XXVII. Nos inhæremus visionis scopo, qui non importat Pontificatum Oecumenicum. Erat autem ille; oblatis immundis animalibus, & esu mandato, ad quem mactatio & manducatio erat necessaria, docebatur, Gentes non duci debere deinceps prophanas, sed adducendas ad Ecclesiæ communionem. Mandato deposcebatur ejus ministerium. In quo nihil singulare Petro. Mactare enim est interficere eorum vitia, manducare est incorporare Ecclesiæ per fidem & sacramenta, secundùm Lyram. Numquid cæteri non similiter mactârunt & manducârunt? Inde Augustinus, vel quisquis Auctor est, Homiliâ 45. inter quinquaginta ad totam Ecclesiam sic accommodat: *Quòd autem dictum est Petro,* macta & manduca, *hoc significatum est, quòd Ecclesia catholica omnes, qui in Christum credunt, priùs occisura & postmodum manducatura, hoc est, occisura esset infidelitatem, ut insereret fidem. Nemo enim potest in Christum credere, nisi priùs moriatur, quod fuit secundùm illud, quod Apostolus ait, Mortui enim estis & vita abscondita est cum Christo in Deo. Quomodo enim qui ab hæreticis circumveniuntur, vivi devorantur à mortuis: sic illi, qui ad Christum veniunt, moriuntur præteritis, ut vivant futuris, pereunt diabolo, & Christo acquiruntur, moriuntur morti & feliciter vitæ inseruntur.* Certè Paulus multo plures mactavit & comedit in suo circuitu ab Hierosolyma usq; ad Illyricum, & in mediis omnibus regionibus, Arabia, Syria, Cilicia, Phrygia, Galatia, Mysia, Achaia, Epiro, Seleucia, Cypro, Salamina, Papho, Pamphylia, Pisidia, Lycaonia, atque multis locis aliis, *per orbem ferè totum*, quæ vox est Bellarmini lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 27. quò Petrus non pervenit. Inde oblationem Gentium acceptam sanctificatam per Spiritum Sanctum prædicat, Rom. 15,16.

XXVIII. Decima tertia. Quòd *primus in Concilio Hierosolymitano sententiam dixerit.* R. Cur non contendit, primum esse locutum? Sic Bellarminus videbat repugnare Lucæ, qui dicit; *Cùm autem multa disceptatio fuisset, surgens Petrus, dixit eis,* Act. 15,7. Quam disceptationem fuisse inter judices, monet Glossa Ordinaria. Ipse vult mercari cautiùs. Ideo contendit, Petrum primum sententiam dixisse. Sed qualis ista prærogativa? Quot Episcopis hæc communis fuit, qui in Cõciliis dicebant primi sententiam? Ex primo suffragio nulli jurisdictio colligi potest, nedum Oecumenica. De uno Trevirensi

rensi Archiepiscopo cogita. Is secundùm auream Bullam in electione Regis Romani primus dicit sententiam. Nec tamẽ ulla illi in cæteros Electores competit jurisdictio. Ita Becanus deprehenditur non magis cautus, quàm Bellarminus. Si excipias, *primum dixisse sententiam definitivam*, concedo, sic dixisse, ut & cæteri. Quòd decretum pronunciaverit, quasi jam auditis omnibus suffragiis, nego. Id conceptum postea. In Petri sententiam itum esse, non nego, v. 28 Unde Hieronymo decreti Princeps appellatur. Non tamen decretum prorsus factum in verba Petri, sed magis imò prorsus in verba Jacobi, in cujus oratione fit mentio idolothytorum, scortationis, suffocati & sanguinis, de quibus decretum, v. 29. Quamvis si prorsus verbis Petri conceptum esset decretum, nulla hîc prærogativa, quæ non in quemcunque Episcopum possit cadere. Cùm essent, qui ministris Ecclesiæ usum uxorum adimere vellent, Paphnutius, restitit atq; declaravit, ab uxoribus suis separari non debere, quòd virorum cum suis consuetudo sit castitas. In unius sententiam ivit universum Concilium Nicænum. Adeò nihil occurrit in Apostolico Concilio, quo Oecumenicus Petri Pontificatus stabiliatur. imõ Chrysostomus majorem auctoritatem Jacobo non obscurè vendicat, Homil. 33. in Acta. Verba sunt; *Post Petrum Paulus loquitur, & nullius os ejus obturat. Jacobus fert & non resilit, illi erat principatus concreditus.* Infrà: *Ab initio vehementiùs quidem Petrus loquebatur, hic autem mitiùs. Ita semper faciendum est his, qui in magna potestate sunt, ut onerosa illa aliis permittant, ipsi autem mansuetiùs agant.*

XXIX. Decima quarta. Quòd *soli Petro absolutè dixerit, Pasce oves meas.* R. Hãc in Manuali non ponit, sed in compendio Manualis. Verùm poterat omittere. Jam enim de hac re actum, cùm vindicarentur verba Christi, *Pasce oves meas.* Specialis illa compellatio est argumentum remissæ abnegationis ternæ & restituti confirmatique Apostolatus, teste Cyrillo & Augustino; Oecumenici Pontificatus collati argumentum non est. Non jussit dominari, sed pascere. Quomodo? Bernhardus docet Serm. 2. de Resurrect. *Petrus,* inquiens, *mandatum accepit tertiò, pascere gregem Domini. Pasce, inquit, mente; pasce ore; pasce opere. Pasce animi oratione; verbi exhortatione; exempli exhibitione.* Et in Considerat. ad Eugenium lib. 4. *Petrus hîc est; qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel loricis; non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit, satis posse impleri salutare mandatum,* Si amas me, pasce oves meas. *Evangelizare pascere est. Fac opus Evangelistæ; & pastoris opus implesti.*

XXX. Jesuita monet, *ex recensitis prærogativis quasdam præcessisse Pontificatum Petri, quasdam secutas esse. Priores fuisse vel signa futuri primatus, vel dispositiones quasdam, vel promissiones ad eundem obtinendum, reliquas esse effectus & exercitia primatus jam obtenti.* Num. 46. Quomodo causæ, quæ nunquam fuerunt, præcesserint id, quod nunquam esse cœpit? Pontificatus Oecumenicus nunquam fuit in rerum natura. Similiter prima, secunda,

tertia, quinta, sexta prærogativæ prætensæ sunt egregia commenta nihil veri habentia. Mera igitur sunt somnia, quicquid de signis, dispositionibus & promissionibus jactatur inanissimè. Sed & ineptè exercitia ejus potestatis esse dicuntur, quæ non fuit unquam promissa, nunquam data homini. Dixerat M. Antonius, ex istis prætensis prærogativis, non solidè evinci Pontificatum Petri Oecumenicum. Verum dixit. Excipit Sophista, *non op° esse, ut ex singulis evincatur, & sufficere si vel singulæ, vel omnes simul sumptæ sint, quædam signa & dispositiones quædam ad futurum primatum.* Notate malæ consequentiæ argumentum! Paulò antè dispescebat in signa, promissiones & dispositiones ad futurum primatum, itemque exercitia obtenti Primatus. Jam promissiones & exercitia prorsus omittit. Nempe nec ullam promissionem, nec ullum actum obtenti Pontificatus Oecumenici nomine potuit. Addo: nec singulæ, nec simul sumptæ prærogativæ prætensæ sunt dispositiones, vel etiam signa tantæ majestatis.

XXXI. *Dabit exemplum simile.* Exemplum dat; at non simile. Audiamus. *Quando,* inquit, *Rex vel Imperator vult alicui dare summam aulæ præfecturam, non solet reipsâ dare, nisi illum præ aliis habuerit commendatum, tum in familiari conversatione, tum in officiis regni, vel Imperii, tum in legationibus & similibus prærogativis. Ne si subitò & ex abrupto id faciat, videatur temere sine consilio & cum invidia aliorum facere. Sic fecit Christus. Voluit Petro dare supremam Ecclesiæ præfecturam, sed non voluit sine præviis signis & dispositionibus.* Nũ. 46. Protasis rectè habet. Reges enim prudentes suas habent causas, cur egregios viros per gradus ad summum dignitatis culmen evehant, & testantur hac in re suam voluntatem, tum verbis, tum signis, tũ ipso effectu. Apodosis est alienissima. De summa Ecclesiæ præfectura non nego, quòd Petro sit commissa; soli concessam nego. Summa enim Ecclesiæ præfectura est Apostolatus, qui pluribus fuit communis. Oecumenicum Papatum, quem intelligit Sophista, Petro Christum voluisse conferre, est πρῶτον τὸ ψεῦδος, non tam leviter huc reponendum, cùm suprà gravissimè sit depulsum. Jam dissimilitudo exemplorum est in propatulo. De voluntate Regis constat. De voluntate Christi non constat. Illam nobis demonstrent Sophistæ, & acquiescemus libentissimè.

XXXII. Hactenus expendimus quatuordecim prærogativas Petri, quas Becanus laudat, ut illi Pontificatum Oecumenicum obtineat, aut potiùs affingat speciosiùs invito. Ut videas, quàm inutile sit hoc argumenti genus, subjiciam quindecim Pauli prærogativas. Prima. Quòd solum Christus è cœlo allocutus est & jam ad dextram Patris sedens vocavit, Act. 9,3.4.5.6.7. Secũda. Quòd solus ampellatus vas electionis, ibid. v. 15. Tertia. Quòd ipsius conversio & præconium quo functus in conspectu Gentium, Regum & filiorum Israël, alii est per visionem à Christo revelatum, ib. v. 11. & seqq. Quarta. Quòd soli inter Apostolos Christus post adscensionem in cœlum apparuit, Act. 22. Quinta. Quòd raptus est in tertium cœlum, 2. Cor. 12,2.3.4. Sexta. Quòd hominem tradidit Satanæ, 1. Corinth. 5. Septima. Quòd primus à Spiritu mittitur, ut prædicet Gentibus, Actor. 13. Octava. Quòd sudariis solis ægros sanavit, Actor. 19,11. Nona. Quòd Elymam excæcavit, Act. 13,11. Decima. Quòd proconsulem convertit, ibi. v. 12. Undecima. Quòd plus omnibus laboravit, 1. Corinth. 15. Duodecima. Quòd restitit Petro in faciem, Galat. 2. Decima tertia. Quòd ei in naufragio donantur à Domino ducenta septuaginta quinque capita, Actor. 27,24. 37. Decima quarta. Quòd noctu ei adstãs Dominus dixit, Ut testificatus es de me Hierusalem, sic te oportet etiam Romæ testificari, Actor. 23,11. Decima quinta. Quòd ejus scripta adhuc vivẽtis laudantur à Petro, 2. Petr. 3,15.16. Si vis, adde, quòd pluribus locis plantavit fidẽ, quàm ullus alius, fatente Bellarmino, & solus per Antonomasiam Apostolus vocatur, Augustino monenti lib. 3. ad Bonifac. cap. 3. idque à tota Ecclesia, apud Cornelium à Lapide in proœmio Comm. in Epist. Paul. c. 5. Jam si prærogativæ testes sunt Oecumenici Pontificatus, quid obstat, quo minùs Paulus habeatur Pontifex Oecumenicus? Si Paulus non ideo Oecumenicus, quòd multæ ejus prærogativæ, cur potiùs Petrus? Nempe patet,

Papistas humanis delectari commentis.

****
*****
*

Sectio IX.

Argumenta contra Oecumenicum Pontificatum Petri producta vindicantur.

I. Becanus gloriatur, se argumenta M. Antonii fusè refutâsse lib. 2. de Rep. Eccles. c. 7. nunc breviter velle refellere, non omnia, sed præcipua. Nos argumenta Antonii, quæ sunt illi cum nostris communia, breviter repetemus, & vindicabimus ab exceptionibus Sophistæ. Primum esto. Si Petrus fuit Monarcha, seu Oecumenicus Pontifex Ecclesiæ, à Christo alicubi fuerit constitutus, declaratus, aut saltem suppositus, & ab Apostolis agnitus. At nec constitutum, nec declaratum nec suppositum, nec ab Apostolis agnitum legimus usquam in Scriptura. Ergo. Assumptum tamdiu stat firmum, donec contrarium è Scriptura demonstretur. Clamant Monarchici, designatum esse, Matth. 16. illis verbis: *Tu es Petrus.* Constitutum, Johan. 21. *Pasce oves meas.* Verba de pascendis ovibus vindicata sunt suprà. Jam in verbis Matthæi audio, Simonem à Petra denominari Petrum; non audio, Monarcham designari. Audio, super hanc petram Christum ædificaturum esse Ecclesiam; non audio, super Petrum ædificaturum esse. Petrus à Petra differt, non est ipsa Petra. Probavi suprà. Ibi Patres dixerunt, Christum esse. Imò dixerunt multi Papistæ. Si confessionem Petri intelligas, eódem recidit. Si omnino ad Petrum referre velis, nõ potes, nisi ratione doctrinæ, confessionis & officii, quæ cùm ipsi

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsi sint cum cæteris Apostolis communia, non magis inde Monarcha designatur, quàm quisquam cæterorum. Exstructi enim dicimur super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum; non dicimur exstructi super fundamentum unius Apostoli Petri ac Prophetarum. Etsi verò ad gubernationem totius Ecclesiæ trãsferas, nondũ tamẽ habes Oecumenicum solitarium Pontificem. Omnes enim Apostoli fuerunt capita, Rectores & Pastores Ecclesiæ universæ. Bellarminus suprà fatebatur,

II. Porrò claves Petro promitti, audio. Soli promitti, soli dari, non audio. Augustinus dicit, gestisse personam Ecclesiæ. Sustinebat certè personam omnium Apostolorum. Christus omnes interrogaverat. Unus Petrus pro se & aliis dedit responsum. Sic Lyra. Inde ad illum promissionis actus dirigitur, res promissa non ad ipsum solum pertinet. Omnibus communis est. Patet à collatione capitis decimi octavi. Ibi Dominus claves omnibus dat. Sensit Tostatus vim veritatis. Ideo ait; *Potest dici, quòd cæteri Apostoli meruerunt credendo & præmium eis redditur: quia tamen solus hîc Petrus locutus est, respondet ei soli Christus, dirigendo verba ad eum. Et tamen verba, quæ Petro dantur pro hac fide, dantur etiam aliis, cùm eadem fides sit omnium.* Ne dubites, Christus post resurrectionem omnibus confirmavit potestatem, quam Petro promiserat. Dominatum non confirmavit, quia nusquam ulli promiserat, omnibus negaverat. Potestatem solvendi & ligandi omnibus confirmavit. Illam promiserat. Illa est potestas remittendi & reservandi peccata, Johan. 20. Illam claves notabant. Non notabant Oecumenicum Pontificatum. Argumentum invictum. Hic uni Petro vindicatur. Illæ non soli Petro datæ, si credas Scripturæ & Patribus. Non solus Petrus est usus; clavibus omnes usi. Non aliter isti, aliter ille.

III. Bellarminus à Sebna, cui clavis domus Davidis promittitur, Jesa. 22. vellet principatum Ecclesiasticum obtinere. Non obtinet. Nec enim Sebna erat præfectus templo, nec domus Davidis, templum. Erat Oeconomus domus Regiæ. Dicit, *cùm urbes deduntur Principi, claves ei offerri, in signum subjectionis, & ei qui instituitur Oeconomus, claves dari.* Bene est. Num Christus priori modo Petro dedit claves? Nimis alienum. Non enim se illi subjecit. Nisi dicas, Christum Ecclesiæ nomine dedisse. Iterum nimis alienum. Ergo dedit, ut Oeconomo. Non igitur soli. Plures enim sunt Oeconomi, 1. Corinth. 4, 1. Non igitur designatus est Monarcha. Et quæso, si Matth. 16. designatus est Monarcha, cur discipuli postea cogitant, quærunt & contendunt, quis eorum sit major? Cur Johannes & Jacobus petunt primas apud Christum, si jam Petro promissam primam sedem noverant? Cur decem, inter quos erat Petrus, indignantur, auditâ duorum fratrum petitione? De quo sic Jansenius in Concord. Evangel. cap. 104. *sicut duo fratres carnaliter petierunt, ita & reliqui decem carnaliter indignati sunt, de petitione illorum, quòd sc. peterent præponi aliis, cùm cæteri non minùs primatum ambirẽt, eumque sibi quisque speraret.* At Christus omnes objurgat, quia omnes de primatu carnaliter certabant. Nemo igitur illorum agnoscebat primatum jurisdictionis Petro vel datum, vel promissum. Hoc argumentum non tangit Becanus.

IV. Secundum. Si Christus omnibus Apostolis æquè curam Ecclesiæ commẽdavit, Petrus non fuit Monarcha & Oecumenicus Pontifex. At prius verum. Ergo & posterius. Prius probat M Antonius ex Scriptura, Antiquitate & adversariorum hypothesi. E *Scriptura*. Primò quia omnes æquãliter misit, Johan. 20, 21. *sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos.* Matth. 28, 19. *Profecti docete omnes gentes.* Secundò. Quia omnes æquè erudituntur & formantur ad munus apostolicum. Tertiò. Quia omnes æquè à Spiritu Sancto recti, inflammati, edocti & roborati sunt. Ex *Antiquitate*, quæ æqualitatem potestatis inter Apostolos semper agnovit. Paulò pòst proferemus testimonia. Ex *adversariorum hypothesi*. Cajetanus tract. de Auct. Papæ & Concil. cap. 3. *Apostoli*, inquit, *possunt inter se comparari dupliciter; primo in quantum Apostoli, & sic omnes fuerunt æquales. Alio modo in quantum oves Christi ab eo hîc corporali conversatione separatæ, & sic Petrus solus est pastor, & reliqui Apostoli oves sub illius cura.* Non jam disputo, unde ille hauserit istam distinctionem. Fuerint Apostoli subjecti Petro, quà oves, at non quà Apostoli, quà Pastores. Sic perit Monarchia. Ut enim oves Petro commissæ, sic cæteris. Si igitur Johannes, quà ovis, Petro subjectus, propter Apostolatum, ergo & Petrus, quà ovis, subjectus Johanni, propter illius Apostolatum. Nam in Petro considerari non minùs debet privata persona & Apostolatus, quàm in cæteris. Illud hîc nobis sufficit, quòd agnoscit æqualitatem, quà sunt Apostoli. Ergo æquales potestate & jurisdictione. Ait enim ibidem, *Ex his omnibus facile est videre, quòd Apostoli, in quantũ Apostoli, habuerunt nõ solùm potestatem ordinis, sed etiam jurisdictionis. Auctoritas enim gubernandi Ecclesiam, quæ est Apostolatus propria, sine jurisdictionis potestate non est.* Bellarminus lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 9. dicit: *summum Pontificatum disertè positum à Paulo, in illis verbis,* Et ipse quidem dedit quosdam Apostolos; *& clariùs,* 1. Corinth. 12. *ubi dicat,* Et ipse posuit in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas; *siquidem summa potestas Ecclesiastica, non solùm data sit Petro, sed etiam aliis Apostolis.* Hæc verba accipimus: Stabiliunt enim jurisdictionis æqualitatem. Confessio ejusdem Sophistæ legitur l. 1. de Pont. Rom. cap. 12, *Fatemur,* inquientis, *Apostolos fuisse pares in Apostolica potestate & habuisse in populos Christianos eandem omnino auctoritatem, sed non fuisse pares inter se.* Hoc posterius rejicimus, quia non probatur solidè. Prius est verum, atque eo Pontificatus Oecumenicus evertitur.

V. Becanus primò excipit, *priorem argumenti partem veram esse, quòd Christus Ecclesiam omnibus commendaverit, posteriorem falsam, quòd omnibus æquè commendaverit.* Secundò negat hanc consequentiam. *Omnes æquè instructi sunt & æquè Spiritum Sanctum acceperunt; Ergo unus non habet majorem jurisdictionẽ, quàm alii. Quia aliud sit, loqui de sanctitate & doctrina, aliud de jurisdictione, quæ non semper sit æqualis. Alioqui Regem in regno, Episco-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pum in Ecclesia non esse maiorem subditis & Sacellano, si non habeat maiorem doctrinam & sanctitatem. Num.48. Respondeo ad prius. Atqui M. Antonius non constituerat duas argumenti partes, sed semel asseruit, Christum æquè omnibus Apostolis Ecclesiam commendâsse. Sophistam igitur agit Becanus. Sed unde revincit hoc fallitatis? Inde, *quia soli Petro dixit,* pasce oves meas. *Igitur pastura omnium ovium soli Petro, non aliis commendata est.* Egregiè! Nos negamus consequentiam. Pascere enim non est dominari, nedum absolutè, seu summâ potestate. Id probatum suprà. Petrus non pavit omnes oves Christi. Certè Apostolos non pavit. Quot erant regiones, quas non adiit? Et tamen ibi pastæ sunt oves Christi. Nec Christus Petro dicit, *pasce omnes meas oves.* Denique soli quidem dixit isto loco, *pasce oves meas*: Non tamen soli oves commisit. Non minùs cæteris, quàm Petro pastura ovium Christi alibi commissa; sed verbis propriis, Matth.28,12. Johan.20,21. 23. Bellarminus fatetur, quod Petro datum est per illud, *pasce oves meas*, idem cæteris Apostolis datum esse istis verbis, *sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos*, lib.4. de Rom. Pont. c.23.

VI. Ad posterius. Becanus primò divellit, quæ Antonius conjunxerat. De æquali instructione & illuminatione respondet, cùm iste urgeret æqualem instructionem ad idem munus. Sic manifesta est consequentia: qui æqualiter instruuntur ad idem munus, eorum unus non habet majorem jurisdictionem, quàm alter. At Apostoli æqualiter instruuntur ad idem munus, Johan.20,21.22.23. omnibus enim Christus dicit, *accipite Spiritum Sanctum*; omnibus dicit, *si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.* In illis habes æqualem instructionem; in istis idem munus eandemque jurisdictionem. Secundò affert exempla dissimilima. Regis & subditorum, alienum est. Rex major est subditis, quia jurisdictio ad illum delata est, vel electione, ut in Romano-Germanico imperio, vel jure hæreditario, ut in regno Galliæ. Nec obstat, quòd doctrina & sanctitate non sit omnibus major. Non est idem Regis & subditorum munus. Num aliud munus Petri, aliud Apostolorum? Num ille Rex, isti ejus subditi? Ridiculum. De Episcopo & Sacellano aliter statuendum. Jure divino Episcopus non habet majorem jurisdictionem, quàm Sacellanus, si intelligatur Presbyter. Jure humano illo major est, etsi doctrinâ & sanctitate inferior. De Cypriano mox dicetur.

VII. Tertium. Si Petrus Oecumenicum summæ jurisdictionis Ecclesiasticæ primatum accepisset, haud dubiè eum exeruisset actus ejus exercendo. At nunquam in terris exeruit. Ergo. Consequentia vix negabitur à quoquam. Certè nemo potest negare, nisi Petrum accuset officii turpiter neglecti. Assumptio inde patet, quia quæ Petrus gessit, referente Scripturâ & Antiquitate, ea quilibet Apostolus poterat gerere. At q̃ sunt Oecumenici Pontificatus propria, ea nemo gerere potest, nisi Oecumenicus. Vide quæ Papistæ suo Oecumenico arrogant, & inquire, num ea gesserit Petrus. Non gessit. Non imperavit unquam ulli Apostolorum. Solus nunquam, aut suâ auctoritate controversias religionis composuit. Non fuit ab Apostolis reliquis ad eum appellatum. Non soli sibi arrogavit jus condendarum legum Ecclesiæ. Non indixit Concilia, nullos sibi habuit casus reservatos, in quibus cæteri non possent dispensare. Non dixit, quòd majores causæ cujuscunque Ecclesiæ ad se referri debeant. Non dixit, quòd solus possit uti imperialibus insigniis. Non decrevit, quòd ipse solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare. Non, quòd ipsius solius pedes omnes Principes deosculari debeant. Non, quòd suum nomen solum in Ecclesia recitetur. Non, quòd unicum sit nomen in mundo, Petri videlicet. Non prætulit se Imperatori: non gessit utrumque gladium. Non dixit, se posse auferre & transferre regna, & Imperatores deponere. Non dixit, omnes Reges suos esse vasallos. Non dixit, se summam habere Potestatem in temporalibus. Denique non dixit, se à fidelitate subjectos posse absolvere. Res palàm constat. At contrarium penè ex omnibus Gregorius Septimus definivit, quo nomine plurimum Romani Pontificis adulatoribus commẽdatur.

VIII. M. Antonius assumptionem inde probat. primò, quia non solus Petrus, sed omnes simul Apostoli constituerunt primos Diaconos, Act.6,2. Secundò, quia Apostoli miserunt Petrum & Johannem in Samariam, Actor.8,14. Tertiò, quia Paulus & Barnabas detulerunt quæstionem de circumcisione non ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos & Seniores, Actor.15. Becanus excipit in genere contra totam probationem, & in specie ad singulas partes. In genere primùm clamat, *hæc desumpsisse ex Lutheranis & Calvinistis.* Deinde *cur verò dissimulet alia multa, quæ Petrus gesserit in suo Primatu? Quòd solus auctoritate suâ convocaverit Apostolos ad electionem novi Apostoli, primus promulgaverit Evangelium Hierosolymæ, primus prædicaverit Gentibus Evangelium, primus sententiam dixerit in Concilio.* Denique *nullius esse ponderis, quæ objiciat Antonius.* R. Non magis lædit veritatem, si ejus argumenta desumat Antonius ex Lutheranis & Calvinistis, quos ille improbè vocat, quàm falsitatem juvat, si ejus colores omnes petit Becanus à Bellarmino & ejusdem furfuris Sophistis. Quãvis nesciam, an fassurus sit Antonius, se ex nostris accepisse, imò in præfatione ad lectorem non obscurè negat. *Multominùs*, inquiens, *miraberis, si me ita omne argumenti genus tractare observâris, ac si primus essem, qui in contrarium nostrorum Hieromonarchicorum sensum insurgerem, cùm tamen non desint forte, inter eorum adversarios, qui ante me pleraque ex his ipsis, quæ ego tracto, feliciter exagitârint, quos si vidissem, parcius egissem. Sed non puto, te esse nescium, scriptis huiusmodi, ne ad nos perveniant, aditus esse firmissimis repagulis intercluso, ac propterea nullius prævio ductu, fuit mihi, non sine ingenti sudore, inter salebras nostras via aperienda, & per saxa rupesque ad loca nobis inhospita, fermeq; inaccessa incedendum nè, an rependum.* Illa quæ hîc Becanus de exercitiis Petrini Pontificatus Oecumenici objicit, cur dissimularet Antonius, causa non erat; cur præteriret, causa erat maxima. Vel enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

falsa, vel incerta, vel aliena. Falsum, quòd primus convocaverit suâ auctoritate omnes discipulos ad electionem novi Apostoli. Ad Lucam fidelem illum testem provoco. Non dicit, Petrum convocâsse Apostolos, non, auctoritate suâ convocâsse; nedum, Petrum solum convocâsse. Imò ne ullius quidem convocationis factæ meminit. Falsum, quòd primus promulgaverit Evangelium Hierosolymæ. Incertum, an primus prædicaverit Gentibus, quamvis hoc non præterierit Antonius. Tetigit enim suo loco. Aliena dictio sententiæ. Numquid enim Oecumenicus est, qui primus dicit in Concilio sententiam? Quot habebimus Oecumenicos? At qui præest Conciliis aut semper, aut ferè semper postremus dicit sententiam, vel non dicit, sed decretum, auditis suffragiis, pronunciat. Ἐξοδευτισμὸν Becano admodum familiarem, nec curant, nec mirantur cordati. Hoc armorum genere pugnat Sophistæ. Dicit, quæ Antonius objiciat, nullius esse ponderis. Imò majoris, quàm ille putat. Certè probationes Antonii majoris sunt ponderis, quàm Becani exceptiones. Discussio fidem faciet.

IX. Ad primam probationem excipit, *non sequi, sicut non sequitur, omnes Principes Angliæ sanxerunt legem de juramento fidelitatis, & non solus Rex: Ergo Rex non habet primatum. Vel omnes Episcopi Dalmatiæ fecerunt hunc, aut illum actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, & non solus M. Antonius. Ergo M. Antonius non fuit Primas Dalmatiæ, quia Rex & Archiepiscopus non quosvis actus jurisdictionis exercent sine aliorum ope. Multominùs sequi; Petrus in institutione Diaconorum non exercuit primatum. Ergo nunquam.* Addit, *non esse argutias, in quibus sibi Antonius mirificè placeat, sed stupiditates.* Num. 52. R. Primò. Si rem probè expendat pius lector, non tam contemptim sentiet de Antonii consequentia, atque supercilio sus Sophista. Nam primò. Introducitur in Ecclesiam novus ministrorum ordo, nempe diaconatus. Secundò. Consilii non Petrus auctor est, sed collegium Apostolorum, Actor. 6. Tertiò. Deligit ad eum certas personas, multitudo fidelium, v. 4. Quartò. Delectis imponunt manus Apostoli, v. 6. Nullam hic actionem propriam seorsim habet Petrus. Si fuisset Oecumenicus, certè ad eum pertinuisset hæc actio, tanquam ad Auctorem, quam vel ipse solus fecisset, vel facere, aut committere alii debuisset. At hîc omnia aguntur communi consilio & auctoritate. Diversæ auctoritatis ne vestigium quidem tenuissimum apparet.

X. Secundò. Exemplum de Prrncipibus & Rege Angliæ valdè ineptum est. Rex enim diu regnavit, priusquàm lex illa conderetur; non sic Petrus. Præterea Regem habere primatum, & communi ordinum consensu leges regni fundamentales condi, notum; in quo tamen alias esse Regis partes, alias Principum regni, quis tam stupidus est, qui ignoret? At hîc non fuerunt aliæ partes Petri, aliæ reliquorum Apostolorum. Si ea, quæ sunt Regis propria, fiunt ab Ordinibus, Rex suam auctoritatem non retinet. Exemplum Episcoporum & Primatis Dalmatiæ non est multo melius. Sunt enim actus communes Episcoporum & proprii pri-

matis. Ad illos concurrentibus Episcopis, retinet suam superioritatem Primas, quam semel obtinuit humano jure. Ad istos non possunt concurrere citra præjudicium Primatis. Et in conventibus Dalmatiæ aliæ semper sunt partes Primatis, aliæ Episcoporum. At hîc non aliæ Petri, aliæ cæterorum Apostolorum. Frustrà igitur Becanus volitat in Angliam, mox in Dalmatiam; frustrà ibi quærit desperatæ causæ subsidium. Tertiò. Sic non concludebat M. Antonius, ut fingit Becanus. Petrus hîc non exercuit primatum. Ergo nunquam. Et sanè falsa est sequela, suppositò semel Primatu. At Antonius sic concludebat. In actione, quæ una fuit ex maximè principalibus ad regimen Ecclesiæ pertinentibus nullam habuit actionem & jurisdictionem propriam. Non igitur solus toti Ecclesiæ præfuit. Idque omninò sequitur, quicquid ogganniat Jesuita.

XI. Ad probationem secundam excipit, *triplicem esse missionem; primam ex imperio; sicut Rex, aut Dominus mittit subditum servumve. Secundam ex consensu; sicut Pater mittit Filium & Filius Spiritum Sanctum. Tertiam ex consilio; sicut consiliarii mittunt Regem ad bellum. Petrum esse missum non ex imperio, sed ex consensu & consilio. Non igitur ideo vel æqualem vel inferiorem Apostolis fuisse. Sic enim mitti superiorem ab inferioribus.* Num. 53. R. Primò. Primam & secundam missionem agnoscimus. Tertiam unde profert Becanus? Ex Bellarmino, inquiet. Scio. Sed ejus auctoritate non tenemur. Unde uterque? Suasu & consilio Consiliariorum Regem proficisci ad bellum, familiare: à Consiliariis mitti Regem ad bellum, nobis inauditum hactenus. Exspectamus igitur exempla è Politicis, vel historia. Secundò. Quâ arte legeve disputandi profertur missio divina, ubi sermo est de humana? Num Petrus ab Apostolis est missus, sicut Filius à Patre & Spiritus Sanctus à Filio? Mirer, si Theologi etiam Papistæ hoc approbent. Sicut absurdus foret in schola theologica, qui genituram divinam vellet inferre, cùm agitur de generatione humana: sic nimis aliena est divinæ & humanæ missionis confusio. Et tamen si Jesuitæ condonetur, parùm proficiet. Non enim Filius major Patre mittente, etsi illi æqualis potestate. Missus igitur sit Petrus ab Apostolis ex consensu, sicut Filius à Patre. Non igitur major Apostolis, à quibus missus.

XII. Tertiò. Ego non dicam, Petrum missum esse ab Apostolis ex imperio, sicut Rex mittit subditum, aut Dominus servum. Neq; nunc concludam, Petrum fuisse Apostolico collegio inferiorem; quamvis fortasse non malè concluderem. Mihi satis est, non fuisse majorem. Quòd missus sit velut Rex à subditis, Dominus à servis, non nudè erat asserendum, sed probandum solidè. Nostram sententiam confirmat, tum communis hominum sensus, qui non fert, Regem à subditis mitti, ad res gerendas, tum usus verbi, quo utitur Lucas. Nam ἀποστέλλειν est mittere cum mandato, sic ut pendeat missio ab auctoritate mittentis. Sic miserunt Judæi Hierosolymâ Sacerdotes & Levitas, Johan. 1, 19. Paulus Tychicum misit Ephesum, 2. Timoth. 4, 12. Exempla similia passim obvia. Manet igitur fir-

firmum, Petrum monarcham totius Ecclesiæ non fuisse, quia ab Apostolis missus, & quidem, quod probè notandum, pariter cum Johanne. Non aliter Petrus, aliter Johannes. Una vox, una actio, nullum paret discriminis vestigium. Ergo aut Johannes pariter missus fuerit ab Apostolis, tanquam Rex à subditis, aut Petrus non sic fuit missus. Talis erat missio, ut Johannes parere teneretur: Dominus servo parere non tenetur. An Petrus non tenebatur? Audiam, an Cardinales possint mittere Papam, ut legationem obeat nomine Cardinalium. Orare poterunt & suadere, ut proficiscatur. Mittere vix poterunt. Cardinalium suasu Pius secundus arma in Turcas expediebat; Num missus à Cardinalibus in bellum contra Turcas? Quod exemplum si alienius videbitur, cogitent pii, munus Ecclesiasticum, in quo Pontifices Petro se successisse, gloriantur, in mundanam Monarchiam esse commutatam. Jam olim Bernhardus notabat, cùm in gemmarum ornatu, in usu albi equi, in stipante militum turba, in numerosa circumstrepentium ministrorum multitudine Eugenium nō Petro, sed Constantino successisse, in Cōsider. lib. 4. scriberet. Dabo tamen aliud exemplum. Cardinales mittant Papam suum in Indiam, aut etiam in Europæa regna, Angliam puta, Sueciam, aut Daniam, ut prædicet Evangelium. Num agnoscet, se teneri? num parebit?

XIII. Ad probationem tertiam excipit, *Non sequi, quia plurimæ controversiæ ad parlamentum Parisiense & Senatum Angliæ deferantur, neque tamen Rex Galliæ, aut Angliæ non habeat primatum in suo regno. Quinimò sicut in Regno Angliæ possunt controversiæ civiles deferri vel ad solum Regem, vel ad Senatum Regium, præsente Rege: Sic etiam in Ecclesia posse controversias Ecclesiasticas deferri, vel ad ipsum Pontificem, vel ad Concilium, cui præest Pontifex. Sicut ergo non destruitur auctoritas Concilii per hoc præcisè, quòd aliqua controversia defertur ad solum Pontificem; ita vicissim non destrui auctoritatem Pontificis per hoc, quòd aliqua controversia deferatur ad Concilium, cui præest Pontifex, non ad solum Pontificem.* Num. 54. Committitur elenchus non similium, ut si milium. In Gallia & Anglia possunt aliquæ causæ vel ad solum Regem, vel ad Senatum, præsente Rege, imò etiam absente, deferri, nempe quia placet Regi, qui id decrevit, constituit & promulgavit. Nec tamen possunt ad Senatum deferri, nisi quas illi permittit Rex; Aliquæ ad solum Regem possunt deferri. Nihil ejusmodi in nostra causa videas. Non ideo deferebantur controversiæ ad collegium Apostolorum, quia id decreverat Petrus lege latâ. Non tantùm aliquæ, sed omnes poterant ad totum collegium deferri, nisi illas nobis Becan° è Scriptura nominet, quæ Petro sint reservatæ. Præterea Rex etiam sine Parlamento potest definire causas. Quòd Petrus vel voluerit vel potuerit auctoritate quadam singulari sibi cum cæteris Apostolis non communi, non constat argumento fide digno. Deinde præsupponit ille, Petrum præfuisse Concilio Hierosolymitano, sicut Rex Galliæ Parlamento. At hoc falsum. Nec ausus fuit suprà in prærogativis numerare, imò ne quidem præsidium illi apertè vendicare ausus

est, quamvis præivisset Bellarminus. Præsupponit tamen præsidium, quale est Regis Galliæ in Parlamento, quo nihil falsius dici poterat. Quod enim hodie Romanus Pontifex sibi arrogat, id ne Petrus quidem admisisset sibi oblatum omnium consensu. Nimis iniqua est comparatio Regis Galliæ & Parlamenti Parisiensis cum Pontifice Oecumenico, & Concilio in Ecclesia. Rex Galliæ à Deo habet potestatem, & constituit Parlamōtum. Ideo ad utrumque rectè deferuntur causæ. Nec destruitur auctoritas Regis, si ad Parlamentum deferantur, nec Parlamenti, si ad Regem. Rex enim potestatem contulit Parlamento cognoscendi. Parlamentum Regem agnoscit supremum in terris Dominum. Longè alia ratio Pontificis & Concilii. Deus non præfecit Ecclesiæ Oecumenicum, qui sine Concilio potestatem habeat decidendi controversias, sine quo Concilium non habeat. Non igitur possunt controversiæ ad unum deferri, quæ pertinent ad cognitionem Concilii. Si deferantur, auctoritas Concilii violatur. Verùm ad Concilium deferri possunt, citra cujusquam injuriam, etiam illud, cui Pontifex non præest. Hoc enim jus nec Deus illi contulit, nec ullum generale legitimum Concilium. Ipse sibi arrogat. Res clara est. Quod addit, non est magni momēti. Quærit, *cur cōtroversia illa de circumcisione potiùs ad Concilium, quàm ad solum Petrum sit delata?* Respondet, *ut decisio fieret cum maiori partium satisfactione. Nam partes litigantes facilius acquiescere, quando constat, controversiam ex communi Ecclesiæ consensu decisam esse.* l. l. Hoc, inquam, non est magni momenti. Si enim semel constitisset, solum Petrum esse universalem Christi Vicarium, & loco Christi visibiliter totam Ecclesiam, etiam Apostolos gubernare, quis non passus esset, sibi satisfieri decisione Petri æquè ac totius Ecclesiæ? Sicut non minùs satisfiebat partibus decisione solius Christi, quàm Christi & Apostolorum; sic non minùs Generalis Vicarii, quàm illius & cæterorum. Ad Concilium igitur Apostolorum controversia deferebatur, quòd non esset constitutus unus Oecumenicus Pōtifex, qui solus definiret.

XIV. Quartum. Oecumenicus Pontifex extra reprehensionis aleam positus est. Petrus non fuit extra reprehensionis aleam positus. Ergo. Assumptio probatur ex Galat. 2, 11. Ubi Paulus in defensione sui Apostolatus testatur, se Petro in faciem restitisse, cùm esset reprehensione dignus. Verba sic habent; *Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in os ei restiti, eo quòd condemnandus esset.* Est locus valdè illustris, in quo nostri considerant emphasin verborum & circumstantias. Paulus dicit, se Petro restitisse: id plus est, quàm reprehendisse. Dicit, in os ei restitisse: hoc plus est, quàm absenti contradixisse. Dicit, fuisse condemnandum. Id non factum secretò, sed palàm, ut omnibus innotesceret. Non tantùm factum, sed etiam scribitur, ut toti orbi Christiano innotescat, non solùm præsenti, sed etiam posteritati. M. Antonius verissimè dicebat lib. 1. de Rep. Eccles. cap. 11. num. 13. si inter Petrum & Paulum non fuisset paritas, sed Petrus fuisset totius Ecclesiæ princeps, se non videre, quomodo Paulus

lus à magna imprudentia, nimia audacia, arrogantia, imò & procacitate posset excusari. Inde Petrum errâsse & seriò à Paulo reprehensum esse, probat testimoniis tum Patrum, Cypriani, & Augustini, tum Pontificum Romanorum, Gelasii, & Gregorii.

XV. Becanus sentit, se premi hoc argumento. Ideo variis exceptionibus enervare conatur. Non enervat. Patebit à consideratione. Prima exceptio est, *non opus fuisse tot testimoniis, idque quòd Papistæ fateantur tum Petrum errâsse, non quidem in fidei articulo, sed in facto, quia incautè simulaverit Judaismum cum aliquo scandalo & offensione Gentilium, tum Paulum apertè Petro restitisse, quia meritò judicaverit, eam simulationem, tanq; scandalosam, nõ esse tolerãdam.* Num. 55. R. Imò opus erat tot testimoniis. Etsi enim fatentur aliqui Papistæ, non tamen omnes. Alexander Carerius apud Chamierum suggillat historiæ veritatem, & pro Simone Petro alium Cepham vellet substituere, quem Clemens Alexandrinus, ex septuaginta discipulis fuisse, scribit, apud Eusebium lib. 1. Hist. Eccles. cap. 13. Pighio lib. 3. Hierarch. Eccl. cap. 11. non improbabilis sententia videtur. Vetus quidem commentũ, sed minùs solidum, quod jam olim explosum est ab Hieronymo & Gregorio M. Hom. 18. in Ezech. Idem Carerius nõ verè, sed simulatoriè Petrum esse reprehensum, regerit, in quo errore Hieronymus aliquando hærebat; sed eum victus ab Augustino, videtur deseruisse. Alii fatentur errorem, & tantùm in emolliendo occupantur. At Baronius magnus ille Annalium scriptor ad Annum 55. num. 34. & seqq. negat, Petrum errâsse verè & propriè, in eo, in quo fuit à Paulo reprehensus. Scilicet mendacium impingendum erat potiùs Paulo, quàm deserendus Pontificatus Oecumenicus. Et sanè si Petrus non errâsset, Paulus mentitus esset. Dixit enim, illum non incessisse recto pede, secundùm veritatem Evangelii; dixit, κατεγνωσμένον; dixit, eo facto reliquos esse coactos judaizare. Hanc audacissimi hominis impudentiam confutandam delegerat M. Antonius. Opus igitur erat tot testimoniis. Interim accipimus Becani confessionem contra illustrem Cardinalem, quem non juvat, quòd negat, Petrum in facto errâsse. Nostrum enim argumentum non ab errato, vel peccato Petri, sed à Paulina ducitur reprehensione.

XVI. Secunda. Becanus *negat consequentiam, quia non sequatur, Petrus fuit à Paulo reprehensus; Ergo non habuit primatum Ecclesiæ. Sicut in simili non sequitur, David fuit reprehensus à Joab, (2. Reg. 19, 5.) Ergo non habuit primatum regni.* Num. 55. R. Atqui primò Paulus Petrum non tantùm reprehendit, sed ei in os restitit. Ἀνθίστημι longè est plus, quàm reprehendere. Secundò. Si non sequitur, quæro, an Papæ liceat resistere? Hîc mentem suam categoricè exponant Jesuitæ. Aut licet Papæ resistere, aut non licet. Si licet, cur malè audimus, quòd ei restitimus? Imò cur malè mulctantur Episcopi in Ecclesia papali, si qui conentur ei resistere, parati demonstrare, quòd sit condemnandus? Si non licet, cur negant Sophistæ consequentiam? Nisi fortè licebat Petro resistere, Papæ non licet resistere, adeoque Papa

Papa est major Petro. Fortè non multum aberro. Certè non licet, si stemus jure canonico ejusque Glossa. Nam ibi hanc lego sententiam, sub nomine Bonifacii; „ *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis & remissus in operibus suis, & innumerabiles populos catervatim secum ducit in Gehennam, ejus culpas istîc redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur devius à fide, C. si Papa. Dist. 40.* Ubi non immeritò Jesuitarum sententiam explores. Cùm enim Becanus dicat, Petrum ob errorem facti à Paulo esse reprehensum, aut Paulus erravit reprehendendo, aut jus canonicum statuendo, Papam reprehendi non debere, nisi devius sit à fide, aut Petrus non fuit Papa Oecumenicus, quippe quem Paulus citra peccatum reprehendere potuit.

XVII. Tertiò. Joabi exemplum hoc loco alienum est. Primò enim Pauli factum à Spiritu Dei profectum est; de Joabi facto non constat; imò non fuisse, constat. Nam primò, objicit Regi falsa crimina, quòd odisset diligentes ipsum; quòd negligeret principes; quòd lætaturus esset principum interitu, modò superesset Absalon. Hæc erant insignia mendacia, vel saltem iniquæ suspiciones. Deinde non consulit, sed præcipit Regi, quasi cum famulo, aut saltem cum æquali ageret. Furor quodammodo agitabat Joabum, non expendebat causas luctus Regis, quòd lugeret interitum filii, sua peccata &c. Proinde Satanas per illum, tanquam suum instrumentum, tentabat Davidem. Similis procacitas & petulantia in illo apparet, in causa Abneri, 2. Sam. 3, 24. & sequentibus. Secundò, non dicitur restitisse Regi in os; sicut Paulus Petro. Imò nec publicè reprehendisse dicitur, sed introiisse ad Regem, & monuisse privatim, quàm turbetur exercitus victor fletu & dolore Regis ex interitu Absalonis concepto. Tertiò, Reges volunt moneri à suis consiliariis, ideo his licet: at Papæ non licet resistere. Restitit tamen Petro Paulus. Denique Davidem habere regni primatum, constabat jam satis. Id de Petro non constat.

XVIII. Tertiò excipit, *multos Patres ex hac reprehensione Petri docere, superiores posse corrigi ab inferioribus, quando fit cum debita humilitate & charitate, ut Augustinum Ep. 19. ad Hieronym: Cyprianum Ep. ad Quirinum de Hæret. rebapt. Gregorium Hom. 18. in Ezech. Thomam in 2. 2. q. 33. art. 4. ad 2.* R. Primò. Etsi aliqui Patres moraliter applicent liberiùs agentes, non tamen ideo agnoverunt Petrum Oecumenicum. Inferioris enim & superioris ratio non tantùm in iis valet, qui differunt officii gradu & auctoritate, sed etiam, qui personalibus donis differunt. Sic Paulus dicit, tres putari στῦλους, id est, columnas Ecclesiæ, Jacobum, Cepham & Johannem, adeoque cæteris majores: neque tamen ideo illi officio cæteris majores. Secundò. Patres non tantum favent causæ, quantum fingit Jesuita. Cyprianus non agit de superioribus & inferioribus, sed de collegis & fratribus; tantum abest, ut Petrum à Paulo, tanquam minore dicat reprehensum, quod commentus est Bellarminus. Sic enim habent verba; *Non est autem de consuetudine præscriben-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere & obtemperari à novellis & posteris sibi oportere. Nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ priùs persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit, documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera ac legitima, ipsa potius nostra ducamus.

XIX. Tertiò. Nec Augustinus, cùm de Paulo loquitur, minores nominat, sed posteriores. Sic enim ait: *Ipse Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sanctâ & benignâ pietate humilitatis accepit. Atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, si cubi forte recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda evangelica veritate, salvâ fraternâ charitate, resistere.* Quartò. Gregorius M. l. l. non scribit, Petrum minori fratri ad consensum se dedisse; non ostendit Oecumenicum pontificatum, quem in Johanne Constantinopolitano impugnabat acriter, sed primatum ordinis notat, quem nos ultrò concessimus antea. Quintò. Thomas Aquinas papisticæ Ecclesiæ Patribus accèscatur, per nos licet; primæ atque purioris Ecclesiæ patribus immeritò accenseatur. Non enim pertinet ad patres, cùm disputat, sed ad Sophistas, id quod res ipsa demonstrat, ut non sit, cur Jesuita calumniæ deputet. Dicit n. in Comentario, *Apostolũ fuisse Petro parẽ in executione auctoritatis, nõ in auctoritate regiminis.* Quis hoc mysteriũ capiat, quomodo par sit in executione auctoritatis, qui eandẽ auctoritatẽ non habuit? Aut de diversa, aut de eadem auctoritate sermo est. Si de diversa, explicetur. Si de eadem, aut Paulus rectè executus est, aut malè. Si rectè, habuit igitur auctoritatem exequendi, quæ est auctoritas regiminis, quam si non habuisset, contra jus esset executus. Si malè, non ergo Petro par fuit in executione auctoritatis regiminis. At parem esse, agnoscit Thomas, quem hîc Sophistam agere, nemo prorsus deinceps negabit.

XX. Quarta exceptio Becani est; *Paulum non fuisse arrogantem & procacem, quòd ausus sit capiti Ecclesiæ in faciem resistere, quia fecerit hoc bono zelo ad tollendum scandalum; sicut nec Joab procax fuerit, qui reprehenderit Regem, & abundè constitisse Paulo, Petrum, propter modestiam & humilitatem, non ægrè laturum fraternam correptionem.* Num. 56. R. At Thomas fatetur, quòd in faciem resistere coram omnibus excedat modum fraternæ correctionis, 2. 2. q. 33. Art. 4. ad 2. Rectè igitur Antonius concludebat, nimis Paulum fuisse procacẽ, si Petrus fuisset Oecumenicus pontifex. Neque sanè hîc zelus sufficisset; Modus enim servandus est. Joab privatim Regem aggressus est, non traduxit publicè coram omnibus. Exemplum igitur alienum. Quòd Paulo constiterit, Petrum non esse ægrè laturum, non

non constat certo argumento. Restitit tamen, quia salus Ecclesiæ postulabat.

XXI. Quinta. *At Paulus scripto quoque docuit, superiores aliquando moneri & corrigi posse ab inferioribus, servatâ semper debitâ charitate ac subiectione. Mandat enim Colossensibus, ut moneant Archippum Episcopum sui officii,* Coloss. 4, 17. *Non igitur mirum, si alii quoque subditi possint aliquãdo suos Prælatos vel monere vel reprehendere, si necesse sit.* Num. 57. R. Quid opus probatione? Non de quibusvis superiobus quæritur, sed de Oecumenico, num liceat illi resistere? Alienum igitur Archippi exemplum tum hoc nomine, tum quòd non juberentur Colossenses suo, sed Pauli nomine monere Archippum. At Paulus Archippo notoriè major. Deinde frustrà infert necessitatis mentionem. Ne enim Prælatis quidem licet reprehendere suos auditores, nisi necessitas postulet. Hîc igitur nihil magnum dicitur. Porrò dubium non est, quin Paulus debitâ charitate reprehenderit Petrum: At de subjectione ne γεῦ quidem in toto contextu. Non enim putârim, subjectionis argumentum esse, resistere alicui in faciem. Ideo hîc æqualitatem notat glossa Interlinearis ad illud, *restiti*, sc. tanquam par.

XXII. Miror, cui bono rationem addat Becanus, ut evincat, rectè corrigi etiam Prælatos, servato debito modo & ordine, quia *id sit opus misericordiæ.* Num. 58. Num enim quisquam nostrûm de eo dubitat? Quæstio erat, num Oecumenico resistere liceat? Hoc si est opus misericordiæ, cur Papa non admittit æquo animo? Dicet, admittere, si servetur modus & ordo. Mutetur igitur capitulum, *Si Papa*, ubi eximitur ab omni humano judicio. Thomas non expedit difficultatem distinctione correctionis duplicis, quarum una sit justitiæ, fiat per inflictionem legitimæ pœnæ, & competat prælato erga subditos; altera, charitatis, fiat per paternam correptionem, & competat tum subditis, tum Prælatis. Num. 59. Nam ut distinctionem suo loco concedam, hîc tamen aliena est, ubi nec Prælatus suum reprehendit subditum, nec subditus suum Prælatum, sed potiùs par parem, juxta Glossam Interlinearem. Quod jam olim placuit Chrysostomo de Paulo scribenti in Galat. cap. 2. *Se cæteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi summo comparat, declarans, quòd horum unusquisque parem sortitus sit dignitatem.*

XXIII. Hactenus vindicavimus Antonii argumenta. Addemus deinceps paucula, quæ Becanus non tetigit. Quintum igitur esto. Si plures uno summi sunt Apostoli, non fuit Petrus à Christo factus Oecumenicus Pontifex. At prius verum. Ergo posterius. Consequentia patet. Quia Oecumenicus si est, solus est summus: Et qui illi subsunt, non sunt summi; cùm summus superiorem non habeat. Antecedens claret à verbis Apostoli, 2. Corinth. 11, 5. Ubi nominat τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων, quod si vertas, *magnos*, vel *eximios*, non satisfeceris phrasi. Illâ summi notantur. Plerique recentiores Papistæ vellent quidem ad Pseudapostolos referre, ut esset ironia. Verùm ad Christi Apostolos Theodoretus, & Commentarius Ambrosio inscriptus re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

farunt. In specie intelligi Jacobum, Petrum & Johannem, auctor est inter Veteres Chrysostomus, quem Theophylact⁹, Oecumenius, alii sequuntur. Nec improbat Lombardus & Scaynus. Thomas apertè tenet, Hugo alteri Glossæ præfert, idq; Cornelio à Lapide verius & simplicius videtur. Est omnino verius. Illi quippe dicuntur *οἱ δοκοῦντες καὶ στύλοι*, Galat. 2, 9. Hinc clarum, plures fuisse summos: Ergo plures Oecumenicos, aut nullum.

XXIV. Sextum. Oecumenico Pontifice Paulus est inferior; Petro Paulus non fuit inferior. Ergo Petrus non fuit Oecumenicus Pontifex. Major est testata ex hypothesi Papistarum. Minorem firmat Paulus, 2. Cor. 11. & Galat. 2. Priore loco docet, se non esse minorem summis Apostolis. Ubi comparationem ipsum instituisse inter se & Petrum, testes, ut dixi, Patres. Chrysostomus Homil. 23. in 2. Cor. 11. *Non jam cum illis (pseudapostolis) sed cum Petro & cæteris se comparat.* Item; *Quoniam enim & hoc videbatur, illum humiliorem facere, quia illi priores maius nomen habebant, & magis de illis sciebant, erantque hi seipsos commendaturi, & idcirco cum illis se confert, habitu sibi congruente. Ideo & cum laudibus illorum meminit Apostolorum, non simpliciter dicens, sed eximiis illis Petro, Jacobo & Johanne.* Theophylactus; *Non simpliciter dicit, reliquis Apostolis, sed iis, qui sunt eximii Apostoli, Petrum, Jacobum & Iohannem recte innuens.* Eadē habet Oecumenius; *Nihilo minor fui neque inferior, aut posterior Petro.* Idem habet Lyra. Et Arias Montanus in Elucidationibus, vocat summos & sapientissimos Apostolos atque sic explicat; *Quanquam verò aliqui Apostolos magnos & summos appellent, quibus me post habeant, utpote minimum & postremum post illos duodecim, existimo tamen officio atque virtute non inferiorem fuisse magnis illis Apostolis.* Posteriore loco similiter æqualitatem suam cum Apostolis, qui videntur esse aliquid, & sunt columnæ, apertè ostendit, idque non tantùm Evangelii causam, sed & auctoritatem suam asserens. Ubi non immeritò consideramus, tum quòd illi nihil ab ipsis discrepet, tum quòd ei dederint dextras communionis, quæ non tantùm ad prædicationem, sed & ad gubernationem, quæ ab illa nec debet nec potest divelli, manifestè pertinet. Cur enim summorum meminisset, si tantùm de prædicatione egisset? Omnes enim pariter munus docendi acceperant à Christo, idque immediatè.

XXV. Septimum. Si Paulo fuit concreditum Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis, tum Petrus non fuit Oecumenicus Pontifex. At antecedens verum, Galat. 2, 7. 8. 9. *Cùm vidissent, mihi concreditum fuisse Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. Nam qui efficax fuit per Petrum, ad Apostolatum circumcisionis, efficax etiam fuit per me erga Gentes. Cumque cognovissent gratiam mihi datam Iacobus & Cephas & Iohannes, qui putantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: ut nós inter Gentes, ipsi verò inter circumcisos Apostolatu fungerentur.* Major patet, tum quia absurdum est, eum, qui in omnes provincias potestatem retinet, cum iis dividere provincias, qui ei subjecti sunt, seu inter Regem & subditos; tum quia Paulus dicit, sibi concreditum esse, sicut & Petro, quâ phrasi æqualitatem significari, nemo non videt. Sic Chrysostomus in cap. 2. Gal. *Itaque se cæteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi summo comparat, declarans, quòd horum unusquisque sortitus sit dignitatem.* Theophyl. in h. l. *Hic autem demonstrat, se eiusdem esse cum Petro pretii & honoris.* Oecumenius; *Vide ut se Petro æquet.* Glossa Ordinaria; *Ut essem primus in prædicatione Gentium, sicut Petrus in circumcisione.* Inquies, *Sic Petrus non fuerit Apostolus tam Gentium, quàm Iudæorum, & non licuerit illi prædicare tam Gentibus, quàm Iudæis.* Id sequi nego. Sicut Paulus ñ ideo ñ fuit Apostolus Judæorum, quia illi creditum est Evangelium præputii: sed sequitur, neutrum fuisse Oecumenicum Pontificem. Inquis, *Christus fuit Apostolus circumcisionis & tamen universalis pastor, sic quoque Petrus.* Non sunt similia. Nam Christus cum nemine sortitus est. Petrus sortitus cum Paulo. Christus misit suos discipulos primùm in totam Judæam, pòst ad Gentes: nihil ejusmodi fecit Petrus. Christus non habuit socios, Petrus habuit. Christus igitur agnoscitur universalis Pastor; Petrus non agnoscitur.

XXVI. Octavũ. Addamus quasdam Patrum sententias. Cyprianus lib. de Unit. Eccles. *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Nota, Apostolos idem fuisse, quod Petrus: par habuisse consortium, non tantùm honoris, sed etiam potestatis. Et tamen primatus Petro datus, nempe qui cum pari potestate consistat. Ille est ordinis. Potest etiam esse temporis. Becanus excipit, *Cyprianum idem docere, quod doceant Papistæ.* Quid illud? Primò, *omnes Apostolos, antequàm Petrus totius Ecclesiæ præfectus constitueretur, per illa verba, pasce oves meas, fuisse inter se æquales in honore & potestate.* Secundò, *eundem Petrum, postquàm præfecturam Ecclesiæ accepit, fuisse maiorem reliquis in honore & potestate. Cur autem Petrus fuerit constitutus caput omnium, hanc rationem esse, ut exordium ab unitate proficisceretur & Ecclesia una monstraretur.* Num. 49.

XXVII. R. Utrumque commentum est à Cypriano alienum. Prius; Nam primatum Petri arcessit non demùm ab illis verbis, *Pasce oves meas*, sed ab illis, *Tu es Petrus* &c. Matth. 16. atque censet, ante resurrectionem unum Episcopum esse constitutum, nempe Petrum, & post resurrectionē parem potestatē datam esse Apostolis, cùm Christ⁹ eis dixit, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos*, Johan. 20. Posterius; Ubi enim dicit, Petrum, postquàm accepit Ecclesiæ præfecturam, fuisse majorem reliquis in honore & potestate? Apud Cyprianum non lego. Quo sensu Petrus dicatur caput reliquorum, dixi suprà. Id ad Oecumenicum Pontificatum non pertinet. Cyprianus primatum Petri nominat; non Oecumenicum Pontificatum. Primatus rationem hanc affert, ut una Ecclesia monstretur, ut sc. auctoritatis apostolicæ initium non ad plu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plures, sed ad unum referatur, ut exordium ab unitate proficisceretur. De pari Apostolorum potestate loquitur, cujus initium ab uno cœperit, non à pluribus. Habuit enim Petrus primatum vocationis, adeoque primus fuit tempore & ordine. Chrysostomi & Theophylacti sententiæ suprà sunt recitatæ. Ibi videantur. Victor Uticensis, apud Baronium ad Annum 646. num. 15. *Ad Christi*, inquit, *Ecclesiam omnes beatissimi Apostoli pari honoris & potestatis consortio præditi populorum agmina cõvertentes piè & sanctè de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam, homines divinæ prædestinationis gratiâ præscitos, salutaribus præceptis ac monitis perduxerunt.*

XXVIII. Sub nomine Anacleti circumferuntur Epistolæ. Scimus esse supposititias; Papistæ tamen habent pro authenticis. Ideo non obstat, quo minùs illis opponantur. Secunda sic habet: *In novo Testamento post Christum à Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia datus est, Domino dicente,* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorũ non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. *Hìc ergo ligandi atque solvendi potestatem primus accepit à Domino, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem ac potestatem acceperunt, ipsumque principem esse voluerunt, qui etiam, iubente Domino, in toto orbe dispersi Evangelium prædicârunt.* Hìc non habes primatum potestatis, sed potiùs ordinis & temporis, quique magis à discipulorum voluntate pendeat, quàm à Christi institutione.

XXIX. Hieronymus l. II. adver. Jovin. *At dicis, super petram fundatur Ecclesia: licet idipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum acceperint, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite cõstituto, schismatis occasio tollatur.* Hìc aut turpiter sibi contradicit Hieronymus, aut primatus jurisdictionis non habet locum. Si enim Petrus solus est Oecumenicus Pontifex, non ex æquo super omnes ædificata erit Ecclesia. Ergo caput primatum ordinis notat, manente potestatis & jurisdictionis æqualitate. Si alium voluisset innuere, an non in comparatione Johannis & Petri eum expressisset Hieronymus.

XXX. Aliquando patres in specie dicunt, Petrum & Paulum esse pares honore. Ambrosius lib. 2. de Spir. S. cap. 12. *Paulus inferior Petro. Nec Paulus indignus Apostolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit æqualem.* Idem serm. 66. Si tamen is est Ambrosii, & non potiùs Maximi, *Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativâ præcellunt. Verùm inter ipsos quis cui præponatur, incertum est. Puto enim, illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione. De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales,* inquit Leo serm. 1. in Natal. Apost. Petri & Pauli.

XXXI. Hinc

XXXI. Hinc eosdem titulos Petro & Paulo tribuunt, & quidem jam conjunctim, mox separatim. Conjunctim, Hieronymus in cap. 54. Esa. Principes Apostolorum nominat; geminum oculorum lumen in Ecclesiæ corpore nominat Leo l. I. Chrysostomus Homil. 32. in ad Rom. columnas Ecclesiæ. Venantius Fortunatus lib. 3. Carminum, fidei turres, quas urbs, caput orbis, habet. Separatim, Paulum Apostolorum maximum appellat Origenes Homil. 3. in Numer. cap. 3. Apostolorum primum, Chrysostomus Hom. 3. in Matth. Apostolum præcipuum, Emisenus (si tamen is auctor) in Homilia de Natal. Apostolor. Petri & Pauli; Doctorem orbis, caput Nationum, qui obtinuerit totius Ecclesiæ principatum, vocat Gregorius lib. 4. in 1. Reg. Sunt etiam inter Veteres, qui cùm Apostolorum mentionem faciunt, Paulum primo loco collocant. Irenæus lib. 1. adv. Hæres. c. 9. summam Marcosiorum arrogantiam perstringens, ait, *perfectos semetipsos vocant, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quendam Apostolorum, sed plus omnibus se cognovisse.* Eadem verba repetita sua facit Epiphanius, Hæres. 34. Malè, si Petrum agnovissent Oecumenicum Pontificem ac Paulum ejus subditum.

Sectio X.

Argumenta tria pro primatu Pontificis Romani Oecumenico solitario producta expenduntur.

I. Becanus proponit utriusque partis sententiam, deinde Papistarum argumenta producit, tandem quædam sibi objicit ex M. Antonio, quæ solvat. De singulis suo ordine agemus. De Primo. Dicit, *nos negare Primatum Pontificis Romani.* Ita est; negamus eo sensu, quo Papistę eum defendunt. Papam Romanum, eo quòd Roma esset orbis Romani caput, jam olim primæ sedis in Imperio Romano Episcopum agnitum fuisse, non negamus, sed concedimus ultrò, non negaturi eundem honorem moderno Pontifici, si talis esset, quales erant primi illi Episcopi, qui fidem Petri retinuerunt, & pro ea mortem oppetierunt. At esse totius Ecclesiæ Pontificem Oecumenicum, solitarium, generalem Christi vicarium, & in hoc munere successisse Petro, negamus fortiter. Contrà Papistæ docent, Papam Romanum esse Pontificem Oecumenicum, solitarium, visibile caput & Monarcham totius Ecclesiæ, atque in eo munere & honore successisse Petro. Illam sententiam tuendam suscipit Becanus, cùm dicit, suos pro eodem usurpare hæc tria. 1. *Pontifex est successor Petri.* 2. *Pontifex est caput Ecclesiæ.* 3. *Pontifex habet primatum Ecclesiæ.* Nempe mollioribus verbis exprimendum putavit sensum, ut tanto speciosiùs colorem possit petere ab Antiquitate. Nos verborum

præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

præstigiis non capimur, quin & verba sensu Papistico accepta planè rejicimus.

II. Pontificatum Romani Episcopi Oecumenicum Becanus probare conatur quatuor modis, nempe ex Patribus, ex principiis positis, ex titulis, ex privilegiis. Primum igitur esto argumentum ex Patribus, qui scripserunt de successione Pontificum. *Optatus Milevitanus lib.2. contra Parmenianum, Augustinus Ep.165. ad Generosum, Philippus Presbyter in Concilio Ephesino tom.2.cap.16. Omnes, qui vel Chronica, vel Martyrologia, vel vitas Pontificum scripserunt, incipiunt à Petro, & Pontifices faciunt Petri successores.* Num.60. R. primò, Cõcludi debet, Pontificem Romanum esse Oecumenicum totius Ecclesiæ Pontificem. Id si Jesuita conetur ex successione inferre, major erit falsa, hæc nempe, *Qui successit Petro, is est Pontifex Oecumenicus solitarius.* Petrus enim Oecumenicus solitarius totius Ecclesiæ Pontifex nunquam fuit, ut probatum est.

III. Secundò. Minor est ambigua. Successio enim intelligitur vel de tempore, vel de officio. Ratione temporis succedere dicitur, qui tempore est posterior. Sic Episcopi dicuntur Apostolorum successores. Cyprianus Ep. 69. dicit, præpositos Apostolis vicariâ ordinatione succedere. Theodoretus Dial.1. cap.ult. Patribus multis commemoratis, ait; *Successores divinorum Apostolorum hi viri fuerunt.* Epiphanius Hæres.24. *Beatus Irenæus, ille Apostolorum successor.* Imò Cyprianus tam se, quàm Cornelium Papam Romanum nominat successorem Apostolorum, Epist.42. *Hoc enim,* inquiens, *vel maximè frater & laboramus & laborare debemus, ut unitatem à Domino & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.* Jam nec Irenæus, nec Cyprianus in munere successit Apostolis. Est igitur successio quædam temporis. Hanc concedimus Episcopis Romanis, ne habeant quod cõquerantur de nostra liberalitate. Sic interpretor Augustinum Ep.165. ad Generosum, ubi ordinem sibi succedentium Episcoporum considerans, ab ipso Petro numerat. At successio *officii* est, cùm quis idem munus, eâdem potestate & auctoritate, gerit, quod gessit ante ipsum alius. Sic Lino successit Anacletus, Anacleto Clemens, Clementi Euaristus.

IV. Hoc sensu negamus, Papam successisse Petro. Ratio negationis illa: Aut enim successit in Apostolatu, aut in Episcopatu Romano & Oecumenico. Non in *Apostolatu.* Ea enim dignitas fuit personalis. Alioqui qui post Jacobum Hierosolymæ, & post Petrum Antiochiæ, & post Johannem Ephesi fuerunt Episcopi, fuissent Apostoli. Non in *Oecumenico Papatu*; Eum enim nunquam Christus instituit; Petrus nunquam suscepit, nunquam Episcopum Romanum declaravit Oecumenicum Pontificem, vel in ea dignitate suum successorem. Non est Oecumenici Pontificatus ullum idoneum testimonium tribus primis seculis: quibus Romanum Episcopum Oecumenicum Pontificem agnitum esse ab Ecclesia, nullo probant Papistæ testimonio. Non in *Episcopatu Romano*; Petrus enim Romanus Episcopus non fuit. Ubi ad declinandum cavillã Sophistarum nota, Episcopi appellationem latiùs & strictiùs accipi. Latiùs pro officio cum auctoritate regendæ Ecclesiæ. Strictiùs pro peculiari munere Ecclesiæ infra Apostolos. Priori sensu Petrum Episcopum fuisse, non nego. Sed & eodem sensu fuit Paulus. Testẽ laudo Epiphanium, qui dicit Hæres.27. *Romæ fuerunt primi Petrus & Paulus, iidẽ Apostoli & Episcopi.* Posteriore fuisse, nego. Fuit enim Apostolus, à quo culmine ad Episcopatum isto longè inferiorem voluisse, aut etiam debuisse descendere, non est verisimile. Deinde transegerat cum Paulo, ut is inter Gentes, ipse inter Judæos prædicaret Evangelium. Hæc transactio esset violata, si Episcopatum Romanum suscepisset. Tum enim Gentibus, & quidem principaliter, prædicâsset. Pauci enim Judæi erant Romæ, si cum iis compares, qui per Orientem erant dispersi.

V. Jam quòd audacter ad omnes Chronicorum, Martyrologiorum & vitarum Pontificum Scriptores Becanus provocat, mirari nõ debemus. Agit enim more suo, id est, Jesuitico. Tantam confidentiam ut aliquo modo reprimam, annotare placet, quòd multa habeantur à Becano cæterisque Papistis pro certis, quæ partim falsa, partim sint incerta. Pro certis habentur ista. Primò, Quòd Petrus Romæ fuerit Episcopus. Secundò. Quòd fuerit annis viginti quinq;. Tertiò. Quòd Linus illi proximè successerit, isti Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus. Quartò. Quòd sedem Oecumenici Pontificis Petrus exercerit Romæ. Quintò. Quòd Episcopi Romani in Oecumenico Pontificatu illi successerint. Primum sensu priori, quem dixi paulò antè, non tam certum, quàm putatur à Papistis. Posteriori falsum. *Priori sensu non tam certum, quàm putatur à Papistis,* Putatur enim esse de fide. Non est. Caret enim omni auctoritate canonicæ Scripturæ. Ne quidem illa Romam profectum asserit. *Posteriori falsum esse,* præcedenti numero probavi. Et quæso, quis illum Ecclesiæ Romanæ Episcopum ordinavit? De Jacobo dicit Beda in Actibus Apostolorum, apud Marianum Scotum, quòd post passionem Domini statim ab Apostolis ordinatus triginta annis Hierosolymæ rexerit Ecclesiam, hoc est, usque ad sextum Neronis annum. Quis Petrum ordinavit Episcopum Romanum? Num Christus? Unde habent? An Apostoli? Eusebius in Chronico ab Apostolis missum dicit, ut Evangelium ibi prædicet; ut ibi esset Episcopus, ordinatum non dicit. Episcopum fuisse, addidit interpres. Methodius, apud Marianum Scotum, dicit, supremâ visione ordinante Romam esse ingressum. Ista inter se non satis cohærent.

VI. Secundum non tantùm incertum, sed etiam sine dubio falsum. Probatio non admodum difficilis. Nam à Christi morte usque ad Petri martyrium numerantur anni triginta septem. Jam temporum rationem ini. Stephanum septimo anno post Christi mortem martyrio coronatum esse, non tantùm Hippolytus Thebanus, apud Baronium ad annum Christi 34. num. 301. sed etiam Evodius primus Antiochenus Episcopus testatur, apud Nicephorum lib.2. Hist.c.3. Sed inciderit in alterum annum à passo Christo. Jam Paulus, qui post conversus est, scribit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bit, se elapso triennio adscendisse Hierosolymam, ut Petrum videret, & mansisse cum eo dies quindecim, Galat.1,18. Rursus post annos quatuordecim, eodem reversum, ut colloqueretur cum Apostolis, inter quos Petrum secundo loco nominat, Galat.2,2.9. Hos à prima professione numerat Hieronymus, alii à conversione. Nobis perinde est. Habemus annos minimùm quindecim, quibus Petrum Romam venisse, non constat. Sed & fuit in Concilio Hierosolymitano, quod octodecim annos post adscensionem Christi celebratum esse, communis est sententia. Ante illud Petrum Antiochiam profectum esse, negat Onuphrius multos secutus. Post Concilium iviſſe Antiochiam, constat Apostoli testimonio. Statim iviſſe, non constat. Iverit statim, & ibi annos septem permanserit. Tot enim annos ibi sedisse, constans est Papistarum opinio, nisi quòd Baronius de Romani Pontificatus annis viginti quinque solicitus, negare audet, ibi mansisse. Habemus annos viginti quinque post Christi adscensionem, quibus non constat, Petrum sedisse Romæ. Baronius enim, tanquam inauditum, damnat, quòd nonnulli dicant, Romanam priùs quàm Antiochenam sedem esse fundatam. Illi suffragatur Gelasius, Petrum, priusquàm Romam venisset, Antiochiæ habitâsse, affirmans, ipso referente ad Annum 494. Num.21. Remanent igitur ad summum anni duodecim, quibus Petrus potuisset sedere Romæ, si tamen Paulus primo anno à passione Christi fuit conversus. Si enim cum Hippolyto Thebano & Evodio dicas, Stephanum anno septimo lapidatum, vix quinque supererunt anni.

VII. Sic ex temporis supputatione patet falsitas. Sed & aliunde saltem incertum redditur, sedisse Romæ annos viginti quinque. Nam illi concreditum est Euangelium circumcisionis. Si Romæ tot annos sedisset, diceres potiùs, illi concreditum esse Evangelium præputii. Pauculi enim ibi contempti ac pauperes Judæi, plurimi Gentiles. Paulus prolixè scribit ad Romanos, multos salutat nominatim; nec Petrum salutat, nec ejus ministerii facit ullam mentionem: Quod omissurum, quis credat, Apostolum tam prudẽtem, si tot annis Petrus sedisset Romæ Episcopus, & quidem Oecumenicus? Româ scribit ad Colossenses, Aristarchũ, Marcum & Jesum, qui vocatur Justus, solos adjutores in regno Dei sibi esse solatio. An non inprimis fuisset Petrus, si tot annis sedisset Romæ? An fortè Paulus illius mentionem suppressit? Absurdum. Denique, ut alia multa omittam, Paulus Româ ad Galatas scribens, multis argumentis Apostolatus sui auctoritatem adversùs obtrectatores defendit: quis sibi persuaderi patiatur, neglecturum fuisse insigne argumentum, quod inde petere poterat, quòd in fundanda Ecclesia Romana Petri factus esset socius, si verum, quòd Petrum tot annos Romæ sedisse dicunt communiter Papistæ? Certè ob has & alias difficultates nonnulli eorum suspectam habuerunt assertionem, nominatim Marsilius Patavinus in Defensore pacis, & Joh. Aventinus lib.2. Annalium Bojorum.

VIII. Tertium valdè incertum. Becanus

nus ex Augustino & Optato Linum facit primum Petri successorem, Clementem secundum, Anacletum tertium, Euaristum quartum. Incertus tum numerus, tum ordo. *Numerus*; Alii enim Euaristum quinto collocant loco. Ratio discriminis est, quòd illi Cletum cum Anacleto confundunt: isti distinguunt. Multos confundere, certum, inter quos Becanus. Contradicunt multi, nominatim Platina, Onuphrius, Baronius, idque hoc argumento, quòd Cletus fuerit natione Romanus, Æmiliani Filius, sub Vespasiano creatus, ab initio imperii Domitiani 6.cal.Maji occisus: At Anacletus natione Græcus, patriâ Athenienſis, patre Antiocho, & novissimis temporibus Domitiani 3.idus Martii interfectus. *Ordo*; Becanus Linum facit primum Petri successorem: Liber Pontificalis, qui sub nomine Damasi circumfertur, dicit, nequaquam illi successorem suffectum, sed vivente Petro electum esse Coadjutorem Episcopum unà cum Cleto. Similiter alii multi, qui dicunt, Clementem Petro proximè successisse, quos de cathedra Romanæ Ecclesiæ diligentiùs perscrutatos esse, scribit Martinus Polonus, Archiepiscopus Consentinus ac Pontificis Romani pœnitentiarius. Rursum Becanus Clementem Lino proximè successisse, tradit; Baronius, Cleto successisse, contendit. Tertullianus Clementem quartum post Petrum sedisse, tenet; successisse enim Anacleto, qui Cleto succesſerit. Sic factum esse, non mediocris suspicio animum Baronii pulsat, ad Annum 69. num. 39. Jam sole clariùs omnes intelligunt, quàm benè Becanus ad omnes, qui vel Chronica, vel Martyrologia, vel vitas Pontificum scripserunt, provocet. Multũ enim à seipsis dissident.

IX. Sed & quartum & quintum falsum esse, patet ex suprà dictis, & ex dicendis patebit amplius. Hîc incertum esse, sufficit. Quòd quartum sit incertum, vel hinc agnoscas. Primò de Petri voluntate constare debet. Baronius quidem ad Annum Chr.39.num.19. affirmat, quòd Petrus Romanam sedem omnium maximam esse, voluerit. At unde constat. Non audio. Quanquam si constaret, nondum voluntas pateret de sede Oecumenica. Potest enim esse sedes omnium maxima, neque tamen Oecumenicus in ea Pontificatus. Secundò aliud suadent res ipsius gestæ. Qui de cathedra Romanæ Ecclesiæ diligentiùs sunt perscrutati, referunt, quòd Petrus Lino & Cleto unam tradiderit Ecclesiasticarum rerum dispensationem, ipse autem orationibus & prædicationibus vacaverit, apud Polonum in Supputationibus. Illis assentitur Onuphrius. Id si factum, fortasse factum circa annum Neronis secundum. Num verò in orationibus & prædicationibus Oecumenicus vester Papatus consistit? Papistæ. Sed & hoc cogita. Si Petrus tot annos sedisset Romæ Pontifex Oecumenicus, an non ulla concio, aut miraculum esset descriptum ab illius seculi hominibus? Memorant quidem nonnulli de Simone illius precibus ex aëre præcipitato exstinctoque. Sed id si factum, quis putet, Romanos Simoni posituros fuisse columnã, ut Deo? quod Justinus in Apoc.2. & Tertullianus in Apol. affirmant. Si tamen posuerunt, quod video à nonnullis in dubi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

um vocari. Siid factum, an omnes Gentiles Scriptores, qui magno numero isto proximo seculo claruerunt, rem tantam & omnibus Ethnicorum prodigiis mirabiliorem tacuissent? Augustinus sanè Epist. 86. scribit, Romanos plerosque habuisse pro fabula.

X. Tertiò. Ordinationes vide. Memorant, ordinationes aliquot Romæ fecisse, quibus Episcopos sex, Presbyteros decem & diaconos septem creaverit. Si annos viginti quinque sedisset Romæ Pontifex Oecumenicus, annon plures creâsset Episcopos, Presbyteros & diaconos? Quartò. Si Petrus Romæ sedem Oecumenici Papatus erexisset, annon Lucas, vel alius quisquã illius seculi Auctor fide dignus rem tantam memorâsset? An non translationem sedis ex Oriente in Occidentem vel uno verbo tetigisset Lucas, aut alius istius seculi Scriptor fide dignus? Profectionem primus descripsit Metaphrastes, imò & solus, si credas Baronio, qualis & quantus auctor, eodem judice? Homo non valdè antiquus ad Ann. Chr. 99. num. 33. Vixit enim circa annum octingentesimum quinquagesimum. Sed & auctor non certus, cujus fides interdum vacillat, eodem Baronio judice ad Annum 44. num. 27. Quintò. Philippus Presbyter à Becano laudatus non est testis in hac causa idoneus; domesticus enim; Papæ quippe Romani legatus. Optatus & Augustinus non dicunt, Petrum Romæ sedem Oecumenici pontificis erexisse; sed nec alii omnes, qui Chronica & vitas Pontificum scripserunt. Iterum igitur nimis confidenter Becanus ad omnes provocat.

XI. Quintum nec Optatus, nec Augustinus, nec denique ullus primis quatuor à nato Christo seculis affirmat. Habent hîc Papistæ, in quo se exerceant. Monstrent saltem ex primis tribus seculis, Pontifices Romanos agnitos fuisse Petri in Oecumenico Pontificatu successores. Non possunt. Nos contrà habemus Patres & historicos tum vetustissimos, tum auctoritate gravissimos, qui non muneris, sed temporis successionem sonant, nec quidem in Episcoporum ordine Petrum collocant; tantum abest, ut successionem in Oecumenico Pontificatu agnoscant. Illis convenienter interpretandi sunt citeriores, aut non admittendi testes. Nomino Irenæum, Tertullianum, Eusebium. Irenæus lib. 3. adv. Hæres. cap. 3. *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli (Petrus & Paulus) Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus, post eũ tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens.* Infrà. *Huic autem Clementi succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissimè martyrium fecit, ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cùm autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius.* Si Petrum agnosceret Episcopum, Clemens dicendus erat quartus, Sixtus septimus, Eleutherius tertius decimus. Accedit, quòd non solum Petrum nominat, sed adjungit Paulum. Aut igitur Paulus fuerit quoque propriè Episcopus, & quidem Oecumenicus, aut Petrus non fuit. Tertullianus lib. de præscript. adverss. Hæret. *Edant origines Ecclesiarum suarum; Evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit Auctorem & Antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum à Johanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum. Proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant.* Vides, non requiri Apostolum, qui Episcopus fuerit, sed qui Auctor & Antecessor fuerit Episcopatus. Ne dubites, vide carmina ejus lib. 3. adv. Marcionem, ubi enumerans Pontifices Romanos, Hyginum nonum nominat, nominaturus decimum, si agnovisset Petrum Episcopum Romanum.

XII. Non aliter Eusebius. Nam lib. 3. Hist. cap. 16. *Clemens*, inquit, *Romanam adhuc gubernabat Ecclesiam, qui tertius sedem obtinebat, inter eos qui post Paulum & Petrum Romæ Episcopi fuerunt. Linus primus fuerat, Anacletus secundus.* Lib. 4. c. 1. *Eodem tempore post quàm septimum annum complèsset Euaristus, quinto gradu successionem à Petro & Paulo deducens, Episcopatum suscepit.* Ne autem nos turbet phrasis, *primus post Petrum*, primùm cogitemus, conjungi Paulum & Petrum. Aut igitur uterque agnoscendus Romanus Episcopus propriè dictus, aut Petrus non agnoscendus. Deinde notemus, Eusebium hac phrasi non eodem uti modo. Cùm illum, à quo ordinem ducit, Episcopum fuisse, statuit, includit eum numero; cùm non fuisse Episcopum, censet, à numero excludit. Prioris modi cape hæc exempla. L. 3. Hist. Eccl. cap. 16. *Simeon secundus post Servatoris nostri fratrem Jacobum Ecclesiæ Hierosolymitanæ præficitur.* Lib. 4. cap. 5. *Primus erat Iacobus, frater Domini appellatus, secundus Simeon, tertius Justus.* Posterioris hoc habe exemplum, l. 3. c. 30. *Ignatius post Petrum successione secundus Episcopatum Antiochiæ sortitò capit.* At c. 16 dixerat, *Evodius primus Antiochiæ fuit Episcopus, secundus Ignatius.* Sic interpretandi alii, aut non audiendi.

XIII. Secundum à Principiis jam positis. Primum est, *Christum in hac vita fuisse visibile caput Ecclesiæ, in externa gubernatione, sicut vir est caput mulieris.* Alterum, *hanc gubernandi formam non esse mutatam post adscensionem Christi, ac proinde etiam nunc opus esse visibili capite, in externa gubernatione.* Tertium, *hoc caput non aliud fuisse post Christum, quàm Petrum, cui dictum est*, pasce oves meas. *Cùm ergo post mortem Petri non sit facta mutatio, in regimine Ecclesiæ, necesse est, Petro successisse aliquem, qui eodem modo, quo Petrus, Ecclesiã gubernaret. Nec alius assignari potest, quàm Pontifex.* Num. 61. &c. Primò. A principiis jam positis? Ista omnia ponere voluit suprà, tanquam principia: Non poterat. Figmenta enim principiorum locum nõ tuentur. Notet tamen pius lector, quo fine suprà illa conatus sit proponere. Non quòd in eo verteretur Christi honor & Ecclesiæ salus, sed ut obtineret hinc Papæ Romano universalem dominatum in Ecclesia. Suprà diximus quantum satis erat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat. Hîc brevissimè. Primum agnoscimus. Ex eo verò non magis sequitur, Papam Romanum esse Oecumenicũ, quàm Hierosolymitanum, aut quemcunq; aliũ. Secundò. De altero distinctè responsum. Regimen Christi monarchicum durat omni tempore, & summum nunquam mutatum. Idem enim Christus, qui in terris degens gubernabat Ecclesiam suam in Judæa, idem gubernat hodie. Modum mutavit post adscensionem. Antè regebat corpore præsens; deinceps corpore nõ præsens militanti Ecclesiæ ordinariè. Subalternũ regimen quoad formã non mutatum. Ante adscensionem generalem vicarium non habuit, sed plures ministros per quos regebat. Sic nec postea ordinavit, nec opus est uno visibili ministeriali capite in regimine Ecclesiæ. Regere placuit per plures. Quæ contrà attulit Jesuita, suo loco sunt à nobis discussa.

XIV. Tertium à Sophista sumitur ineptè: probari non potuit. Nos falsitatis convicimus. Rejicimus igitur. Illud admittimus, post mortem Petri non esse mutatam regiminis Ecclesiastici subalterni formam. Superstite enim Petro fuit Aristocratica, illo vita functo mansit Aristocratica. In eo tamen aliqua facta est mutatio, quòd aliquandiu regeretur Ecclesia per Apostolos, qui erant ministri extraordinarii. Post illos non regeretur per extraordinarios, non per alios Apostolos, sed per Pastores ab Apostolis distinctos. Etsi verò post obitum Petri non est facta mutatio in regiminis Ecclesiastici forma, non tamen necesse erat, ut illi succederet, q. eodem modo, quo Petr' Ecclesiã gubernaret. Sicut ñ necesse erat, ut Paulo succederet, qui eodẽ modo, quo Paulus, gubernaret Ecclesiam. Non enim in omni officio succeditur. Est quoddam temporarium, quod cum personis exspirat. Ejusmodi est Apostolatus. Unde Petrus auctoritate Apostolicâ regebat Ecclesiam, sicut & Paulus. Nemo eâdem auctoritate sive post illum, sive post istum. Sed & concludimus, nullum Petro successisse, qui generalis solitarius esset vicarius Christi in tota Ecclesia, quia Petrus non fuit, ut invictis argumentis demonstravimus. Certè Pontifex Romanus esse non potest. Nam si credas Pontificali Damasi, Linus à consulatu Saturni & Scipionis, id est, secundo anno Neronis usque ad consulatum Scipionis & Rusi, adeoque undecim annos Episcopatum Romæ gessit. Ergo Petro superstite. Aut igitur tunc Petrus non fuit Oecumenicus Pontifex, aut Linus in illo munere ei non successit, aut simul duo Pontifices Oecumenici fuerunt.

XV. Si fuisse, porrò præfractè contendas, quæso ubi fundatur successio in Christi mandato? Ubi perpetuus Papatus Oecumenicus? Probabile enim non est, Christum de eo non suam aperuisse voluntatem. Sed & unde constat de Petri voluntate, quòd Episcopus Romanus ipsi succedere debeat in Papatu Oecumenico? Quis dedit Romano populo potestatẽ, eligendi Monarcham totius Ecclesiæ? Is enim eligere solebat Ecclesiæ Episcopum; qui si Pontifex Oecumenicus esse debuisset, an non Apostoli superstites & viri Apostolici venissent ad electionem novi Monarchæ, & è medio sui aliquem

liquem ipsi elegissent? At non venerunt. Taceo, quàm absurdum sit, fingere Oecumenicum, qui post Petrum præesset omnibus, etiam Johanni Apostolo, quem in summo ministerii Ecclesiastici à Scriptura nominati gradu constitutum fuisse, notoriè constat. Pessimè igitur Becanus disputat, à principiis pessimè positis.

3

XVI. Tertium argumentum à titulis petit, quos Patres tribuunt Pontifici. Exspectabam, an titulos Oecumenici Pontificatus indices haberet à Christo, aut ab Apostolis, aut saltè à prima Ecclesia Apostolica. Nullum audio à Christo datum, nullum ab Apostolis. Non igitur jus divinum per titulos obtinet. Humani docent jus humanum, jus divinum non probant. Sed nec tribus primis seculis ullus Romano Pontifici titulus datus, qui ei Oecumenicum dominatum confirmet. Ex posterioribus seculis frustrà quærunt & congerunt Papistæ. Videamus tamen. (1) Primus titulus est, *caput universalis Ecclesiæ*. Promitur ex Epistola Paschasini Episcopi & aliorum in damnatione Dioscori tom. 2. Concil. in fine Concilii Chalcedonensis, ubi sic legimus, *unde sanctissimus & beatissimus Papa, caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos, ut legatos suos, sanctâ Synodo assentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum & petra fidei, & cœlestis regni janitor nuncupatur, Episcopali eum dignitate nudavit.* &c. Primò. Hîc Paschasini Episcopi Lilybiteni, & Lucentii Episcopi Esculani & Bonifacii presbyteri Ecclesiæ Romanæ verba quinto seculo pronunciata audio; Christi, Apostolorum, primæ Ecclesiæ Patrum verba non audio. Illos enim in Patrum catalogo nusquam reperio. Secundò. Illi profitentur, se vicarios Papæ Leonis. Testes igitur sunt in causa propria & domestici, qui de jure non admittuntur. Tertiò. Contentio de Primatu jam tum movebatur contra Constantinopolitanum, & Leo æquo insolentior multum sibi arrogabat, sed Synodus non ei detulit. Imò Constantinopolitano eadem jura, eandẽ dignitatem tribuit. Verba sunt: *Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes, & canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, & statuimus de privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuere. Et eâdem consideratione moti centum quinquaginta amantissimi Dei Episcopi sanctissimo novæ Romæ throno, aqualia privilegia tribuere, rectè indicantes, urbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli & magnifieri, secundam post illam existentem.* &c. Ideo postea contradixit Leo peculiari Epistolâ, quâ approbavit definitionem fidei.

XVII. Fuerit ergo Leo caput universalis Ecclesiæ: non aliter fuit, quàm & alii Patriarchæ. Solitarium Oecumenicum caput non esse, Synodus manifestè declaravit. Omnes Patriarchæ curam gerebant totius Ecclesiæ, in Imperio Romano. Inde ejus capita dici poterant, non quòd singuli essent caput solitarium Oecumenicum, sed quòd omnes essent vel-

ut

ut unum caput: quemadmodum Gregorius Magnus scribit, sedem Romanam, Alexandrinam & Antiochenam esse unam sedem, in qua tres Episcopi sedeant. Et Balsamon de Patriarcharum privilegiis apud Leunclavium; Τὸς, inquit, ἀκροτάτους πατριάρχας πάντε μίαν ὠιδαμεν κεφαλὴν τῦ σώματ@ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Si quis de cæteris Patriarchis inficiari ausit, facilè reprimatur. Nam Basilius Epist. 52. Athanasio, Alexandrino Patriarchæ, curam omnium Ecclesiarum tribuit, eumque κορυφὴν τῶν ὅλων, verticem omnium appellat. At Epistolâ quinquagesimâ scribit, Meletium Antiochenum universo corpori Ecclesiæ præsedisse. De Nestorio quondam Patriarcha Constantinopolitano Theodoretus lib. de Hæret. fab. referente Petro Molinæo, græcè, Τῆς κατὰ Κωνσταντίνε πόλιν τῶν ὀρθοδόξων καθολικῆς ἐκκλησίας τὴν πρεσβῖαν πιστεύετω, ὅδεν δὲ ἧττον καὶ τῆς ὁικυμένης ἁπάσης; quæ postrema verba in Papistarum editione latina Colonienſi, qua ego utor, non invenio. Aut igitur Athanasius fuit Oecumenicus Pontifex, aut titulus Leoni ab ipsius legatis tributus, non arguit Pontificatum Oecumenicum.

XVIII. Secundus est. *Papa universalis Ecclesiæ. Quo utuntur Athanasius & Episcopi Ægypti in Epistola ad Marcum Papam; si modo Athanasio adscribenda sit illa epistola.* Num. 62. ℟. Hîc iterum nota, Sophistam ad tria prima secula non assurgere; Sed & nota malæ conscientiæ argumentum. Novit, esse supposititiciam epistolam, citat tamen, quia solida testimonia non habet. Agnoscit Bellarminus, rectè annotans, actorum Nicænorum combustionem accidisse, post ejus Marci mortem. Ideo Baronius in auctorem Epistolæ invehitur, ad Ann. 336 num. 50. & 60. Cæterùm hic titulus non arguit Oecumenicum Papatum; nihil enim habet, quod non cuilibet Episcopo possit tribui. Nam primò nomen Papæ olim erat commune omnibus Episcopis, aut certè multis, qui inter aliquot excellebant vel sedis dignitate, vel donis personalibus; deinde factus eximius Patriarchis; tandem vindicatus uni Romano, sed serò. Clerus Romanus Cyprianum appellat Papam, Epist. 3. Cypria: unde C. *Absit.* Dist. 50. De Episc. & facer. lapsu &c. inscriptio est, *Ex Epistola Cleri Romani missa Papæ Cypriano.* Sed & C. *De eo autem.* Distin: eâdem, inscriptio sic habet, *Unde Cyprianus Papa Antoniano ait inter cætera.* Proconsuli quærenti, sitne is, qui Christianis se Papam præbuerit, respondet, se esse, apud Baronium ad Annum 261. num. 30. Athanasius seipsum in Epistola ad Antiochenos Papam vocat; Hieronymus, Bonifacius & Africanum concilium Augustinum: Augustinus Ambrosium (Epist. 24.) Pachymeres Athanasium in inscriptione paraphraseos in Dionysium, itemque Arsenius in ep. ad Athanasium in Apol. Hieronymus Athanasium epist. 16. ad Principiam virginem; Epiphanium, ep. 62. contra Joh. Hierosol. Chromatium Episcopum Aquilejensem ep. 66. Sidonius in Epistolis omnes Episcopos sic vocat promiscuè. Lindanus Panopl. l. 4. cap. 80. *Nomen*, inquit, *Papæ tametsi hodie apud Latinos uni Romano tribuatur Pontifici, apud priscos tamen universo presbyterorum ordini fuisse commune, non leves exstant conjectu-*

ræ. Commune fuisse, disertè affirmat Baronius ad Annum 430. num. 26. Lorinus Comm. in 2. Petri 1. dicit, eodem nomine inferiores quoque clericos appellatos esse: At Gregorium VII. primũ fuisse, qui nomen Papæ sibi appropriaverit, affirmat Comm. in Act. 20. Cui suffragatur decretum Gregorianum apud Baroniũ ad Annum 1076. Secundò nec obstat, quòd additur *universalis Ecclesiæ.* Eo enim signabatur is ab initio, qui esset Papa in Ecclesia non hæretica, sed Catholica. Cùm eximius fieret Patriarchis notabat, illis curam totius Ecclesiæ in Romano Imperio incumbere. Inde Gregorius Nazianzenus in Orat. de Athanasio ait: *Alexandrino populo, quod idem est, ac si dixissem, universo terrarum orbi præficitur.* Justinianus Imperator Epiphanium nominat Oecumenicũ Patriarcham l. *cùm nostrum* 7. C. de summa Trinit. itemque Anthemium universalem Patriarcham Novell. 16. Cùm autem Pontifex Romanus Oecumenici titulum sibi soli vindicaret à reliquorum Patriarcharum cœtu avulsus, appellatio *universalis Papæ* intra Occidentẽ coarctata est, ut sunt verba Theodori Balsamonis Anchiocheni Patriarchæ, apud Leunclavium tom. 1. Juris Græco-Romani lib. 7. resp. 1. Orientalis Ecclesia nunquam agnovit.

XIX. Huc duos alios, tanquam similes, refert Becanus, nempe, quòd dicatur *Pastor & custos ovilis Christi* ab Ambrosio & Bassiano & cæteris Episcopis in Epist. ad Siricium (Epist. 81. inter Epistolas Ambrosii) *Custos vineæ Salvatoris*, quo utitur Concilium Chalcedonense in relatione ad Papam Leonem. ℟. Neuter est proficuus PontificiRomano ad obtinendum dominatum Oecumenicum. Non *prior*; nam omnes Episcopi sunt pastores & custodes ovilis dominici, quia illis singulis est commissus grex Dominicus; juxta illud Cypriani lib. de unit. Eccles. *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Et Epist. 67. *Etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus & oves universas, quas Christus sanguine suo ac passione quæsivit, colligere & fovere debemus.* Sic Innocentius in excommunicatione Arcadii Chrysostomum pastorẽ Ecclesiæ Dei nominat absolutè. Præterea Ambrosius non loquitur de universali Ecclesia, sed de particulari Romana, quæ Siricio erat commissa. Addit enim verba, quæ non possunt de universali, sed tantùm de Romana intelligi, cùm ait, *nec miramur si luporum rabiem grex Domini perhorruit, in quibus Christi vocem non agnovit.* Hæc enim respondent verbis Siricii, qui laudaverat, unam esse sententiam omnium tam Romæ Presbyterorũ, quàm Diaconorum. De ovili loquitur, quod turbaverat Jovinianus. Quodnam illud? Romanam Ecclesiam turbaverat Jovinianus. Audi Hieronymum l. 2. adv. Jovin. *Nullane alia fuit in toto orbe provincia, quæ reciperet præconium voluptatis, in quam colluber tortuosus irreperet, nisi quam Petri doctrina super Petram fundaverat. Christum, vexillum crucis & prædicationis auctoritas, idolorum templa destruxerat.* Ideo Romam tam diligenter monet; *Urbs*, inquiens, *potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est, apud Græcos, aut sublimitatis juxta Hebræos.*

Serva, quod diceris. Virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Salvator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Ninevitarum.

XX. Non *posterior*; Nam quilibet Episcopus est custos vineæ, sicut pastor ovilis: non unus solitarius custos totius vineæ. Si Oecumenicum Papatum hinc velis concludere, cogites, produci titulum ex Epistola Synodi Chalcedonensis, quæ Constantinopolitanum Patriarchã Romano per omnia exæquavit. Aut igitur duos simul agnovit Synodus Oecumenicos Pontifices, aut Oecumenicum Papatum isto titulo significare noluit. Sed nec Epistola genuina est, sed supposititia, aut saltem dubiæ fidei. Subscriptio sic habet, *Scripsi pridie Calendas Aprilis, feriâ tertiâ, Indictione decima tertia.* At synodus absoluta est mense Novembri, non pervenit ad mensem Aprilem anni sequentis. Nec Marcianus attigit indictionem decimam tertiam; mortuus quippe octavâ, apud Baronium ad An. 451. num. 146. Ille quidem hunc errorem tribuit librario. At argumentum non affert, quo probet, epistolam esse genuinam. Talibus fulcris nititur Oecumenicus Papatus.

XXI. Tertius titulus est, *Summus Pontifex: summus Papa: summus sacerdos: princeps sacerdotum: summus omnium præsulum Pontifex.* R. Si hi omnes tituli unum idemque significant, frustrà profectò referuntur à Sophista. Cui enim unus competit, illi omnes competent. Jam videamus singulos. Primò summus Pontifex, apud Veteres non est Oecumenicus, sed ἀρχιερεύς, id est, Episcopus, qui sub se habet Presbyteros, qui sunt ἱερεῖς. Cape exempla. Paulinus in Epistola ad Romanianum, quæ est inter Epistolas Augustini tricesima sexta, *Tunc verò*, inquit, *sibi summus Christi Pontifex Augustinus videbitur, quia se tunc & exauditum sentiet ab excelso, si quem (Licentium) sibi dignum genuit in terris, hunc & sibi dignè filium pariet in Christo.* Eucherius ad Salonium: *Cùm te illic beatissimi Hilarii, tunc insulani tyronis, sed jam nunc summi Pontificis doctrinam formaret.* Witekindus lib. 1. Gestorum saxonicorum de Hattone, Episcopo Moguntino; *summus Pontifex mittitur ad sedandam tam ingentem seditionem.*

XXII. Secundò summus sacerdos similiter erat Episcopus, summum sacerdotium Episcopatus. Tertullianus de Bapt. cap. 17. *Dandi quidem baptismi habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus.* Hieronymus contra Lucifer: *Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate consistit.* Agi autem de Episcopis, clarum à textu, & confessione Mariani Victorii Episcopi in h. l. Ambrosius Ep. 34. scribit, Valentinianum summos sacerdotes intra Gallias habuisse. Sic Leo Ep: 84. c. 5. ad Anastasium Thessalonicensem, *Cùm ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus postulaverit.* Zosimus in Epist. ad Isychii: Episcopum Salonitanum, apud Gratianum C. *Qui Ecclesiasticis.* Distinct. 36. Episcopatum appellat summum sacerdotium. Item Ambrosius Epist. 5. ad Felicem Comensem Episcopum, *Celebrem utrique nostrûm annunciâst: diem affore, quò suscepisti gubernacula summi sacerdotii.* Similiter

liter Concilium Agathense C. 5. Cyrillus Hom. 6. Contra Nestorium. Leo Ep. 88. ad Ravennium. Adhuc dubitas? Audi Baronium. Ille ad Annum 382. num. 23. sic; " *per summum sacerdotium quemlibet Episcopatum designari, pluribus in nostris ad* " *Romanum Martyrologium notis palàm fecimus.*

XXIII. Tertiò. In prima Antiquitate non habet Romanus Papa testimonium, quòd sit princeps sacerdotum; imò exstat Carthaginensis Concilii Canon vigesimus sextus, his verbis: *Primæ sedis Epi-* " *scopus non appelletur princeps sacerdotum,* " *aut summus sacerdos, aut aliquid huius-* " *modi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.* Nec Becanus, nec Bellarminus potuit ex prima Antiquitate ullum citare testimonium. Iste laudat Epistolam Valentiniani ad Theodosium, quæ habetur ante Concilium Chalcedonense, in qua legimus, *Romæ Episcopo sacerdotii principatum super omnes Antiquitatem contulisse*: & Prosperum, qui lib. 2. de vocat. Gentium c. 6. scribit, *Romam propter principatum sacerdotii ampliorem esse factam arce religionis, quàm solio potestatis.* Sed hoc totum nihil ad rem. Nam principatus sacerdotii potest accipi vel de Episcopatus munere, vel de ordinis dignitate inter sacerdotes, vel de potestate & jurisdictione. Primus sensus est Scripturæ consentaneus. Sed sic omnes Episcopi habent principatum sacerdotii. Dicuntur enim ἡγεμόνες. In hunc sensum accipi possit, quòd Basilius scribit Epist. 69. *Qui humanis officiis adjuti ad principatum pervenerunt, hac ipsâ delinquendi permissâ licentiâ vicissim gratificantur. Qui præsunt, corrigendi libertatem ac fiduciam amiserunt. Servi namque sunt eorum, qui beneficium antea dederunt, hi videlicet, qui humano patrocinio potentatum (τὴν δυναστείαν) sibi ipsis acquisiverunt.* Secundus non est à Christo, sed ab hominibus, qui ordinem statuerunt, & in illo primum locum dederunt Romano Episcopo, propter urbis potentiam ac splendorem Imperii. Hic enim verus est fons eminentiæ. Sic interpretor Valentiniani & Prosperi verba. Patet. Nam illo tempore non agnoscebatur Oecumenicus Pontificatus. Constantinopolitanus enim Romano æquabatur potestate. Sed & Nazianzenus in Orat. de Heronis laudibus, Athanasium nominat ἀρχιερέα τῶν ἱερέων, id est, Principem sacerdotum. Similiter Amphilochius Basilium Cæsariensem vocat Principem Sacerdotem, cui Jesuita, nisi vehementer fallor, vix concedet Oecumenicum Papatum. Tertius sapit tyrannidem, non Christi institutionem, non primæ Ecclesiæ morem. Ideo jubemus hinc facessere.

XXIV. Quartò. Unde Becanus nobis summum omnium præsulum Pontificem producit? Bellarminus nominat Epistolam Stephani Archiepiscopi Carthaginensis in Epistola ad ipsum Damasum. Atqui illa est conficta, & scatet tota mendaciis. Lectio prodit. Unum hîc addo. Quis credat, Africanos, Damasi tempore, tantam sedis Romanæ auctoritatem agnovisse, qui Zosimo suæ potestatis fimbrias longiùs extendente, mirati sunt hominis conatum? Quamvis titulus ille non necessariò Pontificatum Oecumenicum arguat, sed potiùs primum locum inter omnes præsules assignet. Præterea in eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

nimis peccant Papistæ, quòd ex titulis, quos Veteres Pontifici Romano ad suam testandam benevolentiam, & honoris, aut etiam personalis excellentiæ causâ dederunt, jurisdictionem conantur concludere. Si sic liceat ludere, habebimus Oecumenicos, non tantùm Romæ, sed etiam Alexandriæ, imò etiam in Gallia. De Athanasio constat, quàm magnificis fuerit titulis honoratus suo tempore. Ad Lupum Trojæ Gallorum Episcopum scribit Sidonius Apollinaris lib. 7. Ep. 1. *Cùm sis procul ambiguo primus omnium toto, quà patet, orbe Pontificum.* Ergone Lupus erat Oecumenicus? Negabis. Tituli ergo, quamvis egregii, nec Romanum faciunt Oecumenicum. Ubi obiter nota, cùm tres titulos commendare nobis vellet Becanus, tribus uti testibus domesticis & tribus falsis instrumentis. Tres domestici testes sunt legati Leonis. Tria falsa instrumenta, Epistolæ afflictæ, Athanasio, Concilio Chalcedonensi, Stephano Archiepiscopo Carthaginensi. Quid his artibus Papistæ non obtineant?

Sectio XI.

Primum privilegium, id est, jus appellandi ad Pontificem Romanum, tanquam supremum judicem, à quo appellare non liceat, consideratur.

I. Quartum argumentum ducit Becanus à privilegiis Pontificis. Priusquàm privilegia sigillatim consideremus, præsuppono, si habeat Pontifex Romanus, habere aut à Christo, aut ab Apostolis, aut ab Ecclesia. Si à Christo, ostendant Papistæ, quando, ubi & quibus verbis vel singula, vel omnia simul dederit. Becanus ne Christum quidem nominat. Tantum abest, ut vel promissionem, vel mandatum ejus de his proferat. Si ab Apostolis, ab omnibusne congregatis, an ab aliquibus? Si ab omnibus congregatis, ostendatur locus Concilii & forma decreti. Sin ab aliquibus, quinam illi? quando dederunt? Petrone superstite, an martyrio jam defuncto? ubi privilegiorum tabulæ? Si ab Ecclesia, primò igitur non erunt privilegia divini, sed tantùm humani juris. At Papistæ jus divinum jactant. Deinde aut ab Ecclesia urbis Romanæ habet, aut à tota orbis Romani, aut à totius terrarum orbis Ecclesia. Si ab Ecclesia Romana, primò parùm juvabit. Quis enim illi dedit potestatem tanta suo Episcopo privilegia conferendi, & orbi terrarum imponendi Oecumenicum? Secundò unde constat, dedisse suo Episcopo ista privilegia? Quòd Episcopum elegerit Linum, constat, de quo Tertullianus adversùs Marcionem, *Ex quibus*, inquit, *electum magnum plebique probatum, hac cathedrâ, Petrus quâ sederat ipse, locatum, Maxima Roma Linum primum considere fussit.* Romam Lino tanta privilegia concessisse, minimè constat ullo testimonio fide digno. Quod tunc non poterat, nec quidem potuit postea. Si ab Ecclesia orbis Romani universa accepit, acceperit oportet in Concilio. At primis tribus seculis nullum generale Concilium in Imperio Romano celebratum est; omnium primum anno supra trecentesimum vigesimo quinto Nicææ habitum. Toto igitur eo tempore non habuit ista privilegia Romanus Pontifex. Sed nec Nicææ est consecutus. Num Constantinopoli? Num Ephesi? Num Chalcedone? Minimè gentium. Magnum iterum præjudicium. Si ab Ecclesia totius orbis terrarum, quando illa mentem suam declaravit? ubi congregata? quænam decreti forma? Imò nunquam ex toto terrarum orbe ullum generale Concilium evocatum, sed tantùm ex imperio Romano, extra quod tamen erant multæ Christianæ Ecclesiæ. Hinc mediocriter patet, quid nobis de privilegiis promittere debeamus. Deinceps videamus singula.

II. Primum est, quòd *omnes Episcopi totius orbis, qui in judiciis Ecclesiasticis sentiunt, se gravari ab Episcopis aut Synodis provincialibus, possint confugere ad Romanum Pontificem, tanquam ad judicem superiorem, cui reliqui etiam Episcopi subjecti esse debeant, & à cuius sententia non liceat ulteriùs provocare.* Probatur ex Concilio Sardicensi cap. 4. Hosius Episcopus dixit, *quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat, se bonam causam habere, ut iterum judicium renovetur, si vobis placet, sanctissimi Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam aliis Episcopis, qui in propinquo morantur, Romano Episcopo. Et si judicaverit, revocandum esse judicium, revocetur & det judices. Si autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur, quæ acta sunt, quæ decreverit Romanus Episcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur; synodus respondit placet.* Et cap. 5. secundæ editionis; *Cùm aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamaverit sibi agendum negocium in urbe Roma, alter Episcopus in eadem cathedra (post appellationem eius, qui videtur esse depositus) omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Becanus addit, *hos duos canones magnam habuisse in Ecclesia auctoritatem, quia Concilium Sardicense semper fuerit ab Ecclesia receptum; quod teste Sulpitio l. 2. hist. ex toto orbe fuerit convocatum, & generale, teste Socrate l. 2. cap. 16. cui interfuerint legati Iulii primi Pontificis, & præterea ex toto orbe plusquàm trecenti Episcopi, nominatim ex Italia, Gallia, Hispania, Britannia, Africa, Ægypto, Syria, Thracia, Pannonia, & aliis provinciis, ut referat Athanasius in Apologia secunda.* Num. 63. 64.

III. Respondeo. Vide, integris tribus seculis non invenit Becanus, quod prætendat. Orditur à Sardicensi Concilio, quod ad annum Christi trecentesimum quadragesimum septimum refert Baronius. Laudo autem prudentiam Becani, quòd Sardicensis Concilii canonibus contentus ad Nicænos & Chalcedonenses non provocat. Objiciebat hos Bellarminus, verùm fraus nimis aperta. Nam viginti tantùm sunt canones Nicæni genuini, in quibus nihil ejusmodi legitur. Unde cum Zosimus Papa Roman. olim Sardicenses canones, sub Nicænorum nomine, citaret in Concilio Carthaginensi, criminis falsi convictus & explosus est. Imò quintus & sextus Nicæni pugnant cum jure appellationum. Quintus enim permittit appellationem ab Episcopo ad Concilium. Sextus jurisdictionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem Ecclesiasticam partitur inter Patriarchas Romanum, Alexandrinum & Antiochenum, atque hos Romano exæquat. Melchior Canus l.6. locorum theol.c.8. citat canonem è Concilio Chalcedonensi. Sed illum decepit Thomas, qui in opusculo contra Gentes antè citaverat. Non autem exstat in Concilio, & suppositi tium esse, tum phrasis, tum res ipsa ostendit. Phrasis est insolens, nec illius ævi, *Petro soli datam esse potestatem liberam cognoscendi*: Et, *vicarius Apostolici throni*. Res ipsa. Constantinopolitanum enim æquârunt Romano, & contrarium statuitur can.9. quòd videlicet si quis cum Metropolitano clericus controversiam habeat, adire debeat diœceseos Exarchũ, vel Imperatoriæ totius urbis Constantinopolis thronum.

IV. Cæterùm Sardicensis Concilii auctoritate Becanus rem non conficit. Nam primò non est Concilium generale, sed particulare. Generale intelligi potest duobus modis, nempe respectu vel totius orbis terrarum, vel orbis, seu imperii Romani. Priori modo generale fuisse, vix audebunt ipsi Papistæ affirmare. Extra Romanum enim imperium multæ fuerunt Christianæ Ecclesiæ, ex quibus nemo vocatus, ut fatetur Baronius, ad annum 347.num.9. nemo comparuit Sardicæ. Posteriori sensu distinguo inter indictionem & celebrationẽ. Potest indici generale Concilium, quod tamen fiat tantùm particulare, cùm itur in partes. Concedo igitur generale fuisse indictum, respectu Romani imperii; sed factum particulare. Testis Sozomenus lib.3. Hist.cap.10. Orientales enim Episcopi cum Occidentalibus noluerunt communicare, nisi Athanasium & Paulum expellerent, quod cùm hi constanter detrectarent, illi Philippopolin, quæ est urbs Thraciæ, profecti, hos abdicant, hi illos Sardicæ, editâ utrinque confessione fidei contrariâ. Sic Socrates & Sozomenus.

V. Secundò. Falsum, ex toto terrarum orbe plus quàm trecentos Episcopos affuisse: Nec historicus ullus affirmat. Circiter trecenti affuisse dicuntur Socrati l.l. & Sozomeno c.11. ex Occidẽte. Theodoretus lib.2.cap.7. ducentos quinquaginta nominat: Exemplar quoddam antiquum, annotante Petro Crabbe, tomo primo Conciliorum, editionis Coloniensis, habet centum viginti unum. Athanasius plus quàm trecentos affuisse scribit; at non ex orbe toto affuisse. Ideo Baronius Oecumenicum inde dici, contendit, tum quòd ex totius Christiani orbis provinciis fuerint Episcopi convocati ab Episcopo Romano, tum quòd illius legatio Synodo præfuerit. At hîc omnia falsa. Falsum, quòd ex totius fermè Christiani orbis provinciis sint evocati Episcopi; tantùm evocati utrius que imperii Episcopi. Sic tomo primo Conciliorum editionis Venetæ, ex historicis narratur. Falsum, quòd convocati à Romano Episcopo. Quis unquam memoravit? Ex utriusque Imperatoris sententia decretum est, ut convenirent Episcopi. Sic Sozomenus. Ipsi Occidentales in Epistola Synodica, apud Theodoretum dicunt, quòd Imperatores ex diversis provinciis ipsos congregaverint, & hanc sacratissimam Synodum coëgerint. Nulla vo-

vocationis à Julio factæ usquam mentio. Falsum denique, quòd Romani Episcopi legatio præfuerit Synodo. Imo Hosius, Episcopus Cordubensis, teste Athanasio in Apologia secunda, præsedit, non ut legatus Julii, sed ut Episcopus Hispaniæ: Post illum Julii legati. Id confirmat subscriptio, quæ sic habet: *Hosius ab Hispania, Iulius Romæ per Archidanum & Philoxenum presbyteros suos.* Inde Athanasius dicit, Occidentales unum Hosium habuisse ducem; scilicet sic Synodi patronum vocat, in lib.ad Julium.

VI. Tertiò. Socrates frustrà opponitur. Dicit enim, indictum esse Concilium generale Sardicense, nempe respectu Imperii Romani; non dicit, generale habitum. Imò particulare fuisse, satis ostendit. Soli enim Occidentales remanserunt. Num illi celebrent generale concilium? Absurdum. An quòd nihil minus habeat, quàm Nicænum? Absurdum, q̃vis affirmatum Baronio, ad annũ Christi 347. num 98. Audi historicum: *Episcopi*, inquit, *circiter trecenti, qui versus occidentem habitabant, ut ait Athanasius, eò conveniunt. Ex Episcopis autem, qui orientem incolebant (ut Sabinus narrat) solum septuaginta sex Sardicam adventant.* Num hi interfuerunt Concilio? Minimè gentium. Nam sic idem Socrates: *Postquàm igitur Sardicæ convenerant Episcopi Orientis, in cõspectum Episcoporum Occidentem incolentium venire noluerunt, dixeruntque, se non aliâ conditione in colloquium cum illis venturos, nisi Athanasium & Paulum è conventu expellerent. Verùm ubi Protogenes Sardicensis Episcopus, & Hosius Episcopus Corduba, minimè ferebant, ut Paulus & Athanasius abessent, Episcopi Orientales confestim decedunt, cumque ventum esset ad urbem Philippi, quæ est in Thracia, privatum inter ipsos Concilium instituere.* Jam patet, generale Concilium non fuisse, nisi fortè respectu Occidentis sic appellari placeat. Quo sensu etiam provincialia olim dicebantur generalia in concilio Matisconensi secundo. Et quidem olim de eo non dubitatum esse, vel inde liquet, quòd in generalibus hactenus non sit computatum vel ab Antiquitate, vel etiam tomis Conciliorum hactenus editis. Non ab *Antiquitate*; ubicunque enim generalia Concilia memorantur, primo loco nominatur Nicænum, secundo, Cõstantinopolitanũ primum, tertio, Ephesinum, quarto, Cõstantinopolitanum. Nõ aliter ulli Patres. Sed & sic, nec aliter Imperatores, nominatim Justinianus Novel.131.cap.1. Quid? Non aliter Gelasius C. *Sancta Romana.* Dist.15. Et tamen Sardicense, si generale esset, esset omnino ordine secundum, quia tantùm undecim annis post mortem Constantini est celebratum. Non à *tomis Conciliorum*: Nam in editione conciliorum Veneta auspiciis Sixti V. Pontificis parata in ordine provincialium invenio. Et Zonaras ait, *Hic canon manifestè de solis Occidentalibus pronunciatus est. Quia Hosius, quique cum eo canones condebant, ex iis erant partibus. Etenim in Oriente nullo modo hucusque ea consuetudo valuit.* Imò Epiphanius Hæres.71. Occidentalem Synodum diserte nominat. Similiter Hilarius libro cõtra Constantium Augustum scripto.

VII. Secundò. Non nego, hoc concilium

Universidad de Deusto
Biblioteca

lium semper ab Ecclesia Romana & aliis, ad quorum notitiam pervenit, fuisse receptum in causa fidei contra Arianos: ratione omnium canonum, nominatim horum, quos Becanus laudat, nego ab omnibus receptum. Hi enim non sunt ubique recepti, ne quidem in toto Occidente. Explosi enim ab Africanis Patribus, cùm tanquam Nicæni proferrentur à Papa Zosimo & Bonifacio; neque illis erant cogniti circa annum Domini 419. unde patet, non tam magnam eorum fuisse in Ecclesia veteri auctoritatem, quàm Becanus putat. *Planè enim nefas, tantum Ecclesiæ magistrum ignorâsse Ecclesiasticos canones* (puta generales) *suspicari*, inquit, Baronius l.l. num. 97. Sed & Nicolaus primus ad Photium scribit, apud Græcam Ecclesiam non exstitisse, & lectus est in Synodo Chalcedonensi, in Bassiani & Stephani controversia, codex canonum Ecclesiæ catholicæ, in quo Sardicenses non erant, fatente Perronio apud Molinæum. Baronius ipse scribit ad Annum 347. num. 74. *Satis liquet, ipsum Augustinum præteriisse legitimum ac verum Sardicense Concilium (dicit enim fuisse Arianorum lib. 3. adversus Crescon. cap. 34. & Epist. 163.) nec ipsum tantùm, sed & collegam Alipium aliosque Catholicos, qui eodem consessu erant Episcopi, illud ipsum ignorâsse.* Tertiò. His canonibus, cũ Cõcilio Nicæno non satis convenit, quippe quod hujusmodi causarum cognitionem ad Synodos Provinciales remittit, quas ideo bis quotannis habendas decrevit canone quinto. Unde etiam factum, ut nec à Julio nec ab ejus Successoribus intra multos annos in usum deduci potuerint.

VIII. Quartò. Non obscurè antiquati sunt in Concilio Oecumenico Chalcedonensi, cùm Constantinopolitanus in Ecclesiastica potestate, Episcopo Romano, Leonis legatorum contradictione nõ obstante, exæquaretur. Vide canonem vigesimum octavum. Sed & nonus huc facit. Ibi sic; *si quis Clericus adversùs Clericum habeat negocium; non deserat proprium Episcopum, & ad secularia percurrat judicia. Sed priùs actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certè in concilio ejusdem Episcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subiacebit. Quod si Clericus habet causam adversùs Episcopum proprium, vel adversùs alterum, apud Synodum provinciæ judicetur. Quodsi adversùs ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat aut primatem (Exarchum) diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur.* Audin', nihil hîc de provocatione ad Romanam sedem decerni, sed terminari judicium à sede Constantinopolitana, quæ nulli subjecta sedi, tanquam superiori judici. Non igitur indultum est Episcopo Romano ab universa Ecclesia in Romano Imperio, quod Hosius Julio, eo potissimùm tempore, quo mirè, propter Athanasium receptum, ab Orientalibus Philippopoli in Concilio exagitabatur, & latâ sententia deponebatur, suâ petitione, apud Occidentales Sardicæ procurabat. Quintò. Verba canonis quinti, ut quidem Becanus recitat ex editione secunda, sunt depravata. Nam hæc, *& proclamaverit sibi agendum negocium in urbe Roma*,

Roma, non sunt in græco textu, qui sic habet, καὶ φάσκῃ πάλιν ἑαυτῷ ἀπολογίας πρᾶγμα ἐπιβάλλειν, *& dixerit, sibi rursus defensionis negocium concedendum.* Hervetus vertit, *si quis autẽ postulat, suum negocium rursum audiri.*

IX. Sextò. Tantam potestatem Concilium non decrevit, quantam sibi Pontifices Romani postea arrogârunt. Non hîc audio, ab Episcopo Romano appellare non licere, & tamen illud est primarium, quod erat probandum. Imò vix credibile, voluisse ipsos Occidentales id tribuere Episcopo Romano, cùm eo nomine esset indicta Synodus, ut sententia à Julio pro Athanasio lata, iterum examinaretur, quod agnoscit Baronius, ad annum Christi 347. num. 347. ex Augustini epistola centesima sexagesima secunda. Sed nec hîc conceditur, ut Romanus causam ex provinciis ad se trahat, quod facere cœpit posteà. Non in solidum defertur illi litis judicium, sed tria tantùm permittuntur. 1. ut deliberet, an renovandum sit judicium. 2. videat, num à suo latere mittendi qui intersint novæ cognitioni causæ? 3. ut si videatur, det judices, sed è provincia; quod habet tertia editio his verbis, *Et per propinquos provinciæ Episcopos, si opus sit, judicium renovetur, & cognitorem ipse præbeat.* Denique probè notandum, hoc privilegium jam demùm dari; Antè igitur non habebat. Deinde dari, 1. non auctoritate divini verbi, sed ad petitionem Hosii. 2. Non quòd illi debeatur ullo jure, sed quia placebat Episcopis. Hosius enim rogat, ut decernant, si placeat. Quod autem jure debetur inprimis divino, id non pendet ab humano placito. 3. Non omnibus futuris Pontificibus Romanis, sed soli Julio: Aliud autem est privilegium sedis, aliud personæ. 4. Non quòd sic mereatur Julius, qui tum sedebat, sed ut sic honoretur memoria Petri. Hanc enim causam movet Episcopus Hosius; idque haud dubiè, ut Orientalibus ægrè faceret, qui Julium decreto synodico deposuerant. Hinc igitur constat, jure divino illi non competere, quod argumentum est, eum non esse Oecumenicum, divino jure. Sed nec veteri jure Ecclesiastico. Nullum enim decretum proferri potest.

X. Quid verò dicemus de Gelasio, de his canonibus sic scribente ad Faustum; *Ipsi sunt canones, qui appellationem totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluerunt deferri. Ab ipsa verò nusquam appellari debere sanxerunt.* Et in Epistola ad Episcopos Dardaniæ; *Ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo est appellare permissus.* Sic Becanus num. 65. Primò. Dicemus, non esse, cur miremur, Gelasium sub prætextu horum canonum suam nimis superbè jactâsse auctoritatem; id enim hominum genus jam tum cœperat insolescere. Orientales Ecclesias excommunicabant ea de causa, quòd Acacii Constantinopolitani Patriarchæ nomen in tabulis Ecclesiasticis nollent dispungere. Nolebant ab aliis judicari. Hinc superbiæ accusabatur Gelasius, ut ipse queritur in commonitorio ad Faustum. Inanis querela. Accusatio minimè falsa. Ambitio manifesta. Vis exemplo ut probem? Effert se supra Concilium Chalcedonense ejusque decretum contemnit. Cuivis generali Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilio se suamq; sedē præfert, *totum*, in tomo de Anathem. vinculo, tō. 2. Conc. inq ens, *in sedis Apostolicæ positū est potestate. Ita quod firmavit in Synodo sedes Apostolica hoc robur obtinuit: quod refutavit, habere non potuit firmitatem. Et sola rescindit, quod congregatio synodica putaverat. usurpandum.* Nempe cæteri omnes fungi, solus Papa Propheta, cæteri phrenetici; his enim Orientales confert; ille solus Medicus. Quid? Christi verbis non obscurè detrahit. Christus dixit, *peccatum in Spiritum Sanctum non remitti sive in hoc sive in futuro seculo.* Gelasius dicit; *multis hæreticis remissum.* Secundò. Gelasius canones laudat, qui velint, de qualibet mundi parte Romam appellari; laudat canones, per quos non liceat à sede Romana appellare. Quinam illi? Sardicenses non sunt; & tamen de his Gelasium loqui, dicit Becanus. Non enim habent tantum privilegium. Imò ne quidem hi habent de totius in Imperio Romano Ecclesiæ appellatione. Occidentalis Episcopus rogat; Occidentales respondent; de Occidentali Ecclesia loquuntur: nec poterant Occidentales hac parte quicquam præscribere Orientalibus, nedum reliquis extra Romanum Imperium Ecclesiis, è quibus nemo Sardicam evocatus fuerat, nemo venerat.

XI. Tertiò. Dicemus, frustrà jactare Gelasium canones, qui usu catholico nunquam fuerunt cōprobati, at ipso facto improbati. *Nunquam usu catholico comprobati*: Appellationum ad Romanam sedem exempla magno studio Papistæ conquisiverunt. Nullum ullius Ecclesiæ, imò nec personæ ullius, ac ne quidem unicum extra Imperium Romanum indagando potuerunt invenire, aut inventum nominare. Monstrent nobis vel unicum exemplum, quo constet, ab iis Ecclesiis, quæ sub Imperio Romano non erant, fuisse ad Romanam sedem appellatum. *Ipso facto improbati*: Prohibuerunt enim disertè Africana Concilia, ut alibi ostenditur. Quartò. Dicemus, Gelasium suis rebus plus nocere, quàm prodesse, dum hos canones tantoperè extollit. In illis enim non datur, quod ipse sibi persuadet. At dum hos canones tantâ vehementiâ commendat, animum Lectoris subibit cogitatio, quicquid ejus usurpent Pontifices Romani, id inde derivare, non habere ab Oecumenico Concilio, non à vetustiori decreto, nedum ab Apostolis, omnium minimè à Christo. Denique dicemus, frustrà Gelasium laudare canones, de sedis Romanæ privilegiis, quibus ipse palàm alibi misit nuncium. Sic enim in Concilio cum LXX. Episcopis Romæ habito, apud Baronium ad Annum 494. Num. 20. pronunciat; *Romana catholica & Apostolica Ecclesia, nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelicâ voce Domini Salvatoris nostri primatum obtinuit, Tu es Petrus, inquientis, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si nullis constitutis Synodicis cæteris prælata est Ecclesia Romana, cur in hac causa laudantur constituta Synodica? Sepositis igitur illis, agamus de Christi verbis, atque ostendant Papistæ, si viri sunt, illis concedi privilegium Romano Pontifici, ut sit judex superior, cui cæteri omnes Episcopi subjecti, ad quem ex omni parte mundi appellare liceat, à quo appellare non liceat. Magnum erit disputationis compendium.

XII. Becanus primò negat, hoc *privilegium jure tantùm Ecclesiastico concessum.* Argumentum si postules, hoc dat, *quia ante decretum Concilii Sardicensis usu recepta fuerit huiusmodi appellatio, ut variis exemplis demonstret Bellarminus libr. 2. de Pont. Rom. c. 21. unde etiam Leo Epist. 87. ad Episcopos provinciæ Viennensis in Gallia fateatur, antiquam esse consuetudinem appellandi ad Pontificem.* Deinde contendit, *hanc consuetudinem non aliunde esse ortam, quàm ex apostolica traditione & auctoritate, ut colligatur ex Theodoreto, in Epist. ad Rhenanum Presbyterum, & ad Leonem Papam.* Num. 66. 67. De consuetudine respondeo, non probari à Bellarmino exemplis legitimis. Nominat, fateor, aliquos, qui iverunt Romam; sed nego, illis appellationem legitimam, quæ ab inferiori judice ad superiorem, à quo appellare non liceat, solidè probari. Homines quosdam pessimos nominat, Marcionem, Fortunatum, Felicem, Basilidem. Egregios verò testes, appellationis in causa deplorata perditaque! Nullam ab illis appellationem factam lego ad Romanum Papam, tanquam superiorem judicem, cui cæteri omnes sint subjecti, & à quo appellare non liceat. Marcion ab Episcopo, Patre suo, in Ponto excommunicatus fugit à sua civitate, pervenit Romam, & postulavit admitti in cœtum, teste Epiphanio Hær. 42. Qui appellat, non dicitur fugere. Admitti voluit in cœtum, communione acceptâ, appellâsse non dicitur. Et ne quisquam dubitet, notet responsum Romani cleri. Rogante Marcione, cur eum nolint recipere, respondent; *Quia non possumus absque permissu venerabilis Patris tui. Est enim una fides, unaque consensio, nec possumus obsistere bono collegæ, Patri tuo.* Si appellâsset, quid opus erat cōsensu ejus, à quo erat appellatum? Nihilne superior statuere potest, invito inferiore?

XIII. Felicissimus, quòd multis sceleribus se obstrinxisset & conspirationis adversùs Cyprianum dux esset, itemque Fortunatus Pseudo Episcopus, à Schismaticis pauculis designatus excommunicātur ab Africanis. Cyprianus non dicit, Romam appellâsse, sed Romam cum mendaciorum merce navigâsse, nempe sicut passim in Africa oberraverant, an fratres circumvenire possent. Num ut appellarent à Cypriano? Imò ut Ecclesias inter se committerent. Eodem animo profecti Romam. Ubi Felicissimus non judicatus, sed rejectus. Sed cùm veniisset stipatus catervâ desperatorum, depulsus de Ecclesia. Ita scribit ipse Cornelius. Commotus quidem ille posteà non nihil Felicissimi minis atque terroribus; Verùm id miratur, id improbat Cyprianus, atque Cornelium admonet, ut Epistolam à se scriptam, more suo, clero & plebi Romanæ legat, ut eâ lectâ, si quod illîc contagiū venenati sermonis & pestiferæ seminationis irrepserit, id omne de fratrum auribus & pectoribus exuatur, & bōorum integra ac sincera dilectio ab omnibus hæreticæ detractionis sordibus repurgetur. Sed & monet, ut declinent Romani verba & colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit. Adeò non

Universidad de Deusto
Biblioteca

cogitabat Cyprianus de ulla appellatione facta, quam enervaret.

XIV. Basilides & Martialis, quorum alter Legionensis, alter Asturiensis in Hispania Episcopus fuerat, ob crimina, loco suo moventur. Basilides Romam pergens, Stephanum longè positum & rei gestæ & tacitæ veritatis ignarum fallit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatu, de quo justè erat depositus. Sic Cyprianus Epist. 68. Appellâsse, non dicit. At restitutus est à Stephano. Id quidem contendit Bellarminus fretus verbis Cypriani jam recitatis. At multum fallitur. Fefellisse Stephanum, dicit Cyprianus, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum: repositum esse, non dicit. Certè Hispani non citati, causa Romæ minimè cognita, quod ullo constet testimonio. Baronius ad Annum 258. num. 5. conjicit, Hispanos apud Stephanum causam audentiùs esse prosecutos, ac qui in Africam missi sunt, Cypriani literis munitos Romam porrò navigâsse. Hispanos ab Africanis vel consilio, vel auxilio sententiæ voluisse sublevari, aliquibus eò missis, certum ex Cypriani Epistolâ sexagesimæ octavæ. Profectionis Romam susceptæ nullum usquâ in tota Antiquitate paret vestigium. Stephanum communicâsse & patrocinatum esse Basilidi, facilè crediderim. Verùm non vi ullius factæ appellationis, sed circumventum fallacis. Unde nullum Pontificatus Oecumenici argumentum, imò non agniti argumentum emergit. Nam Hispani non movebantur auctoritate Stephani, sed implorabant auxilium Africanorum, illorumque sequebantur sententiam, dicentium, Basilidem & Martialem non esse recipiendos. Africani verò diversam à Stephano sententiam ferre non verentur. Imò Stephanum non obscurè pungunt; *Etsi*, inquientes, *aliqui de collegis nostris exstiterunt, qui Deificam disciplinam negligendam putant, & cum Basilide & Martiale temere communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet, cùm Spiritus Sanctus in psalmis & alibi comminetur, dicens, Tu autem odisti disciplinam, & abiecisti sermones meos retro. Si videbas furem, concurrebas ei, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Vidimus malè feriatorum hominum nõ appellationes, sed præproperas prensationes, inutiles querelas, obtrectationes injustas, quibus Papistæ, quantum possunt, Papalem dignitatem fulciant. Nos non invidemus, qui nullum hîc privilegium agnoscimus. Nisi fortè hoc sit, ut solius Papæ manum prensent improbi homines!

XV. Dices, *Bellarminus non tantùm malos nominat, sed etiam bonos, puta Athanasium, Chrysostomum, Flavianum.* Optimi quidem illi viri nominati Bellarmino: Verùm nemo illorum appellavit Romanum Pontificem, tanquam judicem superiorem, cui reliqui etiam Episcopi subjecti esse debeant, & à cujus sententia appellare non liceat. Non Athanasius: Nec enim ille usquam profitetur, nec ullus memorat fide dignus Historicus, nec ipse Julius ausus est jactare, quamvis si jactaret, non tamen res careret omni dubio. Athanasius ab Antiocheno Concilio depositus, cùm in Oriente omnia essent infesta, fugit Alexandriâ in Occidentem, cui Constans imperabat, & Romam venit, & à Constante benignè exceptus est. Sic Sozomenus lib. 3. cap. 7. & Rufinus lib.

lib. 1. cap. 19. Eodem tempore Paulus etiam Constantinopolitanus Episcopus fortè illò accessit, & Marcellus quoque Episcopus Ancyræ, & Asclepas Gazæ Episcopus, omnes abdicati. Illi Julium de suo statu certiorem reddunt. Sic Socrates lib. 2. cap. 11. Appellâsse nusquam dicuntur. Nec opus erat appellatione. Orientales enim, quos Athanasius Eusebianos nuncupat, datis jam antè ad Julium literis, Synodum jusserant convocari, & ut ipse Julius, si vellet, judex esset, petierant, apud Athanasium, Apol. 2. Id quod in rem suam vertens Julius Romæ Synodum indicit, Athanasium in communionem recipit, & Orientalibus graviter exprobrat, quòd se, id est, Romano & reliquis Occidentalibus Episcopis inconsultis rem tantam essent ausi definire. Nũ sultis rem tantam essent ausi definire. Nũ ut judex superior, cui Orientales subessent? Imò Socrates testis, studuisse Athanasii & cæterorum partes tueri. Hoc non est judicis. Sed & ipse multis ostendit, quòd Athanasium justè in communionem receperit; id quod non facit judex superior erga subditum. Orientales verò Julii reprehensionem contumeliæ loco ducunt, Concilium Antiochiæ celebrant, ipsum acriter insimulant, ostenduntque, si qui eorum arbitrio Ecclesia fortè exacti essent, rem ab eo non debere decerni. Nam quando ille Novatum Ecclesia exturbaverat, ipsos minimè contradixisse. Sic Socrates. Sozomenus addit, scripsisse epistolam plenam ironiæ & minarum non expertem gravissimarum. Adeò nullum privilegium tum agnoscebatur, quo liceret ex Oriente ad sedem Romanam appellare. Nec sanè Julius vel suâ, vel Romanæ Synodi auctoritate tueri potuit Athanasium. Reddidit quidem illi Ecclesiam, id est, in communionem recepit, seu, ut ipse Julius scribit, pro Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo habuit. At eo nomine abdicatus est ab Orientalibus; nec Athanasius quietam inde sedem obtinuit, sed Novæ illi struebantur insidiæ, quas propter Julius cum literis ad se rursum evocabat. (Vide Socratem lib. 2. cap. 13. Neque tamen ulla deinceps Julii secuta est sententia, sed tantùm Sardicensis Concilii, quod restituendum declaravit. Quæ sententia ut effectum sortiretur, auctoritate suâ, datis ad fratrem Constantium literis, Constans Imperator effecit. Hunc enim Athanasius supplex interpellaverat. Nihil aliud igitur à Julio petiit Athanasius, quàm quod ab alio quocunque Patriarcha orthodoxo petere poterat; nihil à Julio factum aliud, quàm quod ab alio quocunque Patriarcha fieri poterat.

XVI. De Chrysostomo æquè falsum, quòd appellaverit Innocentium. Ille instinctu Eudoxiæ, in quam ad populum liberiùs dixerat, per Theophilum Alexãdrinum, hostem suum, in conciliabulo Constantinopolitano depositus, confestim à sententia provocavit ad Concilium ab Imperatore congregandum, in quo causa legitimè cognosceretur. Appellâsse Innocentium, nusquam legitur. Et quæso, si appellavit, vivâne voce, idque stante pede, vel scripto factum? Neutrum ullus Historicus illius temporis memorat. Scripsit Theodoretus, scripsit Socrates, scripsit Sozomenus historiam Chrysostomi diligenter. An non

Universidad de Deusto
Biblioteca

appellationis ullam mentionem facerent? Et quæso, si appellâsset, annon officium facturus Innocentius citâsset Theophilum, causæ cognitionem suscepisset pro Chrysostomo, in judicio tulisset sententiam? aut saltem de auctoritate sua per Theophilum læsa esset conquestus? Quorum nihil factum legimus. Quod poterat, fecit. A Chrysostomi communione non discedit, sed solatus per literas tum illum, tum clerum Constantinopolitanum, Synodum esse necessariam ostendit, quippe quæ sola hujusmodi procellarum impetus retundere possit, (apud Sozomenum lib.9.cap.26.) quæ ut Imperatoriâ auctoritate indicatur, ab Arcadio cum Occidentalibus Episcopis per legatos supplex, at frustrà petit. Repulsi enim tanquam imperii turbatores (ib.cap.28.) Inde Chrysostomi causa adversùs Theophilum ejusque socios jure fuisse commotum, & ab eis noluisse literas recipere, ad Annum 407.num.5. scribit Baronius. Dices, de appellatione cõstare ex duabus Chrysostomi ad Innocẽtium Epistolis. Sic quidem Bellarminus, sic Baronius. Verùm fraus facilè patet. Baronius ad Ann. 404. num.23. & seqq. priorem recitat, si inscriptioni credas, Innocentio, at si totum contextum spectes, pluribus Occidentalibus Episcopis destinatam. Sic enim disertè scribit, *Hæc omnia cogitantes, Domini beatissimi & reverendissimi, dignum vestræ cõstantiæ & cõgruũ robur & studiũ sumite, & hanc perniciẽ, q̃ invasit Ecclesias, oramus, avertite.* Imò semper in plurali numero loquitur. Neque petit, ut Innocentius, tanquam superior judex sedeat, quibus cæteri sint subjecti, & à cujus sententia provocare non liceat, sed ut Occidentales declarent, processum & sententiam esse irritam, quia sc. canones non essent servati. De cætero vult, ut sedeat incorruptum intemeratumque judicium, nempe Concilium, ad quod statim provocaverat: unde paratum se declarat, præsente orbe universo, id est, generali Concilio, quæque objecta diluere.

XVII. Sed si coram Innocentio voluisset causam dicere, an tanquam coram superiori, cui omnes essent subjecti? Ineptè. Ad ipsum similiter jam antè confugerat Ammonius & Isidorus à Theophilo Alexandrino pressi, ad quem scripserat, ut eos restitueret, vel si putaret causam examinandam, mitteret, quem vellet actorem, apud Sozomenum lib.8. Hist.c.13. Sicut igitur non ideo Ammonius & Isidorus Chrysostomum agnoverunt Oecumenicum solitarium Papam, sic nec Chrysostomus Innocentium. Cui soli si epistolam inscriptam porrò contendas, parùm rebus Papistarum commodaveris. Nam ad calcem (apud Baronium l.l.num.35.) sic lego, *Scripsimus ista & ad Venerium Mediolanensem & ad Chromatium Aquilejensem Episcopum.* Si igitur appellavit istâ epistolâ Innocentium, appellaverit quoque Venerium & Chromatium. Eadem enim ad omnes scripsit. Si ille hinc agnitus judex superior, ergò & isti. Non enim aliter ad Innocentium scripsit, aliter ad istos. Unde pariter omnes Occidentales cum Innocentio in hoc negocio laborârunt, referente Baronio, ad Ann.405.num.19. qui affirmat ibidem num.16. legatos non à solo

solo Innocentio, sed ab Occidentalibus Episcopis missos, ut, Honorii literis muniti, causam Chrysostomi agerent, quæ legatio in Romano Concilio fuerit decreta.

XVIII. Jam posteriorem Epistolam vide; quam ad Ann.406.num.25.&26. Baronius recitat. Nulla ibi appellationis mentiò. Gratias agit Innocentio aliisque Occidentalibus, quòd fecerint, quantum in ipsis erat situm. Quod certè non fecisset Innocentius, si fuisset judex, ad quem appellaretur. Potuisset enim multo plus facere, Theophilum citare, non comparentem condemnare, sed & Chrysostomum, sententiâ in judicio latâ, restituere. Ne longi simus, ipsum scriptionis tempus omnem speciem appellationis tollit. Scripta enim Epistola anno exilii tertio à Chrysostomo. Tunc ne erat tempus appellandi à sententia legitimum?

XIX. Sequitur Flavianus, Episcopus Constantinopolitanus, qui *Leonis Legatis libellum appellationis dedisse*, dicitur. In Ephesino nefario Concilio damnatur, impulsore potissimùm, ac sententiam præeunte Dioscoro. Cui dixisse fertur, *Appello à te.* Sic lego in Chalcedon. Concil. Act.1. Non fertur expressisse, quòd Leonem appellet. At ejus Legatis dedit appellationis libellum. Id Leo affirmat, nec ego inficiabor. Si libellus exstaret & quidem incorruptus, omnem haud dubiè finiret controversiam. Quòd in eo Leonem & quidem solum appellaverit, tanquam superiorem judicem, cui cæteri omnes sint subjecti, & à cujus sententia appellare non liceat, non tam leviter credimus. Probandum est. Nullas enim supremi judicis, cui omnes sint subjecti, partes implevit Leo. Prægnans conjectura. Nullam decrevit citationem adversùs Dioscorum, turbarum incentorem: non eum abdicavit, non excommunicavit, ne quidem particulare Concilium ea de causa coëgit. Tantùm in Romana Synodo, ad quam Italiæ Episcopi, si Baronio ad Annum 449.num.149. affirmanti credas, quotannis venire solebant, & tum, more solito, venerant, omnia, quæ Ephesi contra canones per tumultum erant acta, sunt improbata, idque ad relationem unius Hilari Diaconi, qui, Epheso fugâ elapsus, omnia Romæ nunciaverat. Si tamen verum, quod Hilarus ille ad Pulcheriâ scripsit. Nihil enim ejusmodi Leo usquam significat. At illam Romanam Synodũ Hilaro in Epistola ad Pulcheriam Augustam, omne Occidentale Concilium nominare placet. Valẽtinianus in suis ad Theodosium, patrem, Episcopos ex diversis provinciis, Galla Placidia Augusta, in suis ad eundem, ex innumerabilibus civitatibus Italiæ congregatos fuisse, dicit. Hinc pateat, improbationem esse factam Romæ. Quid tum? Quælibet Synodus particularis poterat improbare; imò quilibet Episcopus, nempe ad narrata. Sed ea non est mox definitiva sententia, nedum ultima.

XX. Ne autem quisquam putet, Leonem, tanquam supremum judicem, pronunciâsse sententiam, sciendum est, petiisse eum & reliquos ab Imperatore, tum ut jubeat omnia in eo statu esse, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur, tum ut generalem Synodum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum jubeat intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones aut tollat, aut mitiget, ne aliquid ultrà vel sit in fide dubium, vel in charitate divisum, convenientibus utique Orientalium provinciarum Episcopis. Vide Epistolam vicesimam quintam Leonis. Non tantùm Leo, cum Italiæ Episcopis, id humilimè petiit à Theodosio, sed etiam Valentinianum & Gallam Placidiam Augustam suis commovit gemitibus atque lacrymis, ut apud Theodosium intercederent, Synodumque generalem promoverent. Quæ an supremo judici conveniant, judicent alii.

XXI. Si Leonis legatis libellum datum esse, porrò Sophista morosè urgeat, dicam, non ideo solum Leonem appellatum. Appellatum enim Concilium, appellati & cæteri Occidentis Episcopi. Negabis? Epistolam Gallæ Placidiæ vide, quæ tomo secundo Conciliorum ante Chalcedonense Concilium, itemque ad Annum 449. num. 159. & seqq. à Baronio, tanquã genuina, recitatur, & jam nõ disputo. Ibi Augusta scribit, quòd Flavianus libellum ad Apostolicam sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium, per eos, qui directi fuerunt in Concilium à Leone. Ibi rogat, ut in statu sacerdotii illæso manente per omnia Flaviano, ad Concilii & Apostolicæ sedis judicium causa transmittatur. Hinc conclude, si potes, Leonem, qui inter Occidentales primus agnoscitur, fuisse supremum judicem, cui etiam Orientales fuerint subjecti, à cujus sententia non posset appellari. Ne quidem Concilium impetrare potuit multis lacrymis. Imò quòd Imperator responso eum sit dignatus, nõ constare, queritur Baronius l.l. num. 165. Contrà Dioscorus, postquàm audivisset, à Leone, in particulari Concilio Romæ, Eutychis doctrinam esse damnatam, eum excommunicavit in Concilio Alexandrino. Tam cognita erat isto tempore summa judicialis Romani Pontificis potestas.

XXII. Restat Theodoretus. Illius appellatio, fateor, ad Leonem facta legitur in quadam Epistola tomo Conciliorum secundo (Edit. Venet.) à Papistis inserta. Verùm unde producta? Unde reliquæ omnes. Ex Vaticana Bibliotheca. Sic Baronius ad Annum 449. num. 123. In operibus Theodoreti, nulla ejus fit mentio. Hinc prudentes facilè æstimant, quantum fidei mereatur. Quid enim si sit Epistola corrupta? Esto tamen; sic scripserit Theodoretus. Non ad solum Leonem scripsit; sed etiam ad alios. Florentium Episcopum Baronius nominat l.l. n. 127. quem hortatus sit ad defensionem fidei. Istæ Epistolæ si vel exstarent, vel producerentur integræ, de sensu Patris fortasse constaret apertiùs. Quicquid autem de illis fiat, nondum intelligo, appellationem fuisse juridicam ad Leonem, tanquam ad supremum judicem, cui cæteri omnes sint subjecti, & à cujus sententia appellare non liceat. Nam non secuta est ulla citatio, ulla juridica cognitio. Vult scire à Leone, an debeat stare judicio, paratus ejus sententiæ acquiescere, alterâ parte non auditâ? Illa non erat futura sententia superioris judicis, sed amici, cujus fidem & integritatem habemus exploratam. Quid? Si Epistolæ, ad Anatolium Pa-

Patricium Constantinopolitanum scriptæ, quam Baronius l.l. num. 129. laudat, credamus, ab Imperatore veniam petiit, ad Occidentem accedendi, ut ab illis Deo dilectissimis & sanctissimis Episcopis judicetur. Non igitur ab uno Leone judicari voluit. Et vetitus est accedere; unde intelligas, an agnitus fuerit Leo supremus judex. Nisi eum adire non cuivis licet. Certè non magis hinc Leo supremus judex agnoscitur, quàm Orientales, ad quos Julianus Pelagianus provocabat ab Innocentio, apud Augustinum lib. 1. contra Julia. cap. 4.

XXIII. Id eventus ipse manifestè comprobavit. Leo enim restituebat eum, id est, in communionem recipiebat. Sic enim ipsi Legati Chalcedone interpretãtur Actione octavâ, itemque Baronius ad Annum 451. num. 125. Neque tamen potitur sua sede, donec Concilii Chalcedonensis decreto restitueretur. Imò unâ omnium fermè Orientalium voce jubetur priùs anathema dicere Nestorio. Quo dicto, Episcoporum, inter quos Legati Romani, suffragia ex ordine audiantur. Omnibus restitutionem decernentibus, tandem Judices Imperatorii dicunt, *secundùm decretum sancti Concilii Theodoretus sanctissimus Episcopus Ecclesiam civitatis recipiet.* Viden', non Leonem, sed Concilium fuisse superiorem judicem. Eâmente Theodoretum appellâsse, non ampliùs dubium, cùm scriberet Leoni, *Ego autem Apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam, & supplico & obsecro vestram sanctitatem, ut mihi appellanti justum vestrum, & rectum judicium, opem ferat.* Sic enim tomo secundo Conciliorum, itemque à Baronio ad Annum 449. num. 120. recitatur. *Tribunal* non lego, quod Becanus pro *judicio* substituit, non absque fraudis suspicione. Notum enim est, nos appellare posse, in fidei causa, rectum alicujus judicium, quamvis in tribunali non sedeat, tanquam supremus judex. Sic auxilii & testimonii causâ Publium Scipionem appellat Cicero.

XXIV. Becanum frustrà provocâsse ad exempla à Bellarmino producta, constat ex dictis. Superest consuetudinis Romanum Pontificem appellandi antiquitas laudata Leoni, & origo à Theodoreto commendata. Leonis verba, quæ ex Epistola 87. (89.) ad Provinciæ Viennensis Episcopos in Gallia, Becanus num. 66. urget, hæc sunt; *Vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam sedem, prosui reverentia à vestræ etiam provinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat.) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata judicia.* R. Primò in hac causa Leo testis non est idoneus. Quis enim audiatur in causa propria? Jam tum agitari cœperat quæstio. Ille suæ sedis auctoritatem extollere conabatur magno studio. Probare igitur debet, non testimonium ferre. Deinde dicit, *Apostolicam sedem innumeris relationibus consultam esse.* At aliud est consuli, aliud, appellari, tanquam superiorem judicem, à cujus sententia non liceat appellare. Hoc ex illo non concluditur. Illud scripsit Leo ad Viennenses; hoc non scripsit. Tertiò. Si appellationem juridicam obtineas, quid tum? Romanus Episcopus erat Occidentis Patriarcha,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut in Thracia Constantinopolitanus, in Ægypto Alexandrinus, in Syria Antiochenus. Eminebat ergo Romanus præ Occidentalibus; unde non mirum, si ejus judicium expeterent Episcopi Galliæ. Licet etiam appellâssent eum, tanquam judicem, non tamen ideo ex omnibus mũdi partibus, vi singularis privilegii, eum licebat appellare. Quod consuevisse, si dicere voluisset Leo, falsum dixisset. Nullo enim exemplo probat. Sed nec constat, veteri consuetudine, ante Leonem, Romanos Pontifices in Gallicanis Ecclesiis appellationum habuisse jura, quæ non nisi attrito Imperio, nec mox plenè atque pacificè, sed cum multis cruentis bellis, post annum à Christo millesimum, sibi palàm attribuerunt. Vide senatusconsulta Franciæ contra abusus Paparum, cum Commentario Caroli Molinæi.

XXV. De origine profert Becanus verba Theodoreti ad Rhenanum Presbyterum, *Nudârunt*, inquientis, *me sacerdotio, ejiciuntque è civitatibus nec senectutem reveriti, neque caniciem in religione & pietate nutritam. Quamobrem deprecor te, ut sanctissimo Episcopo (Leoni Papæ) suadeas, ut Apostolica auctoritate utatur, jubeatque, ad vestrum Concilium adire. Tenet enim sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum. Quare quæ ab isto vestro tribunali proficiscentur, qualiacunque erunt, judicii vestri integritate consisi amplectemur.* Hinc infert Becanus, *Papam Romanum non iure Ecclesiastico, sed auctoritate Apostolicâ esse supremum judicem.* Rationem hanc affert à Theodoreto, *quia Pontifex Romanus gubernet omnes Ecclesias, ideo ab omnibus Ecclesiis totius mundi posse ad ipsum fieri appellationem.* Num. 67. Primò hæc ipsa epistola in iis est, quæ post motam controversiam, ex Vaticana Bibliotheca producuntur. Non igitur satis tutò fides ei adhibetur. Secundò aliter verba sonant apud Baronium ad Annum 449. numer. 125. 126. sic nempe; *Oro tuam sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo, ut Apostolica utatur auctoritate, & præcipiat ad vestrum convolare Concilium. Habet enim sanctissima illa sedes omnium per orbem Ecclesiarum ducatum & principatum, multis quidem de causis, præcipuè verò, quòd hæretica labe immunis permansit; & nullus, qui contraria sentit veritati, in illa unquam sedit, sed Apostolicam gratiam integram & immaculatam servavit. Quæ enim à vobis decernuntur, contenti his erimus, & illis acquiescemus, quæcunque illa fuerint, vestro iusto iudicio consisi.*

XXVI. Jam apertum, Becanum addidisse, & suppressisse quæ volebat. Addidit *tribunal*, cujus nulla in istis verbis mentio. Suppressit mentionem causarum, propter quas Romana sedes habere dicitur principatum omnium Ecclesiarum. Causæ dicuntur esse multæ, & in multis una præcipua. Multæ memorantur in Epistola Leoni inscripta, apud Baronium l. l. num. 115. 116. scilicet urbis magnitudo, Imperium in orbem terrarum, inhabitantium multitudo, quòd qui Imperium peperit, appellatione suâ eos, quibus imperat, impertiit, item Petri & Pauli sepulchra, denique fides in universo mũdo annunciata. Præcipua, quòd nullus, qui contraria sentit veritati, in illa sede unquam sederit. Hanc postremam falsam esse, testatur historia. Sedit enim Romæ ante Theodoreti tempora Montanista, sedit Arianorum socius, sedit Nestorianorũ fautor. Nomina recitavimus alibi. Inde epistola mihi magis suspecta redditur. Reliquæ causæ ad eminentiam Romanæ sedis commendandam faciant, eamque reliquis omnibus præferant; Dominatum in omnes totius orbis Ecclesias non conferunt. Quamvis nec omnes primam constituant. Si enim prima, propter urbis Imperium in orbem terrarum, ergo prima esse desiit, postquàm illa Imperium in orbem amisit. Si Apostolorum sepulchra primam faciunt, cur non potiùs Hierosolymitanam primam declaret Christi prædicatio, passio, mors & sepulchrum? Esto tamen ex istis causis omnium prima sedes. Neque enim dubium, quin propter urbis magnitudinem & Imperii majestatem, Episcopalis sedes jam olim magnã fuerit dignitatem præ aliis consecuta. Atque illud est, quod Theodoretus, si tamen auctor Epistolæ, voluit. In eo exultent Papistæ, quantum placet. Non invidemus.

XXVII. Tertiò. Sensum verborum variè Sophista corrumpit, & fingit, quæ Auctori fortasse in mentem non venerant. Theodoretus petit, ut Leo Apostolicâ auctoritate utatur. Hanc Becanus traditionem Apostolicam interpretatur. Quo auctore? Quo argumento? Sed & ubi tradiderunt Apostoli, Romanum Pontificem esse debere supremum judicem, quem ex orbe universo omnes appellent, à quo nemo appellare possit? Theodoretus per auctoritatem Apostolicam, Episcopalem auctoritatem intelligit, quæ tanto erat amplior in Romano, quòd ejus sedes ab Apostolis diceretur fundata. Erat autem hæc illi communis cum aliis sedibus Apostolicis, quæ erant numero plures, ut non tantùm ab Augustini Epistola 162. sed etiam Sozomeni lib. 1. Hist. cap. 16. & Rufini lib. 2. cap. 21. testimonio constat. Unde Cœlestinus in epistola ad Clerum & populum Constantinopolitanum, apud Baronium ad Annum 432. num. 24. Cyrillum virum Apostolicum nominat, & testatur, in nullo defuisse officio Apostoli. Verba sunt; *In nullo ei (Nestorio) officio Apostoli vir Apostolicus defuit; obsecravit, admonuit, increpavit.* Sed & Sixtus, si verum, quod Baronius ad Annum 433. num. 13. narrat, in epistola ad Cyrillum, Patriarchas & Episcopos appellat Apostolicos, *In unum*, inquiens, *Apostoli de fide sæpè tractarunt; in unum nunc convenientes Apostolici de ejus victoria gratulantur.* Inde Acacius, Berœnsis Episcopus, Cyrillo est auctor, ut potestate utatur, quam Apostolus sibi datam 2. Cor. 13, 10. asserit.

XXVIII. Rursum Becanus fingit, Theodoretum tribuere sedi Romanæ gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum. Non tribuit, sed ducatum & principatum inter omnes orbis totius Ecclesias, id est, omnium primam esse declarat. Quæ duo plurimùm differunt. Posterius enim esse potest citra gubernationem Oecumenicam. Unde Becanus habet prius? Theodoreti mens patet ab Epistola Leoni scripta, in qua idem dicere voluisse, non est dubium. Quid autem ibi? *Vobis*, inquit, *per omnia primos esse, convenit.* Primus ergo esto Romanus Pon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pontifex in Imperio Romano. Non ideo est pontifex Oecumenicus, ad quem omnes, à quo nulli appellare queant. Quamvis posito, non concesso, gubernationem omnium totius orbis Ecclesiarum sedi Romanæ tribui à Theodoreto, ne sic tamen Becanus obtinet, quod intendit. Nam nihil est frequentius Patribus, quàm cùm orbem universum nominant, ut intelligant Orbem Imperii Romani. Deinde hoc erat omnibus Patriarchis eximium, præ aliis Episcopis, axioma, ut dicerentur regere totius orbis Ecclesias, non erat Romano peculiare. Unde patet, quid de Becani argutiola sit statuendum; *Pontifex Romanus gubernat omnes totius orbis Ecclesias, ergo ex omnibus mundi partibus eum appellare licet, tanquam supremum judicem, cui cateri omnes sint subjecti, & à quo appellare licet nemini.* Antecedens non est Theodoreti l.l. & falsum sensu Papistarum. Si autem juxta sensum Antiquitatis capitur antecedens, consequentiâ nihil ineptius fingi possit.

Sectio XII.

Secundum prætensum privilegium examinatur, An sc. omnes Christiani, exortis dissensionibus in fide, debeant adhærere illi parti, in qua est Romanus Pontifex, si non velint errare?

I. Secundum privilegium est, quòd *omnes Christiani, quando oriuntur dissensiones in fide, debeant adhærere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex & sedes Apostolica, si non velint errare.* Num. 68. Unde hoc privilegium? Num dedit Christus, an Apostoli? an universa Christi Ecclesia? Ubi? Quando? Quibus verbis? *Hoc*, inquit Becanus, *tradunt antiqui Patres.* Primùm nota, quòd non deducat ex jure divino. Nam Patrum antiquorum traditio est humana, non divina. Et sanè nullo ac ne quidè uno Scripturæ testimonio hoc privilegium confirmari potest solidè. Magnum causæ præjudicium. Si possint, contrà nitantur adversarii. Videbimus. Secundò. Pessimè esset consultum Ecclesiæ, si hoc privilegium haberet Papa Romanus. Episcopus Romanus, (sive Zepherinus, sive Eleutherus; perinde hoc nobis est:) montanizabat. Liberius post exilium communicabat cum Arianis, itemque Felix. Anastasius secundus, refragante Clero, communicabat Photino Thessalonicensi diacono, ab Acacio hæreticorum fautore seductus. Alphonsus à Castro non dubitat, favisse Nestorianis. Honorius Sergii Monotheletæ partes tenuit. Vigilius Eutychianam hæresin approbavit in epistola ad Theodoram Imperatricè. Johannes XXIII. teste Concilio Constantiensi, Sess. 11. immortalitatem animarum negavit. Debuissent igitur omnes Christiani has hæreses approbare & cum illis facere, cum quibus communicavit Romanus Episcopus, id est, Montanistis, Arianis, Nestorianis, Monotheletis, Eutychianis. Sic pessimè consultum fuisset Ecclesiæ. Tertiò, non minùs aliæ Ecclesiæ, quàm Romana, sunt nominatæ Veteribus, quibuscum sentiendum, si velint orthodoxi haberi. Augustinus tract. 2. in 1. Johan. *Si Christiani catholici estis, communicate cum illis Ecclesiis*

sius, unde Evangelium toto orbe diffunditur. Marcianus Imper. in sua sacra, illos hæreticos declarat, qui non credant, sicut Athanasius, Theophilus & Cyrillus Alexandrinæ civitatis Episcopi sanctæ recordationis crediderunt, tom. 2. Concil. pag. 344. Cœlestinus Papa ad Cyrillum præscribit Nestorio, ut infra decem dies testetur, se fidem habere de nativitate Christi Dei nostri, quam tum Romana, tum Cyrilli, id est, Alexandrina Ecclesia prædicet. Quid? De unoquoque rectè sentiente Episcopo dici potest, cum illo sentire debere, qui errare nolit. Quartò falsum, illud Patres antiquos tradere, quod Becanus jactat.

II. Nominat testes, Irenæum l. 3. cap. 3. Hieronymum Ep. 8. ad Demetriadem c. 9.. Basilium in Epistola data Sabino ad Pontif. Rom. Cyrillum Alexandrinum in Epist. ad Cœlestinum Papam; Maximinianum Constantinopolitanum Episcopum in Epistola ad Orientales; Augustinum lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Pontificem cap. 1. Theodoretum in Ep. ad Leonem; Sozomenum lib. 6. Histor. cap. 22. Omnia ista sunt exempla particularia, quædam etiam aliena. Nusquam apparet regula universalis, quòd debeant omnes Christiani illi parti adhærere, in qua est Romanus Pontifex. Irenæus hoc non tradidit loco citato Verba sunt ista? *Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt undique fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Jam iterum dico, his verbis privilegium, quod Becanus jactat, non tradere Irenæum. Omnibus, spero, clarum. Causam reddit, cur potissimùm traditionem, seu doctrinam Apostolicam, per successionem in Ecclesia Romana conservatam velit memorare, nempe propter Ecclesiæ splendorem, quem habet ab urbis principatu, quippe ad quam propter aulam Imperatoriam omnes fideles commeant, nempe negociorum suorum causâ, & ad sua usque tempora doctrinæ veritatem in ea Ecclesia conservatam esse, testatur.

III. Cæterùm quòd, exortâ dissensione, Christianis, sine erroris suspicione, à Romano Episcopo dissentire liceat, Irenæus ipse suo nos docuit exemplo. Cùm enim in controversia Paschali Victor excommunicaret Orientales, sanctus Pater in illum per epistolam graviter invectus est, tum æstum iracundiæ illius incusando, tum docendo, quòd Veteres, qui in illius festi observatione, inter se disceptabant, minimè fuere communione sejuncti, apud Socratem lib. 5. Hist. cap. 21. Obiter nota, quàm fideles Patrum interpretes sint Papistæ. Irenæus dicit, *ad Romanam Ecclesiam necesse est convenire omnem Ecclesiam:* Becanus suos secutus sic interpretatur, *cum Romana Ecclesia necesse est convenire in rebus fidei, omnem Ecclesiam, nisi errare velit.* Ille de loco loquitur; Isti ad communionem fidei trahunt. Sed & illud nota, ad confirmandum privilegium, de quo agitur, testem Irenæo antiquiorem excitare Becanum non potuisse. At ille demum sub secundi seculi finem claruit.

IV. Magnus Becani saltus ab Irenæo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Hieronymum, id est, à secundi seculi extremo tempore ad quartum, quo ille floruit, sub initium quinti demum mortuus; condonandus tamen, modò Hieronymus tradat hoc privilegium. Non tradit. Verba sunt ad Demetriadem: *Quia vereor, imò rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere, & pullulare venenata plantaria, illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut sancti Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ & suprædicti viri successor & filius* (hæc vocula non placebat Becano, ideo omissa) *est, teneas fidem; nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias.* Hæc cohærent cum præcedentibus. Dixerat enim, Anastasio regente Ecclesiam Romanam, hæreticorum sævam tempestatem, simplicitatem fidei polluere & labefactare conatam esse. Inde monet, ut Demetrias potiùs Innocentii, quàm hæreticorum illorum doctrinæ adhæreat. Loquitur ergo de certa quadam controversia, consideratâ circumstantiâ personæ. In illa enim doctrina rectè sentiebat Innocentius, malè Ariani; quamvis de Origenistis interpretetur Marianus Victorius Episcopus. Quòd autem rationem hanc afferat Hieronymus, cur illa Innocentii fidem tenere debeat, quòd Innocentius sit Petri successor, est figmentum Jesuitæ. Hieronymus nominat Innocentium Apostolicæ cathedræ successorem, non quòd magis Petro, quàm Paulo successerit, sed quia in ea Ecclesia sedet, quam Apostoli fundârunt. Neque huc spectat, quod dictum est Petro, *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Omnes Apostolos tangit; non magis Petri, quàm cæterorum Apostolorum successores tangit. Neque constat, eò respexisse Hieronymum. Jesuita de suo assuit. Conatus irritus.

V. Cæterùm quòd non simpliciter parti adhærere omnes debeant, in qua est Romanus, vel hinc cognoscas, tum quòd errare potest, & erravit multoties, tum quòd hæretica improbitas ei illudere potest, adeoque eum fallere. Quòd errare possit, nunc non alio exemplo probabo, quàm Innocentii, cujus consensum adversùs hæreticos Demetriadi suadet Hieronymus. Ille apud Augustinum lib. 1. contra Julianum Pelagianum cap. 4. definivit, infantes absque Eucharistiæ usu servari non posse. Rectènè definivit? Cur igitur illi dogmati anathema dixit Concilium Tridentinum? Certè aut hoc, aut ille erravit. Si hoc, actum est de fide Papistica. Si ille, poterant igitur in eo Christiani dissentire ab Innocentio, absque erroris periculo. Si in hoc, cur non in aliis? Quòd hæretica improbitas illudere possit Pontifici, patet exemplo, quod ab Hieronymo, si vis, cape. Laudat Marcellam viduam, cùm videret navem plenam blasphemiarum Romano illatam portui, & Romanæ fidei purissimum fontem cœno lutosa permiscuisse vestigia, atque fidem in plerisque violari, ac hæreticos simplicitati Episcopi (Siricii) illudere, quòd ipsa publicè restitisset, malens Deo placere, quàm hominibus. Res consideratu digna. Cùm hæretici Siricio illuserint, & demùm detecti sint studio Marcellæ (Hieron. Epist. 16.) quis tutò se credat Romano Pontifici, & ab ejus nutu securè pendeat, si in fide errare nolit? Totusne orbis illi se committat, cujus simplicitati succurrere fœmella debuit? Porrò quod Hieronymus suadet Demetriadi de Romano Innocentio, id Romanus suadet Nestorio, de Alexandrino Episcopo Cyrillo, his verbis: *Pontificis Ecclesiæ Alexandrinæ fidem & probavi semper & etiamnum probamus. Et tu itidem, siquidem nostra communione imposterum potiri desideras, per illum admonitus, eadem illa, quæ nos, denuò sapias, mi frater. Siqua, inquam, prudentia etiamnum tibi reliqua est, iis omnibus exsecratis condemnatisq;, quæ hucusque sensisti, confestim eadem illa, quæ illum prædicare intelligis, & tu quoque nostræ voluntati facturus satis, prædicare ne cunctéris*, tom. 1. Concil. in Actis Concil. Ephes. tom. 1. cap. 17.

VI. E Basilio hæc verba recitat Becanus; *Revera dignum est illa excelleptissima voce, qua te beatum prædicavit, quod pietati tuæ donatum à Domino est, scilicet ut quod adulterinum est, à legitimo ac puro discernas, ac fidem Patrum, sine subtractione ulla, prædices.* Est epistola sexagesima nona. Hîc non audio Pontificis Romani privilegium, tantopere jactatum à Sophistis. Sed primò deprehendo crimen falsi multiplex commissum à Becano. Nam primò fingit epistolam inscriptam Romano Episcopo: At inscripta est Italis & Gallis, Deo dilectissimis & sanctissimis Patribus & comministris in Italia & Gallia, concordibus Episcopis. Secundò fingit soli Romano dictum, quod omnibus istis Episcopis communiter tribuitur ab Orientalibus. Tertiò ipsa verba depravat. Ostendit collatio. Nam Orientales scribunt, *pietati vestræ datum est.* Becanus supponit, *pietati tuæ datum est.* Orientales infinito utuntur respectu omnium. Becanus supponit verbum secundæ personæ in numero singulari. Nõ dicam de versione: fraus satis refellitur nudâ recitatione verborum græcorum. Illa sic habent; Τῷ ὄντι γὰρ τῇ ἀνωτάτῳ μακαρισμῷ ἄξιον, τὸ τὴν ὑμετέραν θεοσέβειαν χαίρειν παρὰ τοῦ κυρίου. Τὸ μὲν κίβδηλον ἀπὸ τοῦ δοκίμου καὶ καθαροῦ διακρίνειν. Τὴν δὲ τῶν πατέρων πίστιν, ἄνευ τινὸς ὑποστολῆς, κηρύσσειν. ἣν καὶ ἡμεῖς ἐδεξάμεθα. Jam patet, non prædicari beatitudinem Romano Pontifici propriam, sed Italis & Gallis Episcopis communem: non judicandi potestatem Oecumenicam, sed falsum à vero discernendi & veram doctrinam prædicandi dexteritatem omnibus Episcopis convenientem. Ridiculus igitur atque ter ridiculus est Sophista, qui dicit, Basilium alluisse ad illud *beatus Barjona*, idque Pontifici Petri successori dictum, interpretari Basilium. Quod scribit hîc Basilius, omnibus Italis & Gallis Episcopis scribit. Aut igitur illi omnes sunt successores Petri, aut allusio in leves evanescit auras, aut saltem ad solum Pontificem malè restringitur ex mẽte Basilii.

VII. Secundò nunc posito, quòd solum Romanum Episcopum alloquatur Basilius, quod ego falsum esse demonstravi, quid juvabit adversarium? Neque enim fictitium illud privilegium, neque Oecumenicum Pontificatum vir sanctus unquam agnovit. Non *fictitium illud privilegium*; Ubi enim eam in sententiam ullum verbum dixit, scripsitvé? Damasus illo tempore sedebat Romæ. Illi scripserit verba recitata. Quæ sequela, Datum est Damaso à Domino, ut adulterinum à legi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

legitimo ac puro discernat, ac fidem puram sine subtractione ulla prædicet. Ergo sedes Romana gaudet hoc privilegio, ut exortis dissensionibus, cum Romano Pontifice sentire debeant omnes Christiani, qui errare nolunt? Quæ, inquam, sequela? Damasus in Ariana controversia adulterinum à legitimo discernebat, quod erat singulare Dei beneficium. Nũ ideo omnes Pontifices discernunt? Non discreverat Liberius, cùm tandem subscriberet Arianismo. Non discrevit postea Honorius, ob Monotheletarum hæresin condemnatus à Leone successore. Sic datum fuit Athanasio, datum Cyrillo Alexandrino, datum Flaviano Constantinopolitano, ut ille in Ariana, iste in Nestoriana, hic in Eutychiana controversia legitimè discerneret adulterinum à probo & fidem puram, sine ulla subtractione, prædicaret. Neque tamen ideo, exortis dissensionibus, omnes Christiani cum Athanasii, Cyrilli & Flaviani successoribus sentire debent, si errare nolint. Sed in Ariana, Nestoriana & Eutychiana controversia cum Athanasio, Cyrillo & Flaviano omnes Christianos sentire debere, sequitur. Eodem modo, cum Damaso in Ariana controversia sentire debent, qui errare nolunt. Hoc sequitur ex mẽte Basilii, qui eum cũ aliis Italis & Gallis Episcopis, rectè sentire, in ista Epistola supponit. Aliud non sequitur.

VIII. *Oecumenicum Pontificatum nesomniavit quidem Basilius.* Nam primò non imploravit unquam in gravi Orientalium Ecclesiarum dissidio Romanum Episcopum; tanquam supremum judicem. Imò cùm quæreretur in Oriente, an & quo modo ad Damasum reliquosque Occidentales esset scribendum, ille Epistolâ decimâ suggerit illud Diomedis, *Non proderit supplicem agere, propterea quòd vir ille contumax est.* Et addit, *Nam certè hoc usu venit, ut si superbos istos mores demissione aliquâ curare tentes, illi in majorem plerumque contemptum degenerent. Quòd si propitiabitur nobis Dominus, quo alio subsidiario additamento opus habemus? Si verò perduraverit ira Dei, quid auxilii conferet nobis Occidentalium fastus? Qui quid in causâ verisit, neque sciunt, neque discere sustinent. Falsis verò suspicionibus præoccupati, eadem nunc quoque faciunt, quæ antea, in causa Marcelli, cum illis, qui veritatem annunciarent, contentiosè egerunt, & hæresin per seipsos corroborârunt.* Hoccine privilegium Romanæ sedis? De Damaso in specie subjungit; *Ego quidem ipse privatim, non publicâ formulâ volebam ipsorum scribere Coryphæo* (Damasum Occidentalium Episcoporum Coryphæum nominat) *de Ecclesiasticis rebus quidem nihil, nisi tantùm admonere, quòd neque rerum nostrarum veritatem sciant, neque viam, per quam instruerentur, admittant. In summa verò quòd non oporteat irruere in eos, ac premere, qui per tentationes humiliati sunt & afflicti, neq; dignitatis loco habere superbiæ splendorem, cùm id peccati vel sola ad constituendum adversùs Deum inimicitiam sufficiat.* Hæc subditus scriberet summo suo judici, cum cujus sede, quicunque tandem in ea sedeat, omnibus sentiendum sit in rebus fidei, nisi errare velint?

IX. Secundò. Alibi censet, scribendum esse ad Damasum. Verùm nihil aliud

dis de potestate judiciaria; nihil, quòd cum illa sede omni tempore necessariò consentiat, qui errare nolit; sed audis, consilium petendum, audis, homines idoneos petẽdos, qui sine strepitu pacem Orientis promoveant. Verba sunt, Epist. 52. *Visum est autem mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hìc gerantur, consideret, detque consilium, & quoniam difficile est, ut communi & synodico decreto aliqui mittantur, ipse suâ auctoritate in ista causa ausus,* (sc. tanquam Occidentis Patriarcha, sicut olim fecerat Cyprianus) *viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos, verùm ad hoc quoque accommodos, ut mansuetudine & facilitate ingenii* (non auctoritate judiciali) *eos, qui distorti & obliqui aquid nos sunt, corrigant, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaque secum habentes, quæ in Arimino ad necessariam solutionem gestorum, illic facta sunt. Et hoc nemine sciente, absque strepitu tacitè, per mare, ad eos qui hìc sunt, veniant, ne qui pacis sunt inimici, adventum ipsorum præsentiscant.* Quantum hæc distant à suprema judicis cõditione & delegatis cum potestate! Sed & legem illis hanc præscribendam existimat, ut cùm in Orientem venerint, Marcellum, quem ne semel quidem hactenus accusâsse videbantur, sed in communionem receperant, apertè damnent. Itane supremo judici præscribendum? Num cum eo necessariò sentiendum est, exortis dissensionibus, qui hæreticum in communionem suam recipit? Id enim Romanum fecisse, scribit Basilius.

X. Tertiò. Cùm hoc medium non succederet, deliberatum est porrò de communicatione cum Occidentalibus. Hìc Basilius cosmunem causam ñ ad unũ Romanum, sed ad Occidentales Episcopos deferendã scribit Athanasio Ep. 48. *Viros,* inquiens, *aliquos Ecclesiæ tuæ potentes in doctrina sacra ad Occidentales Episcopos mitte, qui, quibus calamitatibus occupemur ac premamur, illis exponant.* Et epist. 57. scribit, decretum esse ut Dorotheus Romam usque proficiscatur, & permoveat quosdã ex Italia, ut ipsos invisant. Inde petit, si idem videatur Athanasio, ut formet literas & monita det, de quibus oporteat ipsum narrare & ad quos & quando &c.

XI. Quartò. Sæpiùs scribit in illo negocio ad Occidentales Episcopos eorumque implorat, primùm preces, deinde consolationem & opem. Epistola sexagesima prima Occidentalibus Patribus & Episcopis est inscripta, in qua tria sunt notanda diligentissimè. Unum, quòd communi inscriptione comprehenditur Romanus, absque peculiari titulo. Alterum, quòd vult, eos collaborare; *quemadmodum,* inquiens, *nos concordiam & unitatem vestram, quâ mutuò inter vos fruimini, inter propria nobis bona deputamus, ita & vos oportet in hisce dissidiis, quibus premimur, nobiscum collaborare.* Scilicet eodem utitur verbo, quo Leo Theodoretum alloquitur, cùm eum adversùs hæreticos in pugnæ societatem vocat atque impellit, apud Baronium ad Annum 453. num. 32. Tertium, quòd vocat mutuum subsidium: *Arripite,* inquiens, *pietatis zelum, eximite nos ex ista tempestate. Dicatur & apud nos cum fiducia & securitate illud præconium Patrum, quo exsecrabilis Arii*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæresis subvertitur, & Ecclesiæ in doctrina sana corroborantur, in quo Filius Patri coessentialis asseritur, & Spiritus Sanctꝰ pari honore connumeratur, & adoratur. Itaut quam vobis Dominus pro veritate fiduciam & in confessione veritatis ac salutiferæ triadis gloriam & exaltationem dedit, eandem & nobis per vestras preces & MUTUUM SUBSIDIUM *largiatur.*

XII. Quintò. Epistolâ septuagesimâ ad eosdem exaratâ scribit, *Hoc potissimum est, quod requirimus, ut ipsi quoque Imperatori per vestram pietatem innotescat orbis nostri perturbatio. Hoc si facto difficile fuerit, ut vel aliqui vestrûm ad visendum & consolandum afflictos veniant.* Quid hoc facit ad Oecumenicum Pontificatum? Ibidem Ecclesiam cum corpore comparat, ut moveat Occidentales ad commiserationem, & opem ferendam. Quàm opportunum hîc erat, Romano capitis titulum inculcare? Non inculcat, sed, unumquemque esse alterius membrum, inculcat, nec alium ab alio contemni negligivé debere, monet his verbis: *Dominus noster Jesus Christus, quoniam omnem Ecclesiam Dei suum corpus nominari voluit, & unumquemque nostrûm alterius esse membrum, declaravit, dedit quoque nobis, ut erga omnes juxtà membrorum consensum amicè simus affecti. Quapropter etiamsi habitationibus sumus alter ab altero longissimè separati, ratione tamen conjunctionis hujus, propinqui sumus invicem. Quoniam igitur pedibus caput dicere non potest, non estis mihi necessarii: planè neque vos amicitiam nobis renunciare sustinebitis, sed tantum vos ad commiserationem permovebunt afflictiones nostræ, quibus propter peccata nostra traditi sumus, quantum congratulationis affert, quòd in pace, quam vobis largitus est Dominus, celebres estis. Hac itaque ratione & nunc & aliàs dilectionem vestram imploramus, ut nostræ miseriæ condoleatis & succurratis.* Audin', dilectionem, non jurisdictionem implorare?

XIII. Ad illam septuagesimâ quartâ epistolâ, quæ, quod notandum est, Occidentalibus Episcopis, non separatim nominato Romano, inscripta est, eos excitat, proposito mandato, de visitandis infirmis, *Maximum, inquiens, Domini mandatum est, infirmorum visitatio.* Idem officium petebat urbs Iconium à Basilio, ut testatur Ep. 8. Idem petit Basilius ab Episcopis transmarinis, Ep. 77. quæ est ad Episcopos transmarinos, id est, insulanos. Idem præstitit Ecclesiæ Romanæ Cyprianus, Caldonio & Fortunato missis, ut schisma Romæ motum componerent, Epist. 42. Quod exemplum laudo lubens, ne putes, implorâsse auctoritatem supremi judicis, à quo appellare non liceat. Obiter nota, in epistolæ septuagesimæ inscriptione, Galliæ Episcopos Episcopis Italiæ, inter quos erat Damasus, præponi. Literas eum in modum consignatas hodie vix reciperet Pontifex.

XIV. Sextò. Basilius epistola 69. monet, ad tollendum malum, opus esse præsentia plurium fratrum, ut faciant justam synodum, ut missi non ex eorum tantùm, à quibus mittendi sunt, gravitate, sed simul etiam ex consueto fratrum numero auctoritatem ad ea, quæ componenda sunt, habeant. Non igitur ab uno Romano, tanquam supremo judice, sed pariter à cæteris Episcopis exspectant petuntque Legatos. Præfert multorum auctoritatem auctoritati unius Episcopi, longè aliter, quàm hodie Papistæ. Denique, si omnia excutias, nihil invenies petitum tributumque Occidentalibus, quod non etiam petierit ab Athanasio eiq; tribuerit, imò quòd Romanus ab Orientalibus non aliquando petierit. Preces, consolationem, opem petit.

XV. Ex Cyrillo Alexandrino ista recitantur; *Quoniam verò Deus hisce in rebus prudentiam exigit, longaque Ecclesiarum consuetudo suadet, ut istiusmodi sanctitati tuæ communicentur, non possum equidem id, quod apertum est, ad pietatem tuam non perscribere;* Infrà. *Quamvis hæc ita se habeant, non prius tamen Nestorii communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hîc sentias, declarare: quo liquidò nobis constet, an communicare cum Nestorio nos oporteat, an verò liberè ei denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porrò tuæ integritatis mens ac super hac re sententia non modo piissimis Deoque devotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet.* Num. 68. Privilegium hîc non audio Oecumenici Becano laudatum, quòd, exortis dissensionibus, cum Romano sentire debeant omnes Christiani, qui errare nolint in rebus fidei: sed audio dignitatem illustris atque eximii Patriarchæ. De causa gravissima, nempe Nestoriana controversia, cum Romano communicat Cyrillus: Num tanquam cum supremo judice & Pontifice Oecumenico? idque jure divino? aut ex lege apostolica? Imò tanquam cum Symmysta. Inter comministros enim eâdem epistolâ satis perspicuè numerat, *Silui, inquiens, præterito tempore, & nihil omnino ad tuam pietatem, nec ad alium quempiam ex comministris, de eo qui nunc est Constantinopoli, scripsi.* Sed &, in epistola ad Juvenalem, fratrem & comministrum suum vocat. Communicat ergo cum Cœlestino, tanquam collega, sicut Romanus cum Constantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno, imò & Carthaginensi Episcopo, longâ consuetudine id suadente, communicabat.

XVI. Agebatur causa Patriarchæ ordine secundi, Romano paris, nõ inferioris. Officium fecerat Cyrillus monendo, hortando, confutando. Nihil profecerat. Testis querela in epistola ad Juvenalem Hierosolymitanum. Petit à Cœlestino non decretum judiciale, à quo appellare nefas sit, sed consilium & sententiam privatam, tanquam à fratre & collega. Non minùs poterat petere à longè minore, puta Mediolanensi, vel Pictavensi. Cœlestinus synodum agitat, in qua decernitur, Nestorium, nisi intra decendium resipiscat, excommunicandum esse. Priùs enim Nestorius Romam scripserat, an posset Cœlestinum in suas pertrahere partes. Id poterat quilibet Patriarcha in sua diœcesi. Non tamen exsecutioni mãdabatur, donec Ephesinum Concilium decerneret. Cæterùm Cyrillum non consuluisse Cœlestinum, ex defectu auctoritatis & potestatis, inde patet, quòd scribit; *Ego hoc affirmo paratus etiam synodicis literis manifestum facere, quòd talia docenti, ac sapienti communicare non poterimus,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus. Causam autem, cur non fecerit, hanc minimè affert, quòd inscio Romano Pontifice non liceat, quòdque ejus consensus ante omnia in rebus fidei sit omnibus necessarius, sed longè aliam: *Ratus*, inquiens, *lapsis manum porrigendam & cadentes, tanquam fratres, erigendos esse, hoc ipsum in hodiernum diem non feci.*

XVII. Porrò non magis ex hac epistola Cyrilli concludi potest, sive Oecumenicus Pontificatus Cœlestini, sive jactatum sedis illius privilegium, quàm ex Cœlestini epistola ad Nestorium Pontificatus Cyrilli Oecumenicus & sedis Alexandrinæ privilegium, quòd cum ea sentire debeat, qui in rebus fidei errare nolit. Non magis enim Nestorius ad Romanæ, quàm Alexandrinæ Ecclesiæ sententiam adstringitur Synodi Romanæ decreto. Et Cœlestinus Cyrillo literis datis significat, se præscribere Nestorio, ut intra decem dies, non tantùm sua damnet, sed etiam testetur, eam fidem se habere, quam tum Romana, tum Alexandrina Ecclesia, tum catholica religio ubique prædicet. Decisionem Papæ Romani, sine qua tota Orientalis Ecclesia nihil sibi statuendum esse, existimaverit, non lego in his Cyrilli verbis, sed agnosco confictam à Becano. Sententia enim multum differt à decisione judiciali; plurimum ab Oecumenici decisione in qua necessariò omnes acquiescant, qui errare nolint in rebus fidei.

XVIII. Quoties Basilius rogat Athanasii sententiam, idque multo magnificentiùs, quàm Cyrillus Cœlestini. Nam epist. 52. scribit; *unde & nos ad rerum istarum studium nonnihil conferre volentes, accommodatissimum rebus initium fore, arbitrati sumus, si veluti ad omnium nostrûm verticem, ad tuam integritatem refugiamus, teque & consultore & rerum gerendarum duce ac principe utamur.* In fine: *Tu verò sic omnia tandem magis ipse quàm nos curabis: quandoquidem quod & auxiliante Deo precor, intelligis, omnes tibi, quæ Ecclesiarum statum concernunt, permittere ac commendare.* Epist. 48. *Antiochena sanè Ecclesiæ status à tua pietate pendet, ut alios quidem ædifices, alios verò compescas ac quietos reddas, atque Ecclesiæ vires, per unanimem consensum restituas.* Epist. 49. *Universi ad tuam convertimur integritatem, unam nobis malorum consolationem in tua tutela relictam esse, credentes.* Ep. 51. *Quando adres ipsas quidem respicimus, & difficultates expendimus, à quibus omnis boni energia quasi quodam retinaculo impedita distinetur, eò relabimur, ut prorsùs de nobis ipsis desperemus. Quando verò ad honestam illam gravitatem tuam convertimur, ac cogitamus, quòd te Ecclesiasticarum infirmitatum Dominus noster medicum constituerit, animos resumimus & ex desperationis lapsu ad statum rerum meliorum erigimur. Dissoluta est omnis Ecclesia, quemadmodum nec tua prudentia ignorat. Vides enim omninò quasi ex quadam contemplationis tuæ specula, quæ ubique gerantur: quomodo perinde atque cùm in mari, multis simul navigantibus, violentiâ procellarum pariter omnes naviculæ inter se colliduntur, sitque naufragium: partim quòd externa aliqua causa mare violenter perturbet, partim quòd ipsi navigantes confusè inter se invicem occurrant, & inter seipsos impellantur. Et ad ista quis sufficiens gubernator? Quis tantæ fidei, ut credatur excitaturus Dominum, qui & ventum increpet & mare? Quis alius quàm qui à puero in pietatis agonibus decertavit? Quoniam igitur jam quicunque sani sunt circa fidem, ad eorum, qui ejusdem doctrinæ sunt, concordiam & unitatem iam dextrè accedunt, bonâ fiduciâ ad consolationem tuæ clementiæ venimus, ut omnibus nobis unicâ scribas epistolâ, quæ, quid agendum sit, admoneat. Nam ita volunt, ut abs te initium ipsis fiat, quid communiter dicendum tenendumque sit.* Num Cyrillus magnificentius quicquam tribuit Cœlestino? Imò num paria?

XIX. Si illud te adhuc moveat, quòd inconsulto Cœlestino Cyrillus se à Nestorii communione non subduxerit, cogitare velim, non id factum, quòd Cœlestinus esset judex superior, cui omnes subjecti, sed quòd Nestorius, vi throni, omnibus insidiaretur, de quo Cyrillus omnibus conqueritur. Voluit ergo priùs cum Occidentalibus se conjungere, ut plurium major esset auctoritas, idque non tantùm apud alios, sed etiam inprimis apud Imperatorem. Sic Basilius Epist. 48. auxilii adversùs Arianas confusiones inveniendi viam in Orientalium cum Occidentalibus conjunctione positam monstrabat; unde, qui rerum potiuntur, multitudinis auctoritate moverentur, & populi passim illos, sine contradictione, sequerentur. Alioqui si voluisset uti Cyrillus potestate, potuisset cà Nestorium reprimere; ad quod eum suo & Johannis Antiocheni nomine exhortatur Acacius, Beroënsis Episcopus, Epistolâ, quæ est decima quarta inter epistolas Cyrilli.

XX. Quintus testis, Maximinianus, Episcopus Constantinopolitanus, in Epistola ad Orientales: *Omnes fines terræ, qui Dominum sincerè receperunt & ubique terrarum veram fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem respiciunt & ex ipsa lumen catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò, qa Petrus legitur primò perfectã fidẽ esse cõfessus, Domino revelãte, cum dixit, Tu es Christus, filius Dei vivi.* Infrà: *Hunc n. de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe, conditor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter possidendam tenere perpetuo privilegii iure concessit, ut quisquis divinum aliquid aut profundum nôsse desiderat, ad huius præceptionis oraculum doctrinamque recurrat.* Becanus addit; Nota, *perpetuo privilegii iure.* Num. 68. Notamus. Quem verò Maximinianum Becanus nobis commendat? Quo seculo fuit Constantinopolitanus Episcopus? Præponitur enim Augustino. Ubi exstat ejus ad Orientales epistola, ut videamus integram. Non in tomis Conciliorum, non in Bibliotheca Patrum, à Papistis edita legitur. Nusquam eam tangit Baronius, nusquam Bellarminus, qui universam Antiquitatem perscrutati minutissima quæque aucupantur, quæ sedis Romanæ dominatum illis ullo modo videntur stabilire. Maximianus inter Constantinopolitanos Episcopos legitur, Ephesini Concilii decreto, suffectus Nestorio. Atque illius ad Cyrillum exstant epistolæ. Ad Orientales, aut quoscunque alios nulla, nobis hucusque visa, in qua verba citata reperiantur.

XXI. Num fortasse Becanus Maximum nominare voluit, qui circa annum Christi sexcentesimum quinquagesimũ sub

Universidad de Deusto
Biblioteca

sub Heraclio claruit? At is non fuit Episcopus, nedum Constantinopolitanus, sed Abbas, Philosophus Christianus & Theologus sui temporis præcipuus, teste Baronio ad Annum 867. num. 72. qui ejus tum epistolas, tum opuscula longo recensetordine, ad Annum 657. num.31.& seqq.Inter omnes nulla est Orientalibus inscripta.InConcilio Florentino, cùm de processione Spiritus Sancti ex Patre & Filio ageretur, nominabatur à Latinis inter Patres Græcos, ejusque citabatur quædam epistola, quam genuinam esse, Græci negabant.Hunc si Becanus laudare voluit, ubi exstat ejus ad Orientales epistola? Ab aliis citatur ejus epistola ad Marinum. Et Baronius ad Annum 657.num.69. dicit, duas reperiri ab eo scriptas: unam,ad Marinum presbyterum, alteram, ad Marinum diaconum.Non disputabo de illarum fide.Dicendum,utra nobis opponatur. Ex epistola ad Marinum diaconum Baronius l. l.num.72. recitat hæc verba; *Omnes termini terræ & quicunq;ubiq;terrarum Christum Deum purâ mente & orthodoxâ fide confitentur,quasi ad solem æterni luminis,ad sanctissimam Romanorum Ecclesiam & eius confessionem & fidem intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem recipientes spiritualium & sanctorum dogmatum,quemadmodum sex illæ sanctæ Synodi sacræ, & à Deo directæ,disertis verbis, & magna cum religione exposuerunt, apertissimè pronunciantes fidei symbolum. Ab initio enim adventus incarnati verbi, universæ ubique terrarum Christianorum Ecclesiæ à sancta Romanorum Ecclesia originem habuerunt, & fundamentum solum & maximum, contra quod nullo pacto portæ inferni prævalebunt,iuxta ipsiusmet Salvatoris nostri promissionem, ut habeat sc.claves orthodoxæ in ipsum fidei, & confessionis, & aperiat illis, qui ad ipsam Romanam Ecclesiam cum pietate accedant, veram & realem & solam pietatem quærentes. Et claudat econtrà & obstruat omne os hæreticum, quod loquitur iniquitatem in cœlum.*

XXII. Jam sive Papistæ Maximiniano,quem Becanus laudat, sive Maximo inhæreant, facilè nos expedimus. Si illi, tenentur & seculum hominis exprimere & epistolam monstrare. Si isti,dicam, epistolam esse suppositiam. Argumentum à tempore duco, quod everti non potest. Nominat sex illas sanctas Synodos.At sexta celebrata est sub Constantino Pogonato,anno Christi 681.cùm Maximus sub Constante, linguâ & manu dextrâ ei præcisâ,si Baronio credas, ad Annum 657. carceri inclusus esset,in quo intra triennium proximum vitam finivit. Sextam igitur Synodum ignorabat. Cæterùm in ipsis verbis, tum quæ Becanus, tum quæ Baronius recitat,sunt falsa, incerta & inepta.In verbis à Becano recitatis falsum, quòd *omnes fines terræ in Potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem,respiciant.* Contrà Æneas Sylvius pòst Pius II. ad Mejerum Cancellarium Moguntinum scribit,ante Nicænam Synodum,id est,annis post Christum trecentis,unumquemque sibi vixisse,& parvum ad Ecclesiam Romanam respectum fuisse. Falsum, quòd ex *Potestate Pontificum Romanorum lumen catholicæ & Apostolicæ fidei omnes fines terræ & ubique terrarum catholici receperint.* Quàm multæ extra Ro-

manum Imperium fuerunt Ecclesiæ, quæ à Pontifice nihil acceperunt! Imò Romani acceperunt ab Orientalibus.Ab Oriente enim cò venerunt Auctores religionis,ut Orientales, in Athanasii causa, ad Julium scribunt, apud Sozomenum lib.3.Hist.cap.7. Falsum, quòd *soli Petro cathedram magisterii perpetuo privilegii jure Deus concesserit, ut quisquis divinum vel profanum aliquid nosse desiderat,ad huius præceptionis oraculum doctrinamque recurrat.* Ubi soli Petro concessit Christus perpetuo privilegii jure? Id enim notare Becanus jubet.In scriptis tum Petrus,tum cæteri loquuntur Apostoli.Huc accurrêdum est omnibus,quicunque divinum aliquid nosse desiderant.

XXIII. Incertum, an Christus Petro cathedram magisterii principaliter concesserit. Epiphanius Hæres.78.de Jacobo scribit: *Primus hic accepit cathedram Episcopatus, cui concredidit Dominus thronum suum in terra Primo.* Methodius;*Petrus & Jacobus & Johannes post assumptionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus prælati, tamen sibi non vindicabant primatus gloriam,sed Jacobum, qui dicitur Justus, Apostolorum Episcopum statuunt,* Unde Clemens ille Romanus in Epistola (quæ Papistis authentica, quamvis fictitia) Jacobum Episcopum Episcoporum appellitat.Ad Ecclesiam Romanam si respiciamus, cur Petro magis quàm Paulo cathedra magisteri concessa dicatur,cùm utrumque illam fundâsse, acutrumque suum prædecessorem agnoscât Pontifices,apud Bellarminum libr. 1. de Pont.Rom.cap.27. & Papa Petri & Pauli Apostolorum Vicarius appelletur, apud Baronium,ad Annum 876.num.15. & ad Ann.968.num.27.Rursus ineptum,ex eo quòd Petrus primùm confessus est Christum filium Dei, perpetuum Pontificis Romani privilegium concludi.Communi enim nomine confessionem edidit. Nec cæteri minùs sincerè in Christum crediderunt.Ineptum quoque, quòd ab eo,quod Petro datum præsupponitur,ad Romanum Pontificem concluditur.Cur enim non potiùs ad Antiochenum?Ibi enim Petrum fuisse, ex Scriptura certum: Ibi septem annos sedisse, Eusebii, Gregorii M. aliorumque Veterum testimonio constat; apud Baronium ad Ann.39. num.9. Illi civitati Romani secundùm religionem debent,quod vocantur,fatente Cœlestino, in epistola Synodo Ephesinæ inscripta,apud Baronium,ad Annum 432.num.9.Contrà Petrum Romæ fuisse, ex Scriptura non constat.Veteres dicunt, & ego concedo. Quòd omnem auctoritatem,omne privilegii jus,si quod præ aliis accepit, Antiochiâ Romam transtulerit, ibi perpetuò servandum ab omnibus Successoribus, etiam teterrimis mõstris,quæ ibi regnâsse, non negant Papistæ,id verò nullo constat argumento fide digno.

XXIV. In verbis à Baronio recitatis similiter falsa deprehenduntur. Falsum est,quòd *omnes ubique terrarum orthodoxi ad Romanam Ecclesiam eiusque confessionem intenti respiciant.* Olim sic erat Apostoli tempore; perpetuum non fuit. Falsum, quòd *sex synodi in eius confessionem intentæ respexerint:* Imò Nicæna, Constantinopolitana prima,Chalcedonensis & Trullana decrevit,quod Romanis non pla-

placet, ut suo loco ostenditur. Inprimis falsum, quòd *ab initio adventus Christi in carnem universæ ubique Christianorum Ecclesiæ à Romana Ecclesia originem habuerint.* Quisenim ignorat, Evangelium exiisse Hierosolymâ in omnem terram? Sic Prophetæ, sic Christus, sic Apostoli. Fides ex Græcia proximè in Occidentem pervenit. Unde Augustinus Epist. 170. *Pars Donati non considerat ab illa radice Orientalium Ecclesiarum se esse præcisam, unde Evangelium in Africam venit.* Idem Epist. 178. in Græcia fidem exortam, & è terra Græcorum undique destinatam esse fidem, affirmat. Non dubium. Vel ipsa græca vocabula, quibus Occidentalis utitur Ecclesia, testantur. Græci ex Judæa & Syria acceperunt. Inde Hierosolymitana Ecclesia omniũ Ecclesiarum mater rectè dicitur, illa omnium antiquissima, omnium prima. Si Romana omnium mater, filiæ profectò ante matrem fuisse comperiuntur, quo nihil possit fingi absurdius. Denique falsum, quòd Romana sit Ecclesiæ fundamentum solum & maximum. Nunc non aliud oppono, quàm quòd aliquando fuit Ecclesia Christi, cùm Romana non esset Christiana. Num ædificium aliquando sit absque suo fundamento & quidem unico? Satis de Maximiniano à Becano in scenam producto, quâ occasione ad Maximum digressa est oratio. Ad Becani testes revertamur.

XXV. Sextus Augustinus lib. 1. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifacium Pontificem c. 1. *Hæc autem quæ duabus epistolis eorum respondeo, ad tuam potissimùm dirigere sanctitatem, non tam discenda, quàm examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui.* Hoccine est, qui errare nolit, necessariò illi adhærere parti, in qua est Rom. Pontifex? ubi hoc absolutè dixit Augustinus? Num his verbis, dicant Sophistæ: qui si nolint, judicent pii & cordati. Ego nihil hîc audio, quod non ab homine modesto scribatur ad quemvis amicum eruditum & judicio præditum. Concludat Papista, quicunque volet, quod Becanus molitur. Argumentum sic erit; Cui Augustinus commentarium examinandum eo animo misit, ut quod illi displiceret, ipse emendare vellet, cum illo & omnibus successoribus omnes Christiani, exortis dissensionibus, sentire debent in rebus fidei. Augustinus commentarium suum misit Bonifacio &c. Ergo. Placetne vobis argumentum Papistæ? Nos majorem non agnoscimus. Rationem non petemus è longinquo. Augustinus, postquàm ea de re multis ac sæpè disseruisset, misit suum de origine animæ librum Hieronymo ineditum, per Orosium presbyterum, ut consultatoriâ quâdâ disputatione, quid illi videretur, quæreret, ut ipse refert Ep. 102. Nec Hieronymo superstite, vulgavit, quia ejus censuram exspectabat lib. 2. Retract. cap. 45. Non solùm eâ fuit modestiâ, ut junior senem Hieronymum audire vellet, Ep. 28. sed & testetur, se emendari velle per librorum suorum lectores. Verba sunt de bono perseverantiæ Cap. 24. *Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias, qui non intelligunt*, orent, ut eorum *ille sit doctor interior, à cujus facie est scientia & intellectu. Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam diligenter, quæ sunt dicta, consi-*

derent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem cùm per eos, qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco: & hoc per Ecclesiæ doctores maximè exspecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturque nôsse quod scribo. Num cum Hieronymo ideo in omnibus sentiendum est? Num cum singulis doctoribus Ecclesiæ, per quos Augustinus cupit fieri doctior? At ne ipse quidem in omnibus sentiebat cum Hieronymo. Et cùm libros suos judiciariâ severitate recensere vellet, non deligit Pontificem Romanum magistrum, sed unum Christum, *Restat*, inquiens, *ut me ipse judicem, sub magistro uno, cujus de offensionibus meis iudicium evadere cupio.*

XXVI. Jam antè dixi, quod Augustinus scribit Bonifacio, id quemvis modestum haud ægrè scripturum esse amico erudito & candido. Exemplum memorabile est Cyrilli Alexandrini, qui Johanni Antiocheno & aliis sub eo Episcopis commentaria sua recognoscenda misit, amicitiâ, post gravem dissensionem, restitutâ. Ex Theodoreto refert Baronius & obstupescit, ad Annum 432. num. 83. 84. Nonne misit Cyrillus, quòd paratus esset meliora doceri? Ergone cum Antiocheno ejusque Successoribus omnes Christiani, exortis dissensionibus, consentire debent in rebus fidei? Certè debent, aut non ideo debent idem sentire cum Bonifacio Pontifice Romano ejusque Successoribus, quia illius censuræ suum commentarium subjecit Augustinus. Si adhuc reluctaris, quæro, an omnes Christiani sentire debeant, infantes servari non posse, nisi Eucharistiam accipiant? Id enim docuit Innocentius, Bonifacii antecessor, à quo dissentire non licebit, si non licet dissentire à Successoribus; nisi fortè Bonifacii Successorum emendationem Augustinus ferre potuit, Innocentii censuram ferre non potuit.

XXVII. Septimus. Sozomenus l. 6. Hist. cap. 22. refert quidem, quòd Romanus Episcopus de controversia, quæ de Spiritu Sancto in Oriente agitabatur, certior factus scripserit ad Ecclesias Orientis literas, ut unà cum sacerdotibus & Episcopis Occidentis, Trinitatem & consubstantialem esse & gloriâ æqualem, existimarent. Quo facto, singuli rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis acquieverint, hæcque controversia tandem finem habere visa sit. Verùm nõ solus Papa Romanus scripsit ad Orientales Ecclesias, sed etiam scripserunt Illyrici Episcopi, qui magno zelo asserunt Trinitatem consubstantialem, & contrarium docenti anathema denunciant, apud Theodoretum lib. 4. Hist. Eccles. cap. 8. & Baronium ad Annum 365. num. 18. Accesserunt literæ Imperatorum Valentis & Valentiniani, eadem de re perscriptæ; quas recitat Theodoretus l. l. c. 6. & Baronius l. l. num 21. 22. 23. in quibus testantur, se in ea esse sententia, quâ & Romana Synodus & Gallica confiteatur, unam esse essentiam Patris & Filii & Spiritus Sancti in tribus personis. Non testantur, quòd omni tempore in omnibus rebus fidei cum Romano Pontifice omnes sentire debeant, exortis dissensionibus, qui errare nolint.

XXVIII. Si Sozomeni narrationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

legas, relegas, non invenies Oecumenicum Pontificatum. Nec quidem illud privilegium invenies, quod Becanus jactat. Primò enim non constat, solum Romanum Episcopum scripsisse. Deinde manifestum est, meliorem Orientalium partem rectè sensisse, priusquàm Liberius scriberet. Sozomenus duces strenuos nominat, in Syria Apollinarium Laodicenum, in Ægypto Athanasium, in Cappadocia & Ecclesiis Ponti Basilium & Gregorium. Certè quòd sopita videtur controversia, non est argumentum potestatis Oecumenicæ. Nã licet antè scripsisset, & improbâsset Concilium Ariminense, ac in Tyanensi Concilio congregati Episcopi ad cæteros mitterent, ut tandem secum sentirent, non tamen plenè consenserunt. Synodo enim Tarsi institutâ studium in Ecclesiæ concordia stabilienda positum sic approbabant, ut nomen *consubstantialis* repudiarent, & existimarent, formulam Antiochenam & Seleucien sem quoque tenendam esse. Si Romanus fuisset Oecumenicus agnitus, an non illi acquievissent? An non omnis controversia siluisset deinceps? Atqui non est finita, sed posteà acerrimè agitata, ut patet tum ex Basilii epistolis ad Occidentales, tum ab ipsa historia.

XXIX. Esto tamen, finem acceperit, allatis in Orientem Episcopi Romani literis. Ergone cum illo omnes Christiani, exortis dissensionibus, necessariò consentiunt in rebus fidei, si errare nolint? Ergo primò etiam cum Illyricis, cum Gallicis, cum Africanis, cum Siculis semper sentiendum est, exortis dissensionibus. Nam ab illis omnibus Legati Lampsaceni ad Synodum Tyanensem attulerunt literas, non à solis Episcopis Italiæ, inter quos Liberius, apud Sozomenum lib. 6. cap. 12. & Baronium, ad Annum 365. num. 17. At hi inter se dissentire possunt, & aliquando dissenserunt. Deinde multæ controversiæ non cessârũt, quamvis sententiam suam scripserit Episcopus Romanus. Africa testis. Quoties declaraverat mentem suam Cornelius, itemque Stephanus, neque tamen cedebant Africani. Denique quem Romanum Episcopum Sozomenus intelligit? Sine omni dubio Liberium. Num cum illo sentire debent omnes Christiani, exortâ dissensione in rebus fidei, qui errare nolunt? At ille aliquando exilii tædio victus turpiter cum Arianis communicavit, & in hac ipsa causa, de qua Sozomenus agit, à Semi-Arianis, à Lampsaceno Concilio missis, sibi imponi passus est turpiter. Illud multorum constat testimonio. Hoc ne Baronius quidem negare potuit, sed ad Annum 365. num. 15. vafrum Eustathii, veternosi illius hæretici, consilium, quo Liberio literas illas surripuerit, à Basilio detectum esse, agnoscit, & num. 37. fatetur, quòd nebulones aliâs sæpe damnatos Liberius absolverit, iisdemque cum catholica communione restituerit quoque sedes. Vellet quidèm excusare ibidem: At verè non potest. Etsi enim qui subrepserunt subdolè, fuerint in culpa, an ideo culpa careat Liberius? An non satis disertè mentem suam explicabant, cùm voces duas *similis*, & *consubstantialis*, æquipollere, dicerẽt? apud Socratem lib. 4. Hist. cap. 11. Hanc fraudem qui non animadvertit, quomodo supremi judicis locum

locum in rebus fidei tueatur? Illi securè adhæreant Papistæ. Nos minimè ausimus.

XXX. Ex dictis patet, Becanum privilegium, quod jactabat, septem testibus productis non obtinuisse. Coronidis loco totidem testibus probabo, non fuisse istis seculis, è quibus testes produxit Becanus, solum Romanum Pontificem, cujus consensus esset signum catholicæ fidei, ut omnes tanto clariùs intelligant, nullum hîc esse Ecclesiæ Romanæ privilegium, unde Oecumenicus Pontificatus colligatur. Erunt autem testes Imperatores, & Patres. Imperatores Theodosium & Marcianum nomino. Ille tulit legem, ut Ecclesiæ, ubivis gentium collectæ, illis committerentur, qui in substantiis trium Personarum, eadem dignitate eademque potentia præditarum, unam & eandem confiterentur divinitatem, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Hos porrò esse, qui congruerent in fide cum Nectario Constantinopoli; in Ægypto cum Timotheo Alexandriæ Episcopo; in Orientalibus Ecclesiis cum Diodoro Tarsensi, & cum Pelagio Laodicensi in Syria Episcopo; apud Asianos, cum Amphilochio Iconiensis Ecclesiæ præsule; in civitatibus verò Ponti à Bithynia usque ad Armeniam, cum Helladio Cæsareensis in Cappadocia Ecclesiæ Episcopo & cum Gregorio Nissæ & Otreino Melitæ Episcopo, in Thraciæ autem Scythiæque urbibus cum Terentio Tomorum & Martyrio Marcianopolis Episcopo. Vide Sozomenum lib. 7. cap. 9. Si Imperator Romanum, & post illum aliquot Occidentis Episcopos nominâsset, quos triumphos agerent Papistæ? Jam quid illis videtur, ubi audiunt Romanum ne quidem nominatũ? Marcianus Sacram adversùs eos promulgat, qui non credunt, ut trecenti decem & octo Patres tradiderunt, catholicam fidem in Nicæna civitate fundantes, centum quoque & quinquaginta alii venerabiles Episcopi, qui in alma urbe Constantinopolitana postea convenerunt, & sicut Athanasius & Theophilus & Cyrillus, sanctæ recordationis Episcopi Alexandrinæ civitatis, crediderunt, quos etiam Ephesina Synodus (cui Cyrillus præfuit, in qua Nestorii error expulsus est) in universis secuta est, quos & nuper venerabilis Chalcedonensis Synodus est secuta. Verba exstant tomo secundo Conciliorum.

XXXI. E Græcis Patribus Basilius, Neocæsareensibus se à quorundam calumniis purgans, fidei suæ integritatem, argumento à communione aliorum petito, probat. Num Pontificem Romanum appellat? Longè aliter, nempe sic; *Fueras autem justius, res nostras æstimare non ex uno atque altero, qui ad veritatem haud rectò pede ingrediuntur, sed ex multitudine totius orbis Episcoporum, qui gratiâ Christi nobiscum conjuncti sunt. Requirantur verò Pisidæ, Lycaones, Isauri, Phryges, & qui utrinsque sunt. Armeniæ, quotquot vicini vobis sunt. Macedones, Achæi, Illyrici, Galli, Hispani, tota simul Italia, Siculi, Afri & qui in Ægypto adhuc sani sunt, & quæ reliqua portio est Syriæ, qui quidem literas ad nos mittunt, & vicissim à nobis recipiunt. Ex quibus cognoscere potestis, cum quæ illinc ad nos feruntur, tum quæ viceversâ isthinc ad ipsos mittuntur, quòd unanimes omnes eo-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

demque sensu præditi sumus. Imò sic pronunciat de seipso: *si quisquam communionem nostram fugit, ne prudentiam vestram lateat, ab universa illum Ecclesia sese divulsisse*: Verba sunt Epistolæ septuagesimæ quintæ. Cyrillus Alexandrinus ad Nestorium, *Convenies*, inquit, *ut & scripto & jurejurando confiteare, cùm quòd scelesta tua & profana dogmata anathematizes, tum quòd sensurus sis & docturus eadem, quæ & nos omnes, & qui in Oriente sunt & Occidente Episcopi & doctores & populorum præsides.* Johannes Antiochenus Patriarcha ad Cyrillum suo & suorum nomine; *Anathematizamus pravas Nestorii & profanas vocum novitates, ut Ecclesia Dei apud nos rectam habeant & sanam fidem, illamque custodiamus, & sicut vestra sanctitas fecit, populis tradamus.*

XXXII. E Latinis Tertullianus lib. de Præscript: *Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsa authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romanam, unde nobis quoque auctoritas præstò est.* Audin', non ad unam Romanam remittit, ad plures remittit. Non ei soli auctoritatem tribuit. Augustinus tract. 2. in 1. Johan. *Si Christiani catholici estis, communicate illis Ecclesiis, unde Evangelium toto orbe diffunditur?* Num Romanam intelligit? *Imò ait, Illi Hierusalem communicate.* Et paulò antè dixerat, *Nemo dubitat de Ecclesia quia per omnes gentes est; nemo dubitat, quia ab Hierusalem cœpit, & omnes gentes implevit.*

XXXIII. Si vis, adjiciam auctarium minimè contemnendum. Sebastianus Episcopus ad Leonem Imperatorem de Concilio Chalcedonensi interrogatus, sic scribit, tom. 2. Concil. pag. 366. *Tanti & tales prolati Cœlestis amplectere judicium, serenissime & orthodoxe Imperator. Taliter namque sapuisse comperimus omnes, qui verbo & doctrinâ, & vitâ mirabili Deo per diversa tempora placuerunt, id est, beatum Athanasium, qui sæpius propriis sancivit dogmatibus, quia erat in corpore passibili impassibilis, & in mortali immortalis. Sic & Basilius Magnus & Gregorius Nazianzenus, & alter Gregorius Nyssa & post Johannes Constantinopolitanus, verborum simul & cogitationum pelagus benedictum.* Episcopi Europæ ad eundem Imperatorem l. l. pag. 364. sic scribunt de eodem Concilio interrogati; *Hujus Concilii formas sive definitiones nullus recta sapientium mutilare præsumat; & neque unum jota, aut unum apicem possumus aut commovere, aut violare horum, quæ ab eo rectè sunt, & inculpabiliter definita. Sequimur autem & famosissimorum Patrum doctrinas rectas, misericordiâ Regis omnium Christi Evangelicum adepti sacerdotium, rectè sapimus semper, & sicut sapit Apostolica Romanorum sedis Ecclesia, & sicut sapuerunt beatæ famosæque memoriæ Patres & Episcopi regiæ Constantinopolis, & sicut omnes totius orbis Episcopi, rectè verbum prædicantes veritatis sapimus, sic regentes populos prædicamus, rectam eis proponentes intemeratamq; doctrinam.* Pergamius Antiochenus & cum illo quatuordecim Episcopi in eadem causa scribunt ad eundem de Timothei Alexandrini assecla: *Inaniter & indiscretè in suis precibus dixerunt, se Ephesiis communicare Conciliis, cùm prius utique sit sine dubitatione susceptum, secundum verò non solùm priori consistat adversum, sed etiam universis sanctis Episcopis, qui olim luminaria fuisse probantur Ecclesiæ, quorum famosissimam & religiosissimam multitudinem dinumerare difficile est. Præcipuè tamen adversarii esse panduntur immortalis & beatæ memoriæ Athanasio, Alexandrinæ civitatis Episcopo, cui dum inveniuntur esse contrarii Timothei sequaces, omnibus indubitanter orthodoxis & maximè fidelibus Ægyptiis, & Dei zelum habentibus omnibus, omnino videbuntur inimici.* Hi omnes non unum Romanum nominant, cum quo sentiendum sit ei, exortis dissensionibus in fide, qui errare nolit.

Sectio XIII.

Tertium prætensum privilegium excutitur. An nihil grave in universali Ecclesia, nisi consulto priùs ac cõsentiente Pontifice, possit tractari, decerni, ac definiri, & ex eo agnoscatur Oecumenicus solitarius totius Ecclesiæ Pontifex?

I. TErtium privilegium est, quòd *nihil grave in Ecclesia universali, nisi consulto priùs ac consentiente Pontifice, possit tractari, decerni, ac definiri, adeò ut decreta, quæ fiunt pro tota Ecclesia, non habeant vim & robur, nisi accedat consensus Pontificis.* Num. 69. Argumentum sic erit: Absque cujus consilio & consensu nihil grave in Ecclesia universali tractari, decerni, ac definiri potest, adeò ut decreta, quæ fiunt pro tota Ecclesia, absque eo vim & robur non habeant, ille est Oecumenicus totius in terris militantis Ecclesiæ Pontifex. At absque Romani Pontificis consilio & consensu nihil grave in Ecclesia universali tractari, decerni, ac definiri potest, adeò ut decreta, quæ fiunt pro tota Ecclesia, absque eo nullam vim ac robur habeant. Ergo. Resp. primò à consultationis & consensus necessitate non valet argumentum ad Pontificatum Oecumenicum: Sicut in Imperio Romano Germanico non sequitur, inconsultis & non consentientibus Electoribus, nihil grave tractari & decerni potest, quod totum Imperium obliget. Ergo Electores sunt Imperatores.

II. Exemplis probo. Leges universæ Ecclesiæ præscribi ñ potuerũt citra consensum Concilii, neq; tamen auctoritatem, quam jactat Papa, vellet permittere Concilio. Decreta Conciliorum in Imperio Romano generalium, vim & robur legis non habebant, nisi Imperator consensu atque auctoritate suâ idque per edictum confirmaret. Hinc Imperator humiliter rogatus confirmabat decreta Conciliorum, atque vim legis habere jubebat. Inde Athanasius Constanti in memoriam revocat patrem Constantinum ac Synodum maximam, ab eo congregatam, & quomodo, quæ ab ejus Synodi Patribus scripta erant, idem pater, qui fuerit Concilii particeps, lege confirmârit, apud Theodor. l. 2. Hist. c. 4. Felix Vitalium & Misinum Episcopos mittit ad Leonem, ut Concilium Chalcedonense confirmet, apud

apud Evagrium l.3.cap.18. Idem petierat Constantinopolitanum primum à Theodosio majore his verbis: *Rogamus tuam Clementiam, ut per literas tuæ pietatis ratum esse jubeas confirmesque Concilij decretum.* Idem petit Trullanum à Justiniano. Præterea sicut Orientalis Ecclesia non potest legem condere, quæ Occidentalem obliget, ita nec Occidentalis potest legem condere, absque consensu Orientalis Ecclesiæ, quæ universam Ecclesiam obliget. Victor conabatur sancire legem de observatione festi Paschalis; verùm nullam habebat vim apud Orientales, quia non consentiebant. Nec in Concilio Nicæno lex ea de re absque Orientalium consensu fieri poterat. Num ideo penès Orientalem Ecclesiam est Oecumenicus Pontificatus? Romani non agnoscent. Denique probè notandum, reliquos Patriarchas idem jus sibi arrogare, ut videlicet se inconsultis, nihil grave in Ecclesia decidatur. Inde factum, ut Johannes Antiochenus Cyrillum & Menam Episcopatu abdicaret, quòd ipsius adventu non exspectato, sententiam pronunciâssent adversùs Nestorium, apud Evagrium lib. 1.cap.5. Priusquàm hæc lis decisa fuerit, nihil prorsus efficient Papistæ.

III. Secundò. Papistico sensu falsum atque falsissimum est, quod jactant, privilegium. Non habent eam in rem ullam legem divinam, vel Apostolicam: non habent canonem ab universali Ecclesia sancitum in Antiquitate sinceriore. Contrarium observatum in Ecclesia. Divinæ legis potissimùm habenda erat ratio. Quid enim humanus juvabit canon, nisi divina suffragetur auctoritas? Humano canone solo non nisi dignitas humana probatur. At divinam vellent Papistæ. Hic omnes hærent. Nemo hactenus usquam invenit. Conferant deinceps vires. Quærant ubi, ubi volent. Non invenient sive Christi, sive Apostolorum legem ullam, quâ sedi Romanæ privilegium illud conferatur, confirmeturve. De Ecclesiastico canone paulò pòst videbimus. Exempla sunt in contrarium. Agrippini & Cypriani tempore in Africa decreta sunt facta de rebaptizandis hæreticis, citra Cornelii & Stephani consensum. Ettamen in Africa robur habuerunt, neque id propter à communione excluſi sunt Africani. In Constantinopolitano primo Cõcilio æqualia jura etiam in Ecclesiasticis cum Romano attributa sunt Episcopo Constantinopolitano, idque Romano nec consulto, nec consentiente. Imò Chalcedone confirmatum est decretum, quamvis Leonis legati multum reclamarent. Robur etiam habuit plurimis annis, nequicquam obstante sequentium Romanorum præsulum contradictione.

IV. Becanus ex primis tribus seculis testes affert omnino nullos. Præjudicium non leve. Si enim habuisset, annon produxisset? Ex citerioribus seculis producit. Illos audiemus, & quidem quo nominantur ordine. Primus est Socrates lib.2. cap.5. *Nec*, inquiens, *Julius, Romæ Episcopus, in Concilio adfuit, neque quenquam, qui eius locum supplerer, eò misit, cùm utique Ecclesiasticus canon iubeat, non oportere absque Romani Pontificis sententia, decreta Ecclesiæ sancire.* Becanus addit, *loqui de Antiocheno Concilio, quod contra Athanasium*

habitum fuerit, sed sine robore & auctoritate, quia defuerit cõsensus Pontificis. Nũ. 69. Primùm de Becani additione, deinde de Socrate dicam. Becanus duo dicit, quorum unum verum, alterum falsum. Verum, quòd Socrates loquatur de Antiocheno Concilio adversùs Athanasium celebrato. Falsum, quòd sine robore & auctoritate fuerit, quia defuerit consensus Pontificis. Auctoritatem & vim justam non habuit, non quòd deesset consensus Pontificis, sed ex alia eaque duplici causa.

V. Prior est, quòd Athanasio innocenti fieret injuria. Rectam enim tenebat fidem, cujus professio erat fons omnis calamitatis, cum qua tot annos ei conflictandum fuit. Antiocheni non tenebant rectam fidem. Interim vim habebat injustam Concilium. Athanasius enim nec suâ auctoritate adversùs eam tueri se poterat, sed cedebat, nec quidem literis Episcopi Romani munitus. Etsi enim populi favore iterum susciperetur, mox tamen rursus cogebatur fugere, neque recipiebat sedem, donec Constantinus Imperator suam interponeret auctoritatem, & Constantis animum Athanasio conciliaret. Idem postea & quidem in eadem facti specie iterum contigit. Constantinopolitani Concilii adversùs Chrysostomum pronunciata sententia vim habuit, quamvis Innocentius nunquam consenserit. Res clara. Chrysostomus enim in exilio decessit. Sic Ephesinum illud infame Concilium vim, quamvis injustam, adversùs Flavianum Constantinopolitanum habuit, quamdiu Imperator assensit, etiamsi contrà niteretur Leo Romanus Episcopus.

VI. Altera causa est, quòd Antiocheni, extra Oecumenicum Romani Imperii Concilium, fidem commutare conarentur, quæ in Oecumenico Concilio Nicæno, magno Orientis ac Occidentis consensu, erat approbata. Testis Socrates lib.2.cap.7. testis ipsa fidei formula, quam cuderunt. Num rem tantam duo Orientis Patriarchæ molirentur duobus absentibus, uno Orientali, altero Occidentali, id est, Maximo Hierosolymitano, & Julio Romano? Utrumque enim abfuisse, scribit Socrates.

VII. De Socrate deinceps agendum, quem Becanus ex omnibus in prima voluit acie constituere, quamvis multoties à Papistis alibi rejectum cum opprobrio. Privilegium integris tribus à Christo seculis incognitum, confirmare Socrates nequit Ecclesiastico, cujus mentionem facit, canone. Eum enim aut ex epistola Julii habet, cujus argumentum memorat capite decimo tertio, aut aliunde. Si aliunde, unde habet? Quis eum, & ubi condidit? Nemini laudatus, nemini, quod constet, cognitus, tribus primis seculis. Imò ante Julium nemini nominatus. Is primus nominat post annum trecentesimum quadragesimum. Si ex Epistola Julii, frustrà Socrates excitatur testis. Cur non potiùs ipse Julius? Sed esto testis Socrates. Rationem suæ scientiæ deponat. Id enim testis tenetur. Dicet, *à Julii epistola se habere.* Benè est. Tota igitur causa recumbit in Julio Romano Pontifice.

VIII. At primùm inde suspecta, quia Julii res agebatur. Causam suam adversùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

sùs Orientales acturus canonem citat. Ipse igitur fidem de suo non adjungit canoni, sed debet aliunde præstare. Præsertim cùm in sede Romana aliquibus religio non fuerit, canones falsò allegare & corrumpere. Zosimus & Bonifacius, Julii proximi Successores, appellationum jura probare volebant Africanis, auctoritate Nicæni Concilii; verùm crimen falsi deprehensum. Sardicenses enim Africanis prorsus incognitos pro Nicænis supposuerant. Ergo Julii vicem suscipiant Papistæ, ac nobis ostendant natales laudati canonis. Deinde Orientales non agnoverunt canonem, nec quidem ullo responso sunt dignati. Antea autem potestati Romani Episcopi, datis ad Julium literis, apertè contradixerant, scribentes, si qui eorum arbitrio Ecclesiâ fortè exacti essent, rem ab eo non debere decerni, teste Socrate lib. 2. c. 11.

IX. Tertiò. Haud levia sunt argumenta, nullum ejusmodi canonem exstitisse. Nam annon aliquis Patrum intra trecentos & quadraginta annos ullo verbo tangeret? Nemo tangit. Sed nec ullus Pontifex Romanus ante Julium allegavit, cùm ipsorum rebus utilis esse potuisset. Cornelius & Stephanus Cyprianum in Africa, & Firmilianum in Oriente facili negocio repressissent, si canon ille exstitisset. Et, quæso, an putabimus, non fuisse opposituros in quæstione de rebaptizandis hæreticis? Quid? Si exstabat canon, cur Julius non nominat Concilium, quod condiderit? Eâ enim unâ re Orientales potuisset in ordinem redigere. Papistæ dicunt, Ecclesiasticos canones condi à Pontificibus Romanis & Conciliis. Num canonem, de quo quæritur, condidit Romanus Pontifex? Nominetur; quamvis nullus inde fructus ad Papistas redeat. Quis enim admittat aliquem sibi ipsi conferentem privilegia? Si Concilium, aut particulare, aut Oecumenicum. Particulare nullum nominatur. Et frustrà nominaretur. Nullum potuit rem tantam decernere. Oecumenicum, jam suprà dixi, aut totius orbis, aut orbis Romani respectu appellari: Sicut Episcopi Europæ Leonem Imp. in epistolâ, totius orbis terrarum Dominum nominât, tom. 2. Concil. pag. 364. Prioris notæ nullum unquam fuit congregatum. Ab eo igitur canon non est profectus. Posterioris notæ fuerunt, inter quæ unum ante Julii tempora celebratum est, idque omnium primum. Nicænum puto. Num ab eo canonem habet Julius? At nihil ejusmodi legitur istîc decretum.

X. Quartò. Esto. Conditus sit canon in generali Romani Imperii Concilio. Jam enim ponam, quod tamen salvâ veritate dari non potest. Modernis Papistis multum nocet, nihil prorsus confert. *Nocet multum.* Jactant, Pontificem Romanum sua privilegia habere à Christo. Julius ad canonem Ecclesiasticum provocat, ad legem divinam minimè provocat. Nec est, ut quisquam conjungat. Aut enim Papa habet privilegium à Christo, aut à Concilio. Si à Christo, non igitur à Concilio. Ubi Dei auctoritas præstò est, cur nitar auctoritate humana? Si Julius habebat legem Christi, quid opus erat canonem opponere? Feliciùs opposuisset vocem Christi, à qua nemini licebat appellare. Si autem habet à Concilio,

Non

Non igitur à Christo. Certè à canone Ecclesiastico dum privilegium petit, haud obscurè fatetur, se voce Christi destitui.

XI. *Nihil prorsus, aut saltem id non confert, quod illi vellent. Nihil prorsus.* Nam Gelasius Papa renunciat omni canoni Ecclesiastico, cùm agitur de Ecclesiæ Romanæ præeminentia. Verba sunt: *Sancta Romana catholica & Apostolica Ecclesia, nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est.* Hîc præter duorum Paparum contradictionem, cujus una pars falsa sit, ac proinde alteruter erraverit, necesse est, habes, quòd saltem à Gelasii tempore Pontifices, canonis Ecclesiastici auctoritate, privilegium quæstionis confirmare non possunt. Si, Gelasio condemnato ac misso facto, velint adhærere Julio, canon tamen ille, si revera esset conditus, *saltem non conferret Papistis, quod ipsi vellent.* Esset enim conditus à Concilio Romani Imperii. Gaudere igitur potuisset privilegio in orbe Romano, quamdiu non abuteretur. At extendi non potuit ad Ecclesias extra Romanum Imperium constitutas. Illis enim non magis afferri potest præjudicium à Romani Imperii Ecclesiis, quàm his ab illis potest. Tantum abest, ut ideo fuisset unquam Oecumenicus totius terrarum orbis, etiam extra Imperium Romanum, Ecclesiarum Pontifex. Si dicas, id saltem te obtinere, quòd sine Papæ Romani consensu nec generale Concilium haberi, nec leges universales, quæ omnes Ecclesias obligent, statui possint. Non obtines. At si obtineas, quid tum? Idem jus sibi cæteri vindicabant Patriarchæ. Haberes igitur privilegium non peculiare sedi Romanæ, sed eximium quatuor Patriarchis.

XII. Secundus testis est Sozomenus lib. 3. cap. 7. qui recitat, quòd Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazæ, Lucium Adrianopolitanum Episcopos, Episcopus Romanus, cùm criminationes intellexisset, & omnes fidei Nicænæ consentientes reperisset, in communionem receperit. Ubi addit, *At cùm propter sedis dignitatem, cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusavit, quòd inconsultò de hisce viris judicâssent, Ecclesiasque perturbâssent.* R. Primò. Num hîc legis privilegium, quod Becanus jactat? Quibus verbis exprimitur? Ego non lego.

XIII. Secundò. Recepit in communionem orthodoxos. At id poterat, si qui pulsi essent, non solus Romanus, sed etiam quicunque alius Episcopus. Inde Socrates lib. 2. cap. 18. refert, Asclepam & Lucium à Concilio Sardicensi esse admissos. Illum quidem, quia commentarios ostenderat, ex quibus constabat, Eusebium Pamphilum cum aliis nonnullis, tum ejus causam diligenter cognovisse, tum ei proprium dignitatis gradum reddidisse: Istum autem eo, quòd ejus accusatores aufugerant. Inde idem refert, quòd Maximus Hierosolymæ Episcopus Athanasium illac transeuntem in communionem receperit, cap. 29. quo facto permoti Ursacius & Valens Romam eunt, dogmate Arii abjecto, & Athanasio scribunt, se cum illo communicaturos,

Cccc Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concilii Toletani primi Patres, apud Baronium, ad Ann. 405. num. 53. *Reliqui*, inquiunt, *qui ex provincia Gallecia ad Concilium convenerant, & in Symphosii semper communione duraverant, acceptâ formâ à Concilio missâ, si subscripserint, etiam ipsi in cœlestis pacis contemplatione consistant, exspectantes pari exemplo, quid Papa, qui nunc est, quid sanctus Simplicianus Mediolanensis Episcopus, reliquique Ecclesiarum rescribant Sacerdotes.* Ibidem Dictinium & Anterium in communionem recipiunt; addunt autem: *Constituimus, priusquam illis per Papam, vel per sanctum Simplicianum communio redditur, non Episcopos, non Presbyteros, non Diaconos ab illis ordinandos.* Hîc manifestè cum Romano Pontifice Mediolanensis & cæteri conjunguntur. Quapropter hoc argumento Romanus non declaratur Oecumenicus, aut pariter Mediolanensis declaratur, quod est asystatum. Baronius rimam aliam, quâ elabatur, non videt, nisi ut dicat, Mediolanensem fuisse in hac causa Legatũ Romani Papæ. Quod ut probet, non aliud habet argumentum, quàm quòd Ambrosius Siricii Legatus fuerit. Argumentum Baronio indignum. Quæ enim sequela? Præterea non solus Simplicianus, sed & cæteri Sacerdotes conjunguntur. Num illi omnes erant Legati Romani Papæ?

XIV. Tertiò. Restitutio sedis non erat realis introductio in sedem, non mandatum de recipiendis, sed testimonium, quòd illi agnoscerentur verè Episcopi, qui erant destituti. Sic Eusebius Pamphilus, ut dixi, reddiderat Aselepæ proprium dignitatis gradum. Sic Cyrillus Alexandrinus Johanni Antiocheno, & vicissim iste illi, depositis inimicitiis, sedem Episcopalem reddidit; quorum tamen neuter reipsâ exciderat Episcopatu, sed uterque semper gesserat; at alter ab altero non erat agnitus Episcopus. Apud eundem Socratem lib. 7. c. 33. Sic Julius restitutionem Marcelli Episcopi, qui cum Athanasio Romam venerat, à se factam interpretatur, in suis ad Orientales literis, *De viro*, inquiens, *quem rectæ opinionis & sinceræ religionis esse, testimoniis approbatum est, quid quæso nos facere oportuit? anne ut eum pro Episcopo haberemus? an potius à communione repelleremus?* Et sanè Julium realiter non restituisse Athanasio ejusque sociis sedes, inde clarum, quòd ad Orientales scribens nihil profecerit, teste Sozomeno lib. 3. cap. 9. quin potiùs ab illis epistolâ ironiæ plenâ & minarum non experte, graviter increpitus, Athanasius autem repulsus fuerit, eodem teste, ibidem cap. 7. Constans tandem à Julio rogatus, minacibus literis, cùm humaniores nihil efficerent, apud Socratem lib. 2. cap. 18. à fratre Constantio restitutionem extorsit, quæ etiam ab ipso Imperatore facta dicitur Socrati l. l. Ab illo literas ad Maximum Hierosolymitanum attulit Athanasius, quarum ille motus auctoritate, indicto Concilio, sanctum exulem suæ sedi tandem reddidit. Adeò ut si à restitutione argumentum sit ducendum, conclusio potiùs stet pro Maximi, quàm Julii Pontificatu Oecumenico.

XV. Quartò. Quòd Julius Orientales ob Athanasium reliquosque Episcopos incusavit, nullum est Romanæ sedis pri-

privilegium. Nam & aliis pari jure competit eadem auctoritas. Certè eandem alii exercuerunt, idque non tantùm in alios, sed etiam in ipsos Romanos Episcopos. Cyrillus Alexandrinus Nestorium, & Theophilus Alexandrinus Chrysostomum Patriarcham, Johannes Antiochenus Cyrillum, & hic vicissim illum, Cyprianus Stephanum, Orientales, ne longè ab exemplo, quod sub manu est, recedam, Julium incusârunt. Quæ omnia si tu facti, non juris esse dicas, eadem exceptio adversus Romanum cæteris erit parata, donec singularis privilegii tabulæ authenticæ proferantur.

XVI. Quintò. Sedis dignitas, quam Sozomenus laudat, non erat Oecumenicus Pontificatus, quippe isto seculo adhuc planè non agnitus, sed nec ulla alia eminentia, quam vel Christus, vel Apostoli Romano Episcopo præ aliis tribuerint, lege conditâ, sed quam habebat propter urbis dignitatem. Sic enim olim erat receptum, ut Episcopalis sedis dignitas cum urbis dignitate crescceret & decresceret, quod patet tum à canone, tum ab exemplis. Chalcedonensis canon decimus septimus satis perspicuus; *Si civitas aliqua ab Imperatoria auctoritate innovata est, vel deinceps innovata fuerit, civiles & publicas formas Ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur.* Exempla nota. Quî factum, quòd Constantinopolitanus Episcopus, qui aliquando inter Patriarchas non numerabatur, non tantùm in eorum numerum est adscitus, sed etiam proximum à Romano sortitus locum? Quia urbs nova Roma. Sic Concilium Constantinopolitanum primum, sic Chalcedonense, utrumque Oecumenicum. Antiochenam sedem fundâsse, & septem annis tenuisse, Petrus dicitur. Quæ ergo causa, quòd Alexandrina, quam Petri discipulus, Marcus, fundavit, illi præponitur? Urbis dignitas. Sedis igitur dignitas, quæ urbium conditionem sequitur, hîc nullo cum fructu urgetur à Papistis, ubi non quæritur de ordine sedium, sed dominatu Oecumenico. In ordine primus locus Romanæ ultrò conceditur; Oecumenicus dominatus nulli conceditur.

XVII. Sextò. Restat cura omnium, quam Romano Sozomenus tribuit. Ea non est Oecumenici Pontificatus argumentum. Patet à reipsa. Nam primò non intelligitur cura simpliciter omnium, sed in Imperio Romano. At quot Ecclesiæ erant, extra Romanum Imperium, quarum curam veteres illi Romani Episcopi nunquam susceperunt. Deinde cura omnium in Imperio Romano non incumbebat soli Romano Episcopo, sed illi cum cæteris Patriarchis erat communis. Quòd illi soli incubuerit, nullo Antiquitatis constat testimonio. Quòd aliis quoque incubuerit omnium cura, Veteres testantur. Basilius scribit Athanasio Epist. 52. *Tantam geris omnium Ecclesiarum curam, quantam ejus, quæ tibi peculiariter à Domino nostro concredita est.* Ubi nota, cùm omniũ Ecclesiarum curam nominat, loqui de iis, quæ sub Alexandrino Patriarchatu non erant. Idem Epist. 50. scribit, se & totum Orientem id agere precibus, ut Meletius universo Ecclesiæ corpori præsit, cùm in votis esset, ut Antiochenam Ecclesiam tranquillè regeret. Hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

auctoritate usus Cyrillus Nestorium Constantinopolitanum, itemque Theophilus Alexandrinus Chrysostomum abdicavit, contrà Meletius Antiochenus Gregorio Nazianzeno Constantinopolitanum Episcopatum confirmavit. Quæ cùm negari non queant, Romanus Pontificatum Oecumenicum sibi eo argumento vindicare minimè potest, quòd curam omnium ipsi Sozomenus tribuit.

XVIII. Tertius Theodoretus l. 2. Hist. cap. 22. *Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debet, præsertim cùm formula composita ut, neque Episcopo Romano, cujus sententia præcæteris omnibus exspectanda erat, &c.* Primò. Non sunt verba Theodoreti, sed Damasi, Valeriani & aliorum in Romana Synodo ad Illyricos. Theodoretus recitat. Non igitur tam ille, quàm Damasus testis. Secundò. Quid? Becanus truncat narrationem. Num truncata sententia privilegium quod jactatur, stabiliet? Nos verba reponamus integra. Sic Theodoretus ex tomo Synodico refert, *præjudicium certè numeri, Ariminensis conventus esse non potest, quando ita est habitus, ut neque Romani Episcopi, cujus ante omnia sententiam agnoscere debuerant, neque Vincentii, qui tam multis annis præsulatus servavit dignitatem; neque aliorum consensus illis accesserit, ac maximè cùm, ut diximus, per insidias circumventi ipsi cedentes, nisi rectiore sententiâ, sibi illa non placere, testati sunt.* Sozomenus lib. 6. cap. 23. sic recitat: *Numerus Episcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, præjudicii vim habere non debet, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præcæteris omnibus exspectanda erat, &c. neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integrè gesserat, neque aliis eidem consentientibus, cumque etiam, quod est omnium maximum, illi ipsi, uti ante diximus, qui in fraudem illecti, à veritate deflexisse visi sunt, & post ad meliorem mentem denuò traducti, planè testentur, hanc formulam sibi magnopere displicere.*

XIX. Jam apertum, nullum hîc vestigium Oecumenici Pontificatus, neduni futuram apparere! Nam primò Ariminensis Synodus non erat Oecumenica, sed particularis, & quidem habita in urbe Italiæ. Magnus igitur defectus, quòd Patriarcha Occidentis nõ ante omnia consuleretur, ejusque audiretur sententia. Non autem sequitur. In Italia non debebat absque consensu Romani Episcopi Synodus celebrari, & in rebus fidei formula concipi: Ergo Romanæ sedis privilegium est, ut nullum decretum pro tota Ecclesia factum, vim habeat absque consensu Romani Episcopi. Potest id ex aliis exemplis cognosci. In Ægypto robur ac vim non habebant Synodica decreta, inconsulto Alexandrino facta. In Thracia non habebant vim absque consensu Constantinopolitani; in Palæstina absque consensu Hierosolymitani Patriarchæ. Nec tamen illi ideo Oecumenici. Secundò. Non solius Romani Episcopi dissensus allegatur, sed adjungitur illi Vincentius Episcopus, ut Magdeburgenses annotant, Capuanus; adjunguntur alii, quorum assensus erat necessarius; nec aliter de his, aliter de illo fit sermo. Id quod probè notandum, propter Papistas, qui

cùm consensum Romani Episcopi requiri, audiunt, ad confirmationem Synodicorum decretorum, mox somniant Episcopatum Oecumenicum. Non aliter illius, aliter aliorum consensus requiritur, quantum à verbis Synodi Romanæ constat. Item notandum, confirmari Synodica decreta à Pontifice non per edictum, sed per consensum: quia, ut alii Episcopi, confirmat, aut infirmat. Tertiò. Præcipua dissensus causa dicitur, quòd decepti Episcopi sibi non placere testentur, nisi rectior sententia sub verbis intelligatur. Jam hinc exstruat suum privilegium Jesuita, & audiemus. Exstruet, si & Vincentius ille Capuanus Episcopus fuit Oecumenicus, si cæteri omnes, quorum consensus non accesserat.

XX. Quartò. Chalcedonẽse Concilium Act. 1. statim ab initio post recensita nomina eorum, qui interfuerunt; *Paschasinus verò reverendissimus Episcopus & vicarius sedis Apostolicæ, cum in medio una cum his viris reverendissimis collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi atque Apostolici viri, Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum præcepta habemus præmanibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinus Episcopus non sedeat, in Concilio, sed audiendus intromittatur, quod nos observare, necesse est.* Et infrà: *Quia cùm personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum alusus est facere sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* &c. Primò. Si aliquanto magnificentiùs essent locuti de Leone Paschasinus & socii, quis miraretur? Erant ejus legati. In veritatis præjudicium trahi non potest, quia à domesticis profectum. Novimus illud Justiniani in edicto de fide orthodoxa, *Sæpe quædam in Synodis dicuntur à quibusdam præsentibus, vel per favorem, vel per odium, vel per impudentiam. Nemo autem attendit ea, quæ particulatim à quibusdam dicuntur, sed sola illa, quæ ab omnibus communi consensu definiuntur.*

XXI. Secundò. Sed nihil audio, unde solidè colligam, Episcopum Romanum esse Oecumenicum. Appellant Romam caput omnium Ecclesiarum. Ideo nondum Episcopus est Oecumenicus. Leo Imper. l. *Decernimus* 16. C. *De sacrosanctis Eccles.* Constantinopolitanam Ecclesiam Christianorum orthodoxæ religionis omnium matrem nominat. Et eodem titulo legis vicesimæ quartæ à Justiniano conditæ titulus sic habet: *Constantinopolitana Ecclesia omnium aliarum est caput.* Ergone Constantinopolitanus est Pontifex Oecumenicus? Negabis. Eadem ratio Ecclesiæ Romanæ. Nempe notatur dignitas & excellentia sedis, non jurisdictio universalis. Porrò dicunt, *non licere sine Romano Pontifice Synodum facere.* Quid hoc sibi vult? At Bellarminus docet, Synodi convocationem ratam esse, si convocationi consentiat, vel factam postea approbet. Jam illi agebant de Ephesina secunda, quæ dicta ἁρπαγὴ, quæ non à Dioscoro, sed ab Imperatore convocata est, & habuit consentientem Romanum Episcopum, imò quodammodo auctorem; multis enim precibus ab Imperatore obtinuit. Præterea approbavit missis legatis. Mentiebantur ergo isti. Nec non falsum dicerent, si in genere de Synodis agerent. Quis enim ignorat, Constanti-

Universidad de Deusto Biblioteca

nopolitanam primam, inconsulto Romano Pontifice, esse habitam, nec tamen eo nomine Romanus injuriam sibi factã esse, querebatur. *Præcepta Papæ* memorãtur, *de Dioscoro Alexandrino Archiepiscopo.* Sic enim appellatur ab ipso Paschasino, cujus linguam corrigit Becanus. At præcepta non Concilio data, sed Papæ Legatis. Nulla igitur jurisdictio in Concilium, sed in Legatos hinc colligitur. Dicunt, *hoc nos observare necesse est*; *Nos contra præcepta beatiss. ac Apostolici Papæ gubernatoris sedis Apostolicæ venire non possumus.* Non dicunt, *Concilium oportet hoc servare.*

XXIII. Tertiò. Imò habemus, unde constat, Romanum non agnitum fuisse Oecumenicum. Nam primò. Romano, Constantinopolitano & Alexandrino idem datur titulus in actis Concilii. Singuli appellantur Archiepiscopi, quod æqualitatis argumentum ut corrumperet Becanus, crimen falsi committit, supponens Alexandrinum Episcopum pro Archiepiscopo. Secundò. Legati fatentur, Leonem Concilio non posse mandare, cùm petunt, ut judices præcipiant Dioscoro, eumq; exire jubeant. Sic enim illi; *Si ergo præcipit vestra Magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Tertiò. Judices non faciunt, quod legati petebant. Quærunt de causa accusationis. Cùm tergiversaretur Paschasinus, Judices & Senatus dixerunt, *ut iam interfati sumus, causã, quæ obiicitur, specialiter manifestetur.* Inde Lucentius affert causam de habita Synodo sine consensu Romani Episcopi. Verba recitavit Becanus. Sed non acquieverunt judices, verùm jubent exponere, qua in re erraverit Dioscorus. Cùm verò Paschasinus insolentiùs instaret, se hanc injuriam nolle pati, ut iste sedeat, graviter hominem reprehendunt Judices & Senatus dicentes; *Si iudicis obtines personam, non ut accusator debes prosequi.* Hic crimen falsi commissum à Bellarmino, qui dicit, *Dioscorus iubetur non sedere inter Episcopos, eò quòd Synodum ausus fuisset facere sine auctoritate sedis Apostolicæ.* l. 1. de Concil. cap. 12. p. 61. Sedet igitur Dioscorus, sedent Romani legati & auditur Eusebius contra Dioscorum. Adeò voti sui non facti sunt compotes Leonis legati. Ubi tunc Oecumenica potestas? Illiusne potestas negligeretur? Nempe non agnoscebat Concilium jurisdictionis figmentum, quod futuro tempore erupit apertiùs.

XXIV. Objicitur auctoritas totius Concilii ad Leonem sic scribentis in relatione; *Hæc sunt quæ tecum, qui spiritu præsens eras, effecimus. Indicamus verò, quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum firmitatem definimus, scientes quia & vestra Sanctitas eadem probatura & confirmatura est.* Et rursus. *Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Primò. Fides Epistolæ dubia. Genuinam esse, unde nobis confirmant Papistæ? Non esse, patet tum ex ipsa epistola, tum ex actione Concilii. Ex *Epistola*: In fine enim additur, *scripsi pridie Calendas Aprilis, feriâ tertiâ, indictione decimâ tertiâ.* Atqui Concilium diu ante Martii mensem erat finitum; inchoatum quippe tertio Octobris, & sub illius finem dimissum. Præterea Marcianus, sub quo celebratum est, indictionem decimam tertiam non attigit, mortuus, secũdùm Baronium, ad Annum 451. num. 146. indictione octavâ, anno Christi 557. ut idem ad illum annum ex Marcellino annotat. Nodum aliter solvere non potuit Baronius, quàm ut diceret, verba illa non esse Concilii, sed librarii, qui isto die & indictione descripserit. Librarii esse, unde constabat Baronio? Nullum habet argumentum. Sed ipse sic decernit, ut tueatur auctoritatem Epistolæ. At sic multa instrumenta defendi possunt, quæ ex temporis assignatione comperiuntur esse falsa. Probent Papistæ, additam esse à librario; nos minimè credimus. Ex *actione Concilii*; Sciebant Chalcedonenses, canonem suum improbari Leoni, contradictionem legatorum obstinatam audiverant, rejecerant, contempserant, & nunc subjicerent suam sententiam Leonis judicio? Quis sibi patiatur persuaderi? Præsertim cùm, non obstantibus querelis Leonis, postea semper inhæserint statuto canoni.

XXV. Secundò. Si ponas, esse à Concilio scriptam, recurrit crimẽ falsi nostro Becano nimis familiare. Sic enim habet Epistola; *Hæc sunt, quæ tecum, qui spiritu præsens eras, & complacere tanquam fratribus deliberâsti, & qui penè per Vicariorum tuorum sapientiam videbaris à nobis, effecimus.* Cur hæc truncavit? Ut periret argumentum æqualis jurisdictionis. Sed *caput* appellant. Fateor, verùm non totius Ecclesiæ, sed Synodi. *Quibus tu, sicut caput membris, præeras.* Sic Dioscorus Alexandrinus Ephesinæ secundæ Synodi caput fuerat, juxta rescriptum Theodosii ad Dioscorum; *Auctoritatem & primatum præbemus tuæ beatitudini.* Legitur Act. 1. Concil. Chalced. Neque tamen ideo Dioscorus fuit Pontifex Oecumenicus. Quòd intelligatur primatus ordinis, non jurisdictionis, multis constat argumentis. Nam primò ordinis faciunt mentionem, *quibus*, inquientes, *quidem sicut membris caput, præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens.* Secundò. Non præsedit Leo per legatos, ut reliquorum Dominus, sed Imperator. Nam sic in eadem relatione lego; *Imperatores verò ad ornandum decentissimè præsidebant.* Et Acta testantur, quòd Imperatorii legati actionem direxerint, Episcopos, si qui vellẽt exorbitare, coërcuerint, nec absque eorum permissu quicquam publicè lectum fuerit. Unde Leonis legati actione primâ sic eos alloquuntur; *Poscimus, ut magnificentia vestra hæc legi præcipiat.* Tanquam Ecclesiasticos præsedisse duos Leonem Romanum per Legatos & Anatolium Constantinopolitanum, scribit ad Imperatorem Synodus Episcoporum in Metropoli Sardianorum Lydiæ, tom. 2. Conc. pag. 381. Tres nempe Leonem Romanum, Anatolium Constantinopolitanum & Juvenalem Hierosolymitanum præfuisse, asserit Cedrenus in Hist. compend. p. 283. Tertiò. Scribunt, potestate æqualem se fecisse Romano Constantinopolitanum, idque valdè resistentibus legatis Romanis. Nũ scripturi, si agnoscerent primatum jurisdictionis Oecumenicum?

XXVI. Quartò. Quòd Chalcedonenses

Universidad de Deusto
Biblioteca

ses Patres confirmationem petunt, [si tamen petierunt] à Romano, non faciunt, quasi legis vim decreta per illum accipiant, sed ut consensus omnium plus ædificet. Scribunt enim, se jam ista roborâsse. Præterea vim legis acceperunt decreta non à Papa, sed ab Imperatore. Marcianus enim confirmavit per edictum; post eum Leo Imperator. Quintò. Non solus Romanus, sed omnes Occidentales Episcopi confirmârunt decreta Synodica. Sic Agapetus Episcopus Rhodi ad Leonem Imperatorem; *Quamobrem & penè omnes Occidentalium partium Deo amabiles Episcopi, consentiente sibimet & pariter decernente Leone Rom. urbis Archiepiscopo literis propriis & oris confessione ea, quæ ab ipsis sanctis Patribus Chalcedone collectis interpretata, seu explanata sunt, de Domini nostri Jesu Christi incarnatione, confirmaverunt, atque consignaverunt.* Sextò. Etsi confirmatio illa facta esset, postea tamen rursum in dubium vocata est fides Synodi Chalcedonensis, & jussi à Leone Imperatore Metropolitani totius orbis (ad hos directæ literæ, tom. 2. Concil. pag. 360.) Episcopi dicere sententiam, Romanus pariter & cæteri. Epistolas tomo secundo Conciliorum descriptas vide à pag. 363. usque ad pag. 406. Baronius quidem interpretatur, quòd jussi sint edere confessionem fidei, ut agnoscerentur orthodoxi & hæretici, ad An. 457. n. 8. Verùm Imperator petiit judicium, non nudam confessionem. Inde Episcopi Epiri verbo *judicamus* utuntur, & Coënsis sic claudit, *Julianus Episcopus definiens retuli*, pag. 387. Idem cæterorum sensus. Et, quæso, ut nunc alia taceam, si per confirmationem Leonis Papæ vim legis consecuta est, cur postea Felix, ipse quoque Episcopus Romanus, mittit legatos ad Zenonem Imperatorem, ut ejus auctoritate Concilium confirmetur? apud Evagrium l. 3. cap. 18. Cur primo anno Anastasii Imperatoris, Euthymius Cõstantinopolitanus collectis, qui tum in urbe degebãt, Episcopis, Synodum Chalcedonensem confirmavit? apud Cedrenum pag. 293.

XXVII. Quintò. Producitur Anastasii Patriarchæ Hierosolymitani Epistola ad Felicem Papam. Becanus hæc verba recitat: *Fuit semper Apostolicæ sedis vestræ licentia, iniustè damnatos vel excommunicatos potestatis suæ auctoritate restituere, & sua omnia iis reddere, & eos, qui eos condemnarunt, aut excommunicârunt apostolico punire privilegio: sicut etiam nostris, & anterioribus novimus factum temporibus &c. Antiquis regulis sancitum est, ut quicquid, quamvis in remotis provinciis, super eorum querelis aut excusationibus ageretur, non priùs tractandum vel accipiendum esset, quam ad notitiam almæ sedis vestræ esset deductum, ut hujus auctoritate, juxta quod fuisset faciendum, infirmaretur aut firmaretur.* Jam novimus, illum creatum Hierosolymæ Episcopum, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo octavo, Leonis Imperatoris secundo, Leonis Papæ decimo nono, juxta Baronium. Basilisco Tyranno regnante, id est, anno Zenonis Imp. tertio sedem invasit Gerontius: Et secũdùm Cyrillum in Euthymio, quinto pòst anno moritur, id est, octavo anno Zenonis, apud Baronium, ad Ann. 476. num. 41. Cùm igitur Felix anno Zenonis

nonis decimo creatus sit Papa, si Baronio credas, ad Ann. 483. num. 16. quomodo ad eum dedit epistolam Anastasius Patriarcha? Siccine tertio post obitum anno adhuc scribebat literas Romam? Nunc non movebo, quòd scribit Evagrius lib. 3. cap. 5. Anastasium illum Basilisci literis subscripsisse, quibus abrogatur Chalcedonensis Concilii sententia. Cæterùm quòd hîc Romano injustè condemnatos vel excommunicatos restituendi potestas tribuitur, eandem usurpabant cæteri Patriarchæ. Aut igitur illi omnes Oecumenici, aut ille non ex eo Oecumenicus agnoscitur. Illud absurdum, quia unus esse fingitur. Hoc igitur verum. De reliquo antiquarum regularum sanctio falsissimè laudatur. Ubi exstant istæ regulæ antiquissimæ?

XXVII. Sextò objicitur Augustinus cum aliis Episcopis Carthaginensibus è Concilio Carthaginensi Ep. 90. ad Innocentium scribens; *Hoc itaque gestum, Domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum & quorundam perversitate etiam corrigenda.* R. Primò. Alienum est exemplum. Nam Becanus fatetur, pro particulari Ecclesia leges condi posse, sine assensu Pontificis; at hoc erat Concilium non universale, sed particulare. Deinde Augustinus & collegæ nec istâ epistolâ quicquam dicunt, unde colligas, agnovisse Pontificatum Oecumenicum, nec suam sententiam in Concilio adversùs Pelagium latam suspendunt, donec mentem suam Innocentius declaret, nec petunt supplices, tanquam subditi à Principe, confirmationem actorum, sed legitimè acta illi, tanquam fratri, significant, ut ipse suo quoque loco faciat officium, ut tanto feliciùs eradicetur pestis Pelagiana. Ideo disertè *fratrem* nominant in inscriptione & epistola, quod non ferret à suis hodie Romanus præsul. Imò monent potiùs hominem officii, ne Orientalium decretis corruptus locum det hæresi in sua diœcesi, si ipsum auctorẽ damnare nollet. Sic enim scribunt; *Si ergo Pelagius Episcopalibus gestis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ veneratione justè visus fuerit absolutus, error tamen ipse, & impietas, quæ tam multos assertores habet, per diversa dispersos, etiam auctoritate Apostolicæ sedis anathematizanda est.*

XXVIII. Causa monendi illis hæc erat, quia Pelagius diu latuerat Romæ, & nactus erat multos asseclas, corruperat ipsos sacerdotes, & tentaverat Demetriadem, datâ ad eam epistolâ, cujus exordium est, *Si summo ingenio parique fretus scientia* &c. Inter opera Augustini tom. 2. in app. Ep. 7. edit. Plantin. Quam si notat Hieronymus, quod placet Baronio, ad Ann. 416. num. 14. Pelagius ipsi sedi Romanæ illusit, Siricio superstite, quod postea rursus contigit. Zosimus enim aliquandiu Pelagio & Cœlestio favit, ut apparet ex epistolis, quas Baronius, ad Annum 477. recitat. Ne igitur idem obtingeret Innocentio, tam graviter eum admonẽt & exhortantur Africani, præsertim cùm jam tum rumor increbruisset, quãvis fortasse falsus, illum favere Pelagio, id quod magis clarescit à literis familiaribus, quas unâ cum Synodicis ad Innocen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium miserunt Augustinus & socii Episcopi. Est apud Augustinum epistola nonagesima quinta, ubi sic scribunt; *Audivimus, esse in urbe Roma, ubi ille diu vixit, nonnullos, qui ex diversis causis ei faveant, quidam scilicet, quia vos talia persuasisse perhibent, plures verò, qui eum talia sentire non credunt, præsertim quia in Oriente, ubi degit, gesta Ecclesiastica esse facta in Synodo Diospolitana jactantur, quibus putatur esse purgatus.*

XXIX. Si dicas, rogare Africanos, ut adhibeatur apostolicæ sedis auctoritas, parata est responsio. Nec auctoritas est argumentum Oecumenici Pontificatus, nec quidem apostolicæ sedis auctoritas. Non *auctoritatem* esse argumentum, ipsi, credo, Papistæ facilè dabunt. Neq; enim vel ignorare, vel negare possunt magnam Augustini, magnam Hieronymi fuisse auctoritatem. Sic enim in jure Canonico habet præfatio Distinctionis decimæ sextæ; *Quo quisque magis ratione nititur, eo majoris auctoritatis ejus verba esse videntur. Plurimi autem tractatorum, sicut pleniori gratia sancti Spiritus, ita ampliore scientia aliis præcellentes rationi magis adhæsisse probantur. Unde nonnullorum Pontificum constitutis, Augustini, Hieronymi atque aliorum tractatorum dicta videntur esse præferenda.* Neque tamen ideo isti Oecumenici. Non *auctoritas sedis Apostolicæ.* Plures enim erant sedes Apostolicæ, nominatim Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana. Vis testes? Rufinus lib. 2. Hist. cap. 21. *Apud Alexandriam defuncto Petro, Timotheus & post hunc Theophilus. In Hierosolymis autem post Cyrillum, Johannes Apostolicas reparant sedes.* Sozomenus lib. 1. cap. 16. *Huic (Nicæno) Concilio interfuere, qui sedes tenebant Apostolicas. Macarius Hierosolymorum antistes, Eustachius Episcopus Antiochiæ, Orontem fluvium tangentis, & Alexander, Alexandriæ propter lacum Maréam sitæ.* Quid? Basilius de Ambrosio scribit, quòd ad præsidentiam Apostolicam sit translatus, Epist. 55. Sed & Augustinus ipse, cujus auctoritas nobis opponitur, non unam, sed plures Apostolicas sedes agnoscebat, cùm Epist. 162. scriberet, Cæcilianum potuisse aliorum Collegarum judicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare. Inter has erat Romana; sola non erat, cujus Episcopum Cæciliani collegam appellat Augustinus, nõ appellat Oecumenicum Pontificem & supremum judicem. Cæterùm Africanos Oecumenicum Pontificatum non agnovisse, ex Actis Synodicis nimis est notum. Alibi res ista agitur.

XXX. Septimò. Producitur Ambrosius Epist. 78. ad Theophilum Alexandrinum scribens: *Sanè referendum arbitramur, ad reverendum fratrem nostrum, Romanæ sacerdotem Ecclesiæ.* Et ibidem: *Ut nos quoque cùm id gestum esse, cognovimus, quod Ecclesia Romana comprobaverit, lati huiusmodi fructum examinis adipiscamur.* R. Miror hominem ista velle producere hoc loco. Primò enim, num Ambrosius dicit, nihil posse grave tractari, decerni ac definiri in Ecclesia, nisi priùs consulto ac consentiente Pontifice Romano? At ipse Theodosium Imperatorem excommunicaverat, inconsulto Romano Pontifice. Judicium maximi momenti, quod hodie soli Romano vindicant Papistæ tum

tum alii, tum nominatim Emanuel Sà in Aphorismis, in voce *excommunicatio.* Nec absolutè in omnibus, quod Ecclesia Romana tenebat, etiam tenebat Ambrosius Mediolani. Roma die sabbati jejunabat, Mediolanum non jejunabat, teste Augustino, Epist. 118. Contrà pedum lotio servabatur Mediolani, non servabatur Romæ. Quod cùm recitat Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1. de Romana Ecclesia addit; *Vide ergo ne propter multitudinem declinaverit.* Imò disertè subjicit; *in omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam. Sed tamen & nos homines sensum habemus. Ideo quod alibi melius servatur, & nos rectè custodimus.* Inde factum, quòd Romanum officium non suscepit, sed diversum habuit ab ipso pòst dictum Ambrosianum. Vide, quàm non agnoscat Ambrosius, nihil grave tractari, aut definiri deberé in Ecclesia, inconsulto Romano Pontifice.

XXXI. Secundò. Ambrosius cum Romano Pontifice faverat Paulino, & adhuc favebat Evagrio contra Flavianum, virum optimum, ex Theodoreti testimonio lib. 4. Hist. cap. 25. Sed & duriùs de Flaviano judicat, dum scribit, solum Flavianum exlegem ipsi videri, quòd ad Synodum non venisset, cùm tamen causa Flaviano gravis obstaret. Noverat, sibi Occidentales, inprimis Romanum & Ambrosium adversari. Cùm igitur Flaviano infestus sit, non mirum, quòd censet, referendum esse Episcopo Romano. Ita enim Theophilum movere conatur, ut id statuat, quod placitum esse sciret Occidentalibus & inter eos Siricio, qui vehementissimè Theophilum adversùs Flavianum incitaverat, apud Theodoretum lib. 5. cap. 23.

XXXII. Tertiò. Etsi Ambrosiii judicium, tanquam partium studio affectum, non sit omni exceptione majus, non tamen legem vel fert, vel profert ullam, quâ Theophilus referre teneatur Episcopo Romano, sed illi suadet, ut suscipiat cognitionem & judicium causæ, inter Evagrium & Flavianum, ex mandato Synodi Capuensis: hæc quippe illi, & Ægyptiis Sacerdotibus commiserat. Idque verum fore judicium, pronunciat. Deinde cur ad Romanæ Ecclesiæ Episcopum referendum esse putet, exponit, quia non dubitet, Theophilum ea judicaturum esse, quæ isti displicere non queant. Nihil aliud ergo tribuit Romano Episcopo, quàm quod Theophilus tribuebat Ambrosio. Ad hunc enim referebat. Verba integra recito, quia Becanus suo more truncavit: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum, Romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus, ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim, utile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, ut nos quoque acceptâ nostrorum serie statutorum, cùm gestum esse agnoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit, lati huiusmodi fructum examinis adipiscamur.* Nempe relatio notatur, quæ fit collegæ & conservo, non quæ fit Domino à servo. Denique nota, quòd nec Theophilus Alexandrinus Ambrosii consilio, nec Imperator Romanorum Pontificum voluntati sit obsecutus. Ille enim ad Romanum præsulem non retulit; iste Flavianum confirmavit, teste Theodoreto, id-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que invitissimo & omnibus modis contrà nitente Siricio. Illudne est Oecumenici Pontificatus istâ ætate agniti argumentum?

XXXIII. Postremus testis nominatur Prosper in Chronicis sic scribens, *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum septendecim Episcoporum, ad Pontificem Zosimum synodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Cui bono hæc producuntur? An damnari non potuit hæresis, priusquàm approbaretur sententia à Pontifice Romano? Atqui, illo inconsulto, Africani Cœlestium, Pelagii discipulum, & hæreseos antesignanum damnaverant ante quinque annos, cùm ex altero Concilio scriberent ad Innocentium. A Zosimi verò auctoritate suam adeò non suspenderunt sententiam, ut graviter illi exprobrarent, quòd Cœlestium Romæ admissum audivisset, apud Baronium, ad Annum 418. num. 4. At *Zosimus dicitur probâsse acta.* Hoc non est aliud, quàm quod omnibus Episcopis competit. Inde Athanasius, missis Imperatori Synodi Alexandrinæ actis, testatur, etiamnum suffragiis suis, eam (Nicænam fidem) comprobare omnes, quæ passim sunt in Hispania & Britannia & Gallia & Germania & Italia omni, apud Nicephorum lib. 11. c. 42. Similiter Hispani in Concilio Toletano XIII. apud Baronium, ad Ann. 683. num. 25. de actis Synodi sextæ ad se missis à Rom. Papa scribunt, *in cuius etiam gratiosæ Epistolæ tractu ad hoc omnes præsules Hispaniæ invitati sunt, ut prædicta synodalia instituta* (q̃ miserat Leo II. Papa) *nostri etiam vigoris manerent auctoritate suffulta.* In Concilio, sub Menna, Johannes Constantinopolitanus Act. 5. scribit ad Hierosolymitanum, *necessarium putavi tuæ significare charitati, ut cùm hæc Spiritus Sancti operatione cognoverimus, verbo veritatis confirmet.* Sic cùm Leo Imperator literis ad omnes Episcopos datis rogaret sententiam de Concilio Chalcedonensi, omnes uno suffragio & sensu Chalcedonense Concilium probant, apud Cedrenum, ad tertium annum Leonis.

XXXIV. Becanus testibus addit rationem, quam vocat efficacissimam, quia *Pontifex habeat curam totius Ecclesiæ, ut suprà dixerit; Sicut Rex totius regni, aut Imperator totius Imperii, quisque in suo genere. At nemo potest facere efficax decretum, pro toto regno aut Imperio, nisi consentiente Rege aut Imperatore. Ergo similiter nemo potest facere efficax decretum pro tota Ecclesia, nisi consentiente Pontifice.* Num. 70. R. Primò. Vide hominis vertiginem. Debet probare Pontificis Romani Pontificatum Oecumenicum. Petit argumentum à privilegiis. Jam probare jussus privilegium, petit argumentum à cura & gubernatione totius Ecclesiæ. At hæc ex Papistarum sensu Pontificatum Oecumenicum præsupponit. Dicunt enim Papam totius Ecclesiæ curam gerere, quia sit Oecumenicus, sicut regia totius regni cura regalem præsupponit dignitatem. Tam egregiè possunt isti homines petere principium, & deludere lectoris animum.

XXXV. Secundò. Si Pontifex habet curam totius Ecclesiæ, aut jure positivo, aut consuetudinario habet. Si illo, aut divino,

vino, aut humano. Si divino, ubi legitur? Promantur sacræ tabulæ. Si verò isto, aut civili, aut Ecclesiastico. Civile nec ullum exstat, nec valeret, si exstaret. Quo modo enim Imperator, aut Rex posset uni curam totius Ecclesiæ in toto terrarum orbe committere, cùm nemo totum terrarum orbem habuerit in potestate? Nec auderent eo jure ipsi Papistæ niti. Ecclesiasticum sæpe jactârunt, nunquam demonstrârunt. Ad consuetudinem & usum si animum appellant, frustrà erunt. Initium enim petendum à primis Pontificibus. Primi post Apostolos Linus & Cletus curam totius Ecclesiæ non gesserunt, sed nec eorum successores primis à Christo quatuor vel quinque seculis. Quippe ex quorum numero ne unus quidem nominari potest, qui curam habuerit Ecclesiarum extra Romanum Imperium, quæ fuerunt plurimæ.

XXXVI. Tertiò. Si curam totius Ecclesiæ in Imperio Romano intelligas, nec eo quidem sensu legem divinam, aut ecclesiasticam primis quatuor seculis potes monstrare. Usu invaluisse jam olim, nõ nego, ut Patriarchæ omnium Ecclesiarũ totius orbis curam gerere dicerentur. At intelligebatur orbis Romanus, pro quo sæpe totus terrarum orbis nominabatur, ut patet tum aliis plurimis, tum Constantini exemplo, qui dicit, Athanasium ab Episcopis totius orbis terrarum esse condemnatum in Tyrio Concilio, apud Theodoretum lib. 2. Histor. cap. 16 Nec soli Romano Pontifici id tribuebatur, sed etiam aliis Patriarchis; unde manifestum est, à cura totius Ecclesiæ in Imperio Romano Pontificatum Oecumenicum minimè concludi.

XXXVII. Denique malè Becanus curam Papæ cum regia confert. Non enim quod Rex est in regno, id Papa est in Ecclesia, sed Christus. Regis cura in regno est primaria: sic Christi in Ecclesia. Si quam olim Romanus Episcopus habuit, secundariam habuit, nunquam primariam, quia nunquam fuit Rex & Dominus Ecclesiæ, sed aliquando fuit servus. Jam notum, quòd multi gerere possint curam totius regni secundariam, nec tamen quisquam eorum sit Monarcha, aut Rector Oecumenicus. Sic Electores habent curam totius Imperii, non tantùm sui territorii, nec tamen ullus eorum ea quidem de causa est Imperator. In Polonia Senatores regni, qui semper Regi sunt à latere, curam habent totius regni, neque tamen sunt ideo Reges. Electoribus inconsultis & non consentientibus, non possunt leges ferri à Principibus aliis pro toto Imperio. Nec tamen inter Electores est unus seu solitari⁹ Oecumenicus Rector Imperii. Sic pluribus potest incumbere cura totius Ecclesiæ, ut nullus eorum sit Oecumenicus. Sic Paulus habebat curam omnium Ecclesiarum: Oecumenicus tamen Pontifex non erat. In cura igitur totius Ecclesiæ, etsi veteres Pontifices eam habuissent, Becanus causæ suæ præsidium malè collocat.

****
*****
*

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO XIV.

Quartum prætensum privilegium, quòd Rom. Pontifex leges Ecclesiasticas sancire possit, quæ universam Ecclesiam obligent.

I. QUartum privilegium est, quòd *Pontifex possit sancire leges Ecclesiasticas, quæ obligent universam Ecclesiam.* Nos negamus. Ratio negationis est, quia si potest, habet eam potestatem aut à seipso, aut ab alio. Si à seipso, non opus est disputatione. Quod enim sibi dedit Papa, id nudâ voluntatis suæ declaratione potest tueri ac dicere, *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* At non erit privilegium. Nec enim fando auditum est, dare aliquem sibi ipsi privilegia. Si verò aliunde, vel à Christo habet, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia. Non *à Christo*: Nec enim hanc potestatem Pontifici Romano usquam vel promisisse, vel dedisse in Scriptura canonica legitur, præter quam non sunt alicubi ullæ tabulæ authenticæ. Non *ab Apostolis*: Eos enim vel suo, vel Christi nomine, sive Petro superstite, sive jam defuncto, dedisse, qui affirmet, non est testis fide dignus in primitiva Ecclesia.

II. Si *Ecclesiæ* acceptum ferat, quibus verbis & ubi decretum conceptum, pronunciatum, scriptum? Quòd ab Ecclesia non habeat, omnes inde facilè intelligunt: quòd nec à particulari, nec ab universa habeat. *Non à particulari*: Particularis enim sive Romana, sive quæcunque alia, etsi voluisset, quod de purioribus seculis minimè constat, dare tamen non potuisset. Scilicet ut Electores Imperatori Romano potestatem conferre non possunt, leges ferendi universo terrarum orbi, adeoque omnibus, etiam extra Imperium, regnis & provinciis, sic Ecclesia particularis, etiam Romana, non potest suo Episcopo tribuere potestatem super Ecclesias externas. Non ab *universa*; Nam universa Ecclesia in toto terrarum orbe, nunquam post Apostolorum tempora fuit congregata, nec quidem aliquo loco convenerunt ejus legati, qui decernerent. Inde primi Episcopi Romani leges universæ Ecclesiæ dare non præsumpserunt, quod tamen si unquam, illo tempore necessarium erat, quia tum in orbe universo primùm fundabatur Ecclesia. An id homini dictavit conscientia? Non enim allegat legem divinam, non apostolicam, non ecclesiasticam, non exemplum vel Lini, vel Cleti, vel aliorum, qui primis seculis floruerunt, Episcoporum. An fortasse putavit, his fundamentis opus non esse? Error is esset maximus. Privilegium, nisi jure niti monstretur, nullum est. Jus igitur privilegii probet adversarius.

III. Dicit, *hoc sequi ex dictis, quia cùm Papa Romanus sit caput Ecclesiæ, sicut Rex est caput regni, & Imperator Imperij, nõ minùs potest sancire leges pro tota Ecclesia, quàm Rex pro toto regno, aut Imperator pro toto Imperio.* Num. 71. Iterum notet pius lector vertiginem hominis. Probationem petit ab eo, quod probandum susceperat. Quæritur, num Papa sit caput totius Ecclesiæ, sicut Imperator Imperii,

Rex regni. Negatum à nobis constanter: ab illo non probatum. Et tamen non erubescit, hoc privilegium inde firmare, quòd sit caput Ecclesiæ, cùm per privilegia probandam jam pridem susceperit dignitatem Papæ in Ecclesia, qualis est Imperatoris in Imperio, & Regis in regno. Tam solidè disputant Jesuitæ, seculi nostri miracula. Nihil hîc opponam. Similitudo ipsa, quâ mirè sibi placet Sophista, eum, me tacente, revincit. Imperator sic est caput Imperii, & Rex regni, ut regnet auctoritate primariâ, nec sit alterius Vicarius in Imperio & regno, nec suorum servus, sed Dominus. Num sic Papa est caput Ecclesiæ? Atqui Christi est prima auctoritas in Ecclesia. Non igitur Papæ, nisi Christo nullam, aut secundariam velis tribuere, quam blasphemiam aures Christianorum perhorrescunt. Præterea Papa se jactat Christi Vicarium. Nullus Imperator, Rex nullus in Imperio, vel regno suo se alterius unquam professus est vicarium. Num Papa est Ecclesiæ Dominus? Servum enim servorum se esse, profitetur. Jam patet, non esse caput Ecclesiæ, sicut Imperator Imperii & Rex regni.

IV. Homo promittit explicationem ex tribus generalibus principiis. At nos non exspectamus explicationem, intelligimus enim beneficio Dei, quid velit, sed probationẽ desideramus. Certè principia, quæ jactat, ad rem nihil prorsus faciunt. Primum est, quòd *prælati Ecclesiæ habeant potestatem regendi subditos, & quòd subditi iure divino teneantur eis obedire.* Num. 72. Non est ut hoc probet. Quis n. neget? Novimus Christi sententiã Luc. 10, 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos rejicit, me rejicit.* & Matth. 18, 17. *Si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quispiam ethnicus vel publicanus.* Novimus sententiam Pauli Hebr. 13, 17. *Obedite ducibus vestris & obsecundate.* Novimus verò etiam, quinam sint ordines Prælatorum Ecclesiæ, quibus data est Ecclesiam regendi potestas. Paulus memoravit Ephes. 4, 11. *Dedit ipse*, inquiens, *alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores & doctores.* Idem nominat Episcopos seu presbyteros & diaconos Phil. 1, 1. 1. Timoth. 3, 2. 8. 5, 17. Illi habent à Deo potestatem regendi Ecclesiam. Illis tenentur fideles obedire. Deus enim præcepit.

V. At consequentiam putidam firmet Sophista, nempe hanc, *Prælati Ecclesiæ habẽt potestatẽ regendi Ecclesiã, E. Romanus Pontifex habet potestatẽ totam Ecclesiã obligandi lege.* Nõ potest, nisi constet, esse Oecumenicum Pontificem. Ab auctoritate enim muneris pendet legum auctoritas. Illa verò est maximè controversa. Illam ante omnia probent Papistæ. Inter Prælatos Ecclesiæ extraordinarios non numeratur. Non enim est Apostolus, non Propheta, non Evangelista. Ordinarii sunt pastores, doctores, diaconi. Inter eos numerari non vellet; Hi enim sunt in Ecclesia plures numero. Ille vult unicus esse. Supra omnes esse non potest. Apostoli enim primo ordine collocantur. Si tamen se illis præferre, & Oecumenicum Papatum tueri, stat sententia, quis eum, quando, & quibus verbis vocavit, ut universam totius orbis Ecclesiam regat solus potestate sive summâ, qualis est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regis in regno, sive subalternâ, qualis est Proregis.

VI. Secundum, quòd *Prælati Ecclesiæ non tantùm habeant potestatem regendi, sed etiam coërcendi & puniendi subditos, si non obediant.* Num.73. Nec hoc controversum, modò rectè intelligatur. Notæ sunt sententiæ Apostoli dicentis 1. Corinth. 4,21. *Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an cum charitate & spiritu lenitatis?* Item 2. Corinth.13,10. *Hæc absens scribo, ne præsens severitate utar, ex potestate, quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, non ad destructionem.* Non autem tantùm ista scripsisse Apostolum, sed & potestate usum esse, æquè nobis notum. Objurgat Corinthios ob suscitata schismata, 1. Cor. 1. Reprehendit tum ambitiosos doctores, tũ stultos eorum admiratores, 1. Cor. 3. Graviter reprehendit fideles, qui fidei socios ad infidelium tribunalia trahebãt magno cum offendiculo, 1. Corinth. 6. Iremque quòd cœnam dominicam profanarent, 1. Corinth. 11. Petro in os restitit, eo quòd condemnandus esset, Gal. 2,11. Galatarum amentiam redarguit, Gal. 3. Hymenæum & Alexandrum tradit Satanæ, ut discant non blasphemare 1. Timoth. 1,20. Huc pertinet, quòd Christus claves regni cœlorum Petro cæterisque Apostolis dedit, Matth. 16,18. cap. 18, 18. Johan. 20,21.

VII. Sunt autem circa coërcendi potestatem duo inprimis annotanda. Unum est, quòd omnium hominum ordines in Ecclesia illi sint obnoxii, nempe Magistratus Politici summi, intermedii, infimi. Ecclesiæ ministri omnes, cujuscunque sint ordinis & dignitatis: omnes denique auditores Christum profitentes. Pontifex igitur Romanus in Ecclesia locum habere non potest, nisi coërcitioni Ecclesiasticæ se subjiciat. Petrus illi fuit obnoxius, cur non Romanus Episcopus? Alterum, quòd coërcitio ecclesiastica sit non corporalis, sed spiritualis. Civilis facultates aut corpus & omnino hanc vitam temporalem tangit: Ecclesiastica animam tangit. Huc pertinet, quòd delinquentes puniuntur verbis & facto. *Verbis*; dum publicè reprehenduntur. *Facto*; dum pro delicti ratione suspenduntur abusu sacramentorum, aut etiam flagitiosi contumaces Satanæ traduntur. At bonis suis spoliandi, aut vita privandi tradi non possunt hominibus ab Ecclesiæ ministris. Nec potestas Imperatores, Reges ac Principes deponendi, regna & Principatus iis auferendi, subditos à juramento fidelitatis absolvendi, est ulli Prælato Ecclesiæ à Christo data. Tertium. Ecclesiastica pœna est potiùs castigatio, quàm pœna propriè dicta. Ecclesia est mater, quæ potiùs castigat, quàm propriè punit. Patet. Pœna enim propriè dicta non emendationis, sed ultionis rationem habet; unde nequidem pœnitenti remittitur. Castigatio spectat emendationem. Unde Ecclesia neminem castigat, nisi cujus resipiscentiam quærit. Si igitur Becanus Prælatis potestatem dictandi pœnam propriè dictam corporalem tribuit, habet quod probet. Dictis allegatis minimè probat. Sancto Apostolo corporalis pœna propriè dicta in mentem non venit. Sin autem generatim de potestate coërcendi loquitur, probatione prolixâ supersedere poterat. Eam enim agnoscimus.

Ad consequentiam statuminandam potiùs converti debebat nempe hanc, Prælati Ecclesiæ habent potestatem coercendi contumaces in Ecclesia sibi credita; ergo Papa habet potestatem coercendi totam Ecclesiam totius terrarum orbis.

VIII. Tertium, quòd *Prælati Ecclesiæ habeant potestatem condendi novas leges obligantes in conscientia.* Num. 74. Hæc quæstio est alterius loci; eam huc affert, ut suam tegat nuditatem & ne nihil pro quarto privilegio videatur attulisse. Non simpliciter damus, sed suo loco explicamus, quousque obligatio Ecclesiasticarum legum se extendat. Hic brevissimè. Primò. Leges Ecclesiasticæ, seu ceremoniales, quæ sunt determinationes circumstantiarum necessariæ, vel utiles ad servanda præcepta moralia primæ tabulæ, ad ordinem & decorum servandum in congressibus Ecclesiæ & in usu ministerii Ecclesiastici, vel ad exercitia pietatis externa publica & privata, vel ad vitandum scandalum infirmorum & adducendos eos ad Ecclesiam atque agnitionem veritatis, obligant conscientias per se sub ratione cultus, saltem in generali, juxta illud Heb. 13. *obedite præpositis vestris.* Genus talium est morale & à Deo præceptum, ideo cultus Dei. Secundò. Leges eædem in particulari obligant conscientias per accidens, quatenus earum violatione turbatur ordo & decorum Ecclesiæ, vel contemnitur Ecclesia, vel præbetur scandalum infirmis.

IX. Tertiò. At in particulari non obligant per se conscientias, nedum sunt cultus Dei. Non *obligant per se conscientias*, quia Ecclesia res indifferentes non jubet facere, propter suum mandatum, sed propter justas mandandi causas, ut sunt conservatio ordinis, vitatio scandali, quæ quamdiu non violantur, relinquuntur conscientiæ liberæ; neque Ecclesia talem potestatem accepit à Deo, sicut magistratus civilis, ut ex rebus indifferentibus faciat necessarias, per se, sub culpa morali: idque repugnaret libertati Christianæ. Nota est sententia Pauli, Col. 2. *Nemo vos judicet in cibo & potu.* Et Petri, *Non dominantes clero*, 1. Petr. 5,2 *Non sunt cultus Dei*, quia solius Dei est, instituere cultus, & damnatur omnis ἐθελοθρησκία, Math. 15. Ezech. 20,18. Sed, ut dixi, de hoc alibi. Hic tenemus adversarium, ut probet consequentiam. *Episcopi possunt condere leges obligantes conscientiam; Ergo Papa potest condere leges obligantes totam Ecclesiam.* Non potest probare, nisi præsupponat, Papam esse Oecumenicum. Sicut Prælatus nullam particularem Ecclesiam lege obligare potest, nisi cujus est Prælatus. At Oecumenicus Pontificatus est in quæstiõe. Oleum igitur & operam perdit infelix Sophista.

X. Ratio, quam pro obligatione legum Ecclesiasticarum in cõscientia affert num. 74. est inutilis, nempe ista, quòd *habeant potestatem regendi & puniendi subditos, & subditi teneãtur illis obedire.* Committitur enim error consequentis. Etsi enim leges de rebus adiaphoris non ligent in particulari per se conscientias, nihilominùs tamen debent servari ab omnibus ad evitandum scandalum; modò sint justæ. Deinde potestas regendi, & necessitas obediendi nec conjuncta est, nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

respicit adæquatè potestatem condendi leges. Potest enim quis regere secundùm leges jam latas. Obedientia debetur habenti auctoritatem jubendi, quamvis non habeat potestatem leges condendi. Exemplum cape à Republica; Multis tenemur obedire, qui νομοθεσίαν non habent. Sic Episcopi regunt & jubent juxta leges jam latas, 1. Timoth. 4, 11. *Hæc denuncia & doce.* Confer cap. 5. & 6. Tit. 2, 15.

XI. Alienum quoque est, quòd excipit, *Prælatorum potestatem latius se extendere, quàm ad ea, quæ sunt juris divini.* Num. 75. Vel enim intelligitur de cultu divino, ut novi instituendi habeant potestatem, vel de ordine & disciplina externa. Priori sensu falsum est, nec probatur dictis allegatis: Posteriori verum, sed non ad rem. Probatio, quam subjungit, non satis est commoda. Eam inde petit, 1. Quòd *testimonia allata non adstringantur ad solum ius divinum.* 2. Quòd *Apostoli multa præceperint subditis, quæ non erant iuris divini, nempe in Concilio Hierosolymitano, de suffocato & sanguine,* Act. 15. *item Paulus de digamis ad Episcopatum non admittendis,* 1. Timoth. 3, 2. quòd *alibi sua præcepta à Domini præceptis distinguat,* 1. Corinth. 7, 10. Deniq; quòd *in canonibus Episcoporum, decretis Conciliorum generalium, decretis Pontificum multæ sint leges Ecclesiasticæ de iis rebus, quæ iure divino in particulari non sunt determinatæ.* Num. 75. Hæc, inquam, probatio non satis commoda. Non enim est necessaria, si de externo ordine & disciplina agatur. Nos ultrò agnoscimus hîc potestatem. De cultu divino non valet. Nam primò dicta citata loquuntur de Præpositis & Ecclesia sonante legem & doctrinam Dei, jubent audire, non spernere Apostolos eorumque successores, docentes ea, quæ Deus præcepit, & quæ sunt propria ejus ministerii: at potestatem instituendi novos cultus Præpositis non conferunt. Secundò. Ab Apostolorum auctoritate ad Ecclesiæ Prælatos non valet consequentia. Non enim quicquid potuerunt Apostoli ratione officii proprii, id Prælati possunt ratione officii communis.

XII. Tertiò. Apostoli quidem nonnulla præceperunt, quæ jure divino non erant sancita, at non sub ratione cultus, sed quæ servarentur propter ordinem, & evitandi scandali causâ. Quartò. Decretum de suffocato non tam erat lex nova, quàm repetitio & commendatio veteris. Inde Chrysostomus Homil. 35. in Acta Apost. *A lege,* inquit, *hæc sumunt.* Inquis, *at erat abrogata.* Abrogata quidem morte Christi, ne obligaret, poterat tamen ad tempus commendari. Sicut Augustinus epist. 19. scribit, *Paulum & alios rectæ fidei Christianos, tunc illa vetera sacramenta paululum observando veraciter commendare debuisse, ne putarentur ista Prophetica significationis observationes à piissimis Patribus custoditæ, tanquam sacrilegia diabolica, à posteris detestatæ.* Quintò. Non obligabat conscientias per se extra scandalum. Probo 1. si ut necessariam proposuissent Apostoli, evertissent ipsi suum decretum de liberatione à legis onere. Voluisse enim liberare, manifestum ex statu quæstionis & suffragiis. 2. Postea exspiravit. Tantùm igitur scandali habita est ratio. 3 Apostolus, qui interfuit Concilio, sic explicat, 1. Corinth. 8. v. 4. 13. cap. 10, 27. 30. Sextò. Lex de digamis non admittendis corrumpitur à Sophistis. Apostolus eâ non arcet digamos, qui successivè habuerunt duas conjuges, sed qui habuerunt simul, ut tum ipsa phrasis, tum totus contextus indicat, & explicat Chrysostomus & Theodoretus. At digamos, qui simul plures uxores habuerunt, non arcet novâ lege, sed eâdem, quâ exigit, Episcopũ debere esse ἀνεπίλημπτον, sive ἀνέγκλητον. Est enim digamia simultanea peccatum adversùs legem Dei.

XIII. Denique canones apostolici sunt suppositicii. Concilia generalia non statuerunt novos cultus; sed multa statuerunt quoad externum ordinem. Decreta Pontificum, quæ in Papatu circumferuntur, & tomis Conciliorum sunt inserta, non sunt unius notæ. Multa veteribus Pontificibus afficta, quæ in canonum codice olim non exstabant. Leo IV. cùm decretalium regularum indicem texit, nominat tantùm regulas Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii & Gregorii junioris. Has esse dicit, per quas Episcopi & Clerici judicentur. Non agnoscit ullius Pontificis, qui ante Sylvestrum fuerit, regulas decretales, quarum sit usus in Ecclesiasticis judiciis. C. *De libellis.* Dist. 20. Ita detegitur fraus eorum, qui Clementi, Anacleto, Euaristo, aliis antiquioribus leges decretales tribuunt. Cæterùm quæcunque ingeruntur decreta, tanquam ab Oecumenicis condita, nos minimè curamus. Ea enim potestas nemini est divinitus concessa. Quicunque igitur Pontifices eam sibi arrogârunt, repudiandi sunt, tanquã transgressores dominicæ institutionis.

Sectio XV.

Argumenta Antonii contra Oecumenicum papatum producta vindicantur.

I. Hactenus examinata sunt argumenta Becani: sequuntur nostra, quæ sunt vindicanda ab exceptionibus. Becanus dicit, M. Antonium multa objicere, quæ discussa sint l. 3. de repub. Eccles. cap. 5. Multa objecisse Antonium, certum; an discussa sint, nescio. Libros enim citatos de repub. Eccles. non habeo ad manum. Præcipuam objectionem sumptam esse, putat num. 76. ex dictis Pelagii & Gregorii Pontificum, qui acerrimè oppugnaverunt titulum Oecumenici, seu universalis Patriarchæ in Johanne Constantinopolitano. Sic quidem fortè videri possit Becano, quia illi fuerunt Pontifices. Antonius autem, nostro judicio, habet argumenta multo graviora, quæ hîc tangere noluit Jesuita unicè occupatus vindicandis Pontificum verbis. Nos id condonamus homini, quia profectum à reverentia erga Romanam sedem. Imò ordinem ejus secuti de illis primo loco agemus. Sic ergo Pelagius II. in epist. ad Concilium Constantinopol. apud Gratianum, cap. *Nullus* Distinct. 99. *Nullus Patriarcharum* universalitatis *vocabulo unquam utatur, quia si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cujusque mente, hoc sibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

imminuere ex quantulacunque parte videatur.

II. Gregorius primus lib.4. epist.32. ad Maurit.Imp. *Quid verò non causa mea, sed Dei est: & quia non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia, quia piæ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipsa Domini nostri Jesu Christi mandata superbi atque pompatici cuiusdam sermonis inventione turbantur, piissimus Dominus locum secet vulneris atque resistentem ægrum augustæ auctoritatis vinculis constringat.* Infrà; *Sæviunt & dominantur quotidie in necem fidelium, cultores idolorum, & tamen sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & novis & profanis vocabulis delectantur.* Item; *Quis est iste, qui contra statuta Evangelica, contra canonum decreta, novum sibi nomen usurpare præsumit?* Infrà: *Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisquam arripit, quod apud bonorum omnium judicium sunt: universa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is, qui appellatur universalis, cadit. Sed absit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.* Lib.6.Ep. 30.ad eundem Mauritium; *Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, qui superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbiâ ad errorem ducitur: quia sicut perversus ille, Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super cæteros sacerdotes se extollit.*

III. Rursum lib.4.Epist.38.ad Johannem Constantinopolitanum; *Rogo, deprecor, & quantâ possum dulcedine exposco, ut fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat.* Item: *Quis, rogo, in hoc tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur.* Lib. 7. Epist. 69. ad Eusebium Thessalonicensem aliosque complures Episcopos: *Quia jam mundi huius termino propinquâte, in præcursione sua apparuit humani generis inimicus, ut ipsos, qui ei contradicere benè atque humiliter vivendo debuerunt, per hoc superbiæ vocabulum præcursores habeat sacerdotes, hortor atque suadeo, ut nullus vestrûm hoc nomen aliquando recipiat, nullus in id consentiat, nullus scribat, nullus ubi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adjiciat: sed sicut omnipotentis Dei ministros decet, integrum se ab huiusmodi venenata infectione custodiat, & callido insidiatori in se locum non præbeat: quoniam hoc in totius Ecclesiæ injuriam, ac dissensionem & in omnium vestrum despectum fit. Nam si unus, ut putat, universalis est, restat, ut vos Episcopi non sitis.* Videatur etiam lib.6.Epist.24. ad Anastasium Antiochenum. Lib.4. Epist.39. *In isto sceleste vocabulo consentire, nihil est aliud, quam fidem perdere.* Epist.36. Eulogio Alexandrino & Anastasio Antiocheno scribit, mortem potiùs oppetendam esse, quàm in nomen illud consentiendum, idque facere, se paratum ostendit.

IV. Be-

IV. Becanus num.77. primò excipit, *M. Antonium non intelligere Patres, qui reprehendant Johannem Constantinopolitanum, quòd titulum universalis Patriarchæ sibi fastuosè arrogaverit.* Atqui hoc Antonius disertè notaverat, lib.4. de Repub. Eccles.cap.7. num.28. & seqq. Secundò distinctione difficultatem expedire conatur. Ait, primò, *dici universalem Episcopum in Ecclesia.* Secundò, *Episcopum universalis Ecclesiæ. Priorem titulum reprehendi in Johanne; Posteriorem Pontifici Romano concedi. Inter utrumq; esse hoc discrimen: qui dicat se universalem, illum insinuare, se solum esse Episcopum, & aliis omnibus derogare nomen honoremque Episcopalem: qui dicat, se esse Episcopum universalis Ecclesiæ, non significare, se esse solum Episcopum, sed se habere generalem curam & gubernationem totius Ecclesiæ, licet alii habeant specialem curam Ecclesiarum particularium, quo sensu Pontifex dicatur Episcopus universalis Ecclesiæ, id quod fateatur Gregorius.* &c. Hæc exceptio est aliena. Nam primò per Ecclesiam universalem vel intelligitur quæ non est hæretica, vel omnium Ecclesiarum particularium toto terrarum orbe dispersarum corpus ac compages. Utroque modo vocem capi, alibi dictum. Si priori modo hîc capiatur, unusquisque Episcopus catholicus potest dici Episcopus universalis Ecclesiæ. Est enim antithesis inter hæreticam & universalem Ecclesiam. Ideo non est privilegium peculiare Romani Pontificis. Sic in gestis collationis Carthagine habitæ Honorii Cæsaris jussu sæpe legitur, *Aurelius Episcopus Ecclesiæ catholicæ. Augustinus Episcopus Ecclesiæ catholicæ.* Epiphanius Hæres.61. de Photino hæresiarcha ait, Ἐπίσκοπος γέγονε τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Arsenius scribit ad Athanasium, se diligere pacem & unionem cum catholica Ecclesia, cui ipse nunc præsit. Si Athanasius præerat catholicæ Ecclesiæ, Ergo illius erat Episcopus. Si posteriori modo, æquipollent, quæ Becano discernere placet, nempe universalis Episcopus Ecclesiæ, & universalis Ecclesiæ Episcopus. Nec ulla ratio solida afferri potest, cur universalis Episcopus dici nequeat, qui universam Ecclesiam regit.

V. Secundò. Gregorius Oecumenici titulum simpliciter & absolutè rejicit, reprehendit & insectatur. At Papistæ hodie suum Papam Oecumenicum esse, palàm jactant, quod ab illo plurimum differt, ut hîc fatetur Becanus contra Bellarminum, qui in utroque eundem sensum collocat lib.1.de pont.Rom.cap.31. Tertiò, Papa Romanus potiùs, quàm Constantinopolitanus dici posset, se gerere Oecumenicum priori sensu; nam reliquos omnes habet pro ministris suis; solus igitur propriè Episcopus. Sicut & ipse solus dici vult Papa, cùm olim promiscuè omnibus Episcopis titulus ille communis esset, ut fatetur Onuphrius Panvinius in Annotationibus ad Platinam, in vita Bonifacii tertii, *Additum*, inquiens, *Papæ nomen, quod omnium vocabulorum Episcopalium excellentius esse statutum est, solus Romanus Pontifex, cùm antè omnibus commune esset Episcopis, retineret.* Huc pertinet, quòd Gregorius septimus apud Baronium, ad Annum 1076. promulgavit decretum, jam aliquoties suprà allegatum, quòd uniçum nomen in mundo sit, Papæ videlicet.

licet. Apud Ottonem Frisingensem lib. 1. de vita Friderici cap. 57. Cardinalis de sede Romana; *Hæc*, inquit, *est sola, quæ claudit, & nemo aperit, aperit & nemo claudit, Papa omnium Ecclesiarum iura ad se traxit.* Episcopis igitur honorem suum detraxit. Archiepiscopi olim confirmabant Episcopos. Papæ confirmatione opus non erat. At ille postea confirmare cœpit.

VI. Quartò. Gubernationem universalem totius Ecclesiæ, quam Episcopo Romano vindicant Gnathones, aut illi tribuunt, manentibus partibus integris, id est, Episcopis cum potestate Episcopali ipsorum propria & non aliena, primaria & non delegata, aut partibus non manentibus integris. Si non manent partes integræ, Episcopi reliqui ñ sunt Episcopi, sed solus Romanus. Si manent partes integræ, actum est de Papatu Oecumenico. Quid enim erit ista supereminentia? Eritne in ipsa potestate Episcopali? Id est, ut hic Episcopus universalis, hac potestate supereminеat omnibus, & curam habeat omnium Ecclesiarum generalem, ideo, quia illa sit ipsius propria, & illi soli tradita, alii verò eam ab ipso participent, & tantam habeant, quantam ille communicet? Sic partes non manent integræ.

VII. Quintò. Gregorius posteriori sensu Oecumenici titulũ impugnat. Probo. Nã primò eo sensu impugnat, quo sensu usurpabat Johannes. At iste nunq̃ voluit esse solus Episcop°, ut reliqui ñ essent, sed eminere inter cæteros. Gregorius illi hoc quidem tribuit, sed per consequentiam, non ex ipsius Johannis sensu. Id patet de Episcopis & Patriarchis. Episcopi, qui erant in ejus ditione, Episcoporum nomen retinuerunt, tum ab Imperatoribus, tum ab ipso Johanne Constantinopolitano sic appellati. Neque Patriarchis reliquis, sive Orientalibus, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, sive Occidentali, qui erat Romanus, titulum Patriarchæ volebat eripere. Non eripuit, sed lubens tribuit.

VIII. Secundò. Eo sensu Gregorius titulum impugnat, quo Mauritius Imperator approbabat. Hic enim jusserat, ne quid moveret propter titulum Gregorius, sed quiesceret, ut ipse ad Constantiam Augustam scribit lib. 4. epist. 34. At qui Mauritio non erat in animo, vel Gregorium, vel alium quemcunque Episcopum dignitate & titulo privare. Sed descriptio Gregorii idem docet. Sic enim ille lib. 4. Epist. 34. *Illud appetunt, unde omnibus digniores videntur, illum imitantur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur, quòd honori quoque Imperii se superponit.* Lib. 4. epist. 38. *Ti quid Christo universalis sc. Ecclesiæ capiti, in extremi iudicii dicturus es examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris Universalis appellatione supponere?*

IX. Tertiò. Eo sensu Johannes Oecumenici titulum jactabat, quo Romanus postea accepit à Phoca, teste historiâ. Platina in Bonifacio III. *Bonifacius tertius, patriâ Romanus, à Phoca Imper. obtinuit, magnâ tamen contentione, ut sedes B. Petri Apostoli, quæ caput est omnium Ecclesiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus: quem quidem locum Ecclesia Constantinopolitana sibi vendicare conabatur, faventibus interdum malis Principibus affirmantibusque, eò loci primam sedem esse debere, ubi Imperii caput esset.* Num dicent Papistæ, Bonifacium à Phoca eâ mente accepisse titulum, quasi non alius præter eum esset Episcopus in Ecclesia?

X. Quartò. Eo sensu impugnabat Gregorius in Johanne Oecumenici titulum, quo sensu suis Antecessoribus oblatum à Synodo Chalcedonensi multoties jactat. Num verò credibile est, ullum mortalium tam ineptum esse, ut offerret Romano hunc honorem, ut solus esset Episcopus? Num omnes Patriarchæ, num omnes alii Episcopi numero plurimi se abdicâssent Episcopatu? Sic arguo ex hypothesi Gregorii. Nam revera nihil ejusmodi constat de Chalcedonensi Synodo. Imò suprà probavi, æqualia jura Constantinopolitano tributa esse cum Romano, solo excepto ordine, in quo Romanus primus, Constantinopolitanus secundus esse debuit.

XI. Si Sophistæ morosè refragentur, illud cogitet pius lector, quòd in Romano Pontifice deprehendantur, quæ Johanni crimini dat Gregorius. Pauca recito. Dat illi crimini, 1. Quòd cuncta Christi membra sibi conetur supponere, nomine Universalis. 2. Quòd nulli subesse, omnibus præesse velit. 3. Quòd cupiat seipsum Episcopis omnibus vocabulo elationis præponere. 4. Quòd omnes Episcopos sub se premere conetur. 5. Quòd in Pontificatus gradu sibi singularitatem arripiat. Idem facit Papa Romanus. Cuncta Christi membra conatur sibi supponere, nulli vult subesse; solus omnibus vult præesse; seipsum omnibus Episcopis præponit; omnes Episcopos sub se premere conatur; in Pontificatus gradu singularitatem sibi arripit: solus enim vult esse Oecumenicus. Non, inquam, solus vult dici Episcopus Ecclesiæ universalis, sed solus vult dici Universalis. Negas? Contradicis igitur Gregorio septimo in faciem, sic apud Baronium, ad Annum 1076. decernenti, *Quòd solus Romanus Pontifex iure dicatur universalis.* Jam quis credat, quomodo Papa dici velit, meliùs Becanum nosse, quàm Papam? Nugas igitur vendit Sophista & fumum.

XII. Verba Gregorii, quibus priorem sensum impugnare videtur, hæc sunt lib. 4. epist. 34. *Triste valdè est, ut patienter feratur, quamdiu despectis omnibus, prædictus frater & Episcopus meus solus conetur appellari Episcopus.* Epist. 36. *Si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et lib. 7. ep. 69. *Nam si unus, ut putat, universalis est, restat, ut vos Episcopi non sitis.* At his verbis non sensus Johannis, sed incommodum exprimitur, quod ex ejus sequatur sententia. Constat enim nimis manifestè, illum noluisse solum esse Episcopum, reliquos ñ esse suo loco & gradu, sed voluisse eminere super cæteros. Contrà Gregorius urgebat vim nominis. Cùm enim munus Episcopi sit personale, nemo potest universalis esse Episcopus, nisi omnium curam per se gerat, qualem Episcopus habere debet. Baronio, ad Annum 587. num. 16. commentum Becani & aliorum non placuit; ideo ille non accipit simpliciter dictum, quòd nullus Patriarcha dici de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

debeat universalis, sed quòd nullus Orientalium. Sésit igitur, Romanum nihilominùs rectè dici universalem, quod Cardinalis commentum, quis ingeniotam obtuso sit, qui admittat? Disertè enim Gregorius à se repellit universalis titulum, quem Eulogius Alexandrinus Episcopus ipsi deferebat.

XIII. Jam quòd scribit, Gregorium fateri, *Romanum dici Episcopum universalis Ecclesiæ, & Petro esse commissam curam totius Ecclesiæ*, Num. 76. & 77. Ad id facilis est responsio. Ad *prius* quidem: is titulus non est proprius Romano, sed cæteris communis. Athanasius erat Episcopus Ecclesiæ universalis, id est, non hæreticæ. Sic Aurelius Augustinus, sic alii. Si autem Episcopus universalis dicatur idem, qui régit universam Ecclesiam totius orbis terrarum, nego, id de Romano asserere Gregorium. Ad *alterum*: Petro curam totius Ecclesiæ esse commendatam, novimus, quamvis non soli; Romano Episcopo esse commendatam non novimus. Ubi enim literæ investituræ dominicæ? Nondum datum est videre. Hîc nota, Apostolum Petrum nunquam dictum universalem. Ergo nullo modo dici potest Romanus. Atque eam mentem fuisse Gregorio, vel hinc intelligas. Eulogius Alexandrinus Gregorium appellat Oecumenicum Patriarcham. Num quòd solum agnosceret Patriarcham, reliquos non esse? Ridiculum. Constantinopolitanum, Antiochenum, Hierosolymitanum æquè ac Romanum, Patriarchas agnoscebat, nec ipse huic dignitati renunciabat. Ergo honoris causâ deferebat titulum, & quòd Patriarchis, inprimis verò duobus summis, Romano & Constantinopolitano omnium Ecclesiarum in Imperio Romano cura videretur incumbere, propter urbis dignitatem. Nec tamen agnoscere volebat titulum Gregorius, sed verbis multis deprecabatur, quibus si animus non respondit, causa nostra non læditur, sed superbia & hypocrisis hominis detegitur.

XIV. Porrò Becanus opponit Antonio Gregorium & Pelagium, idque quòd Gregorius dixerit, *Petro esse commissam curam totius Ecclesiæ*, quod neget Antonius; Pelagius verò scribat, 1. *Auctoritatem convocandi generalem Synodum singulari privilegio esse traditam Apostolicæ sedi.* 2. *Nullã Synodum ratam esse, quæ apostolicâ auctoritate non sit firmata.* 3. *Pontificem posse excommunicare Orientales.* Num. 77. Bz. Fruſtrà opponitur tum Gregorius, tum Pelagius. Gregorius quidem; Antonius enim non negat, Petro commissam esse curam totius Ecclesiæ, quod affirmat Gregorius. Soli Petro commissam esse, negat, quod nec affirmat isto loco Gregorius, nec quidem verè posset affirmare. Cæteris enim Apostolis etiam commissam esse, constat è Scriptura. Et Paulus dicit, se habere curam pro omnibus Ecclesiis, qui in alienum officium se non ingessit, 2. Corinth. 11, 28. Pelagius opponitur fruſtrà. Quæ enim ille in sua scribit Epistola, partim falsa sunt, partim aliena. Falsum est, quòd generalem Synodum convocandi auctoritas, singulari privilegio, sit Apostolicæ sedi tradita. Quis, ubi & quibus verbis tradidit? Non dicit. Exprimendus autem omnino est auctor Privilegii & monstranda tabula.

Gc-

generales, seu Oecumenicæ synodi ab Imperatoribus sunt convocatæ. Non convocatæ ab aliqua sede Apostolica. Rursum falsum, quòd nulla synodus rata, quæ Apostolicâ id est, Romanæ sedis auctoritate non sit firmata. Sic enim Pelagium Becanus interpretatur. Rata fuit Constantinopolitanæ primæ itemque Chalcedonensis synodi sententia de æqualibus juribus Constantinopolitani cum Romano, quamvis Romana sedes diutissimè contradixerit.

XV. Alienum est, quod de convocatione & confirmatione Conciliorum dicitur. Nominatur enim Apostolica sedes. At Alexandrina & Antiochena æquè est Apostolica sedes, ac Romana. Antiochena; nam eam certò fundavit Petrus, & Gregorius Anastasio Antiocheno scribit, lib. 4 Epist. 37. *memento, quia Apostolicam sedem regis.* Alexandrina; Nam idem Gregorius scribit, Romanam, Antiochenam & Alexandrinam esse unam sedem Petri, in qua tres sedeant Episcopi. Ideo Eulogii Alexandrini benedictionem appellat benedictionem Petri, lib. 7. Epist. 29. Sed & alienum est, quod de potestate excommunicandi subjungitur. Quod enim Pelagius Orientalibus minatur, id par pari, imò inferior superiori non tantùm minari potest, sed etiam adversùs eum exsequi. Monet Orientales, ne ipso inconsulto generalem celebrent synodum, si Apostolicæ sedis non velint communione carere. Nondum ipsis, sed soli Johanni excommunicationem diserte denunciat. Sed denunciaverit omnibus. Quid tum? Stephanus Antiochenus & reliqui Orientales Julium Episcopum Romanum excommunicarunt & deposuerunt Philippopoli, tempore synodi Sardicensis; Dioscorus Alexandrinus Leonem; Menas Constantinopolitanus, Vigilium; Hilarius Pictavorum Episcopus Liberium; Johannes Antiochenus Cyrillum; Severianus Episcopus Aretusæ Severum Antiochenum, cui erat subditus. Aut igitur illi omnes fuerunt Oecumenici, aut comminatio subducendæ communionis non est argumentum Oecumenici pontificatus. Certè Pelagium eâ mente non scripsisse, inde colligitur, quia non suo unius nomine offensæ & excommunicationis mentionem infert, sed utrobique cæteros Episcopos Apostolicæ sedi apertè conjungit. *Prædecessores*, inquiens, *Johannis, & ipse Johannes non semel, sed sæpissime epistolas atque libellos propriâ manu subscriptos, sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Deo protestati sunt, nihil unquam protervè contra Apostolicã sedem agere, nec de illius, aut aliorum privilegiis quicquam usurpare. In ipsis epistolis vel libellis, anathematis vinculo se & successores eorum constrinxerunt, si unquam aliquid contra eos præsumpsissent, aut contra Apostolicam, vel ullius alterius Episcopi sedem quicquam adversi quoquomodo essent moliti.* Item; *Sciat se tamen & ipse Johannes, nisi errorem suum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore, & Apostolicæ sedis atque omnium sanctorum Episcoporum communione carere. Universalitatis quoque nomen, quod sibi illicitè usurpavit nolite attendere, nec vocatione ejus ad Synodum, absque auctoritate sedis Apostolicæ, unquam venite. Apostolicæ sedis & cæterorum Episcoporum communione vultis frui.* Ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

ista omnia nihil prorsus valent contra Antonium, qui jure excipiendi contra Gregorium & Pelagium eò nequit privari, quod ipse eorum auctoritate utatur, & sanctos nominet. Fallitur nimiopere Jesuita. Possunt contra Papistas citari, & tamen si quid Romanæ sedi tribuerunt, quod minùs convenit, rejici, tanquam suspecti. Quia in propria causa testantur. Etiam sancti possunt labi. Non mox omne testimonium sanctorum est omni exceptione majus. Nisi Papistæ renuncient exceptionibus adversùs omnes Patres, & nullum eorum in ulla causa, tanquam suspectum, velint rejicere, quia eorum auctoritate utuntur & sanctos vocant. Num placet?

XVI. M. Antonius collegerat quædam argumenta, ex Gregorii verbis: Ea conatur Becanus solvere. Primum; Qui se dicit & facit Episcopum universalem, reliquis omnibus Episcopis & nomen & honorem aufert, & dignitatem, eamque totam in se solum convertit. Excipit verum esse eo sensu, quo Johannes se vocabat universalem; at Romanum Pontificem non se vocare Episcopum universalem, eo sensu, quo Johannes. Num. 78. Imò eo sensu se vocat. Nam ille non solus volebat esse Episcopus, sed omnibus anteferri. An non hoc sibi sumit Romanus Papa. Sumere dico, quia illi à Deo datum esse, nusquam legimus. Num fortasse Papistæ Papam non agnoscunt universalem Patriarcham? Est ergo particularis. Ergo certam habet diœcesin ab aliorum diœcesibus distinctam. At hoc nollent Papistæ. Ideo Baronius contendit, Pelagium, dum ait, *nullum Patriarcharum dici debere universalem*, ad illos Orientales, ad quos scribebat, habuisse respectum. Quod ridiculum est, & à Pelagii verbis prorsus alienum. Is enim sic; *Nullus Patriarcharum hoc tam profano vocabulo unquam utatur, quia si summus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Hîc seipsum includere, quis non videat? Non enim summum Patriarcham inter Orientales agnoscebat, sed ipse summus volebat agnosci. Et quæso, si ea mens erat Pelagio, cur pompaticum titulum à se repellit Gregorius?

XVII. Secundum. Luciferianum est, velle unum Episcopum se supra alios Episcopos, qui sunt astra cœli & nubes, efferre. Excipit, *Luciferum se voluisse efferre super astra cœli ex mera superbia, non autem ex Dei ordinatione. Luciferum imitari Johannem Constantinopolitanum. At Pontificem Petri successorem, id non facere. Imitari Petrum, cui totius Ecclesiæ cura sit demandata. Et ideo totius Ecclesiæ pastorem & Episcopum meritò se vocare non ex superbia, sed ex Christi ordinatione.* Num. 79. & Primò. Non negabo, Luciferum imitatum fuisse Johannem Constantinopolitanum: Cur Romanus Pontifex non imitatur Luciferum? An se non effert supra omnes Episcopus? An fortasse est singularis humilitas, quòd supra omnes se effert, ne videatur sublimem dignitatem superbè contemnere? An fortè superbiendo deliquerunt Pontifices, quibus à Chalcedonensi concilio titulum oblatum esse, fingit Gregorius? Dicit enim neminem è prædecessoribus suis voluisse admittere. An etiam Pelagius & Gregorius superbiæ crimen incurrerunt,

runt, quòd universalis Patriarchæ titulum sibi nollent tribui? Num fortasse Bonifacius tertius meliora amplexus consilia, ut sedem Romanam à superbiæ præcipitio ad humilitatem reduceret, Oecumenici titulum à Phoca, magnâ contentione, impetravit.

XVIII. Secundò. Non magis Romanus Pontifex Dei ordinationem pro se habet, quàm Constantinopolitanus. Uterque tum præeminentiam, tum Oecumenici Patriarchæ titulum in Imperio Romano habet ab hominibus qui dederunt, & subinde confirmarunt. Nec ille, nec iste potestatem Oecumenici super omnes Ecclesias universi terrarum orbis, etiam extra Imperium, consecutus. Constantinopolitanum non habere ex Christi ordinatione, clamant Papistæ. Ubi ordinatio Christi de Pontifice Romano? Præeminentiam suam Romanus habet ab hominibus. Valentinianus III. Imper. homo flagitiosissimus, in causa Hilarii Arelatensis, instinctu Leonis Papæ, mandatum edit, quo imperat omnibus Episcopis Gallicanis & aliarum provinciarum, ut Romanæ sedis decreta legum loco habeant: apud Baronium, ad Ann. 445. num. 9. Ibi primatum, seu præeminentiam sedis in meritis Petri, dignitate urbis & auctoritate synodica fundat. Nullam ordinationem divinam audio. In Constantinopolitani gratiam Leo Imper. decretum promulgat, quo illi privilegia & honores omnes super Episcoporum creationibus, & jus ante alios residendi confirmat. l. *Decernimus.* 16. C. de Sacrosanctis Eccles. Oecumenici titulum usurpavit Constantinopolitanus favore principum. Unde Mauritius Gregorium urbanæ simplicitatis arguit, quòd de una vocula tantopere contendat, & ab instituto dehortatur, ut ipse Gregorius quæritur suis ad Constantiam Augustam datis literis. Volateranus lib. 23. Anthropolog. *Mauritius bonus cæteræ Princeps Reipub. multisque victoriis illustris, tantum divo Gregorio adversus fuit, Patriarcham Constantinopolitanum οἰκουμένικον, id est, universalis Ecclesiæ præsulem vocitando.* Romanus obtinuit à Phoca perfido patricida, cujus nefandum scelus in Mauritio Imperatore commissum non obscurè Gregorius laudat, lib. 11. Epist. 36. ad eum sic scribens: *Benignitatem pietatis vestræ ad imperiale fastigium pervenisse gaudemus. Lætentur cœli & exultet terra, & de vestris benignis actibus universæ reipublicæ populus nunc usque vehementer afflictus hilarescat.* Ab homine illo scelestissimo Bonifacius tertius, & quidem, ut suprà testis erat Platina, magnâ contentione obtinuit, ut sedes Romana caput omnium Ecclesiarum diceretur & haberetur. Id tradunt multi alii historici, nominatim Marianus Scotus, sic scribens, *Bonifacius impetravit à Phoca Cæsare, ut sedes Apostolica Romana caput esset Ecclesiæ, cùm antea Constantinopolis primam omnium se scribebat.* Iisdem ferè verbis refert Polonus. Similiter Abbas Urspergensis in Chronico. Paulus Diaconus lib. 4. cap. 37. de gestis Longobardorum dicit, Phocam sic statuisse, regnante Bonifacio. Sigonius lib. 2. de Italiæ regno, scribit, legationem misisse ad Phocam, quâ decretum obtinuerit.

XIX. Dices, *ante Phocam, Episcopum Romanum universalem appellatum, etiam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsum Gregorium ab Eulogio Alexandrino. Nempe appellatus sicut cæteri Patriarchæ, qui quod essent toti Ecclesiæ in Imperio Rom. quasi contutores dati, appellabantur universales. Sic Justinianus Epiphanium Constantinopolitanum nominat Oecumenicum Patriarcham L. *cùm velimus* 7. C. *de summa Trinit.* l. *certissimè* 34. C. *de Episc. audien.* & Novel. 3. 5. 7. Anthemium, Novel. 16. Mennam, Novel. 42. Item Leo Imperator, Stephanum, Novel. 3. 5. 6. 7. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. At Bonifacius eo sensu non petiit, non obtinuit, sed ut ipse solus reliquis omnibus præesset, petiit ac obtinuit à Phoca, qui & Cyriaco, quòd parricidio non favisset, erat infensus, & metuebat, ne Italia, scelerum odio, à se deficeret. Neque tamen potestatem Oecumenici super omnes totius orbis Ecclesias sive Romanus, sive Constantinopolitanus accepit ab hominibus. Nam nec ulla Concilia ex universo orbe terrarum ubique sic fuerunt congregata, ut Ecclesiæ, quæ erant extra Romanum Imperium, ad ea accesserint, nec Imperatores totum orbem in sua potestate habuerunt. Non igitur potuerunt suis Patriarchis conferre aut confirmare potestatem super Ecclesias totius orbis.

XX. Tertiò, quàm ridiculum est, quòd Sophista clamat, Papam imitari Petrum! Ubi Petrus se omnibus prætulit? Ubi se gessit Pontificem Oecumenicum? Methodius dicit, *Petrus & Iacobus & Iohannes post assumptionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus prælati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicitur justus, Apostolorum Episcopum statuunt.* Papa non Petrum imitatur, sed Luciferum. Petrus enim non dominatus est clero, Regibus fuit obnoxius, super Apostolos se non extulit. At Papa se extollit non solùm super omnes Episcopos, sed etiam super Imperatorem. Nota vox Bonifacii octavi, *Ego sum Imperator.* Petrus se vocat συμπρεσβύτερον; Papa amat nominari Episcoporum & pastorum princeps, quem titulum Petrus tribuit Christo. Petrus dicit; *omnes invicem subjicimini* 1. Petr. 5, 5. Papa non vult judicari; nemini vult subjici. Julio Papæ in Concilio Lateranensi acclamabant Patres, *Tu es omnia & super omnia, tibi data est omnis potestas.* Papa Alexander tertius audet Imperatoris Friderici Barbarossæ cervicem pedibus conculcare, cum hac acclamatione, *super aspidem & basiliscũ ambulato.* Et solent Pontifices Imperatore uti stratore equi, atque hic cogitur conscensuris equum tenere strepam. Viden' Romanorum Pontificum humilitatem? Ista enim si Becano credas, non faciunt ex superbia. Platina in Johanne decimo disertè scribit, malorum causam in Ecclesia esse, quòd Pontifices ipsi à Petri vestigiis discesserint. Et in Bonifacio VII. *Vide quantum degeneraverint Pontifices à majoribus suis!* Num fortè Petrus & primi Romani Episcopi ex superbia neglexerunt Christi ordinationem, & contempserunt ex superbia Oecumenicum Pontificatum, at posteri ex mera humilitate susceperunt?

XXI. Tertium argumentum Antonii ex Gregorio est, quòd schisma aperit & inducit, qui se vocat universalem. Excipit, *id fecisse Constantinopolitanum, qui cùm*

cùm Pontifex Rom. esset Episcopus universalis Ecclesiæ, cui omnes tenebantur obedire, ipse se subduxerit ab obedientia & universalem Patriarcham se vocaverit & sic diviserit unitatem capitis in Ecclesia. Hoc non facere Pontificem Romanum, quippe qui quærat, conservare unitatem capitis, non in varia schismata distrahere. Num. 80. R. Primò. Omnes tenebantur obedire Romano Pontifici? Id nec Christus instituit, nec Apostolica Ecclesia decrevit nec fuit in usu vel ipsius Gregorii tempore. Nauclerus volum. 2. Generat. 21. narrat, Phocam, sanctione ad universum orbem missâ constituisse, ut Rom. Ecclesiæ & Romano Pontifici omnes orbis Ecclesiæ obedirent, quod retroactis temporibus non ad unguem servatum fuerit. Immane, quantum distat Phocas à Christo! Ad institutionem igitur Christi ubique sunt retrahendi Sophistæ. Hîc enim hærent; non possunt se expedire. Monstrent si possunt, ubi Christus instituerit, quòd omnes Episcopi per universum terrarum orbem Romano, quicunq; omni tempore futurus est, obedire debeant. Monstrent Apostolicæ & universalis Ecclesiæ decretum. Repetant historiam primorum à Christo nato seculorum usque ad ipsum Gregorium. Usu receptum fuisse, ostendant, ut omnes Romano obedirent Episcopi. Polycarpus non obediebat Aniceto in observatione paschatis: Non Asiani Victori: Non Africani Cornelio, & Stephano in suis controversiis: Æneas Sylvius, post Pius II. ad Martinum Mayerum, Cancellarium Moguntinum, scribit, ante Synodum Nicænam, adeoque *trecentis post Christum annis, sibi quemque vixisse, & ad Ecclesiam Romanam parvum habitum esse respectum.* Quarto seculo, quàm agnoverint Orientales, se Romano parere debere, docet exemplum Julii in Athanasii causa. Quinto docet Chalcedonensis synodus. Cùm Leo contradiceret canoni de jure Constantinopolitani Patriarchæ, illa non magnificiebat, sed inhærebat decreto. Sed & nullum paret vestigium, quo constet, Ecclesias extra Imperium Romanum, nempe in Persia, Assyria, Æthiopia, India, Romano Præsuli obnoxias fuisse.

XXII. Secundò. Non nego, Constantinopolitanum, schismati occasionem dedisse. Nego, dedisse eo, quòd ab obedientia Romanæ sedis se subduxerit, & sic diviserit unitatem capitis. Non enim erat obnoxius Romanæ sedi. Non tenebatur ei obedire. Non erat unum visibile caput à Christo institutum, cui omnes subessent. Tantum abest, ut unitas capitis ad Romanam sedem sit divinitus alligata. Schismati occasionem, quòd primatum ambiret. At ut ille, ita certum, ipsum quoque Romanum Episcopum maximum induxisse schisma. Quod n. illi nolebat permittere, id ipse sibi præter dominicam institutionem vendicabat. Etsi quæ mens Becani, ea quoque fuit Pelagii & Gregorii, profectò non obscurum ampliùs, quòd tam acriter Constantinopolitano se opposuerunt, non tam schismatis prohibendi, quàm suæ auctoritatis amplificandæ, ac super omnes extollendæ studio feciſſe. Nisi dicas, Bonifacium à Pelagii & Gregorii genio & proposito defeciſſe, ac primum sensisse, quod Becanus tenet. Si non defecit, jam patet, quo illi animo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Constantinopolitano litem moverint. Si defecit, cur negant, arripuisse Pontifices, quod antè non habebant? Schisma negari ampliùs non potest. Mihi probabilius est, defecisse Bonifacium, & fortasse inde habuisse multos obtrectatores. Scribit enim Polonus, quòd ob detestationem & memoriæ deletionem omnes libri ipsius comburi debuerint nisi Petrus diaconus impediviſſet. Tertiò. Becanus suum Pontificem à schismatis culpa non excusat eo quòd quærat conservare unitatem capitis, sed seipsum præbet ridiculum. Constantinopolitanus enim eâdem ratione se defendet. Quærebat conservare unitatem capitis; sed in sede Constantinopolitana, sicut Romanus in Romana. Uterque omnes sibi volebat subesse. Ita uterque quærebat unitatem capitis visibilis. Si unus in eo peccavit, uterque peccavit. Nisi alter monstret Christi institutionem, qua sit declaratus caput Oecumenicum solitarium.

XXIII. Quartum. Solus Christus est caput Ecclesiæ universale, & omnes Episcopi Christi membra. Quod ergo Christi proprium est, hoc sibi usurpat, qui se dicit & facit universalem. Excipit, *solum esse caput, quoad influxum interiorem, non esse solum caput, quoad externam gubernationem.* Num. 81. Hoc suprà confutatum est. Nec agnovit Gregorius, id quod patet duplici argumento. *Unum* est, quòd eo sensu caput omnium membrorum extra Christum impugnat, quo Corinthii se aliis quasi capitibus extra Christum sociabant. Sic enim lib. 4. Epist. 38. scribit; *Cùm Paulus Apostolus, cùm audiret, quosdam dicere,* Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ; *hanc dilacerationem corporis dominici, per quam membra ejus aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissimè perhorrescens exclamavit, dicens:* Num quid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? *Sic ergo ille membra dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus & ipsis quidem Apostolis subjici, particulariter evitavit.* Num Corinthii extra Christum se sociabant aliis quasi capitibus, quoad influxum interiorem? Nihil prorsus ejusmodi ullo apparet indicio. *Alterum* est, quòd haud dubiè eo sensu Gregorius impugnavit caput universale extra Christum, quo Constantinopolitanus esse voluit; Alioqui Sophistam egisset. At Constantinopolitanus nunquam se gessit caput reliquorum, ne quidem suæ peculiaris diœceseos, quoad influxum internum sed tantùm quoad externam dignitatem & gubernationem. Et tamen illi contradicens Gregorius scribit, *tu quid Christo universalis sc. Ecclesiæ capiti, in extremi judicii dicturus es examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris* Universalis *appellatione supponere?* Non volebat sibi supponere, quoad influxum interiorem, sed quoad exteriorem honorem & dignitatem. Quod cùm in illo impugnaverit Gregorius, Sophistæ inutilis est distinctio.

XXIV. Quintum. Neque Petrus, neque ullus Apostolus, aut sanctus se fecit, aut vocavit unquam universalem. Becanus excipit, *Si de nomine agatur, verum; si de reipsa, falsum esse. Nam Petrum reipsâ exercuisse officium pastoris respectu totius Ecclesiæ, quod etiam fecerint successores Petri qui tametsi non vocaverint, se universales, vocati tamen sunt Episcopi seu Pastores universalis Ecclesiæ.* Num. 82. R. primò. Accipio; quòd fatetur, si de nomine agatur, neminem sanctorum unquam se vocasse universalem. Hinc constat, quid de Gregorio VII. sit statuendum. Is profectò vel ipso Becano judice, inter sanctos locum tueri non potest. Nomen enim Universalis sibi vindicavit. Decretum paulò antè recitavi ex Baronio. Id quicunque legerit, fatebitur, aut Gregorium Sanctorum & successorum Petri numero non contineri, aut Becanum splendidè mentiri. Secundò. Gregorius primus non agit de titulo sine re. Ineptè igitur titulum à reipsa divellit Sophista. Imò qui titulum aversatur, is multò magis rem ipsam, nisi sit insignis hypocrita.

XXV. Tertiò. Petrus curam totius Ecclesiæ quidem gessit, sed non solus, verùm communiter cum cæteris Apostolis. Ipsos Apostolos non rexit magis, quàm Paulus. Imò si Methodio, quem suprà audivimus, credas, Jacobus Apostolorum Episcopus est constitutus ab Apostolis. Et Paulus disertè dicit, solicitudinem de omnibus Ecclesiis sibi incumbere, 2. Cor. 11, 28. Plus tribui Petro non potest. Neque tamen Paulus reipsâ faciebat se universalem Episcopum. Ubi Petrus se fecit reipsâ? Dicite Papistæ. Quartò. Petro in munere non est successum. Propriè dicti ergo successores nulli fuerunt. Qui tempore successerunt, fuerunt vel sancti, vel tyranni. Illi nec gesserunt curam totius Ecclesiæ, nec sibi arrogarunt. Hi non gesserunt quidem, arrogarunt tamen sibi. Sed illorum facta non præstant legem.

Vide primos illos Episcopos, quis eorum totius Ecclesiæ curam, etiam extra Romanum Imperium, suscepit? Num Linus? num Cletus? an Clemens & Anacletus, & qui post eos primis sederunt seculis? Concilii Nicæni tempore contentus esse tenebatur Romanus Episcopus suis suburbicariis Ecclesiis, quæ intra centesimum erant à Roma lapidem, nempe in utroque Latio, Piceno & Thuscia. Pòst & illius & reliquorum Patriarcharum crevit auctoritas, ut tandem dicerentur curam gerere totius Ecclesiæ; At primùm plures conjuncti, non unus auctoritate solitariâ. Deinde tantùm intra Romanum Imperium. Nondum igitur etiam illi, qui quarto, quinto & sexto seculo sederunt, se fecerunt reipsâ Oecumenicos.

XXVI. Sextum. Proprium est præcursoris Anti-Christi superbiendo cæteris se anteponere Becanus excipit, *verum esse; sed Pontificem hæc non facere. Non enim ex superbia, sed ex divina institutione cæteris se anteponere. Sicut in veteri Testamento fecerit Moses & reliqui sancti Pontifices; Sicut etiam faciat in Regno Angliæ Rex & in Imperio Imperator. Utrumque enim legitimo jure electionis præferre se aliis. In quo dissimiles sint Iohanni Constantinopolitano, qui ex superbia, non ex Dei ordinatione, se cæteris anteposuerit.* Num. 83. Scilicet strenuè negandum est, an sic obscurari possit clara veritas. Non sic obscuratur. Negatio nimis frivola. Id non aliunde nunc probo, quàm ex antithesi superbiæ & divinæ institutionis, quam nemo dixerit in solo Johanne Constantinopolitano valere, in aliis non valere. Si igitur divinam insti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

institutionem Pontifex Rom. nobis demonstret, fatebor nō facere ex superbia. Sin minùs, frustrà superbia negatur. Non potest monstrare magis, quàm Constantinopolitanus. Mera igitur est superbia utrobique. Comparatio cum summo Pontifice veteri, Rege & Imperatore est iniquissima & prorsus aliena. Illorum enim potestas erat & est à Deo. Rex Angliæ succedit jure hæreditario: Imperator electionis jure. Oecumenicus est à Diabolo. De Constantinopolitano concedit Jesuita. Non est melior Romani conditio. Non enim eum juvat prætensa successio. Cui subterfugio Jesuitico si detur locus, tum nec quidem Turca poterit superbiæ accusari, etiamsi totum orbem Christianum occupet. Poterit enim prætendere, se succedere Imperatori Constantinopolitano, adeoque ex Dei institutione.

XXVII. Dices, Pontificem eligi. Pontifex per nos eligatur, sed urbis; orbis totius Pontifex Oecumenicus jure non eligitur. Nemini enim illa potestas eligendi est divinitus concessa. Olim Clerus & populus Romanus eligebat Episcopum, at urbis suæ, non universi orbis. Post interveniebat Imperatoris auctoritas, quâ vel dabatur, vel saltem confirmabatur Episcopus. Nemo inter omnes Imperatores universo orbi, etiam Persiæ, Æthiopiæ, Assyriæ ac Indiæ dedit Pontificem. Termini Imperii sub Augusto erant ab Oriente Euphrates; à meridie Nili cataractæ, & deserta Africæ, & mons Atlas: ab occidente Oceanus; à septentrione, Danubius & Rhenus. Claudius Britannias adjecit; Trajanus à septentrione trans Danubium Dacium addidit; ab Oriente Arabiâ, Armeniâ & Mesopotamiâ subactâ terminos ad Tigrin protulit. Sed Andrianus, teste Festo, invidens Trajani gloriæ, sponte Armeniam ac Mesopotamiam & Assyriam reddidit, ac medium inter Persas & Romanos Euphratem esse voluit. Nec ullus Imperator Christianus illis partibus imperavit. Jam aliquot seculis jus eligendi Pontificem eximium factum est Cardinalibus, quos hodie Papatus vocat. Ipsum enim Cardinalium nomen, inquit, Volateranus, lib. 22. Anthropol. ab initio epitheti honoratioris appellatio fuit. Nam alibi Clericum Cardinalem, & canonicum Cardinalem legimus, id est, præcipuum, aut principalem, quo honore urbani dignabantur. Neque sola Roma, sed etiam Ravenna, sed & Mediolanum suos habuit Cardinales. Hodie diceres parochum, aut diaconum primarium. Primus omnium est Gregorius, qui nominis mentionem facit. Rem, quæ hodie eo significatur, & ille, & ante eum omnes in universa antiquitate ignorarunt. Hodie enim Cardinales sunt Principes Ecclesiæ universalis, qui ordo est inanissimum hominum commentum auctoritate divina minimè suffultum. Tantùm abest, ut illi à Deo habeant potestatem eligendi Oecumenicum Pontificem, eumque universis per orbem terrarum Ecclesiis imponendi. Meræ igitur superbiæ deputādum est, quòd Romana sedes, quæ, si veritatem teneret à Petro prædicatam, primum locum, omnibus consentientibus facilè obtineret, atque coleretur, dominatum in universas sibi arrogat.

XXVIII. Si

Sectio XVI.

Argumenta decem contra Pontificatum Oecumenicum Episcopi Romani producuntur.

Coronidis loco addemus alia quædam argumenta pro veritate. Primum ex suprà dictis & demonstratis. 1. Christus non instituit ullum Oecumenicum totius Ecclesiæ Episcopum. 2. Petrus Oecumenicus totius Ecclesiæ Pontifex non fuit. 3. Omnes Episcopi æquè omnibus Apostolis succedunt. Ergo Episcopus Romanus non est Oecumenicus.

II. Secundum. Qui sic est in Patriarcharum ordine numeratus, ut habeat æquales potestate, is non est Oecumenicus totius Ecclesiæ Pontifex. At Romanus Episcopus jam olim sic in Patriarcharum ordine est numeratus, ut haberet æquales potestate. Ergo. Minor patet à canonibus trium Conciliorum generalium. Nicæni canon sextus sic habet; *Antiqua consuetudo serveturper Ægyptum, Libyam & Pentapolin, itaut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis.* Occasionem canoni dedit Meletius Lycopolitanus, qui Alexandrino se volebat subducere, & citra ejus consensum ordinare. Confirmantur jura Patriarchis tribus nominatim in suas diœceses. Et quidem Alexandrino in Ægyptum, Libyam & Pentapolim. Ubi no-

VII. Si est in Ecclesia aliquis episcopus universalis, eo sanè in hæresin lapso, tota caderet, aut macularetur Ecclesia. Hoc fortiùs stringit, si accedat hypothesis Papistarum, quòd infallibilitas Ecclesiæ pendeat à Pontifice. Octavum. Si Gregorii tempore, qui floruit circa finem sexti seculi, nomen Oecumenici erat novum, Ergo antea erat incognitum Ecclesiæ: non est ab institutione Christi, aut Apostolorum. At Gregorius multoties novum appellat. Nonum. Si ipsum Oecumenici nomen est vanum, profanum, blasphemum, perversum, superbum, stultum, sceleratum, Ergo non tantùm non ex divina institutione, sed ne quidem ex humana bona, utilive, nec unquam in Ecclesia recipiendum tolerandumque. Negabis, Gregorium his titulis Oecumenici nomen esse prosecutum? Verba suprà sunt recitata. Illis convinceris. Decimum. Si est contra statuta evangelica & Canonum decreta, Ergo à nemine usurpandum. Antecedens est iterum Gregorii. Undecimum. Si eo nomine injuria fit Ecclesiæ, abolendum est. At fit, Gregorio judice, injuria. Duodecimum. Is coërcendus est, qui honori Imperatoris se superponit, qui nulli subesse & solus omnibus vult præesse. At hujusmodi est, qui universalis Episcopi nomen assumit.

Ergo coërcendus. Hæc non tangit Becanus.

* * *

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta fundamentum & exemplum. Fundamentum est antiquitas consuetudinis. Sic enim erat receptum, ut quò præfecti urbani se extenderet jurisdictio civilis, cò quoque proferretur Episcopi ecclesiastica. Exemplum proponitur Episcopi Romãi, cui parilis mos sit, id est, tã latè regat Ecclesias, quàm latè pateat urbis Romæ præfecti jurisdictio politica. Ideo Rufinus lib. 1. Histor. cap. 6. refert, quòd Romanus suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat. Sic dicebantur, quæ erant in Latio, Piceno & Thuscia, quia suburbium Romæ quasi tangebant. Sed postea fines valdè sunt prolati. Unde Theodorus Studita Romanum Pontificem appellat Apostolicum Occidentis, apud Baronium, ad Ann. 819. num. 27. Papistæ variè versant canonem. Sed nos sensum tenemus genuinum, unde patet, tantum potuisse Romanum in suburbicariis Ecclesiis, quantam Alexandrinus in Ægypto, Libya & Pentapoli. Non dabat Romanus Ægyptiis leges, sicut Alexandrinus non dabat Ecclesiis suburbicariis.

III. Constantinopolitani primi canon quintus sic habet, *Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quòd sit nova Roma*: Hîc Patriarcharum ordo mutatur. Alexandrinus fuerat secundus, Antiochenus tertius, utrique Constantinopolitanus anteponitur. Cæterùm nota, Concilium habitum esse, si credas Baronio, Anno 381. neque tamen à Romano Episcopo ante Concilium Chalcedonense contradictum. Ibi Leo Primus contradixit per legatos: neque tamen dixit, canonem esse suppositium, quod noviter fingit Baronius, cui opponimus Chalcedonenses Patres. Illi genuinum agnoscunt. Res clara. Sed & illud nota, Constantinopolitano tribui primatus honorem, quamvis post Romanum, ne quoties primatum audis, in mentem tibi veniat Pontificatus Oecumenicus, qui est Papistarum error, etiam nostro Becano familiaris. Veteribus erat jus ante alios sedendi (πρωεδρία,) non erat πρωτεία, seu jus omnes regendi, quos ordine præcedebat.

IV. Chalcedonensis canon vicesimus octavus sic est: *Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes & canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis, novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuere. Et eâdem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi sanctissimæ novæ Romæ throno æqualia jura tribuere, rectè judicantes, urbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum honoratissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam rebus Ecclesiasticis non secus ac illum extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem.* Vide. Nicæni Patriarchis assignatas distinctas provincias confirmant; Constantinopolitani ordinem constituunt; Chalcedonenses jure, privilegiis, potestate etiam in Ecclesiasticis Constantinopolitanum exæquant Romano Episcopo. Id totum repetit Sexta Synodus à Secretario Palatii Trullana cognominata, quæ quinquinque Patriarchas nominat, sc. Romanum, Cõstantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum. C. *Renovantes*. Distinct. 22. Atque hos Theodorus Studita, magni nominis Monachus, quinos vertices Ecclesiastici corporis vocat, apud Baronium, ad Ann. 819. num. 56. Non hîc audis Oecumenicũ, sed unumquémque Patriarchã ab urbe sua denominatum. Non audis jurisdictionis inæqualitatem, sed æqualitatem. Ordinem audis inter eos statui. Unus igitur è Patriarchis Romanus erat. Denique audis, Constantinopolitanum æquari Romano in Ecclesiasticis. Aut igitur habes duos Oecumenicos, aut nullum habes. Duos nolunt Papistæ. Nullum igitur habent.

V. Baronius, cùm in canonis Chalcedonensis mentionem incidit, nihil nisi strophas, vafriciem, malum dolum, proditionem crepat, & auctoritatem non habere, audacter contendit. Causam si quæras, hanc affert, clanculò scriptum canonem, absentibus Leonis legatis, quæ captata sit occasio. Nihil clàm actum, sed in omnium præsentia significatum, restare hoc agendum. Imò Leonis Legati rogati, ut Consilio interessent, noluerunt, aliud se habere mandatum prætendentes. Ideone agendum non erat? At petita erat à judicibus hoc ipsum agendi licentia & ab illis publicè concessa. Vide Acta, sess. 16. Cur igitur Romanis tergiversantibus actio non procederet? Num prætendes præscriptionem? Non potes. Versamur in re, quæ præscribi nequit. Consentiunt communiter Interpretes super C. *Quicunque*. C. 16. q. 3. de *Præscriptionibus*, Episcopalem jurisdictionem extra suam provinciam præscribi nullo modo posse. Unde Oldradus Consil. 83. dicit, limites diœcesium imperscriptibiles esse. Innocentius in C. cùm causam. De probationibus, rationem affert, quia temporalia quandoque conceduntur occupanti, spiritualia nunquam. Justus titulus deficit, indè cessat bona fides, clarè apparet mala, quæ præscriptionem, etiam mille annorum, impedit. C. fin. *Quoniam omne*. De *Præscriptionibus*. Nec currit præscriptio adversùs Episcoporum constitutionem, qualem habemus à Conciliis.

VI. Tertium. Qui à cæteris Episcopis tam singulis, quàm conjunctis in Concilio appellatur frater, collega & coëpiscopus, ille non est Oecumenicus. At Romanus olim ab Episcopis tam singulis, quàm congregatis appellatus est frater, collega & coëpiscopus. E. Minor patet. Cyprianus in suis Epistolis Cornelium, Lucium, Stephanum, Romanos, vocat fratres: Collegas vocat Stephanum & Cornelium, Ep. 68. Optatus Siricium nominat socium lib. 2. Augustinus Innocentium fratrem multoties. Cyrillus Cœlestinum comministrum & fratrem. Nec aliter congregati in Conciliis. In Constantinopolitano, apud Theodoretum lib. 5. Histor. cap. 9. *Dominis reverendissimis piissimisque fratribus & collegis, Damaso, Ambrosio, Britoni, Valeriano, Acholio, Anemio, Basilio & cæteris sanctis in magna urbe Roma coactis Episcopis*. In actis Ephesinis Cyrillus cum Synodo Alexandrina ad Nestorium scribens Cœlestinum vocat fratrem & collegam. In Carthaginensi Siricius & Simplicianus Mediolanensis appellantur fratres

Universidad de Deusto
Biblioteca

tres & consacerdotes. Idque non ægrè tulerũt. Imò ipsi hoc aliquando urserunt atque inde concluserunt, se jubendi potestatem non habere. De quo luculenta est protestatio & declaratio Gregorii Primi ad Eulogium Alexandrinum lib.7. epist.30. Indict.1. *Indicare*, inquientis, *quoque vestra beatitudo studuit, iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens*; Sicut jussistis. *Quod verbum* jussionis *pero à meo auditu removete: quia scio quis sum, qui estis. Loco (sede) enim mihi fratres estis, moribus Patres. Non ergo iussi, sed q̃ utilia visa sunt, indicare curavi.*

VII. Quartum. Si Romanus Episcopus esset Oecumenicus, ipse ex toto, aut saltem Romano orbe convocâsset Concilia generalia in primitiva Ecclesia. At non convocavit Concilia generalia ex toto, aut saltem Romano orbe. Ergo. Minor patet multis argumentis. Primò. Nec ulla epistola papalis exstat, quâ generale Concilium esset in Romano Imperio convocatum, nec ullum ejus indicium in Conciliorum actis. Deinde Imperatores ea suis mandatis convocâsse, clarè constat. Nicænum convocavit Constantinus M. Testis Eusebius lib.3. de vita Constant. cap.6. Socrates lib. 1. Histor. cap.5. Theodoretus lib.1. cap.7. Synodus in epistola ad Ecclesiam Alexandrinam, apud Socratem lib.1. cap.6. Theodor. lib.1. cap.9. Denique ipse Constantinus testis, apud Eusebium. Constantinopolitanum primum convocavit Theodosius Major, apud Socratem lib.5. cap.8. Sozomen. lib.7. cap.7. Theodoretum lib.5. cap.7. nec sive per se, sive per Legatos Romanus ille interfuit. In causa Johannis Chrysostomi Innocentius I. optabat Synodum Oecumenicam, & multum deliberabat, quomodo congregari posset Testis Sozomenus lib.8. cap.28. Si erat Oecumenicus, cur non indicebat? Imò Ecclesiæ Romanæ Episcopos quinque & presbyteros duos ad Honorium & Arcadium mittebat, ut & Synodum & ejus definitum tempus ac locum impetrarent. Neque tamen obtinuit, sed qui ab eo erant missi, tanquam Imperii transmarini turbatores fuerunt ablegati. Idem Sozomenus testis l.l.

VIII. Ephesinum Theodosius Junior convocavit. Sic Patres Concilii in Actis multoties, itemque in epistola ad omnes Episcopos, & Evagrius lib.1. Histor. cap.3. Ephesinum secundum, cujus exitus fuit tristis & Ecclesiæ admodum luctuosus, idem indixit Theodosius, idque tum multis precibus instante Leone Papâ, tum eum permoventibus Chrysaphio, Eunucho & Dioscoro Episcopo, apud Nicephorum lib.14. cap.47. Et quidem indixit Ephesi habendum, cùm Leo optaret haberi in Italia. Qui dubitat, is legat Acta synodica. In iis tum Imperatores Theodosius & Valentinianus ad Dioscorum profitentur, tum ipsi Patres congregati. Cùm enim veritas, quam tuebatur Flavianus, ibi damnata esset, tum ille, tum Leo, & hic quidem cum gemitu & lacrymis supplex petebat à Theodosio, ut intra Italiam institueret Concilium. Num Papa id faceret hodie? Imperatori, cum gemitu & lacrymis, fieret supplex pro celebranda Synodo? Mutata tempora; mutati homines,

IX.

IX. Sed ut clariùs intelligas, quàm non fuerit olim agnitus Oecumenicus, cogita, non impetratum esse, quod Leo cum gemitu & lacrymis petiit à Theodosio, donec, illo defuncto, Marcianus Chalcedonense institueret, de quo Acta sic habent; *In civitate Chalcedonensi metropoli provincia Bithyniæ facta est Synodus ex decreto piissimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani.* Vide commonitorium ad Elpidium Comitem sacri consistorii tom.2. Conc. p.137. & epistolam ad Dioscorum pag.138. Scripserat quidem Leo ad Marcianum, & petierat exiguam dilationem, verum non obtinuerat. Ideo se subjicit voluntati superioris Epist.43. *Poposceram*, inquiens, *à gloriosissima Clementia vestra, ut Synodum, quam pro reparanda Ecclesia Orientalis pace, à nobis etiam petitam necessariam indicâstis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet, convenirent. Sed quia pio studio humanis negociis divina præponitis, & rationabiliter ac religiosè regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Evangelii prædicatione discordia, ego etiam vestris dispositionibus non renitor.* Longè aliter quàm nostri temporis Pontifices, quippe qui locum & tempus nunquam permitterent Imperatori, sed sibi reservarent.

X. Constantinopolitanum secundũ indixit & coëgit Justinianus. Testis Evagrius lib.4. cap.38. Nicephorus lib.17. c. 27. Patrum congregatio in sententia adversùs Anthemium Act.4. tom.2. Concil. pag.650. Denique ipse Justinianus in literis, quibus historiâ superiorum Conciliorum suam hac in re auctoritatem confirmat. Trullanum indixit Constantinus Pogonatus; quod fuit Constantinopolitanũ tertium: vocatur Synodus universalis sexta C. *Habeo librum.* Dist.16. Inde in singulis actionibus imperialis jussionis fit mentio. Quin & Leo II. Epistolâ ad Constantinum Augustum, quæ exstat Act.18. sexti Cõcilii, *Cognovimus*, inquit, *quòd sancta & universalis & magna sexta Synodus, per Dei gratiam, Imperiali decreto in regia urbe congregata est.* Nicænum secundum idololatricum, quod tamen mirè placet Papistis, Constantinus & Irene convocârunt. Constantinopolitanum quartum à Basilio coactum. Sic enim habet proœmium Act. 22. Magnum præjudicium adversùs Pontificatum Oecumenicum. Sed & hinc patet, quàm vaniter suprà gloriatus sit Pelagius, generalium Synodorum convocandarum potestatem soli sedi Apostolicæ, id est, Romanæ, singulari privilegio esse traditam. Nicolaus Cusanus lib. 2. de concordia catholica cap.25. multo veriùs, *Auctoritas*, inquit, *Concilii non ita dependet à congregante, ut nisi à Papa congregetur, non sit Concilium: Quia tunc omnia octo universalia Concilia non fuissent firma, quoniã per Imperatores convocata leguntur, & Romanus Pontifex ad instar aliorum Patriarcharum, Divales sacras iussiones, de veniendo aut mittendo ad Concilium recepit.* Magni Papistæ illustris confessio! Tanta est vis veritatis, cui Bellarminus & Baronius tenebras offundere frustrà conantur.

XI. Quintum. Ad Oecumenicum ju-

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet omnibus appellare, ab eo nemini. At ad Episcopum Romanum olim jure non licebat omnibus appellare, ab eo licebat. ergo non erat olim Oecumenicus. Si non olim, ne nunc quidem est. Major suâ luce radiat. Minoris pars utraque probatur: Prior quidem; Nam Concilia causas Ecclesiasticas intra suas provincias voluerunt terminari, & haberi pro excommunicato, quicunque à provinciali Concilio fuerit damnatus. Habemus canonem quintum Nicænum; ut *hoc ergo convenientem examinationem habeat, rectè habere visum est, ut singulis annis in unaquaque provincia bis in anno synodi fiant. Ut cùm omnes provinciæ Episcopi in eundem locum communiter conveniant, ejusmodi quæstiones examinentur, & sic quos Episcopum offendisse constiterit, justè esse à congregatione separati apud omnes videantur, donec Episcoporum congregationi videatur pro iis humaniorem ferre sententiam.* Habemus Antiochenum sextum & decimum quintum. Sextus sic habet; *Si quis à proprio Episcopo fuit excommunicatus, ne priùs ab aliis suscipiatur, quàm fuerit à proprio Episcopo susceptus, vel factâ Synodo accedens se defenderit & persuasâ Synodo, aliam sententiam retulerit. Idem autem decretum adversùs laicos & presbyteros & diaconos, & eos, qui sunt in Cleri catalogo, observetur.* Decimus quintus sic habet; *Si quis Episcopus aliquorum criminum accusatus fuerit ab omnibus provinciæ Episcopis condemnatus, & omnes unam consentientem adversùs eum sententiam tulerint, is ne amplius ab aliis judicetur, sed provinciæ Episcoporum firma maneat sententia.* Constantinopolitanum primum similiter statuit, ut si usus postularet, res cujusque provinciæ Concilium provinciale dispensaret, apud Socratem l. 5. cap. 8.

XII. Præterea Veteres improbant appellationem ad Romanum. Cùm Fortunatus & Felicissimus post Africanum judicium confugissent Romam, Cyprianus sic judicat, Epist. 55. *Quæ autem causa veniendi & Pseudepiscopum contra Episcopos factum nunciandi? Aut enim placet illis, quod fecerunt, & in suo scelere perseverant: aut si displicet & recedunt, sciunt, quò revertantur. Nam cùm statutum sit omnibus nobis, ac æquum sit pariter ac justum, ut uniuscuiusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint; nisi si paucis desperatis & perditis.* Minor *videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum qui iam de illis iudicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam sui iudicii nuper gravitate damnârunt.* Nota. Causam illic debere audiri, ubi crimen est admissum, omnes causam illic agere, ubi accusatores & testes sui criminis habere possint. Non igitur Romæ. Singulis pastoribus portio gregis est adscripta, non igitur uni totus grex. Unusquisque pastor regat, rationem sui actus Domino redditurus. Non igitur redditurus uni Oecumenico. Non minor est auctoritas Africanorum, quàm

quàm aliorum, ad quos pauci desperati & perditi provocabant. Nullum igitur appellandi jus ab Africanis ad quoscunque alios, etiam Romanos.

XIII. Concilium Milevitanum, cui interfuit Aurelius Carthaginensis, & Augustinus Hipponensis Episcopus, canone vicesimo secundo sic judicat: *Placuit, ut presbyteri, diaconi vel cateri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicinè Episcopi eos audiant: & inter eos, quicquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quòd si ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiatur.* Hîc includitur Roma: Ea enim Afris est transmarina. Gratianus, caus. 2. quæst. 6. cùm citat hunc canonem, eundem interpolat, excipiens, *nisi fortè Romanam sedem appellaverint.* Sed hanc corruptelam esse insignem & nimis crassam, quis tam hebes, qui non intelligat? Et contextus indicat, & scopus Africanorum. Cucurrerant homines turbulenti Romam, ibi malæ causæ præsidium quæsituri. Eam intemperiem reprimere conantur. Et Gratianus fingat, excepisse Romanam sedem?

XIV. Editor Conciliorum, tom. 1. pag. 807. agnoscit corruptelam, & Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 24 fatetur, propter Romam statutum esse in Africa, ut non liceret ultra mare appellare. Ne tamen causam Pontificis deferat, contendit, *ibi agi tantùm de causis presbyterorum & minorum clericorum; Episcoporum appellationes non prohiberi.* Quid tum? Si tantùm agatur de presbyteris & clericis minoribus? Nihilominùs patet, Africanos non agnovisse Pontificatum Oecumenicum. Num enim inferior prohibeat, ne minores superiorem appellent? Sed non tantùm agi de minoribus clericis, ostendunt nostri ex græcis codicibus, qui sic habent, *non appellent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates provinciarum suarum, ut etiam de Episcopis sæpè sancitum est.* De quo ut multum disputemus, necesse non est. Videactionem Cõcilii Carthaginensis sexti, quod fraude Zosimi in citandis canonibus suppositiis, deprehensâ rescribit Cœlestino, ne facilè recipiat ab Africanis damnatos, & in Episcoporum causis mentem suam declarat apertissimè, his verbis; *Præfato debitæ salutationis officio, impendiò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilè admittatis, nec à nobis excommunicatos, in communionem ultrà velitis recipere: quia hoc etiam Nicæno concilio definitum facilè advertit venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia à communione suspensi, à tua sanctitate vel festinatò vel præpropere, vel indebitè videantur communioni restitui? Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia, (sicut te dignum est) repellat sanctitas tua; quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive ipsos Episcopos, suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nim iustissimeq; providerunt, quæcunque negocia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; nec unicuiq; provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, quâ æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & sanctissimè teneatur: maximè, quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare. Videantur reliqua tomo primo Conciliorum ed. Ven. pag. 844.

XV. Hîc nota. Si jure divino omnibus ad Romanum Episcopum appellare licet, cur motâ quæstione Zosimus id non demonstravit, aut saltem allegavit? Cur tantùm Conciliorum Canones obtendit? Cur Nicænos nominavit, qui à Nicæno concilio non erant conditi? Rursum nota, Africanorum argumenta, quibus causam suam agunt, æquè de aliis Ecclesiis ac de Africanis concludere. Neque est, ut quisquam regerat, noluisse Africanos, causam Romam transferri, sed quin Romanus in Africa cognosceret, non obstitisse. Nam illi disertè, *ut aliqui, tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo institutum.* Inde falsi crimen aperiunt, & tandem concludunt in hæc verba; *Executores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, DEVM videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Aures arrigite Jesuitæ. Num fumosum typhum seculi in Ecclesiam inducere est privilegium Romani Pontificis?

XVI. Posteriorem partem satis probat vel unius Donati actio. Donatus à Casis nigris Cæcilianum arguit variorum criminum, apud Imperatorem. Dantur ab hoc judices, Melchiades, Romanus Episcopus, Rheticius, Maternus, Marinus, qui Romæ causam cognoscunt, & absolvunt Cæcilianum. Donatus appellat Imperatorem, qui in dicto Concilio Arelatensi causam retractandam committit, in quo judicio cùm rursus caderet causa sua, iterum quidem ad Imperatorem provocat, sed eodem exitu: Ubique enim ille damnatus, absoluto Cæciliano. Descripsit Augustinus epistola 162. Optatus lib. secundo, itemque è Papistis Baronius, Vide. Melchiades delegatur ab Imperatore judex: non ille solus judex datur, dantur illi collegæ judices. Unde Augustinus de Rheticio, *cum aliis judex interfuit*, lib. 1. adversùs Julianum pelagian. cap. 3. & cæteros Melchiadis collegas appellat, Epist. 162. Ab ejus judicio provocatum est, admissa provocatio; nova suscepta cognitio; & ille fuerit Oecumenicus? Puto.

XVII. Hoc unum exemplum est instar multorum. Aliis non opus est. Alioqui Julianus nominari posset, qui ab Episcopo Romano ad Orientales Episcopos provocavit, apud Augustinum lib. 1. adversùs Julian. Pelagian. cap. 4. ex cujus sententia, à Romano Episcopo appellare licuisse, mihi non incertum obscurumve. Nam in causa Cæciliani sic scribit, citatâ epistolâ centesimâ sexagesimâ secundâ; *Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicârunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si malè judicâsse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* Si post Melchiadis & collegarum sententiam restabat plenarium Concilium, si ab eo sententia solvi poterat, ergo à Romano licebat appellare ad Concilium plenarium. Non igitur Oecumenicus Pontifex.

XVIII. Sextum. Si Romanus Episcopus fuisset Oecumenicus, illo inconsulto aut invito, nihil grave potuisset tractari, decerni & definiri in Ecclesia, quod quidem esset ratum. At illo inconsulto, imò etiam invito, multa gravia sunt tractata, decreta & definita, quæ rata fuerunt. Ergo. Probo. Primò canones fuerunt conditi illo refragante. Nomino eos ipsos canones Africanos, quibus denegatum fuit, appellari Romam. Nomino canonem de æquali potestate & iisdem privilegiis Romani & Constantinopolitani editum in Concilio Constantinopolitano primo, repetitum in Chalcedonensi, & confirmatum in Trullano.

XIX. Secundò. Absque Papa celebrantur Concilia Oecumenica. Quæ res maximi momenti. Hîc Constantinopolitanum primum nomino. Illi Romanus Episcopus nec per se, nec per legatos adfuit. Auctoritatem tamen habuit. Thomas de Corsellis in oratione in Concilio Basileensi habita, apud Æneam Sylvium in Comment. Act. Conc. Basil. & in Catalogo Testium veritatis, col. 1847. dicit, Concilium posse indici & congregari Papâ non consentiente, vel etiam invito. Franciscus Zabarellus, Episcopus Florentinus, qui circa annum 1406. vixit, in libro de schismate & Concilio scribit, si Romanus Pontifex non congreget suo tempore concilia, Imperatores debere convocare, ut potestas revertatur ad jus pristinum. Si nec Papa, nec Cardinales, nec Imperator congreget, tunc majores Prælatos unum vel plures convocationem facere posse, nec teneri, ut pareant Papæ prohibenti ad Concilia accedere. Vide Catalogũ Test. verit. col. 1864. Nicolaus Cusanus lib. 3. de concord. cathol. *Negligente aut contradicente Papâ Imperator potest præceptivè Synodos indicere ad providendum fluctuanti Ecclesiæ.* Idem tenet Cardinalis Turrecremata & Sylvester, & est vera sententia, judice Francisco de Victoria Relect. 4. propos. 23. Insignem rationem affert Æneas Sylvius pòst Pius II. lib. 1. de Gestis Concil. Basil. *Si*, inquiens, *horum sententia, qui concilia negant fieri posse sine consensu Papæ, ut ipsi volunt, inviolata persistet, ruinam secum Ecclesiæ trahit. Quid enim erit remedii, si Papa criminosus Ecclesiam perturbet, si animas perdat, si fidei contraria prædicet, & hæreticis dogmatibus imbuat subditos.* Vide hæc & alia plura in Catalogo Testium veritatis.

XX. Tertiò. Ad Concilium non ventum est, ad quod ille invitavit Episcopos. Damasus Episcopos Constantinopoli congregatos literis missis invitabat ad Synodum Romanam, munitus Gratiani literis, ut venirent eos adhortantis, quò digitum intendunt Constantinopolitani Patres, apud Theodoretum lib. 5. Histor. cap. 9.

XXI. Quartò. Hæreses absque Pontifice Romano sunt damnatæ. Africani damnant Pelagium & Cœlestium, non exspectatâ Romanæ sedis sententiâ. Qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

non perfectam Christi incarnationem confitentur, institutâ Synodo in Oriente feriuntur anathemate, & ab Athanasio epistolâ scriptâ exterminantur, Romano Episcopo minimè priùs consulto, apud Epiphanium Hæres.77. Insigne exemplum ipse Romanus Episcopus Gregorius I. memorat, ad Eulogium Alexandrinum, lib.6.epist.31. de Cyriaco Constantinopolitano sic scribens, *Quendam Eudoxium damnavit, quem neque in Synodis damnatum invenimus, neque à decessoribus ejus in Synodis reprobatum. Et canones quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant; Romana autem Ecclesia eosdem canones vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit. De Eudoxianis verò nihil hactenus agnovit.* Si nihil cognovit, ergo illius auctoritas non accessit: Et tamen in Constantinopolitano Concilio Eudoxiani damnati, & rata fuit sententia.

XXII. Quintò. Illo inscio, creati & ordinati sunt Episcopi. Concilium Nicænum Episcopos, qui cleri & populi suffragio eligebantur, vult ordinari, si non ab omnibus, saltem à tribus provinciæ Episcopis vicinioribus. Idem firmitatem eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuit Episcopo. Nullam Romani, nullam Oecumenici facit mentionem. Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha, Leone Romano inconsulto, ordinat Maximum Patriarcham Antiochenum. Leo fert ægrè, mutare tamen non potest. Acacius Constantinopolitanus, inconsulto Simplicio, Romano Episcopo, Stephanum Antiochenæ sedi Patriarcham dedit. Baronius dicit, novum & inusitatum fuisse exemplum, ordinationem tamen à Simplicio, scribente ad eum Imperatore, ratam esse habitam, idque epistolâ Simplicii ad Zenonem productâ probare conatur. Atqui jam antè Anatolius ordinaverat Maximum. Non igitur prorsus novum. Deinde nullo constat argumento, Imperatorem à Simplicio petiisse, ut ordinationem haberet ratam. Nec illa ipsa à Baronio producta epistola indicat. quis enim docuit Baronium sic argumentari: Zeno ad papam scripsit de actione Antiochena. Ergo petiit, ut ratam haberet? Et quid si petiisset? Unde constaret, aliter petiisse, ut ratam haberet, quàm quilibet Patriarcha ratam habet ordinationem collegæ? Idem Acacius Constantinopolitanus Petrum Gnapheum sive Fullonem ordinat Antiochenum, Romano Episcopo incõsulto & invito. Eodem auctore, Petrus Mogus, pulso Johanne, Alexãdrinæ Ecclesiæ datus est Episcopus ab Imperatore Zenone. Frustrà Simplicius Papa clamat: Exclamavit contra hæc post Simplicium Felix Papa, atque post Felicem sæpe Gelasius adversùs eundem Acacium, inquit Baronius, ad Ann.482.num.21.

XXIII. Sextò. Papâ inconsulto, novi Episcopatus sunt instituti. Exempla petis? Dabit Oriens & Occidens. In Oriente Cappadocia dabit. Illa erat una provincia, una ejus metropolis Cæsarea. Dividebatur in duas provincias, duæ metropoles nominabantur Cæsarea & Tyana. Illi Basilius, isti Anthimus præerat, qui novus metropolites Episcopos subdolè ad se pertrahebat, unde magna rerum perturbatio oriebatur. Basilius remedium quærit in novorum Episcopatuum erectione, & cum quinquaginta sub se haberet Episcopos, Sasimis, oppido parvo novum Episcopum imponit magnum illum Gregorium Nazianzenum. Hic testis in carmine & oratione 30. in laudem Basilii dicta. In Occidente dabit Africa. In ea Fussala, castellum Hipponensi territorio confine, non habuerat Episcopum. Augustinus dat Antonium, Primate Numidiæ consentiente. Ipse refert epist. 262.

XXIV. Septimò. Invito Romano Episcopo, episcopatu suo functi sunt Episcopi. Omnium ore celebratum est exemplum Flaviani Antiocheni, contrà quem constituebatur primùm Paulinus, pòst Evagrius. Jam quidem his communicabant tres Romani Papæ, Damasus, Siricius, Anastasius, qui multis annis tentârunt adversùs Flavianum omnia. Ille tamen suo loco sedit suffultus auctoritate Imperatoris & favore plurimorum Episcoporum. Innocentius Romanus, si credas Nicephoro lib.13.cap.33, Atticum Constantinopolitanum excommunicat, & sede indignum declarat: Baronius dicit, ab Ecclesiastica Romanæ Ecclesiæ communione eum abstinuisse, ad Ann. 406.num.33. Hic nihilominùs multis annis Ecclesiæ suæ magno cum honore præfuit, laudatus Cyrillo Alexandrino, Augustino, Prospero, & Cœlestino Romano Pontifici, apud Baronium, ad Ann. 425.num.19.& 20. Felix Papa anno 484. si credas Baronio, excommunicat Acacium, illumque Romanæ Synodi sententiâ nomine & munere sacerdotis privat. Sedet tamen ille & quidem cum honore usque ad mortem; post mortem nomen in diptycha relatum & retentum, quamvis tam furiosè contradicerent Romani Episcopi, ut hanc unam ob causam Orientales Ecclesias Gelasius & Hormisda excommunicarent. Quid? Gregorio inscio, ordinatur Maximus Salonitanus Episcopus; Gregorius eum repellit, excommunicat, jubet abstinere celebratione missæ. Non abstinet l.4.Epist.34. Nec Salonitanus clerus & populus repulsum agnoscit, exceptis duobus, nempe Paulino Episcopo & Honorato Archidiacono, l.5.epist.26. Unde Gregorius tandem nolens volens in eum consentit An quòd aliter posset? Videri quidem vult precibus Exarchi multum tribuisse; sed jusserat Mauritius Imperator. Illius jussioni obediens consensit. Sic ipse scribit ad Constantiam Augustam lib.4.Epist.34.

XXV. Octavò. Episcopi depositi, inscio Romano, non restituti, quamvis ille maximè vellet. Stephanus Basilidem & Martialem Episcopos suis sedibus, quibus exciderant, redditos cupiebat, scriptâ ad Hispaniæ Episcopos epistolâ. Hispani consulunt Cyprianum: is rescribit non restituendos. Inde non redditi sedibus. Julius volebat restitutum Athanasium sedi Alexandrinæ; Innocentius optabat Chrysostomum Constantinopolitanæ reddi; uterque scribebat quidem graviter, idque in optima causa; uterque tamen frustrà. Julius agnoscit, & implorat Imperatoris auctoritatem, quâ Athanasius tandem fuit restitutus in integrum. Chrysostomus planè nullum sensit fructum laboris ab Innocentio suscepti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXVI. Septimum. A quo licet dissentire, salvâ unitate, is non est Oecumenicus totius Ecclesiæ Pontifex. A Romano Episcopo licet dissentire, salvâ unitate. Ergo. Minor clarescit ab exemplis. Ab Aniceto dissensit Polycarpus in observatione paschatis, apud Eusebium, lib. 5. Histor. Eccles. cap. 23. Nec enim Anicetus Polycarpo suadere poterat, ne servaret, quæ cum Johanne discipulo Domini nostri & reliquis Apostolis, quibuscum fuerat conversatus, semper servaverat: nec Polycarpus Aniceto suasit, ut servaret: qui sibi Presbyterorum, quibus successerat, consuetudinem servandam dicebat. A Victore dissentiebant Ecclesiæ Asianæ in eadem quæstione de paschate, quas cum hoc nomine excommunicaret, graviter reprehensus est ab Irenæo, apud Eusebium, lib. 5. cap. 23. A Cornelio & Stephano dissensit tum Agrippinus, tum Cyprianus de baptismo hæreticorum. Jam quidem Stephanus abstinendos putabat, unitatem tamen servatam esse, testis est Augustinus lib. 5. contra Donat. cap. 25.

XXVII. Eodem tempore in Oriente floruit Firmilianus Episcopus Cæsareensis. Is sentiebat cum Cypriano, non cum Stephano. Imò hunc & sedem Romanam graviter perstringit epistolâ, quæ est inter Cypriani epistolas septuagesima quinta. In illa scribit, eos qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sunt ab origine tradita, & frustrà Apostolorum auctoritatem prætendere, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur. Stephanum sic affatur, *Lites & dissensiones quantas parâsti per Ecclesias totius mundi? Peccatum verò quàm magnum tibi exaggerâsti, quando te à tot gregibus scidisti? Excidisti enim teipsum: noli te fallere, siquidem ille est verè schismaticus, qui se à communione Ecclesiæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas, omnes à te abstinere posse; solum te ab omnibus abstinuisti.* Ibidem scribit, quòd contra sacramentum & fidem contumacis furore discordiæ rebellet. Cùm Cyprianum Stephanus Pseudo Christum & Pseudapostolum & dolosum operarium dixisset, Firmilianus contrà: *Stephanus omnia in se esse conscius prævenit, ut alteri ea per mendacium objiceret, quæ ipse ex merito audire deberet.* Adeò vilis in pretio erat isto tempore consensus cum Romano Episcopo! A Sylvestro Rom. Episcopo communione privatus erat Athanasius, ut constat ex epistola ad Ursacium, Valentem & Germinium, apud Baronium, ad Ann. 357. num. 44. neque tamen ideo unquam habitus fuit non catholicus à verè catholicis.

XXVIII. Octavum. Ab Oecumenico leges tota Ecclesia accipit, quibus obligetur. A Papa Romano non accipit tota Ecclesia. Non igitur est Oecumenicus. Si antecedens negent Papistæ, à Lino facto initio, monstrent, quas leges à Romanis Episcopis tota Ecclesia proximis à Christo seculis acceperit. Primo nullum exemplum exstat. Et tamen quinque sederunt Episcopi. Secundo non habent. Jactant quidem quadragesimale jejunium institutum à Telesphoro; ut resurrectio Christi die dominico celebretur, à Pio. Sed hæc sunt commenta ociosorum hominum. Variam fuisse paschatis & quadragesimæ observationem, certum est ab Irenæi & Socratis testimonio. De die Dominico à Conciliis decretum, scribit Eusebius. Victor conatus est Asiaticis obtrudere legem de paschate, omnibus etiam extra Imperium Romanum voluisse obtrudere, non constat. Sed nec Asiatici receperunt. Episcopus Romanus adhuc Nicæni Concilii tempore tantùm dabat leges suburbicariis Ecclesiis; postea paulatim auctoritas miris progressibus variisque artibus amplificata est in Occidente. Tentatus etiam Oriens: at frustrà. Leges ibi non acceptæ, quamvis nec mox ubique acceptæ in Occidente. De Africa nimis manifestum. Nec obscurum de Gallia. Imò etiã in Italia Ravẽnates, Mediolanenses & Aquilegienses diu sibi vixerunt, non obnoxii legibus Romanæ sedis. Quòd Ecclesiæ extra Romanum Imperium in Persia, Media, Assyria, Chaldæa, Æthiopia, Orientali India à Romano Episcopo legem intra primos sexcentos à Christo annos acceperint, ne uno quidem huc usque demonstratum est exemplo.

XXIX. Nonum. Oecumenicus ab aliis judicari non potest: Romanus Episcopus potest ab aliis judicari. Ergo non est Oecumenicus. Assumptum probatur rationibus & exemplis. Rationes sunt complures. Prima. Omnes Episcopi tenentur legibus latis de Episcopis. Frustrà enim illis feruntur, si non teneantur. Romanus olim fuit inter Episcopos numeratus. Tenebatur igitur legibus. Si hodie non tenetur, ne quidem inter Episcopos numerari debet. Si autem tenetur, Ergo judicari potest. Secunda. A quo

potest exigi fidei ratio, is potest judicari. A Papa exigi potest fidei ratio. Ergo potest judicari. Jam olim assumpti veritatem defendit Franciscus Zabarellus; *Imperatoris, inquiens, adeò est fidem defendere, ut si Papa suspectus esset de hæresi, Imperator ab eo rationem fidei suæ posset exigere.* Tertia. Si non potest judicari Papa, fides omnino potest periclitari. Fieri n. potest hæreticus. Dic, Concilium cogi ac in judicium vocari non debere Papam, quid futurum est? Creet ille suæ factionis homines Cardinales; illi rursum suæ factionis Papam. Illum sequatur Ecclesia citra causæ cognitionem. Nonne fidei veritas in extremum adducetur discrimen? Quarta. Papa potest de notorio crimine accusari. Sic iterum Florentinus Episcopus Zabarellus. Potest igitur judicari.

XXX. Exempla sunt nota. Pontifices in judiciis sunt judicati, condemnati, depositi. Judicatus & condemnatus est Honorius, tanquam monotheleta à sexta Synodo. Johannes XIII. secundùm Platinam, aliis duodecimus, cùm ab Ottone Imp. blandè monitus à flagitiis non recederet, Imperator Concilium indicit, convocatis Italiæ Episcopis, quorum judicio vita sceleratissimi hominis dijudicaretur. A Synodo Constantiensi Johannes secundum Platinam XXIV. aliis vigesimus tertius, citatur, accusatur hæreseos & plurimorum scelerum, condemnatur & ea propter deponitur. A Basileensi Concilio Eugenius quartus citatur sub comminatione suspensionis ab omni administratione Papatus, sess. 12. Rursum citatur efficacissimis verbis, ut compareat coram Synodo ad hunc actum pro tribunali

Universidad de Deusto
Biblioteca

nali sedente, sess.28.Publico decreto suspenditur, sess.31. Deponitur his verbis, sess.33. *Sancta Synodus pro tribunali sedens per hanc suam sententiam definitivam, quã fert in his scriptis, pronunciat, decernit & declarat, Gabrielem, prius nominatum Eugenium quartum, fuisse & esse notorium & manifestum contumacem, mandatis Ecclesiæ universalis inobedientem, & in aperta rebellione persistentem, violatorem assiduum atque contemptorem sacrorum canonum Synodalium, pacis & unitatis Ecclesiæ Dei perturbatorem notorium, periurum, incorrigibilem, schismaticum, à fide devium, pertinacem hæreticum, dilapidatorem jurium & bonorum Ecclesiæ, inutilem ac damnosum ad administrationem Romani Pontificis, omni titulo, gradu, honore, & dignitate se reddidisse indignum. Quem propterea eadem S. Synodus à Papatu & Romano Pontificio ipsô jure privatum esse, declarat & pronunciat, ac ipsum ab iisdem amovet, deponit, privat & abjicit, decernendo nihilominus contra eundem ad executionem etiam aliarum iuris pœnarum, ad quas hæc eadem sancta Synodus ac eâdem suâ sententiâ ipsum condemnat, ulteriùs fore procedendum.*

XXXI. Decimum. Occumenicus non est subditus Imperatori, etiam in Ecclesiasticis: At Episcopus Romanus fuit olim subditus Imperatori. E. Major est Papistarum. Minor probatur de temporalibus & ecclesiasticis. In *temporalibus* spectatur jus & factum. *Jus* est certum; Imperatorem superiorem agnovit Paulus, cùm appellavit Cæsarem, Act.25. Si ille, ergo & Petrus. Si Petrus, cur non Papa, qui se ejus jactat successorem? Præterea sententia Pauli clara, *omnis anima subiecta esto potestatibus supereminentibus*, Rom.13,1. Hîc quis excepit Episcopum Romanum? *Factum* constat ex historia veteri. Inde Episcopi Romani Imperatores appellârunt suos Dominos. Adhuc Gregorius primus Mauritium sic nominat, lib.3. Epistol.61. & lib.6. Epist.30. ubi dicit, piissimum Dominum Mauritium apertè & providè omnia præcipere, idque ex potestate. Nam sic lib.6. Epist.24. ad Anastasium Antiochenum scribit, *Quod // ille, ex potestate, scio, quia hoc vos ex amore // dicitis.* Quæ verba diligenter notanda sunt contra Bellarminum, qui fingit, Dominum appellâsse, sicut quoscunque alios. Falsum, quia sic appellavit, ut agnosceret, eum præcipere, & dicere ex potestate.

XXXII. De *ecclesiasticis* probatio facilis. Nam primò Constantinus, ut suprà dixi, delegat Melchiadem pariter cum Rheticio Augustodunensi, Materno Agrippinensi & Marino Arelatensi Episcopo ad cognoscendam causam Donati contra Cæcilianum. Secundò. Papa mittitur legatus. Nominatim Johannes ann. Chr.525. mittitur à Theodorico Rege Constantinopolin ad Justinum Imperatorem, ut pro Arianis, quibus Ecclesiæ erant ademptæ, intercederet, qua legatione cùm ex Regis voto non esset functus, in carcerem compingitur & tandem trucidatur. Agapetus legatus ad Justinianum Imperat. destinatur à Theodato Rege. Quod poterant Reges illi, qui tum rerum in Italia potiebantur, id multo magis poterant Imperatores. Tertiò. A Melchiadis Romani Episcopi judicio ritè appellatur ad Imperatorem. Is enim dat Donato alios judices, nempe Arelatense Concilium.

XXXIII. Quartò. Imperator auctoritate suâ confirmabat, vel infirmabat electionem Romani Episcopi. Hoc jus etiam exercuerunt Reges Gothorum, qui tenuerunt Italiam. Inde Athalricus Romanis Episcopis tria millia, cæteris Prælatis duo coronatorum millia fisco solvenda imposuit. Quam constitutionem Justinianus Imper. postea confirmavit Novel.123.cap.3. Platina in Pelagio secundo: *Nihil à Clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi eius electionem approbâsset Imperator.* Hinc de Vitaliano, & Agathone habemus, quòd electi ad urbem regiam miserint. C. *Agatho.* Distinct.63. ubi dicitur remissa pecunia dari solita, sic tamen ut si contigerit, electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi priùs decretum generale introducatur in regiam urbem, secundùm antiquam consuetudinem, ut cum ejus scientia & jussione debeat ordinatio provenire. Postea Hadrianus I. & centum quinquaginta Episcopi in Synodo Romana dederunt jus Carolo M. eligendi Papam, & ordinandi sedem Apostolicam, & confirmandi omnes Episcopos & Archiepiscopos per provincias C. *Hadrianus.* Dist. eâdem. Quod ego quidem cum Carolo Molinæo interpretor, redditum Imperatori, quod antè debebatur. Multi testantur. Sigebertus in Chron. Archiepiscopus Consentinus, Martinus Polonus Papæ Pœnitentiarius in supputationibus; Walthramus Naumburgensis Episcopus de Episcoporum investitura. Joh. Semeca, Præpositus Halberstatensis, decreti Glossator, super Distinct.63. Leopoldus de Bebenberg, Episcopus Bambergensis lib. de zelo veterum Principum Germaniæ, c. 8. Wernerus Rolevvinck, Charthusianus Colonienſis, in fasciculo temporum. Robertus Jaguinus, minister Generalis ordinis S. Trinitatis de Francorum Gestis, lib.4. Nicolaus Vignerius Barrensis in Burgundionum Chronico. Verba recitantur in libro, cui titulus, Papatus Romanus, ed. Londini cap.8.

XXXIV. Obtendunt quidem Papistæ Ludovicum Pium huic juri in persona Paschalis renunciâsse. Verùm parùm proficiunt. Primò enim nec testibus, nec instrumentis fide dignis, probant, renunciâsse. Deinde non renunciâsse, vel hoc uno argumento colligi videtur satis clarè, quòd eo vivo & biennio ante ejus obitum Gregorius IV. tertius à Paschali Põtifex, non priùs inire voluit Põtificatum, quàm à Legatis Imperatoris ea de causa Romam missis, qui diligenter electionem discusserant, confirmatus esset. Addit Platina, fecisse id Ludovicum non superbiâ motum, sed ne jura Imperii amitteret. Quis credat, vel Gregorium, vel Ludovicum, qui à summa clementia & pietate commendatur, id facturum fuisse contra pactum cum Paschali initum, si quod existitisset? Tertiò. Sed jam esto. Renunciaverit Ludovicus. Quid tum? Non potuit præjudicare Imperio. Nec leguntur Pontifices renunciationem acceptâsse, vel usi esse. Aliis argumentis sunt usi in tuendo suo prætenso jure. Quartò. Si ponas, Ludovicum pótuisse de jure suo remittere, ne sic quidem causam obtinent Papistæ. Leo enim octavus, qui circa annum

num 963. sedit, remissioni & concessioni Ludovici, si quæ facta, renunciavit, agnovit, jus confirmationis esse penes Imperatorem, tempore Ottonis I. vide C. *In Synodo.* Distinct. 63. Si cum Baronio eò procedas audaciæ, ut historiam de Hadriano falsitatis arguere non erubescas, quid tandem proficies? Plusne tibi, aut Baronio uni credendum, quàm tot testibus? Clamat ille, Sigebertum anno 1112. scripsisse, nec probari per alios illius temporis Historiographos. At si isto anno scripsit Sigebertus, ergo tribus annis antè scripserat Walthramus Naumburgensis. Is enim millesimo centesimo nono scripsit, ut ipse notat in fine libri. Ducentis circiter annis ante Sigebertum scripsit lib. 1. de statu Romanorum sub Græcis & Francis, Eutropius Longobardus, qui ante Ottonem vixit. Sed & Paulus Diaconus, qui rebus gestis interfuit, scripsit lib. de Episcopis Metensis Ecclesiæ.

XXXV. Quintò. Imperator ad se evocabat Romanum Pontificem, cùm volebat, nominatim Constantius Liberium, apud Sozomenum lib. 4. Histor. cap. 10. Inde Leo IX. sequebatur Henricum III. Imperatorem in Germaniam, ubi cùm Moguntiæ in frequenti Synodo ab Imperatore indicta, ejus loci Episcopo sese anteferret, hoc illa jura allegante ac tuente, cedere coactus est. Vide Chronicon Carionis lib. 4. pag. 633. Sextò. Imperator Romanum æquè ac cæteros Episcopos vocabat ad Concilia. Hos autem evocâsse cum auctoritate, illum precibus tantùm invitâsse, non constat, imò tam hunc, quàm illos cum auctoritate vocâsse, patet à verbis Theodosii & Valentiniani in epistola ad Cyrillum de convocatione Concilii Ephesini, quibus testatur, se neminem absentem ferre posse. Qua de causa Leo in literis ad Pulcheriã Augustam, se excusat humilimè, quòd secundùm literas Imperatoris comparere non possit. Denique Imperatores Christiani Episcopis Romanis pœnas irrogârunt. Constantius Liberium, Justinianus Silverium exilio mulctavit. Theodora Imperatrix Vigilium in judicium vocavit & Constantinopolin deductum carceri mancipavit. Constantius Martinum in Chersonesum Ponti exilii causâ deportavit. Otto primus Johannem Platinæ decimum tertium, aliis dictum duodecimum, Henricus tertius (aliis secundus) cognomento Niger, Gregorium sextum deposuit. Factum Constantii, Justiniani & Theodoræ non laudo; tantùm adduco, ut agnoscatur potestas, qua licet illi sint abusi, non tamen ideo nulla fuit. Johannes merebatur. Gregorii sexti defensionem ne ipsi quidem Papistæ facilè suscipient. Platina laudat Henricum, quòd Benedictum nonum, Sylvestrũ tertium & Gregorium sextum, tanquam tria teterrima monstra, abdicare se magistratu coegerit.

CON-

CONTROVERSIA QUINTA
De
JUDICE CONTROVERSIARVM.

Sectio I.

Status quæstionis formatur.

Becanus quæstionem de controversiarum judice inter præcipuas numerat, utpote à quibus reliquæ omnes pendeant. Ideo vires omnes in eam ornandam confert. Non diffiteor, si hanc Papistæ obtineant, obtinere eos omnia. Si enim semel judicium permittatur Papæ Romano, idque summum & infallibile, de cætero supervacaneum est disputare, quid tenendum repudiandumque sit. Ille enim in Concilio Tridentino mentem suam mediocriter declaravit, de plerisque quæstionibus inter nos controversis. Nostrarum igitur est partium, quæstionem, ad quam ordo nos ducit, tractare tanto diligentiùs, quanto majorem spem in ea ponunt Sophistæ.

II. Becano prima cura est status causæ, postea argumenta suæ partis expedit, tandem ad objectionum solutionem convertitur, quas quidem tangere sustinuit, à se, more solito, priùs fictas formatasque pro lubitu. Ordo placet; ideo sequetur, primùm acturi de statu quæstionis; deinde excussuri argumenta Sophistæ; denique nostra proposituri & vindicaturi à cavillis, quàm solidè & candidè disputet adversarius, permisso pio & cordato lectori judicio.

III. Quæstionem sic proponit Becanus, *Quis debeat esse judex in controversiis de fide & religione decidendis?* Non quæritur de quolibet judice, sed de summo. Hoc exprimendum erat. Quin enim Ecclesiæ aliquæ sint partes in judicando, apud nostros est indubitatum. Dicit, nos docere, solam Scripturam esse: & ex ea sola, seclusis traditionibus & auctoritate Ecclesiæ, controversias omnes finiri ac decidi posse. Hoc explicandum est, propter multiplicem Sophistarum calumniam. Vocabulum judicis accipitur propriè & impropriè. In propria significatione alius est judex supremus, alii intermedii. Ut supremus unus est omnium & legislator Deus, Jacobi 4. Sic ille ipse est controversiarum omnium de fide judex supremus, quoniam per verbum à se editus inspiratum nobiscum loquitur, deque cunctis capitibus Christianæ fidei suam exponit sententiam. Vox judicis est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scriptura prophetica & Apostolica. Judex subalternus, seu intermedius est Ecclesia. Illius judicium est absolutum, istius determinatum & ad Scripturæ canonem restrictum; illius simpliciter infallibile; hujus non simpliciter infallibile. Illi subest Scriptura, huic præest. Impropriè ipsa Scriptura divina aliquando appellatur à nostris judex, ut significetur, omnium & singularum controversiarum de fide decisiones desumendas esse ex Scriptura, tanquam publica summi judicis voce, quemadmodum in Republica desumuntur à lege.

IV. Porrò non quæritur, an Scriptura sit norma ferendæ sententiæ: Hoc enim utrinque est in confesso. Si tamen seriò Papistæ loquuntur. Denique auctoritas Ecclesiæ secluditur vel ut norma judicii, vel ut ministra. Ut ministra à nostris non secluditur; sed admittitur: ut norma, secluditur. Est igitur omnino Catholicorum sententia; primò, Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse supremum omnium controversiarum judicē, quatenus in Scriptura loquitur. Secundò. Scripturam divinam esse normam ferendæ sententiæ unicam & plenariam. Tertiò. Eandem secundaria significatione rectè dici judicem controversiarum. Quartò. Traditiones non scriptas nullo modo esse normam infallibilem. Quintò. Nec Ecclesiam esse judicem controversiarum supremum & absolutum, nec ejus auctoritatem infallibilem regulam. Sextò. Multo minùs Papam Romanum esse judicem supremum, absolutum, Oecumenicum.

V. Becanus dicit, Catholicos, id est, Papistas inter *judicem* & *normam* distinguere, & judicem vocare, qui fert sententiam inter partes litigantes. Normam, secundùm quam fertur sententia à judice. Positam distinctionem tria docere. 1. *Ecclesiam esse judicem controversiarum.* 2. *Normam, quam sequitur Ecclesia in ferenda sententia, non esse solam Scripturam, sed Scripturam & traditionem simul.* 3. *Ecclesiam juxta hanc normam dupliciter sententiam pronunciare posse, vel per Pontificem, vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam, & utroque modo sententiam esse infallibilem.* In Manual. lib. 1. cap. 5. num. 3. Esto hæc Papistarum sententia, in qua probè notandum est, nominari quidem Ecclesiam in speciem honorificè, sed tamen auctoritatem infallibilem revera ad unum devolvi Pontificem. Ideo Jesuitæ in Ratisbonensi Colloquio sententiam clarè dicere jussi sic exponunt: *Judex generalis legitimus, ordinarius omnium controversiarum, quæcunque possunt oriri in negocio religionis, est Pontifex Romanus, sive solus definiat aliquid, sive definiat cum Concilio generali. Iste judex semper est infallibilis, quando ex Cathedra definit, ut Pontifex, nulli errori obnoxius.*

Sectio II.

Primum argumentum ab officio judicis petitum confutatur.

I. Ad hanc sententiam confirmandam & nostram refellendam jactat Becanus, se sex argumentis uti velle, quibus clarè sit demonstraturus, solam Scripturam controversiarum judicem esse non posse. Videbimus singula; ubi notaverim 1° in antecessum, hominē primùm ludere vocabulo judicis, quod ille propriè, nos impropriè accipimus, quoties de Scriptura loquimur. Deinde non suscipere id totum probandum, quod debet. Debet probare, Scripturam non esse solitariam normam decidendarum cōtroversiarum: Ecclesiæ definitionem esse normam infallibilem: Papam Romanum esse supremum judicem. Nisi fortè hæc omnia istâ unicâ propositione comprehendi, putet.

II. Primum argumentum ducitur ab officio judicis in hunc modum. *Qui est judex inter duos litigantes, debet ita pronunciare sententiam, ut uterque litigantium clarè intelligat, quænam sit sententia judicis, & alter eorum fateatur, illam pro se, alter, contra se latam esse. Alioqui nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed uterque suam causam prosequetur. At Scriptura non potest hoc præstare. Ergo Scriptura non potest esse judex controversiarum.* Desumpsit hoc à Jacobo Gretsero, qui tamen addebat Ratisbonæ, nec Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem id posse, & quasi insultans Spiritui Sancto exclamabat: *Stamus ego & Collega & Domini Adversarii, in conspectu huius iudicis (Bibliorum) en contendimus, an sit iudex controversiarum. Jam ille iudex debet pronunciare sententiam, ut nobis constet evidenter. Sumus hic in conspectu Scripturæ Sacræ & Spiritus Sancti, pronunciet sententiam & sic dicat, Tu Jacobe Gretsere malè sentis, cecidisti causa tua. Tu Jacobe Heilbronnere vicisti: tunc ego statim transibo ad vestrum scamnum, Jam adsit Spiritus Sanctus, iam iudicet, iam me condemnet.* Et quidem Gretserus vocat argumentum ferreum & adamantinum, quod in æternum solvi nequeat, ideo Becanus primo loco posuit. Sic isti blasphemi, quorum voces piæ mentes exhorrescunt.

III. Verùm primò à conditione humani judicii ad divinum non valet consequentia. Probatio est in promptu. Inter homines non licet eidem esse accusatori, testi & judici: At in judicio divino Deus accusat per legem, ipse testis & judex. In humano judicio mandatis cavetur, ne patroni in causa, cui patrocinium præstiterunt, testimonium dicant. l. *Mandatis.* ff. de *Testibus.* In divino aliter se res habet. Christus hîc est causæ nostæ patronus, & olim in magno illo decretorio die futurus testis. In humano judicio nullus idoneus testis in re sua intelligitur. In divino aliquando idoneus testis in re sua intelligitur. Exempli gratiâ. De Scripturæ sacræ majestate, veritate atque utilitate quæritur. Hîc Scriptura testis est in propria causa. Christus ait, *Ego is sum, q̄ testor de meipso*, Johan. 8, 18. Dixerat autem versu decimo quarto; *etiamsi ego testor de me ipso, idoneum est testimonium meum.* Hîc profectò cessat illud Valentis, Gratiani, & Valentiniani Imperatorum rescriptū, *omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem iura submoverunt.* l. *Omnibus.* 10. C. de *Testibus.* Denique etiam jure civili domestici testimonii fides improbatur, sic Valerianus & Gallienus. l. *Etiam* 3. C. de *Testibus.* In judicio divino non improbatur. Christus enim ait; *Spiritus ille veritatis, qui à Patre emanat, testabitur*

Universidad de Deusto
Biblioteca

de me, Johan.15,26.quem domesticum testem esse, quis neget? Christus enim mittebatur à Patre, ibidem & c.16,7. & Spiritus accepturus à Christo, quæ erat dicturus, v.14.15. In specie Paulus Jctus rescripsit: *Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est.* l. *testis* 9.ff.cod.tit. At in judicio divino Pater est Filio idoneus testis. Sic enim Christus, Johannis 8,18. *Testatur de me, qui misit me, Pater.*

IV. Etsi igitur in judicio humano res sic sit comparata, ut pars una evidenter sciat, contra se ferri sententiam, non tamen ideo pariter res sese habet in judicio Dei. Quamvis ne quidem inter homines semper illud obtinet: potest enim absens condemnari, qui non ideo non est condemnatus, quia ignorat, adversùs se latam esse sententiam. Potest damnari phreneticus ob facinus atrox commissum ab eo, cùm adhuc mentis compos esset. Quid? quòd adversùs bovem cornupetam ex lege, Exod.23. olim ferretur sententia, quamvis minimè intelligeret, se damnari. De Dei judicio nimis apertum, tum ab exemplo, tum à dictis Scripturæ. Exemplum Judæorum profero. Illos Deus condemnabat per Prophetas, neque tamen illi id sentiebant & intelligebant, idque occulto licet, justo tamen Dei judicio, Jesaiæ 6. Dicta duo cumprimis laudo, eaque ex ore Christi profecta. Ille Johannis 3,18.ait; *Qui non credit, jam condemnatus est.* Num omnes increduli evidenter sciunt in hac vita, se esse condemnatos? Idem rursum ait Judæis, Joh. 5,45. *Est qui accuset vos, Moses, in quo vos speratis.* Accusare hîc est condemnare. Cùm Moses notatur, intelligitur Scriptura Mosaica: condemnabantur igitur isto tempore Judæi increduli à lege: neque tamen hoc illi intelligebant. Sperabant enim in Mose.

V. Secundò. Si major in hac causa locum habeat, ne quidem testis locum Scriptura deinceps retinebit. Quid enim obstat, quo minùs Jesuitarum artem alius imitatus sic contendat; Qui est testis inter partes litigantes, debet ita deponere, ut uterque litigantium clarè intelligat, quænam sit depositio testis, & alter eorum fateatur, illam pro se, alter, contra se factam esse. Alioqui nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed uterque suam causam prosequetur. At Scriptura non potest hoc præstare. Ergo Scriptura non potest esse testis controversiarum. Quò hîc se vertent Sophistæ? Num majorem inficiabuntur? Ergone judicis sententia intelligi debet, testium depositio intelligi non debet? Nonne ex testium depositionibus causa utrinque deducitur? Alter acceptat tanquam pro se factas, alter adversùs eas excipit. Quomodo ille acceptet, nisi intelligat pro se factas? cur iste excipiat, si non contra se factas agnoscat? Jam aut minorem ratam habent Sophistæ, aut irritam declarant. Si ratam habeant, ergo ne quidem testis erit Scriptura, quod Christus disertè affirmat in Johannis Evangelio. Si irritam declarent, cur negant, posse esse judicem? Si enim sic testari potest, ut pars intelligat, pro se, vel contra se deponi, cur non sic judicare queat, ut partes sententiam judicis agnoscant?

VI. Sed & illud addo. Si Sophistæ suam tueri velint majorem, quid futurum, si fanaticus in medium progressus neget, Scripturam esse testem veritatis, atque Gretseri in morem blasphemâ voce illi insultans exclamet, Sto ego & socii mei adversùs Christianos in conspectu hujus testis, en contendimus, an sit testis controversiarum. Jam testis ille debet deponere, ut nobis constet evidenter. Sumus hîc in conspectu sacræ Scripturæ & Spiritus Sancti, deponat testimonium, ut intelligam, contra me testari, & pro vobis facere, tunc ego statim transibo ad vestrum scamnum. Jam adsit Spiritus Sanctus, jam testetur contra me. Quid, inquam, futurum? Num Scriptura, more testis mundani, contra fanaticum deponet, ut intelligat, contra se depositum esse? An amittet testis locum? Neutrum, credo, admittent Sophistæ, & tamen ipsorum argumentum, quo sacræ Scripturæ titulum judicis ereptum eunt, non est melius. Horribilis utrobique blasphemia!

VII. Tertiò. Negatur minor. Nam qui stat à veritate, intelligit, pro se pronunciari à Spiritu Sancto in Scriptura loquente. Illi qui falsum tuentur, sæpè sic cõvincuntur per Scripturam, ut errorem agnoscant agnitumque abjiciant. Testem Apostolum laudo sic scribentem, 1.Cor. 14,24.25. *Sed si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quispiam aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: & ita occulta cordis ejus manifesta fiunt; atque ita procidens in faciem adorabit Deum, renuncians verè in vobis esse.* Hîc prophetia est Scripturæ interpretatio; hîc ergo perspicuè testatur, prophetiâ, id est, Scripturæ interpretatione infidelem sic coargui, ut errorem agnoscat & Deo det gloriam. Exemplum habemus in Judæis, qui cùm audivissent Petrum perorantem de passione, morte & resurrectione Christi è Scripturis, compuncti sunt corde & dixerunt ad Petrum & cæteros Apostolos, *Quid faciendum, viri fratres?* Respuerunt & baptizati sunt, Actor.2. Nempe isti audiebant Spiritum Sanctum clamantem: *Vicisti Petre, vos Judæi causa cecidistis.* Et qui audiebant, transierunt ad Apostolos.

VIII. Quòd autem aliqui vel non agnoscunt, vel saltem non profitentur, se causa cecidisse, id non imputandum est Scripturæ, sed hominum improborum vel cæcitati, quâ radium veritatis lucentem non capiunt, vel pervicaciæ, quâ fit, ut licet sentiant se convictos, altè tamen dissimulent, gloriam apud homines plus diligentes, quàm gloriam apud Deum: neque tamen vel illâ, vel istâ effecturi, ut non olim in extremo judicio, magno cũ suo damno, sentiant. Sic Spiritus Sanctus ore Stephani è Scriptura loquentis condemnabat Libertinos, Cyrenæos, Alexãdrinos, Cilices & Asianos: non enim poterant resistere sapientiæ & Spiritui, per quem loquebatur, Actor.7,9.10. non tamen fatebantur. Et quæso, cur Scriptura non posset legitimè decidere controversias, ut partes intelligant? Num muta? At loquitur. *Scimus, quòd quæcunque lex loquitur, iis qui sunt sub lege, loquitur,* Roman.3,19. *Dicit Scriptura Pharaoni,* Roman.9,17. *Jesaias in Scriptura clamat super Israël,* ibidem v.27. An non clarè satis loquitur? At lucerna est.

IX. Exspectat fortè Sophista cum suo

præsultore Gretsero, ut hanc audiat vocem, *Tu Becane causa cecidisti*. Nimis ineptè. Cogitare debebat, Spiritum Sanctum vim suam exserere, non quo modo Jesuitæ postulant, sed quo ipsi videtur. Deinde meminisse debebat, Scripturam impropriè judicem appellari, normam judicii propriissimè. Judex, qui τὰ κρ' ἕκαστα judicat, is exprimit nomina partium & facti circumstantias; Judex, qui simul est norma & lex judicii, non exprimit. Non igitur est, ut hoc exspectent Sophistæ, quia Scriptura est judex normalis, ut sic loqui liceat. Ut igitur in lege non exprimuntur quidem nomina Titii & Sempronii litigantium, & tamen pars altera damnatur lege, sic licet istam vocem à Scriptura non audiat Sophista, *Becane cecidisti causa*, non tamen ideo ejus error non damnatur apertè satis. Agnovit Jacobus Reihingus, quondam Jesuita, agnoverunt alii papistæ: ideo, desertis erroris sociis, in nostras partes transierunt. Si Sophista obfirmet animum in istis nugis, nemo lege censebitur damnatus, nisi cujus nomen in ea fuerit expressum. Quâ quidem ratione egregiè fuerit consultum impiis; nescio autem, an consultum pietati. Sed & sint quicâ neglectâ, in Jesuitarum artificio præsidium quærant, etsi fortasse aliquanto seriùs, tristi tamen experimento docebuntur, se egregiè fuisse falsos.

X. Ille minorem syllogismi probat inde, quia *Lutherani & Calvinistæ multis jam annis litigãt de baptismo parvulorum, de reali præsentia Christi in Eucharistia, de prædestinatione, persona Christi, de Exorcismo, & tamen Scriptura non potest dirimere, aut finire has ipsas controversias. Nec hactenus auditum est, ita pronunciâsse sententiam, ut vel Lutherani, vel Calvinistæ fassi sint, contra se pronunciatum esse. Hoc constare dicit ex eventu. Quia utrique pergant in studio & ardore litigandi, quod sine dubio non facerent, si putarent, sententiam clarè semel esse latam. Tunc enim vel ultrò esse cessaturos à contentione, vel certe si existimarẽt, iniustè secum actum esse, ad alium judicem provocaturos. At neutrum facere.* Num. 5. Triste quidem satis, Evangelicos de istis rebus inter se litigare tanto tempore. Hoc tamen loco illis id objicitur satis ineptè. Committitur enim elenchus accidentis. Quod sit hominum vitio, id Scripturæ impingitur. Quis hoc æquo ferat animo? Diremptio controversiæ refertur vel ad jus, vel ad factum. Scriptura, quoad *ius*, decidit istas controversias non obscurè; ut nihil desiderari debeat ampliùs. At quòd ipso *facto* finis non imponitur controversiis, non est judicis culpa, sed litigantium. Aliqui, qui antea litigabant acerrimè, postea cesserunt veritati demonstratæ. Quàm multi abjecerunt ubiquetatis dogma? Exorcismum, quàm multi? Veritatem de prædestinatione agnoverunt non pauci. Multi Lutherani, nec infimi subsellii, in omnibus doctrinæ capitibus ad nostros transierũt apertè. Illi omnes agnoscebant, Scripturam contra se pronunciare; ideo in nostras partes transierunt. Quòd autem multi non cessant litigare, infirmitatis est argumentum: quorumdam acerba contentio à pervicacia oritur, non à dubia Scripturæ sententia.

SECT.

SECTIO III.

Secundum argumentum Becani ex parte Scripturæ sumptum examinatur.

I. SEcundum ex parte Scripturæ. *In Scriptura duo sunt spectanda, litera & sensus. At Scriptura nec quoad literam, nec quoad sensum potest esse iudex. Ergo nullo modo potest esse iudex.* Num. 7. & 8. Sophista opponit literam sensui, & separat exemplo pessimo; cùm non magis separari debeant, quàm corpus & anima in homine. Illis enim comparat literam & sensum. Ut igitur malè acciperetur in schola Philosophorum, qui disputaturus de actionibus hominis, eas homini negatum iret hoc argumento, quòd non edantur ab homine, si solum corpus, vel animam solam spectes; cùm homo edat vi animæ per corpus: sic meliùs non sunt accepturi Theologi Sophistam sensum à litera separantem, ut spoliet Scripturam dignitate, quam Dominus ei legavit. Frustrà est Sophista separatim de litera & sensu disputaturus, quia in judicio Scripturæ utrumque suum habet locum. Quemadmodum corpus sine anima rationali non est corpus hominis, nisi ὁμωνύμως, sic litera sine sensu non est Scripturæ litera, verè & propriè verbum Dei dici non potest. Sermo dicitur esse vivus, quod falsum, si sensum tollas. Si in sensu composito arguat, non tantùm falsus est, sed etiam blasphemus. Audiamus tamen.

II. De litera sic arguit; *Ille non potest esse infallibilis iudex controversiarum, qui ducit hominem in errorem & hæresin: At Scriptura, si nudam illius literam spectes, ducit hominem in errorem & hæresin. Ergo non potest esse infallibilis iudex controversiarum. Maior per se nota est. Minor patet primùm ab Apostolo, quia Scriptura secundùm literam occidit, id est, in lapsum & errorem ducit,* 2. Corinth. 3, 6. *Deinde ab exemplis. Nam primùm occidit olim Iudæos, qui omnia, quæ in Mose & Prophetis prædicta erant de Christo, intelligebant secundùm externam literam, & sensum interim latentem non percipiebant. Quò pertinet illud Apostoli*, usque in hodiernum diem, cùm legitur Moses, velamen positum est super cor eorum, 2. Corinth. 3, 15. *quod etiam illis obiicit Christus*, Johann. 5, 39. *Secundò* hæreticos *occidit.* 1. Sabellianos *illæ litera*, Johan. 10, 30. Ego & pater unum sumus. 2. Arianos *ista*, Johan. 14, 18. Pater major me est. 3. Macedonianos *ista*, 1. Corinth. 2, 20. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 4. Manichæos, *vetus Testamentum novo contrarium esse, docentes eadem litera occidit, quia si externam literam spectes, vetus novo repugnare videtur. Nam vetus dicit*, Deũ creâsse omnia, Gen. 1, 1. *Novum dicit*, Verbum creâsse omnia, Johan. 1, 3. *Rursum vetus dicit*, hominem factum esse ad imaginem Dei, Genes. 1. ℣. 27. *Novum dicit*, hominem esse ex Diabolo, Johan. 8, 44. *Item vetus dicit*, Deum die septimo quievisse ab omni opere, Genes. 2, 2. *Novum dicit*, Deum usque modò operari, Joh. 5, 17. 5. Pelagianos *ista litera occidit*, Ezech. 18, 20. Filius non portabit iniquitatem patris. 6. *Alios veteres hæreticos negan-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gantes resurrectionem carnis, occidit ista litera, Johan.6,63. Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quicquam. *Denique ex eadem litera occidente decepti Calvinistæ, faciunt hãc consequentiam: Quorsum Christus daret nobis suam carnem in sacramento Eucharistiæ, si nihil prodest?* Sic Becanus ille noster duobus integris foliis, à numero 7. usque ad 18.

III. Respondeo. Primò major esto rata. Ejus usus erit nobis insignis suo loco adversùs Jovem illum Tarpejum, quem Sophistæ faciunt judicem controversiarum omnium supremum. Secundò. Aut quatuor termini miscentur, aut elenchus ignorationis elenchi committitur. Quatuor miscentur termini, si conclusioni subjectum illimitatum inferatur, quod limitabatur in minore. Minor ponit Scripturam, si nudam illius literam spectes: conclusio sic non infert, sed simpliciter; ad quam fraudem tegendam, ne ipsius quidem Scripturæ mentionem usurpat conclusio. Si verò sic formetur conclusio, *Ergo Scriptura, si nudam literam spectes, non potest esse judex infallibilis controversiarum*, quem ferit Sophista? Num nos literam sensu cassam statuimus judicem? Imò litera sine sensu ne quidem formaliter est Scriptura divina: sensus enim est formale vocum. Tantum abest, ut fingamus literam sine sensu. Nec divellimus vel ipsi, vel ab aliis divelli patimur, quæ Spiritus Dei conjunxit arctissimè. Totus ergo labor perit adversario, quo se ostentat.

IV. Tertiò. In minore non unum est peccatum, sed multa. Primum, Sophistica literæ & sensus separatio. Secundum, c. lenchus accidentis. Nam ne quidem ipsa litera nuda, ut jacet, per se ducit in errorem & hæresin, sed malè torta. Si enim per se ad hæresin duceret, non admitteret verum sensum. Admittit autem. Illud igitur totum est accidentarium & hæret in homine tantùm, non in Scripturæ litera. Tertium, aperta falsitas. De tota enim Scriptura quæritur, non de aliqua tantùm parte. Jam si contendat Jesuita, Scripturam ὅλως consideratam, si nudam literam spectes, in errorem & hæresin ducere, dicam, falsum contendere. Nulla enim hactenus fuit hæresis, quæ totius Scripturæ literam pro se potuerit allegare, ut non esset aliquis locus, qui refragaretur, etiam quoad nudam literam.

V. Quartò. Minoris probatio non est idonea, sive Pauli dictum, sive exempla spectes. Paulus isto loco nec comparat, nec inter se opponit sensum externum & internum, ut fingit Sophista, sed ministerium evangelicum & legale. Ut enim suum, id est, Evangelii ministerium Corinthiis commendet, confert cum legali. De illo dicit, quòd sit 1. Novi Testamenti. 2. Spiritus. 3. Vitæ. 4. Inscriptum cordibus. 5. Semper durans. 6. Justitiæ v. 9. 7. Excellenter glorioſum. 8. perspicuum. De isto, quòd fuerit 1. Veteris Testamẽti. 2. Literæ. 3. Mortis. 4. Inscriptum lapidibus. 5. Abolendum. 6. Damnationis. 7. Illius respectu ἀδόξον. 8. Obscurum. Lex autem dicitur litera occidens, quia tantùm docet, quid Deus flagitet, quid prohibeat, nullas autem vires confert; quin potiùs omnes injustitiæ reos peragit & condemnat: At Evangelium, quatenus opponitur Legi, per se & in sese consideratum

ratum dicitur spiritus, quia spiritum adjunctum habet, seu ejus materia est Christus, seipsum in æternam vitam gratis offerens credentibus & per Spiritum suum fidem in suorum cordibus gignens, quâ illi justificantur & vivificantur.

VI. Sic Chrysostomus homilia 7. in hunc locum, *Cæterùm*, inquit, *literam hîc vocat legem, quæ punit delinquentes, spiritum verò gratiam, quæ per baptismum vivificat à peccatis mortificatos.* Item; *in lege qui peccatum habet, punitur: hîc autem qui habet peccatum, accedens baptizatur & fit justus. Justus autem factus vivit liberatus à morte peccati. Lex si prehenderit homicidam, tollit è vivis: gratia operit homicidam, illuminat & vivificat. Et quid dico homicidam? qui ligna sabbato collegerat, lex lapidavit etiam. Hoc est*, litera occidit. *Innumerabiles homicidas & latrones recipit gratia, ac baptizans eos, liberat à malis priùs: hoc est*, Spiritus vivificat; *lex è vivo reddit mortuum, quem capit hæc è mortuo facit vivum*, venite ad me, qui laboratis & onerati estis, ego vos reficiam. *Non dixit*, puniam vos, *sed* reficiam vos. Chrysostomum sequitur Theophylactus, itemque Oecumenius; ὁ γὰρ, inquiens, νόμος γράμματα ἔφερε, τὸ δὲ χρεῖττον κήρυγμα πνεύματος ἐπιφοίτησιν, οὐ μὲν γὰρ ὁ νόμος πνευματικὸς, ἀλλ' ἀπνεῦμα ἐχαρίζετο, ὅπερ ποιεῖ τὸ κήρυγμα, ὡς εἰ ἔλεγεν, ἡμεῖς δὲ γράμματι ἐπιστεύθημεν, ὡς Μωσῆς, ἀλλὰ πνεῦμα δεδόναι. Non aliter Theodoretus & Commentarius Ambrosio inscriptus. Similiter inter Papistas veteres Haimo, Glossa ordinaria, Thomas Aquinas; inter recentes, Antonius Scaynus in Paraphrasi & annotationibus literam de Lege, Spiritum de Evangelio interpretatur; quem sensum Cornelius à Lapide maximè literalem vocat.

VII. Certè istam interpretationem primò confirmat totus contextus. Quæ enim multis versibus dicuntur, conveniunt legali & evangelico ministerio. Deinde aliorum locorum collatio: Sic enim litera legem significat, Roman. 2,27. cap. 7,6. ut patet ex contextu. Unde Augustinus lib. de spiritu & litera cap. 4. *Attende igitur Apostolum ad Romanos explicantem, satisque monstrantem, quod scripsit ad Corinthios*: litera occidit, spiritus vivificat; *Sic magis accipiendum, ut suprà diximus,* (id est, de lege,) *Quoniam legis litera, quæ docet, non esse peccandum, si spiritus vivificans desit, occidit: Sciri enim facit peccatum potiùs, quàm caveri, & ideo magis augerè quàm minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit.* Inde lex dicitur subintrâsse, ut abundaret delictum, Roman. 5,20.

VIII. Vide & expende textum. Quod faveat glossæ Jesuiticæ, ego quidem in eo nihil reperio; plurima, quæ evertant. Aliena est à scopo dicentis & totius textus cohærentia. A *scopo*; Paulo enim non est propositum, avertere Corinthios à sensu, quẽ litera Scripturæ p̃ se fert, sed extollere suum ministerium super Mosaicum. A *textus cohærentia*; quia unum est ministerium literæ, mortis, cõdemnationis, quod non habuerunt Apostoli: Est ergo veteris Testamenti, non novi. At literalis sensus non minùs in novo, quàm in veteri Testamento locum habet. Literæ ministerium habuit Moses. At sensus illius, quem Becanus dicit præ se ferre literam

Universidad de Deusto
Biblioteca

externam, & cum errandi periculo conjunctum, Moses non fuit minister.

IX. Sed *Augustinus istam interpretationem de sensu literæ, sequitur sermone 70. de Temp. & l. 3. de Doctrina Christi. cap. 5.* Augustinus, fateor, scribit, istam sententiam Apostoli de figuratis locutionibus, quarum est absurda proprietas, non accipiendis, sicut sonat litera, intelligi posse. At primò non scribit, de illis locutum esse Apostolum; imò scribit, non locutum esse. *Volo*, inquit, *si potuero demonstrare illud, quod ait Apostolus*, litera occidit, spiritus autem vivificat, *nō de figuratis locutionibus dictum, quamvis & de illis congruenter accipiatur, sed potiùs de* lege *apertè, q malum est, prohibente*, lib. de spiritu & lite. cap. 5. Imò cap. 14. disputat, per literam non aliam voluisse intelligere, quàm Decalogum in illis duabus tabulis scriptum. Deinde dicit, literam & spiritum alio modo dici legem & gratiam, idque egregiè explicat, lib. 15. contra Faustum. cap. 8 lib. 2. contra Adversarium legis & Prophetarum cap. 7. Denique nusquam Augustinus Apostoli verba de omni Scripturæ litera sensui opposita explicat, nusquam de litera propriè dicta. Ita cadit fundamentum totius structuræ Jesuiticæ.

X. Exempla sunt aliena. Primò enim non litera vel Judæos, vel hæreticos unquam in errorem duxit, sed literæ prava interpretatio. Deinde miser Sophista unam aut alteram sententiolam promit, quā pro se allegent hæretici, cùm nos agamus de tota Scriptura. Etsi igitur una sententia, si nudam literam spectes, videatur favere errori, non tamen ideo totius Scripturæ litera. Glossa enim, quam malè sentientes verbis inferunt, aliis textibus abundè revincitur. Id tum Judæorum, tum hæreticorum exemplo constat. Judæorum quidem. Nam nec Scripturæ veteris & novi Testamenti ὅλως consideratæ nudam literam recipiunt, sed tantùm veteris Instrumenti literæ inhærēt, nec quidem sensum, quem externa totius veteris Testamenti litera fundit, sequuntur. Sed disertis verbis Scripturæ confutantur.

XI. Jesuita testimonio Apostoli probare conatur, quòd Judæos externa litera sensui contradistincta occiderit, qui omnia, quæ in Mose & Prophetis prædicta erant de Christo, intelligerent secundùm externam literam, & sensum interiùs latentē ñ reciperent, id q̄ ipsis Christus objecerit. Nū. 9. 10. Quòd omnia secundùm externā literam intellexerint, q̄ de Christo erant p̄dicta, & sensum interiùs latentem non receperint, facilè agnosco. Quòd vel Apostolus testetur, literam externam eos occidisse, vel Christus eis objiciat, quòd tantùm in externa litera hæreant, non agnosco. Ubi enim illud testatur Apostolus? Ubi hoc eis Christus objicit? Nominat duos textus, 2. Corinth. 3, 15. & Johann. 5. 39. Neutro probat. Non *priori*; Nam Apostolus per velamen non intelligit externam literam. Patet invicto argumento. Externa litera est in Mose: Velamen non est in Mose, sed cordi Judæorum impositum. Litera externa per conversionem ad Dominum non tollitur; velamen tollitur, 2. Corinth. 3, 15. Theodoret⁹ vocat incredulitatem. Vide suprà Controv. 1. quæst. 4. sect. 2. num. 17. 18. Non *posteriori*; Christus enim non opponit literam externam sensui; non dicit, Judæos hærere in litera. Ad diligentem Scripturarum considerationem hortatur, idque duplici argumento. Unum est, quia ipsi agnoscant, se in Scripturis habere vitam æternam. Alterum, quia testentur de Christo. Num sensus testatur, litera non testatur? Nugæ. Vide suprà Controv. 2. sect. 4. num. 22. Ibi Sophistæ glossam confutavi.

XII. Jam vide hæreticos. Primò. Eorum hæresis non erat ex litera occidente, ut blasphemat Sophista, sed ex prava glossa: verba enim Christi, quæ citra blasphemiam litera occidens dici nequeunt, malè torquebant. Christus dixerat, *Ego & Pater unum sumus*. Id Sabelliani ad unitatem personæ rapiebant. At litera non sonat unitatem personæ, sed potiùs essentiæ. Non enim ait, *Ego & Pater unus sumus*, sed *unum*. Quòd autem ad personam trahi non debeat, inde patet, tum quia non ait, *Ego & Pater unus sum*, sed *unum sumus*; tum quia qui unum sunt, tres sunt, 1. Johan. 5, 7. tum quia Verbum dicitur fuisse apud Deum, Johan. 1, 1. tum quia Christus seipsum à Patre discernit, Johan. 15, 26. Vide Tertullianum contra Praxeam.

XIII. Secundò Ariani dicentes, Christum non esse Deum, sed inferiorem Deo, confutantur per claram literam, quâ Christus vocatur Deus, Johann. 1, 1. verus Deus, 1. Johan. 5, 20. Magnus Deus, Tit. 2, 13. Deus benedictus super omnia, Roman. 9, 5. Deus in carne manifestatus, 1. Timoth. 3, 16. Nec illa litera, *Pater major me est*, duxit Arianos in errorem, sed in errorem ducti ab Ario istam literam suo errori voluerunt obtendere. Probo tum ex Becani verbis, tum aliunde. Ex *Becani verbis*; Dicit, *Arianos inde errâsse, quia, relicto Ecclesiæ sensu, secundùm literam explicabant verba Christi*, Pater major me est, *id est, absolutè major*. Num. 13. Hæc non est litera, sed literæ glossa. Christus enim non dixit, *absolutè major*. *Aliunde*; Quæ enim Scriptura habet hanc literam, *Pater major me est*, eadem habet, & vix tribus interjectis verbis, eodē loco istam, *Ego & Pater unum sumus*. Hinc intelligi datur, Filium Patre minorem esse non secundùm naturam, secundùm quam est unum cum illo, sed secundùm quam ab illo differt, id est, secundùm carnem. Deinde constat, Christum loqui, ut Mediatorē, quatenus unctus erat à Patre. Mittens autem, quâ talis, major est misso.

XIV. Tertiò. Quòd Macedoniani negabant, Spiritum Sanctum esse Deum, id non video, cur ab occidente litera deducendum sit, & non potius à depravatione literæ. Ista enim litera Apostoli, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, non est sive ex Apostoli, sive ex Augustini mente, occidens, sed insignis testis, Spiritum esse verum Deum. Qui enim scrutatur omnia, etiam profunda Dei, is est verus Deus. Sic concludit Theodoretus, sic Ambrosius rectissimè concludit contra Macedonianos. Scrutari enim est penetrare & perspicere. Macedoniani, qui scrutationem ad dubitationem & ignorantiam referunt, & inde Spiritum eum non esse, concludunt, non tenent literam, sed ingerunt alienam glossam & pravum sensum. Nam exserta litera di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cit, quòd omnium corda scrutetur Deus, 1. Chron. 28, 9. *Ego Dominus scrutans corda.* Jerem. 17, 10. Confer Psal. 7, 10. At quæ litera dicit, qui quærit, illum dubitare? ignorare? Jesuitæ, quis Veterum unquam dixit, illud Apostoli, *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei*, esse literam occidentem?

XV. Quartò. Manichæi, fateor, pugnam inter novum & vetus Testamentum comminiscebantur: verùm ne quidem externa litera illis favebat. Etsi enim unum textum audacter suæ dementiæ prætexerent, aliis tamen plurimis apertè revincebantur. Quod patet ab exemplis à Jesuita prolatis. Primum alienum. Nulla enim est pugna inter id, quod vet⁹ Testamentum dicit, Deum creâsse omnia, & novum, per Verbum omnia creata esse. (Sic enim Scriptura loquitur.) Nam primò in novo Testamento similiter legimus, Deum omnia creâsse, Rom. 4, 17. per Verbum, Coloss. 1, 16. quod Verbum est Deus, Johan. 1, 1. & est unum cum Patre, Johan. 10, 30. Secundum non aptius. quod enim vetus dicit, hominem factum esse ad imaginem Dei, Genes. 1, 27. id novum diserte confirmat, Ephes. 4, 24. At nusquam dicit, hominem esse ex Diabolo. Sed Christus Judæis objicit, eos esse ex patre Diabolo, quia cupiditates patris ipsorum velint explere, Johann. 8, 44. *vos facitis opera patris vestri*, v. 41. *vos facitis, quod vidistis apud patrem vestrum*, v. 38. Quod non propriè de generatione, aut creatione, sed metaphoricè de imitatione operum Diaboli capiendum esse, externa quoque litera docet. Ait enim Christus, *scio, vos semen Abrahæ esse*, v. 37. Docet igitur, secundùm carnem esse semen Abrahæ, quia ex eo nati: At non esse ejus filios imitatione fidei & pietatis: Ait enim, *si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis*, v. 39. sed imitari Satanam, v. 38. Tertium non solidum. Truncantur enim verba veteris Instrumenti, quæ integra sic habent; *quievit ab omni opere suo, quod fecerat*. Non ergo simpliciter ab omni opere, sed ut non crearet novam speciem. Jam manifestum, non repugnare vel externam illam literam novi Testamenti, *Ego & Pater adhuc operor*: Hîc enim de providētia agi, apertum, à cujus opere Deum nunquam cessâsse, vetus Testamentum multis locis docet manifestissimè.

XVI. Quintò. Pelagianos non occidit litera externa Scripturæ, sed pravus sensus, quem de suo inferebant. Illud enim Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*, intelligendum esse de filio resipiscente, ipse textus ostendit. Alioqui imitatores paternæ iniquitatis ac impietatis eandem impietatem luituros esse, jam olim testatus erat Deus, Exod. 20. Deinde quæ Scriptura dixerat, *Filius non portabit iniquitatem patris*, eadem dicit, Psalm. 51, 7. *In iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea*. Roman. 5, 12. *In quo omnes peccaverunt*, Item, *eramus naturâ filii iræ, ut etiam reliqui*. Eph. 2, 3. Ut vel externa litera confutet Pelagianorum hæresin.

XVII. Sextò. Veteres hæreticos, qui abnegabant carnis resurrectionem, occidisse istam literam, Johan. 6. *Caro nihil prodest*, ridiculum est. Legebant enim de Hiobo, quòd in carne sua esset resurrecturus: quòd corpora nostra essent conformanda glorioso corpori Christi, Phil. 3, 21. Hos igitur occidebat prava literæ glossa, non litera. Denique tota calumniosa est consequentia, quam num. 17. affingit impostor Calvinistis, quos improbè vocat. Ubi nectunt hanc consequentiam, *quorsum Christus daret nobis suam carnem in sacramento Eucharistiæ, si nihil prodest?* Nostri eam non agnoscunt. Non negant communionem carnis Christi in sacra Cœna; etsi negēt oralē ejus manducationem, quippe in cœnæ institutione non promissam, quin potiùs disertis verbis à Christo confutatam, Johan. 6. Non frustrà carnem assumpsit Christus; non frustrà crucifigi voluit. Etsi ore comesa caro non prosit, non ideo non prodest.

XVIII. Ex dictis patet, quàm inanis sit triumphus, quem Jesuita plenis buccis canit num. 18. *Tum auctoritate Apostoli, tum variis exemplis demonstratum esse*, jactat, *Scripturam, si literam externam spectemus, non posse esse infallibilem judicem controversiarum, quia litera occidat, & varios errores ac hæreses pariat*. Non opus erat demonstratione. Nemo enim affirmat, Scripturam, si nudam literam sine sensu spectes, judicem esse controversiarum. Apostolus auctoritatem suam non interposuit, sed Jesuita pessimè torsit. Nusquam dixit, literam sine sensu occidere. Nullo exemplo constat, errores ac hæreses parere. Jesuita finxit. Inde inanis triumphus. Sed si demus, Scripturam, si literam sine sensu spectes, non posse esse judicem controversiarum infallibilem, quid lucratur adversarius? An, Scripturam nullo modo esse normam controversiarum unicam & judicem legalem? Id nego constantissimè. Ille probandum suscipit, nec Scripturam, si sensum spectes, posse esse judicem. Vide, quo modo homo iste sensum à litera divellat, cùm ei sit non minùs conjunctus, quàm anima corpori. Audiamus tamen discursum. Sic enim vocat ipse. *Scriptura*, inquit, *quoad verum & legitimum sensum, sæpe est obscura & difficilis intellectu: Ac proinde sæpe oritur controversia de vero & legitimo illius sensu. Omnis autem controversia debet habere aliquem judicem. Debet ergo esse aliquis judex, qui definiat, hunc esse legitimum sensum, illum non esse. At hic judex non potest esse ipsa Scriptura, de cuius mente & sententia controversia movetur. Ergo aliquis alius distinctus à Scriptura.* Addit, *in hoc discursu esse tria præcipua.* Primū, quòd *Scriptura, quoad sensum sæpe sit obscura & difficilis intellectu, id quod probatum sit, cap. 1. q. 6. & sequentibus.* Alterum, quòd *ex hac obscuritate necessariò nascantur multæ controversiæ. Quod non indigeat alia probatione, quàm quotidiana experientia, cùm constet, omnibus seculis, semper ortas fuisse aliquas controversias de legitimo Scripturæ sensu. Et ut taceat de iis, quæ tempore Arii, Macedonii, Donati & aliorum veterum hæreticorum excitatæ sunt, nostro hoc tempore infinitas occurrere, de quibus in progressu simus visuri.* Tertium, *judicem harum controversiarum non posse esse Scripturam.* Num. 19. 20. Egregiè! Sic Sophistæ discursus suos nobis objiciunt loco argumenti ritè formati. Nos annotemus peccata in discursu.

XIX. Primò. Etsi non nego, nonnulla in Scriptura obscuriùs esse dicta & intel-

lectu difficilia, tam obscuram tamen esse nego, quin ex toto corpore de omnibus ad salutem necessariis certa sententia erui possit, sine externo additamento. Obnitebatur quidem suprà Sophista, verùm frustrà. Veritas obtinuit. Ibi vide. Hîc solùm in memoriam nobis revoco illud Chrysostomi Homil. 3. in 2. Thess. 2. *Omnia clara sunt & plana ex Scripturis divinis; quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt.* Et illud Augustini lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 9. *In iis, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa, quæ continent fidem moresque vivendi, spem atque charitatem.* Secundò. Controversiæ religionis non oriuntur necessariò ex Scripturæ obscuritate, sed ex fraude inimici zizania inter triticum seminantis, & hominum partim infirmitate, partim improbitate. Illa lumen est pedibus nostris. Non omnes lumen capiunt: multi avertunt oculos, & magis amant tenebras, quàm lucem. Vide Arii, Macedonii, Donati exempla: illa enim memorat Jesuita. An non satis clarè Scriptura eorum errores confutabat? Omnino rectè mihi de illis dicere videor, quod Epiphanius Hæresi sexagesimâ septimâ de Hierace affirmat, *Lucida*, inquiens, *obscurè intelligebat*. Loquitur autem de Scriptura Epiphanius, eique lucem asserit.

XX. Tertiò. Impostor pro controversiis de articulis fidei, supponit controversias de particularibus Scripturæ textibus. Hoc est Sophisticum. Nam quid sentiendum sit de omnibus doctrinæ Christianæ capitibus, ex Scriptura abundè constare potest, & si fortè non constet, quomodo singuli loci sint exponendi. Non enim singuli loci continent caput doctrinæ Christianæ; nec omnia capita doctrinæ Christianæ uno tantùm loco tractantur, sed sæpè pluribus. Quartò. Supponit, omnem controversiam habere debere aliquem judicem. Id ambiguum. Intelligitur vel summus & absolutus, vel subalternus & ministerialis. De summo & absoluto verum. Is est Spiritus Sanctus, cuius vox sonat in Scriptura. Per subalternum & ministerialem intelligitur vel indefinitè, qui judicet, vel definitè, unus Oecumenicus. Priori sensu datur, quia verum. Posteriori negatur, quia falsum. Probandum igitur, non nudè supponendum. Quintò. Cùm Scripturam judicem esse posse, negat, ludit in vocabulo judicis, more suo. Nostri Scripturam improprièdictum judicem appellant, quatenus est vox summi judicis, & dirigit, instar normæ, judicem ministerialem: ille disputat, non esse judicem, sc. propriè dictum. Hoc concedimus. At verò hinc non sequitur, Scripturam non esse unicam normam controversiarum fidei judicandarum decidendarumque. Et tamen de hoc inter nos quæritur. Hoc probè notet pius lector, impostorem adversùs unicam normam non concludere, sed adversùs judicem. Probet verò hanc sequelam: *Scriptura non potest esse index propriè dictus seu personalis; ergo non potest esse unica controversiarum norma.* Lex in Republica non est judex propriè dictus; non tamen ideo non est norma omnium controversiarum. Nec obstat, quòd clamat, *controversiam esse de Scripturæ mente & sententia.* Ut enim legis sensus non aliunde, quàm ab ipsa lege petendus, sic sensus Scripturæ non aliunde, quàm ab ipsa Scriptura eruendus. Cùm de Principis sententia controvertitur, non alius, sed ipse est interpres authenticus. Sic cùm de sensu Scripturæ quæritur, Deus ipse mentem suam in Scriptura declarat. An ille non potest esse judex, de cujus sensu quæritur? Negandæ igitur erunt Spiritui Sancto partes judicis. Cùm enim de Scripturæ sensu quæritur, omnino de Spiritus Sancti quæritur sensu, quippe qui in Scriptura loquitur.

XXI. Sextò. Concludit, aliquem alium judicem & distinctum à Scriptura esse debere. Hoc alienum est. A nobis enim non negatur. Imò agnoscitur Ecclesia judex: & in singulis Ecclesiis sunt constituti judices, qui τὰ κατ' ἕκαστα judicent. Sic Christus Matth. 18. *dic Ecclesiæ*. Apostolus ad Tit. 1, 5. *Huius rei gratiâ reliqui te in Creta, ut quæ reliqua sunt, pergas corrigere.* Idque comprobat Ecclesiæ praxis perpetua. Si verò concludat, debere esse judicem unum visibilẽ, supremum, Oecumenicum, infallibilem, jam nego sequelam. Ut enim in Republica bene constituta sufficit, bonas esse leges, ex quibus singulæ controversiæ possunt decidi à judicibus, non autem opus est una suprema auctoritate infallibili: Sic in Ecclesia satis est, exstare infallibilem regulam, secundùm quam in ministerio ecclesiastico, qui ad id constituti, ut singulas controversias cognoscant, suum forment judicium. Illa regula est doctrina Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ. Denique si suum discursum ad Pontificem Romanum applicet, eumque jactet esse illum judicẽ solitarium, supremum, Oecumenicum controversiarum omnium, quis non rideat hominis impudentiam?

XXII. Scripturam judicem controversiarum esse non posse, duplici jactat argumento. Unum sumit ex dictis in hunc modum: *Judex debet clarè pronunciare sententiam, ut ab utraque parte litigante intelligi possit, alioqui frustrà illam pronunciaret. At Scriptura, quando ipsius sensus obscurus est, non potest clarè pronunciare sententiam, ut ab utraque parte litigante intelligi possit. Si enim in tali casu clarè pronunciaret sententiam, jam sensus ipsius non esset obscurus, sed clarus, quod est contra suppositionem. Ergo in tali casu non potest esse judex.* Num. 21. Respondeo. Hîc graviter peccatur. Nam primò non concluditur, q̃ proponebatur cõcludendum. Scripturã, si sensum spectes, posse cõtroversiarũ fidei judicem esse, Jesuita negabat absolutè. At concludit, in tali casu non posse esse judicem, nempe quando sensus ejus est obscurus. Discrimen apertum. Num enim omnium locorum sensus obscurus? An de nullo controverso dogmate sensus ejus est clarus? Ipsi Papistæ fatẽtur, articulos symboli Apostolici clarè proponi in Scriptura. Cur in illis judicis partes nequeat sustinere? Exempli causa, quæritur, *An Christus sit Deus? An Patri consubstantialis? An sit conditor cœli & terræ? An natus ex Maria Virgine? An verè passus & mortuus? An veram carnem assumpserit? An Spiritus Sanctus sit Deus? An sit futura carnis resurrectio?* Num de his obscurus est Scripturæ sensus? Si clarus, cur judicium illi negetur saltem in his controversiis? Nominatim, cur negetur illi judicium in Arii, Macedonii & Donati con-

Universidad de Sevilla Biblioteca

ti controversiis? Secundò. Quæ sunt judicis propriè dicti, singulares controversiarum circumstantias examinantis, ea ad judicem impropriè dictum, seu directivum, id est, qui est norma judicii, transferuntur. Ille debet sententiam pronunciare, ut ab utraque parte litigante intelligi possit. At iste non tenetur. Sic lex in Republica manet solitaria norma judicii, & vox definitiva Legislatoris, etsi non intelligatur à quovis litigante. Sic textus Aristotelis est judex directivus, seu norma cõtroversiarum inter Peripateticos, quãvis non ubique sententiam ita pronunciet, ut semper ab omni parte litigante intelligatur.

XXIII. Tertiò. Obscuritas consideratur vel ratione partis alicujus Scripturæ, vel ratione totius corporis. Si hîc dicatur obscuritas ratione totius corporis; falsum supponitur & confutatum à nobis suo loco. Si ratione alicujus partis, falsa est minor. Etsi enim aliqui loci Scripturæ sint obscuri, totum tamen systema tueri potest partes normæ plenariæ in omnibus controversiis fidei decidendis. Nam quod in uno loco obscuriùs dictum, id alibi clariùs exponitur. De quo sic Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana c. 6, „ *Magnificè & salubriter Spiritus sanctus ita* „ *Scripturas sanctas modificavit, ut locis a-* „ *pertioribus fami occurreret, obscurioribus* „ *autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè* „ *de illis obscuritatibus eruitur, quod non pla-* „ *nissimè dictum alibi reperiatur.* Sic si Arianus in verbo Christi, *Pater me major est*, erroris sui latebras quærat, aliunde lucem inferimus. Scriptura enim dicit, *Christum non duxisse rapinam, æqualem esse Deo*, Philip. 2, 6. Dicit, *unum esse cum Patre*, Johan. 10, 30. Dicit, *quæ Pater facit, ea pariter facere Filium*, Johan. 5, 19. Denique diserte Deum appellat, & tum opera, tum proprietates divinas illi tribuit. Eadem explicat naturam humanam & officium mediatorium: Unde jam facile est colligere, quòd Pater dicatur major Christo ratione carnis & officii, non autem quòd Christus non sit verus Deus.

XXIV. Primò excipit, *hæc frustrà obtendi*. Bene est, quòd non obtendimus de nostro. Augustini verba posuimus in medio. Illum petit per nostrum latus, quod prohibere nos quidem non possumus; frustrà verò calcitrat adversùs stimulum, id quod patet à rancidis ratiunculis, quibus fretus tantâ in nos grassatur ferociâ. Primò ait, *si ita sit, cur per hanc viam non finiamus controversias, quas inter nos habeamus*; *Cur*, inquam, *Lutherani & Calvinistæ, cùm altercantur de aliquo Scripturæ loco, qui obscurus est, non recurrant ad alium locum, qui clarus est: aut si id faciant, cur nullus altercandi apud illos sit finis. Hic nos hærere.* Num. 22. Fallitur egregiè. Nam nos non hæremus, sed ille quærit rimam, quâ elabatur. Augustinus eodem nobiscum utebatur medio: neque tamen inter ipsum & adversarios finiebantur altercationes. Num ideo non erat via legitima eruendæ veritatis, quam tenebat? Sophista hîc de obscuri textus interpretatione declamitat. Atqui susceptа erat disputatio de controversiis fidei. Jam non nego, plurimos locos pertinere ad fidei controversias, sed non omnes. Potest igitur esse controversia de obscuro loco,

loco, quæ non tangat quæstionem fidei, sed salvâ fide in medio possit relinqui genuinus sensus, neque tamen non sufficienter ex aliis locis controversiæ fidei possunt decidi.

XXV. Quòd non finiuntur controversiæ inter Evangelicos, argumentum est, quòd non omnes eandem habeant mensuram fidei, non æquè clarè omnes assequantur Scripturæ sensum; quòd denique aliqui sint nimis pertinaces in tenendo errore à nobis luculenter demonstrato. Id verò totum non pertinet ad infamandam Scripturam, & illi eripiendam vel claritatis laudem, vel normæ plenariæ ac judicis impropriè dicti dignitatem. Quin etiam injustè nobis exprobratur à Jesuita, cujus gregales non contenti castris Israëlis arma inferre, etiam domi suæ bellum movent, ac mutuis se confodiunt ictibus, quamvis sedeat in medio, cui summum rerum arbitrium permittunt ab ejus ore, tanquam ab alterius Apollinis oraculo, pendentes. Quàm diu litigant de conceptione Mariæ? Imò post Concilium non quiescit bellum de certitudine gratiæ. Bellarminus l. 3. de just. c. 3. & alii multi contendunt, Concilium damnare certitudinem omnis divinæ fidei de salute propriâ: Ambrosius Catharinus dicit, non damnare certitudinem omnis fidei divinæ, sed certitudinem tantùm fidei catholicæ. An Concilium non satis clarè pronunciavit? Certè non sic pronunciavit, ut altera pars litigantium intelligat, contra se esse pronunciatum. Catharinus enim non intelligit, aut saltem non fatetur; qui tamen interfuit, & ejus pars fuit non postrema. Ergone Cõcilium judex non fuit? Si Concilium judicis titulum meritò tenuit apud Papistas, quamvis tam clarè non pronunciaverit, ut intelligeret & fateretur Catharinus, contra se & suos ὁμοψήφους ferri sententiam, cur Scripturæ deterior sit conditio, id est, spolietur normæ plenariæ & judicis τῶν καθ' ὅλου, seu directivi axiomate, hoc arguméto, quòd pars litigantium non intelligat, aut saltem non fateatur, contra se pronunciari? Hîc hærebunt, satscio, Sophistæ.

XXVI. Secundò excipit, *aliud esse, verba Scripturæ esse clara: aliud, sensum Scripturæ esse clarum. Nam claritatem verborum pendere ex cognitione Grammaticæ, claritatem sensus ex intentione & consilio Spiritus sancti. At sæpe fieri, ut aliquis habeat sufficientem cognitionem Grammaticæ, & tamen nesciat intentionem Spiritus sancti: Ergo in tali casu verba Scripturæ posse esse clara, non tamen sensum verborum, qui à Spiritu sancto intenditur, fore clarum.* Tantum mysterium quia ægrè eramus intellecturi sine duce, duobus exemplis infirmitati nostræ succurrit. Unum est à verbis Christi, *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus. Quæ verba*, inquit, *si eorum nativam significationem spectes, sunt clara, & ab omnibus etiam Judæis, Turcis & Ethnicis intelligi possunt; at de sensu à Spiritu sancto intento sunt infinitæ inter Christianos controversiæ.* Alterum est à verbis Evangelistarum; Johannis dicentis, *Maria Magdalena venit ad monumentum, cùm adhuc tenebræ essent*; & Marci: *venit ad monumentum, orto jam sole.* His verbis nil clarius: at de germano sensu dubita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri solet, quia priora videntur pugnare cum posterioribus. Num. 23. 24. 25.

XXVII. Resp. Dolendum est, hominem nomen Christi professum, imò Jesu societate, & raræ eruditionis opinione turgidum, tam improbè ludere in re seria. Non exagitabo originem, ad quam refert verborum claritatem. Me tacente, omnes intelligunt, ex solius Grammaticæ cognitione non pendere. Scias Grammaticam, ignores Lexicographiam; non erunt tibi verba clara; rursum multis verba sunt clara, qui non nôrunt Grammaticam. Hoc rustici nos docent: imò pueri nostri, quibus verba sunt clara, cùm ignorent Grammaticam. Et multis exoticæ linguæ clarescunt ex usu, sine cognitione Grammaticæ. Id dicam, claritatis respectum absolutum & relatum confundi exemplo turpissimo. Aliud est, in se esse clarum, aliud, mihi, tibi esse clarum: idque tum in verbis, tum in sensu obtinet. Verba multa sunt clara in se, sed peritis idiomatis, in quo prolata; alia obscura etiam summè peritis, propter singularem genium phraseos. Sic quoque sensus verborum sæpe est in se clarus, sed rerum imperito obscurus. Jam applico; claritas verborum absoluta non pendet ex cognitione Grammaticæ, imò ne quidem Lexici, sed relata: id est, mihi sunt clara, quoniam cognovi Grammaticam & Lexicon. Etsi verò non intelligam, propter ignorantiam Grammaticæ & Lexici, non tamen in se clara esse desinunt, quod inde patet, quia aliis facilè cognita. Sic claritas sensus absoluta pendet ab intentione Spiritus sancti, tanquam principe, & mediis, quibus sensum in Scriptura expressit, à quibus verba ipsa removeri non possunt: verbis enim sensum impressit: & voces sunt notæ rerum. Sensus igitur Scripturæ est in verbis non separatim sumptis, sed connexis & non citra significationem usurpatis, sed quatenus significant: tolle literam, & nullus erit sensus, nedum significatio. Ita quòd mihi clarescit sensus, non pendet nudè ab intentione, sed ab illuminatione Spiritus sancti atque cognitione ejus intentionis, & usu mediorum.

XXVIII. Porrò committitur elenchus non causæ ut causæ. Ignoratio intentionis Spiritus sancti non est causa, cur sensus Scripturæ in se sit obscurus, sed cur tibi sit obscurus. Alii enim est clarus. Inde si porrò argues, hoc casu Scripturam, quoad sensum, non posse esse normam plenariam & judicem controversiarum fidei, immane, quàm fœdus error consequentis admittitur! Nam primò nostra infirmitas, per quam fit, ut sæpè non intelligamus Scripturam, trahitur ad traducendam ejus obscuritatem. Deinde perspicuitas non est de natura normæ, sed tantùm certitudo & auctoritas, id est, ut certum sit, immunem esse ab errore, & in se certum esse, quicquid ab illa habetur. Obscuritas igitur non derogat veritati normæ. Id quod tum normæ & obscuritatis ratio, tum normæ sacræ & civilis comparatio ostendit. *Ratio normæ & obscuritatis*; Norma enim pendet à voluntate auctoris, & est in rebus ipsis. Obscuritas est partim à modo rei tradendæ, partim à conditione eorum, quibus res traditur. A *modo tradendi*; Quæ verbis propriis enunciata sunt perspicua, ea non nunquam obscuriora sunt, si verbis figuratis enuncientur, & vicissim. Aliquando idiomatis diversitas obscuritatem addit. A *conditione eorum, quibus res traditur*; Quod enim huic clarum, id alii obscurum, idque vel ob ingenii tarditatem, vel judicii hebetudinem, vel linguarum ignorantiam, vel minorem mensuram fidei, vel ætatis lubricitatem, vel opinionem præconceptam. *Normæ civilis & sacræ comparatio*: Sicut lex in Republica normæ auctoritatem non habet, quia est perspicua, sed quia ab eo tradita, qui leges ferendi habet auctoritatem ac potestatem; unde nec obscura, minùs est norma, quàm clara, nec clara, magis quàm obscura. Sic quoque in Ecclesia.

XXIX. Hoc nisi concedant adversarii, duo sequentur absurda. Unum est, eandem Scripturam uni esse normam, alteri non esse: Esse illi, cui clara est, & à quo intelligitur; non esse illi, cui obscura est, & à quo non intelligitur. Quod multo est intolerabilius, quàm legem Cæsaream illi tantùm esse normam juris, qui intelligit; non esse, qui eam non intelligit, vel cui obscura est. Alterum, normam suam habere auctoritatem ab eo, cui est regula. Si enim illi non est norma, qui eam non intelligit, ergo alii per id est norma, quòd ab eo intelligatur. Quid absurdius fingi possit, non tantùm in Ecclesia, sed etiam in Republica? Quod de norma dixi, idem dicendum de judice impropriè dicto: Hic enim à norma non differt, cùm Scriptura nostris judex dicitur.

XXX. Duo exempla, quæ num. 24. & 25. producûtur, non juvant Sophistam. Obtineat illis, sæpe verba Scripturæ per se singillatim considerata, esse clara, iis puta qui idioma, quo proponuntur, nôrunt, ut tamen sensus totius phrasis à Spiritu sancto intentus non omnibus sit æquè clarus. Quid inde? Probet priùs, Scripturam, cujus textus aliquis non omnibus æquè perspicuus est, ὅλως consideratam, non posse normam esse plenariam & judicem cõtroversiarũ fidei? Deĩde cogitet, quàm solidè à controversiarũ multitudine, q̃ super verborũ Christi sensu agitantur inter Christianos, ad obscuritatem sensus progrediatur. Bellarmini auctoritas eum reprimere debebat, quem scripsisse, probè novit, tam clarè hoc à Christo esse dictum, ut nihil dici posset clariùs. De altero exemplo dictum suo loco. Erat enim trigesimum secundum ἐναντιοφανὲς propositum cap. 1. q. 5. numero 7. Vide suprà Controv. 1. q. 5. sect. 3. n. 5.

XXXI. Tertiò excipit, *non rarò fieri, ut idem locus Scripturæ, quem una pars litigantium putet clarum & perspicuum esse, ab altera censeatur obscurus.* Num. 26. Ita est. Quærit, *quid in tali casu facto sit opus, aut quis judex adhibendus,* cùm Scriptura pro judice adhiberi non possit? Causam si quæras, hanc affert, *quòd de ejus sensu ac sententia sit controversia.* Inde concludit, sine dubio alium quærendum esse judicem. Num. 26. Quin alium ministerialem judicem quæras, nos non prohibemus; imò ipsi nominamus Ecclesiam. Sed si alium absolutum & absolutè infallibilem judicem quæras, falleris periculosè. Unus enim est simpliciter infallibilis & absolutus judex, Deus, cujus vox est Scriptura. *Annon requirat populus Deum suum?* Jesa. 8. Quoties igitur Scripturam audis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

audis, toties audis judicem supremum: Illam audire cùm renuis, Deum audire abnuis. Alter judex ab istius voce pendet, non audiendus, nisi in quantum illam sonat. Alia norma præter Scripturam nec quæri debet, nec inveniri potest. Hoc totum supprimit Sophista. Ubiq; judicem, nusquam normam nominat, de qua tamen potissimùm disputatur.

XXXII. Nec obstat, quòd de Scripturæ sensu est cõtroversia. Probo exemplo Apostolorum & Patrum. Christus cum discipulis agebat de sua morte & resurrectione: illi non intelligebant Scripturam ea de re loquentem. Neque tamen alium quærebat judicem. Lis erat Apostolis cum Judæis de Jesu Nazareno, essetne Christus? Illi affirmabant ex Scriptura, isti negabant. Num alium judicem quærebant Apostoli? Non quærebant, sed demonstrabant collatis testimoniis ex Scriptura, Actor. 9, 22. 18, 28. Lis erat Apostolis cum Judæis de morte & resurrectione Christi. Illi docebant, Messiam juxta Scripturam mori & resurgere debuisse: isti negabant: neque tamen Apostoli alium quærebant judicem, non aliam normam, nisi Scripturam, Actor. 26, 22. 23. 1. Corinth. 15, 3. 4. Hieronymo, an Paulus seriò reprehenderit Petrum, lis erat cum Augustino. Negabat Hieronymus, Augustinus affirmabat. Uterque nitebatur capite secundo Galatarum. De sensu erat acris contentio: neque tamen Augustinus alium quærit judicem; imò ab omnibus aliis Scripturæ tractatoribus ad Paulum provocat super eo, quod scripsit ad Galatas. Epist. 19. Optato Milevitano erat lis cum Donatistis de sensu Scripturæ; non tamen alium judicem quærebat. Ad ipsam Scripturam provocabat. Cur nos non idem faceremus? Lis est inter nos & Papistas, num adorandæ sint imagines? Illi affirmant, nos negamus, idque nixi legis interdicto, Exod. 20. Illi trahunt ad idola Gentilium: At Scriptura hanc litem sufficienter decidit, ostenditque, nullam prorsus imaginem esse adorandam. Sic quoq; lis est inter illos & nos de invocatione sanctorum, pro qua citant illud: *miseremini mei, miseremini mei vos amici mei*, Job. cap. 19. ℣. 21. At nos ipsam Scripturam appellamus judicem, quæ pronunciat, hoc non de Angelis, sed amicis Jobi, qui cum ipso contendebant, intelligendum esse, cùm subjungit, *quare persequimini me, sicut Deus fortis, & carne mea non saturamini?* ℣. 22. Item lis est inter nos & Papistas, num justificemur coram Deo sine operibus? Nos affirmamus freti dicto Apostoli: *ex operibus legis nulla caro justificabitur. Colligimus igitur, fide justificari hominem absque operibus legis*, Romanor. 3, 20. 28. Papistæ negant, & contendunt, istis verbis excludi opera ceremonialis legis, non moralis. Hîc opus normâ, hîc opus judice. Nos appellamus Scripturam. Num illa non possit judicare, quia de ejus sensu quæritur? Imò potest maximè. Quam legem intelligat, satis apertè exprimit, cùm eodem versu dicit, *per legem esse agnitionem peccati. Per legem totum mundum fieri obnoxium condemnationi Dei*, ℣. 19. & tum capite secundo, tum duodecimo recitat præcepta legis moralis.

XXXIII. Multo plura exempla poteram producere, sed omitto brevitatis studio,

dio, præsertim cùm in progressu non defutura sit occasio tangendi. Jesuitæ placuit de descensu ad inferos movere litem. Non enim habebat ullum aliud exemplum, quo speciosiùs suam causam pingeret. Contendunt ergo Papistæ, Christum verè & localiter ad inferos descendisse: nempe ratione animæ, & per inferos intelligunt limbum Patrum & purgatorium. Producunt pro se verba Symboli, *Descendit ad inferos*. Item illud, Actor. 2, 27. *Non derelinques animam meam in inferno*. Nostri non negant veritatem descensus ad inferos, quam adstruit symbolum Apostolicum; sed negant, localem animæ Christi descensum ad subterraneum purgatorii specum & limbum Patrum in Symbolo adstrui. Non enim probabile est, auctores Symboli voluisse significatum vocis universæ Scripturæ veteri & novæ incognitum inferre publicæ confessioni totius Ecclesiæ. At inferorum nomine ne duplicem quidem, nedum triplicem vel quadruplicem specum subterraneum notat usquam Scriptura sive vetus, sive nova. Nusquam sive limbum, sive purgatorium tradit; Imò multis locis tradit, quæ cum limbo & purgatorio non consistunt. Unde certi sumus, humanum commentum esse. Nec tamen omnes, fateor, verba Symboli & Psalmi, ut sit in obscurioribus, eodem modo interpretantur. Catechismus Heidelbergensis & plures alii nostrorum commentarii descensum ad inferos de diris cruciatibus, quos Christus tempore passionis suæ inprimis in cruce pertulit, exponunt. Alii nostrates, nominatim Fennerus, Sanfordus, Parkerus, Amesius, accipiunt de statu, in quo Christus à tempore sepulturæ usque ad resurrectionem fuit, sub dominio mortis, mortuis annumeratus, ac si jam non ampliùs esset. Nemo inter nostros de desperatione Christi interpretatus est, quæ est Satanica nequissimi hominis calumnia, infrà lib. 3. c. 2. q. 2. Beza verba Psalmi sic interpretatur: Non derelinques cadaver meum in sepulcro. De qua interpretatione egimus suprà Controv. 1. q. 6. num. 15. 16. 17. 18. & infrà ampliùs de ea differendi erit locus, cùm ad libri tertii Manualis considerationem perventum fuerit.

XXXIV. Hîc audias tumultuantem Becanum! *Quid hîc agendum? quem compellabimus iudicẽ? si consulamus Scripturã, nihil aliud ipsa dicet, quàm q; antea dixit. Nullũ jota, nullũ apicem adder. De eo a. quod antea dixit, cõtroversia est. Ergo per id, q; antea dixit, controversia finiri non potest. Si ergo post ortam controversiam, Scriptura nihil novi dicit, sed manet in suis terminis antiquis, certè per illam lis finiri non potest: sed necesse est, vel alium judicem quærere, vel alteram partem litigantem sponte cedere, vel denique utramque in lite perseverare.* Num. 28. Subtiliter simul & fortiter! Neque tamen vel sic implicamur, quin sciamus, quid agendum sit, vel sic obruimur, quin noverimus verum judicem. Habemus Spiritum sanctum in Scriptura loquentem; illum adoramus, illum unicè respicimus. Nec malè nobiscum agetur, si ipsam consulamus Scripturam. Non enim muta est, quæ respondere non possit, sed loquitur, ut audiatur. Non absterret nos, quòd ñ dicet aliud ipsa, quàm quod dixit antea. Imò inde ejus commendamus plenitudinem. Nisi enim plenè de

Universidad de Deusto
Biblioteca

nè de omnibus dixisset, porrò opus esset, ut adderet nova, quoties nova emergeret quæstio. Nos nihil aliud requirimus. Non enim necessum est: illud sufficit ad decidendam controversiam, quod dixit antea. Nullum jota, nullum apicem superaddi postulamus: Apices isti, quibus utramque paginam sacram veteris & novi Testam. absolvit complevitque Spiritus sanctus, omne ferunt punctum.

XXXV. At, inquis, *de eo, quod antea dixit, controversia est.* Non, inquam ego, primariò, sed secundariò. Controversia primariò est, *num Christus post mortem secundùm animam descenderit in infernum subterraneum, id est, Purgatorium, & limbum Patrum, usque ad resurrectionis horam, ut animas piorum in limbo detentas inde educeret?* Hoc nunq̃ dixit Scriptura. Papistæ affirmant: nos negamus. Hæc controversia è Scriptura evidentissimè decidi potest. Ista vocis significatio est à Scriptura aliena. Citant verba, *Non derelinques animam meam in inferno.* Hac occasione lis movetur de istis verbis: Quicquid verò fiat de genuino illorum sensu, Sole clariùs potest ostendi, hîc non agi de duplici illo specu, in quem, fingunt, Christum descendisse. Limbus enim est commentum humanum. Patres fideles ante Christi resurrectionem defuncti, erãt in cœlo. *Spiritus revertitur ad Deum, qui dederat*, Eccl. 12, 9. Quos alioqui Christus reconciliâsset in cœlis, si Patres in cœlis non fuerunt? Coloss. 1, 20. Similiter purgatorium Papisticũ pugnat cum Scriptura multipliciter, ut à nostris sæpe est probatum, & infrà suo loco repetetur. Porrò ex hoc uno loco non debet decidi controversia. Etsi igitur de ejus sensu non satis constet, non tamen ideo non potest controversia decidi è Scriptura per id, quod antea dixit. Alibi enim memorat promissionem Christi factam latroni resipiscenti, *Hodie eris mecum in paradiso*, Luc. 23. Ubi paradisum cœlestem intelligi, ostendunt circumstantiæ, & fatetur Bellarminus lib. 1. de beat. Sanct. c. 3.

XXXVI. Sophista sequelam suam iterat, ego negationem sequelæ repeto, idque exemplo Patrum. Augustino lis erat cum Pelagianis de sensu Scripturæ: & tamen Apostolum in Scriptura loquentem appellat judicem, lib. de Gratia. & Lib. arbitrio cap. 18. *Si*, inquiens, *non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos index Apostolus Johannes & dicat nobis, quia dilectio ex Deo.* Idem Christum appellat; *Ista*, inquiens, *controversia (de peccato infantium) judicem quærit, iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat.* Nihil aliud dicturus erat Apostolus, quàm quod antea dixerat. Nihil aliud dicturus Christus in Scriptura. Nullum jota, nullum apicem additurus in Scriptura, Augustinus tamen judicem appellat. Basilio res erat cum Eunomianis & Arianis, de Scripturæ sensu: ad Scripturam tamen provocat, tanquam judicem, Epist. 80. Nil illa dictura ampliùs, quòd non dixisset antea: nullum jota, nullum apicem additura. Nihilominùs judicium Scripturæ defert Basilius. Nempe isti non agnoscebant has argutiolas, recèns è Jesuitarum officina egressas: *De Scripturæ sensu est controversia: ergo non potest esse index & plenaria norma: Scriptura non dicet aliud, quàm quod antea dixit: sed manet in antiquis terminis, ergo per eam lis finiri non potest. Si Scriptura post ortam controversiam, nihil novi dicit, necesse est, alium iudicem quærere, vel unam partem sponte cedere, vel utramque in lite perseverare.* Quin potiùs agnoscebant illud propheticum: *Ad legem & testimonium.* Lex & testimoniũ ñ dicebant aliud rogantibus, quàm quod antea dixerant, nullum addebant apicem, & tamen illis alligabantur Judæi in divino cultu, juxta illud, *Cùm edicunt vobis, consulite Pythones, aut ariolos, qui pipiunt & qui mussitant: nonne populus Deum suum consulturus est? Pro viventibus mortuos consulet? Legem & contestationem consulunto*, Jesa. 8.

XXXVII. Posterius argumentum. *Multa sunt testimonia Scripturæ, quorum verus & legitimus sensus haberi non potest, nisi ex traditione & auctoritate Ecclesiæ, ut probatum est cap. 2. Ergo si oriatur controversia circa eiusmodi testimonia, sola Scriptura non potest esse index, sed necesse est, confugere ad traditionem & auctoritatem Ecclesiæ.* Num. 29. Resp. Primò. Perpetuò recurrit eadem fallacia, quòd pro controversiis fidei Sophista supponit testimonia Scripturæ: nos non discedimus à quæstione, scientes, omnes controversias fidei legitimè decidi posse è Scriptura; etsi non omnium testimoniorum Scripturæ sensus genuinus constaret nobis è Scriptura. De dogmatibus fidei agebatur suprà; ille contendebat, non constare ex sola Scriptura sine traditione. Nos ibi ostendimus, omnia dogmata ex sola Scriptura constare. Ibi vide; tædiosum enim foret eadem bis dici.

XXXVIII. Hîc tria exempla producit. Unum circa formam Baptismi. Verborum Christi, Matth. 28, 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, sensum non constare, dicit, nisi ex praxi & traditione Ecclesiæ. Hunc enim esse legitimum, quòd in Baptismo pronunciari debeant hæc verba; *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*, & quòd Baptismus sine tali verborum pronunciatione non sit validus; in quo nos illis consentiamus. At si quis neget, opus esse pronunciatione eorum verborum, *in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*, cum non posse confutari ex solis Scripturis. Num. 29. Resp. De hoc exemplo actum dicto loco. Ibi enim inter dogmata fidei referebat. Monstratum autem à nobis est, hanc formam Baptismi Catechismum Romanum part. 2. cap. 2. q. 10. referre ad traditionem Christi in Evangelio descriptam. Bellarminus dicit, colligi ex Evangelio. Nos quidem utimur ea forma, ego autem nego, hunc esse sensum verborum, quòd præcisè pronunciari debeant hæc verba, *Ego te baptizo in nomine &c.* Nego, non esse validum Baptismum, nisi ista forma totidem verbis adhibeatur. Cùm consensum nostrum in eo laudat Becanus, fallit se ipsum & alios. Nobis æquè probatur ista Græcorum, *Baptizetur servus Dei in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.* Et Becanus fatetur, utramque formam legitimam esse, sive dicatur, *Ego baptizo*, quam tenent Latini, sive, *Hic baptizetur* &c, quam sequuntur Græci. In theol. Schol. par. 3. tract. 2. cap. 8. q. 3. num.

Universidad de Deusto
Biblioteca

num.1. Quin & hanc formam, *baptizare in nomen Jesu*, sufficientem olim judicavit Nicolaus Papa C. *Aquodam Judæo.* Dist. 4. de *Consecratione.* & Lombardus lib. 4. sent. Distinct. 3. Thomas in 1. Corinth. 1. lect. 3. scribit, ista forma usos esse Apostolos ex singulari ordinatione Spiritus sancti.

XXX. Si instes, *unde constet, opus esse verborum prolatione*, in nomine Patris &c. *& non sufficere, si quis inter baptizandum habeat interiorem voluntatem & intentionem baptizandi in nomine sacrosanctæ Trinitatis.* Respondeo primùm, quia administratio Baptismi est actus non inter Deum & baptizantem, sed inter Deum & baptizatum, cujus minister est, qui baptizat. Debet igitur ea forma exprimi verbis, non servari in mente. Deinde Apostoli protulerunt verba. Id patet ex ipsa Scriptura. Paulus enim scribit, Num in nomen Pauli baptizati fuistis? 1. Cor. 1, 13. Hîc enim argumẽtum sumit à fine & formula Baptismi, quâ nomen damus Christo invocato cum Patre & Spiritu sancto.

XL. Aliud exemplum petit ex Johan. 3, 5. ubi Christus ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Jam dicit, *hunc locum intelligi de necessitate baptismi aquæ, ut cum Papistis fateantur Lutherani. At hoc Calvinistas negare; qui ex verbis refutari non possint à Lutheranis: non enim addi expressè, quòd debeat intelligi vera aqua. Nam & alibi nominari ignem, & tamen non intelligi verum ignem.* Concludit, *non aliunde contra Calvinistas probari posse, quàm ex praxi & traditione Ecclesiæ.* Num. 30. Resp. Nec communiter Lutherani de absoluta necessitate Baptismi interpretantur cum Papistis, nec ulli orthodoxi, quos sub Calvini nomine traducit Sophista, necessitatem baptismi aquæ negant, quippe quam contra Socinianos aliosque defendunt, nec omnes negant, hîc aquam veram elementalem intelligi. Imò Musculus, Aretius, Sohnius & alii multi agnoscunt. Aliqui negant, fateor. At hîc non agitur de controversia fidei. Utrinque enim, ut dixi, consentiunt de necessitate Baptismi, & quòd aqua debeat adhiberi. Ideo hâc parte non opus est ulla contra Calvinistas probatione. Solùm quæstio est de expositione hujus loci, sine qua salva esse potest fides. Utraque autem expositio est analoga fidei. Genuina tamen eorum videtur, qui aquam veram elementalem intelligunt. Et sic sensus ex ipsa Scriptura sine traditione haberi potest. Non enim est à proprietate literæ transeundum ad metaphoram, nisi ubi cogit necessitas. Hîc non cogit. Ergo propriè accipiendum. Illud de igni alienum est: Apostoli enim sunt in Pentecoste baptizati Spiritu & igni, cùm Spiritus sanctus in specie linguarum ignitarum super eis consedit, Actor. 2. Cæterùm cùm de absoluta Baptismi necessitate quæritur, deficiunt probando, quicunque eam affirmant. Atque hîc verum est, quòd dicit Becanus, non posse probari ex verbis citatis. Addo, nec ex ullo alio textu Scripturæ; unde nos causam obtinemus. Quod enim à Scriptura nõ constat, id praxi & traditione Ecclesiæ non confirmatur solidè. Quamvis in hac causa praxis & traditio Ecclesiæ gratis nobis op-

opponatur. Non enim inimica.

XLI. Tertium exemplum sumit ab ultima Christi cœna. Christus in institutione Eucharistiæ dixit, *comedite, bibite:* in lotione autem pedum, *& vos debetis alter alterius lavare pedes.* Hîc clamat, *adversarios dicere, priora verba continere præceptum, posteriora non item; ac proinde fideles divino præcepto obligari ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie, non tamen ad lotionem pedum.* Ille igitur quærit, *unde hoc illis constet? non posse prætexere verba Scripture. Nam illa contrarium potiùs præ se ferre.* Num. 31. Vide hominis improbitatem, ut omnia componat ad cavillandum veritatem simplicem! Nos depellamus. Verum est, Christum illa protulisse verba. Et quidem priora continere præceptum, clarum est ab ipsis verbis, nisi hîc suam amittant naturam. Sunt enim modi imperativi. Amittere suam naturam, quis nos doceat? Illam si retinent, jam quis non videt præceptiva esse, quod & nostri intelligunt pueri. Porrò tamen hinc patet, quòd discipuli peccâssent, si non edissent ac bibissent, dicente Domino, *edite, bibite.* Contempsissent enim Domini voluntatem. Præceptum ergo fuit. Alioqui non peccâssent non edendo & non bibẽdo. Id enim, quod nõ est præceptũ, omittere, nõ est peccatum. Hoc fatẽtur Papistæ communiter de prima cœna tota: de nostra fatentur ex parte. Nempe cùm agitur de pane. Ad alteram cùm itur, hîc inclamant, non esse præceptum. Quasi verò aliter loquatur Christus in una, aliter in altera parte. Hoc est tergiversari, non disputare. Cur enim verbum, *comedite*, præceptum contineat, verbum, *bibite*, non contineat?

XLII. At verba de lotione pedum non continere præceptum, nos non dicimus, sed Becanus nobis impingit Jesuiticè, id est, mendaciter. Nos enim præceptum continere, agnoscimus, cui Papa se satisfacere opinatur, si quotannis semel duodecim hominibus lavet pedes: sed *revera nihil aliud est, quam Christi ludibrium, comica illa pompa. Christus enim non commendat hic ritum anniversarium, sed totâ vitâ paratos nos esse jubet ad lavandum fratrum pedes.* Sunt Calvini verba. Musculus; Debetis, *inquit Christus. Ergo imitatio hæc Christi non est nostro relicta arbitrio, sed debito subjecta: ut non solùm indecorum quid, sed & illicitum & peccatum committamus, si illam neglexerimus.* Beza, *Verbum ὀφείλειν ostendit præcipi, quod discipulorum officium postulat.* Item: *Generalis est ergo hæc præceptio mutuam Christianorum omnium charitatem omni officiorum genere testandam complectens.* Inprimis vilioris officii specie nominatâ ad humilitatem vocat, quam tantopere Christus suis cõmendat, Math. 20. v. 27. 28. *Synecdoche*, inquit Jansen. in Cõcord. Ev. c. 130. *est, ut ex eo quod servilissimum & abjectissimum videtur, omnia officia intelligantur.* Certè primi Christiani præcepti dominici memoriâ solebant hospitibus pedes lavare, unde Apostolus viduam descripturus, quæ ad διακονίαν admitti debeat, ait, *si Sanctorum pedes lavit*, 1. Timoth. 5, 10. Arias Montanus in Johan. *Alter alterius lavare pedes, id est, vos mutuis ministeriis & officiis, ex charitate ferventi, sine ulla contentione juvare.* Augustinus tract. 59. in h. l. *Magna est hæc commendatio humilitatis, & faci-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

unt sibi hoc invicem fratres, etiam opere ipso visibili, cùm se invicem hospitio recipiunt: est enim apud plerosque consuetudo huius humilitatis usque ad factum, quod cernatur, expressa. Et apud sanctos ubicunque hæc consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faciunt, si in illorum numero sunt, quibus dicitur in hymno trium beatorum virorum: benedicite sancti & humiles corde Domino. Multo autem est melius, & sine controversia verius, ut etiam manibus fiat, nec dedignetur, quod fecit Dominus, facere Christianus. Cùm enim ad pedes nostros inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. Ex Augustino hæc repetit Thomas in aurea catena.

XLIII. Jam clamet Becanus, nos Scripturæ verba prætexere non posse, illa cõtrarium potiùs præ se ferre. *Illa de lotione pedum*, dicit, *videri præceptum continere, perinde ac si herus servo dicat, tu debes mensam parare.* Imò non videntur, sed verè continent. Quod enim excipit, *ex praxi & Ecclesiæ traditione constare, quòd non obligemur ad lavandos pedes*; id dilutum est. Ex praxi constat, apud paucos servari præceptum: non constat, non esse præceptum. In altero magis facetus est. Hæc verba *comedite*, & *bibite* non plus videntur illi significare, quàm si paterfamiliâs dicat suis hospitibus, *comedite, bibite, læti estote.* At si paterfamiliâs ita loqueretur, non censeretur illos velle sub præcepto obligare. Cùm ergo Christus eodem modo locutus sit, quærit, unde constet, eum voluisse novo præcepto obligare omnes fideles ad utramque speciem? Ergo, inquam ego, Apostoli non tenebantur edere panem porrectum, non bibere poculum, non facere hoc in Domini memoriam. Ergo nec tenetur quisquam Christianus hodie non tantùm laicus, sed ne quidem ullus clericus. Vix breviori compendio sacratissimæ cœnæ mysterium subverteris. Neque agitur hîc solùm Eucharistiæ negocium: actum erit quoque de Baptismo. Si enim verba, *edite, bibite*, nihil ampliùs significant, quàm quod illi videtur, pariter verbum Petri, *baptizamini unusquisque in nomine Domini Jesu*, non significabit plus, quàm si pater familiâs offerat hospitibus aquam, qui citra peccatum repudiare possunt lotionem. Illum fructum sperare potest Ecclesia à facetiis Jesuiticis. Nisi fortè non seriò loquitur Sophista. Ait enim *videntur significare.* Verùm si plus significant Domini verba, quàm patrisfamiliâs suos hospites ad epulandum invitantis, cur ingerit suum *videntur*? De usu utriusque speciei, Deo volente, infrà suo loco agetur. Hîc brevissimè. Inde constat, omnes fideles, qui sacra cœna utuntur, præcepto obligari ad usum utriusque speciei, unde constat, obligari ad usum unius, nempe panis. Eodem enim modo loquitur Dominus de utroque. Jam ergo negent Jesuitæ, præceptum esse usum unius speciei à Domino, aut fateantur utriusque usum esse præceptum. Ille repetit argumentum suum de litera & sensu Scripturæ, num. 32. Nos igitur repetimus responsum nostrum, & abominamur hominis blasphemiam.

***

SECT.

SECTIO IV.

Tertium argumentum ex parte controversiarum sumptum examinatur.

I. TErtium argumentum principale ex parte controversiarum: *Multæ sunt controversiæ circa fidem & religionem, quarum vel nulla fit mentio in Scriptura, vel certè non sufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis sententiam ferre possit. Ergo in iis dirimendis alius judex quærendus est.* Inde multas enumerat controversias, quibus antecedens probet. Num. 33. & seqq. Priusquàm cum disputatore pergamus ad exempla, dicendum est aliquid de ipso argumento. Ille enim nimis videtur properare. Primò non sequitur, Ergo ille judex est Papa Romanus. Quò tamen omnis Sophistarum cura dirigitur, omnisque cogitatio. Secundò. Falsum supponitur, nempe in quo nulla fit mentio controversiæ, id controversiæ decidendæ non esse posse normam plenariam, vel judicem. Hoc supponi, clarum. Falsum esse, non minùs clarum. Normæ enim natura est, ut ex ea judicetur, non tantùm cujus in ipsa fit mentio, sed etiam id, cujus in norma non fit mentio. Sic principia disciplinarum sunt norma præceptorum dijudicandorum, neque tamen præceptorum fit mentio in principiis. Et ex principiis deciduntur quæstiones, quæ in illis minimè continentur, nisi δυνάμει. Similiter in Republica leges sunt norma decidendarum litium inter Titium & Sempronium, quamvis litium istarum nulla fiat mentio diserta in legibus. Cùm id jurisconsulti suis tribuant legibus, cur nos Scripturæ, quæ est lex Dei, non tribuamus?

II. Tertiò. Confunduntur duo controversiarum genera, quæ erant discernenda. Quædam enim sunt juris, aliæ facti. Controversia juris, *An erret, qui Deum facit auctorem peccati*? Controversia facti est inter Catholicos & Papistas, num Catholici Deum faciant auctorem peccati? Prius genus debet dirimi posse ex Scriptura, aut Scriptura non est legitima norma & judex controversiarum. Posterius genus ut dirimat, non est necessum. Si non dirimat, nihil decedit ejus auctoritati ac plenitudini. Sic satis est, in Scriptura eum erroris damnari, qui Deum constituit auctorem peccati. Non opus est, ut eadem pronunciet, Catholicine Deum faciant auctorem peccati, an calumnientur Papistæ? Est enim facti, de quo aliunde habetur certitudo. Sic quæstio juris est, sitne liber ille canonicus, qui impia docet & mentitur? Quæstio facti est, *num libri Maccabæorum impia doceant, ac mentiantur?* quam Catholici affirmant, Papistæ negant. Prior debet decidi à Scriptura: Posterior nõ debet. De priori controversiarũ genere falsum est antecedens Sophistæ: De posteriore, major ob id haud dubiè in lucem non emissa, ne pateret ejus fœda nuditas.

III. Quartò. Sufficientia, quam impugnat, ante omnia erat definienda pressiùs. Dicit, *multarum controversiarum vel nullam mentionem in Scriptura fieri, vel certè non sufficientem ad hoc, ut Scriptura de iis sententiam ferre possit.* Illa si definita esset accuratè, ex eo constaret clariùs, ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gundane sit vel sola assumptio, vel major sola, vel utraque. Si sufficientia Gretseriana intelligatur, id est, quam ille fingebat Ratisbonæ, nos fortiter negamus majorem. Nihil enim sufficiebat illi, nisi à Scriptura audiret, *Tu Gretsere causa cecidisti.* Nec minùs negamus, si sufficientia Gontieri & socii intelligatur, qui Franciscum Ducem Lotharingiæ in aulam Durlacensem secuti hanc legem per illum collocutoribus Evangelicis ferebant, ut proferrent puras Scripturæ testimonia, quæ condemnent propositiones Jesuitarum, contrariasque his substituant, sine aliorum discursuum immixtione: verbi gratiâ 1. *Missam non esse sacrificium propitiatorium.* 2. *Matrimonium non esse sacramentum.* 3. *Non nisi duo esse sacramenta.* 4. *Non esse purgatorium.* 5. *Solâ nos fide justificari.* 6. *Non invocandos esse Sanctos.* 7. *Ecclesiam Romanam non esse veram Ecclesiam à Jesu Christo super sanctum Petrum fundatam.* 8. *Jejunium quadragesimale & sacerdotum cœlibatum esse impium.* Has enim propositiones offerebant Georgio Friderico Marchioni Badensi 21. die Junii, Anno 613. Hæc sufficientia si unicè placeat Becano, rectè facturus erat, si majorem adderet, additamque probaret solidè. Nos enim prorsus negamus, eam ad id requiri, ut Scriptura normæ plenariæ & judicis impropriè dicti partes tueatur. Non enim tantùm id, quod ἀπρόσκλιτον exstat in Scriptura, sed etiam quod per legitimam consequentiam inde ducitur, Scripturæ judicatur consentaneum.

IV. Jam videamus controversias à Jesuita propositas. Prima. *An libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici & Maccabæorum sint Canonici & divini, nec ne?* Catholici negant, Papistæ affirmant. Hîc Jesuita ait, *quis erit judex, qui litem hanc dirimat? Scriptura esse non potest.* Num. 34. Cur, inquam ego, non possit? Hîc ne mutit quidem Becanus, tantum abest, ut probationem moliatur. Et tamen hoc est primarium punctum controversiæ. Nota specimen artis Jesuiticæ, quâ felicissimè obtinent, quicquid in mentem venit. Sufficit, negare Jesuitam. Neque enim aliud argumentum inveniet lector in toto cõtextu. Jesuitæ sufficiat; nobis non sufficit. Petimus igitur negationis rationem. Nisi fortè illa est, quòd Lutherani & Calvinistæ non ad Scripturam provocent, sed ad canonem & traditionem Judæorum. Id enim probè notandum esse, monet. Sit, non sit illa negationis ratio. Mendacium est insigne, insignis calumnia, probè digneque, id est, atro notanda lapillo. Nos ad Scripturam provocamus. Ex Scriptura habemus, nullum librum divinum mentiri & impia docere: At libri isti controversi mentiuntur & impia docent. Ergo isti libri non sunt divini. Major, ut dixi, est in Scriptura Canonica. Et fatentur Papistæ. Minor non debet esse in Scriptura Canonica: est enim quæstio facti. Probatur igitur ex istis libris tum cum canonica Scriptura, tum secum & cum reipsa comparatis. Vide probationem suprà Controv. 1. quæst. 1. sect. 2. Quid verò de canone & traditione Judæorum? Ad canonem Judæorum provocamus, non tanquam à Judæis factum, sed tanquam à Spiritu sancto in veteri Testamento designatum, in novo approbatum à Christo & Apostolis: Ad traditionem Judæorum non provocamus, tãquam fidei nostræ principium.

V. Contrà. *Aiunt*, inquit, *libros in canone Hebræorum, qui exstat apud Hieronymum, non reperiri, ideoque pro canonicis haberi non posse. Fatentur igitur, alium in hac causa judicem, quàm Scripturam esse oportere. Et quem illum? Traditionem Judæorum.* l. l. Prius quidem dicimus & inter argumenta nostra referimus. Illi enim libri veteris Testamenti divini sunt & canonici, quos Spiritus sanctus in veteri Testamento Ecclesiæ commendavit, ut essent norma fidei. At hos non commendavit. Alioqui à fideli Ecclesia essent recepti in canonem. Non autem sunt recepti. Consequentia est calumniosa. Nos nec fatemur hoc argumento, nec fateri tenemur, alium esse causæ judicem, quàm Scripturam. Nec tamen sic sibi satisfacere potuit, nisi adderet, nos agnoscere judicem, traditionem Judæorum. Hoc dicem, prorsus est diabolicum. Quo ipso ostendit Jesuita, si aliunde non constaret, cujus Spiritus sit filius. Non vult distinguere inter probationis locum & judicem. Non vult, inquam; tam imperitus enim non est, quin posset. Boni abominantur Sophistæ improbitatem, probè scientes, à pluribus locis peti argumenta, sc. à Scriptura, à ratione, ab hypothesibus, à confessione adversariorum, à consensu populorum, nec tamen tot constitui judices.

VI. Hinc illi perit mirandi occasio, quam quasi à nobis oblatam captat avidè, cùm sine nobis de suo sibi præbuerit ipse. Mira ei res est, *pluris Judæos, quàm Christianos nos facere, & cùm Christiani essemus, Christi & Apostolorum traditionibus* infestissimos esse, & Judæorum traditionem in precio habere. Res, fateor, esset non immeritò mira, si rei essemus criminis, quod nobis intentat. Non enim tantùm solemus Christum & Apostolos Judæis anteferre longissimè, sed etiam omnibus, qui sub Christi nomine Anti-Christi errores spargunt, imò omnibus Christianorum opinionibus. At actoris est calumnia, non nostra culpa, nedum crimen. Nec res mira, hîc nos tam acerbè traduci. Non enim infrequens in Jesuitarum scena. Miremur, si Christiani fidem adhibeant, toties in manifesta fraude deprehensis. Nos nec Judæos pluris facimus, quàm verè Christianos: nec eorum quicquam præferimus doctrinæ Christianæ, vel etiam comparamus, quod illorum sit proprium. Si quid habeant à Mose & Prophetis traditum, atque à Christo approbatum, cur non vindicemus, tanquam ab injustis possessoribus, & inferamus templo Domini? Certè tenemur; nec hîc vel nomen Christianorum nos impedire, vel Judæorum nomen ullam nobis conflare debet invidiam. Quod enim Deus olim Ecclesiæ suæ veteri commendavit, omni tempore, etiam sub Christo, servandum, id non ideo exosum est, quòd etiam teneatur à Judæis. Huc pertinet librorum divinorum canon. Patet. Christ⁹ enim eum approbavit, quem illo tempore tenuerunt Judæi; non taciturus sacrilegium, si sacratissimam normam truncâssent aliquâ parte. Post Christum approbârunt Apostoli, eodemque usi citra contradictionem. Post Apostolos viri Apostolici, post hos, eorum suc-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessores Christiani in Oriente & Occidente. Nomina inferre hîc supervacaneum. Extant suprà Controv.1. quæst.1. sect.2. Quinimò Concilio Laodiceno circa Nicæni tempora habito, canon ille definitus. Non alius approbatus ab Ecclesia, non definitus ante annum quadringentesimum à Christo, si credas Jesuitæ. Dicit enim, Innocentium I. primò legitimè definiisse canonem; quamvis nec hoc quidem verum sit, ut ostensum suo loco. Post illum enim non tantùm alibi, sed etiam in ipsa sede Romana alius fuit Doctorum sensus, qui libros nobiscum rejecerunt, pro quibus Sophista temere pugnat. Ut ne opus quidem nobis sit, in hac causa Judæos præferre Christianis. Habemus enim utrosque amicos post Christum.

VII. Calumnia de odio traditionum Christi & Apostolorum depulsa est suprà? Non Christi & Apostolorum traditionibus infesti sumus, sed humanis cõmentis, quæ sub augusto tanti nominis velo impostores in medium producunt, tenenda & observanda sub salutis periculo. Quo in precio Judæorum traditiones habeamus, non attinet hîc prolixè explicare. Qui cultum Catholicæ & Papisticæ Ecclesiæ videt, is, nobis tacentibus, judicare potest, Papistæne, an nos traditiones Judæorum in majori habeamus precio. Quæ Judæi cum Apostolis habent communia, ea nostra facere non erubescimus: quæ sibi fingunt præter novi Testamenti rationem, ea nostra non facimus, quamvis Papistas videamus fecisse sua. Frustà quærit, cur non cum Augustino dicamus, *Maccabæorum libros non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet?* Dictum de hac Augustini sententia suo loco. Ibi, si lubet, vide.

VIII. Secunda controversia, *quot sint sacramenta novæ legis?* Catholici dicunt esse duo: Papistæ, septem. *Quid autem Scriptura? Nihil de hoc numero definit, ac proinde judex in hac controversia esse non potest*, inquit Becanus, qui suum septenarium numerum ex *traditione & consensu Ecclesiæ deducit*: unde nos *binarium* habeamus, nobis permittit: ex Scriptura non habere, certus. Num.35. Est, fateor, hæc controversia. Et Papistæ tuentur septenarium: nos binarium numerum. Reliqua sunt falsa. Falsum, Scripturam hac in re nihil definiisse. Falsum, Scripturam judicem seu normam plenariam esse non posse. Falsum, Papistas septenarium numerum habere ex traditione & consensu Ecclesiæ. De Catholica loquor: de Papistica enim lubens cõcedo. At illa non est verè Catholica. Denique falsum, nos ex Scriptura non habere binarium. Quòd enim hinc sumit cavillandi occasionem, quòd Scriptura nusquam dicit, *sunt tantùm duo sacramenta novæ legis*, id nimis est ridiculum, & ipsi auctori perniciosum. Nam ille jactat, se ex traditione & consensu Ecclesiæ habere septenarium: sed quo veteri concilio traditum, septem esse sacramenta propriè dicta? imò quis Patrum habet? Perscrutatus est, quâ potuit diligentiâ, Bellarminus Antiquitatem universam, & inde cognovit, priusquàm de hac quæstione ageret, sibi esse protestandum, non debere nos petere, ut nomen *septenarii in* Patrib⁹ ostendant. l.1. de Sacr. cap.24. Non igitur invenit. Nec igitur à nobis petere debent adversarii, ut numerum binarium in Scripturis monstremus totidem syllabis, nec, si non monstremus, ideo res negari debet.

IX. Adversarius tria nobis imponit, quæ præstemus ad demonstrandum Scripturæ consensum in hac causa. Primò ut ostendamus, *ex Scriptura nomen sacramenti tribui Baptismo & Eucharistiæ; non item confirmationi, ordini, pœnitentiæ, matrimonio, extremæ unctioni.* Secundò, *ex eadem Scriptura definiamus sacramentum.* Tertiò, *demonstremus, definitionem convenire Baptismo & Eucharistiæ non autem reliquis.* Hæc si præstiterimus, *salvam rem esse. At nunquam præstituros.* Num.35. Non præstabimus unquam ista omnia. Sed nec tenemur. Et salva res est, etsi non præstemus omnia, quæ iniquus ille postulator exigit. Non tamen de omnibus idem judicium ferendum. Primum duo continet membra, quorum utrumque est nimis iniquum, posterius etiam absurdum & planè ridiculum. *Iniquum utrumque.* Nam primò non disputamus de nomine, sed de re. Est ratio Bellarmini; cui si valet, cur non valeat nobis in eadem causa? Secundò, Vox *sacramenti* nusquam in Scriptura exstat. Aut igitur nullum sacramentum potest probari è Scriptura, aut ad probandam veritatem sacramenti è Scriptura, non opus est, ut nomen in illa monstretur.

X. Nec obstat, quòd gloriatur, *se invenisse, ubi matrimonio tribuatur, nempe* Ephes.5,31. Hoc enim totum est à veteri interprete latino, non à textu originali. In Græco enim est μυστήριον: quod si sacramentum vertere lubeat, non consistemus intra septenarium: Imò sacramenta erunt, qualia in hac quæstione supponuntur, quæ nunquam pro iis à quoquam sunt accepta. *Invenimus enim, nomen mysterii in Scripturis tribui multis rebus, quæ omnium consensu non sunt sacramenta, de qualibus nunc quidem agimus, ut* Eph.1,9. *Propositum vocandi Gentiles ad fidem, dicitur sacramentum voluntatis Dei. Et* 1. Timot.3. *Sacramentum pietatis dicitur incarnatio verbi. Et* Apocal.17. *dicitur Sacramentum mulieris signum quoddam impressum in fronte mulieris.* Sunt verba Bellarmini, lib.2. de Sacram. cap.24. quæ repono, quia gratiora Jesuitæ erunt à magistro, quàm ab adversariis prodita. Verbum igitur veteris interpretis non patrocinatur Sophistæ. Sed nec sensus Apostoli, cui in mentem non venit sacramentum propriè dictum hîc tradere, sed mysterium. Versatur enim circa rem, quæ non cœpit in novo Testamento, sed fuit ab initio mundi: quæ non est symbolum promissionis gratiæ, nec ejus externum symbolum à Christo institutum & gratiæ annexum.

XI. *Posterius & absurdum & omnino ridiculum.* Per se planum est, nomen sacramenti in Scriptura non tribui confirmationi, ordini, pœnitentiæ, matrimonio, extremæ unctioni. Testantur ipsi Papistæ, tot jam annis quærentes frustrà. Et adhuc expectet, ut id ostendamus in Scriptura. Si id à nobis exigit, ut ostendamus hæc verba, *pœnitentia non est sacramentum*, & sic de cæteris; quid tam absurdum est, quod non fingere liceat? Jacobitæ dicent, per Scripturam sibi licere ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

administrare Baptismum ferro candente, quia Scriptura nusquam dicit, *Non baptizabitis ferro candente.* Et tamen, nisi vehementer fallor, Jesuita nolet à Jacobitis baptizari, qui signum crucis ferro candente imprimebant frontibus. Artotyritæ clamabunt, Eucharistiam rectè administrari in pane & caseo, quòd Scriptura nusquam dicat, *Non accepit caseum.* Cataphryges & Pepuziani jactabunt, per Scripturam licere, panem Eucharisticum humano permiscere sanguine, quia nusquam dicat, *Christus non permiscuit panem humano sanguine.* Aquarii jactabunt, Eucharistiam juxta Scripturam in sola aqua rectè administrari, quia Scriptura nusquam dicat, *Non debetis in mera aqua Eucharistiam administrare.* Gnostici vociferabuntur, se panem rectè miscere cum humano semine, non obstante Scriptura, quia nusquam dicat, *Non debetis panem permiscere cum semine humano.* Si has nugas hæreticorum contemnit Jesuita, cur nobis suas commendat, istis ne quidem pilo in hac causa meliores?

XII. Secundum præstare tenemur & parati sumus, si definire ex Scriptura sit, definire juxta Scripturam, seu convenienter Scripturæ. At hoc ille non exspectat. Ideo nec præstabimus hoc loco, quod est alterius. Præsertim cùm præstitum sit à nostris multoties. Ille petit, ubi inveniamus definitionem Sacramenti in Scriptura. Nempe totidem apicibus. Proponit enim definitiones Lutheri & Melanchthonis: Deinde subjicit, has non haberi in Scriptura. Imò nec inter se convenire, quod clarè ostensurus sit capite undecimo. Jam dicimus, non teneri nos præstare postulatum. Iniquum enim. Ratio, quia Scriptura tantùm tradit res ipsas variis in locis, nõ autem exhibet catechismum, ut hodie ad sublevandum rudiores, & propter hæreseõn multitudinem scribimus. Negabis? En magistrum! Bellarmini enim sunt verba: *Scriptura & Patres non scripserunt catechismum, ut modo facimus propter hæresum multitudinem, sed tantùm tradunt res ipsas variis in locis.* l. 2. de Sacr. cap. 24. Pugnam, cujus indicium ad caput undecimum rejicit, ibi, Deo volente, cernemus: quia sic ipsi videtur.

XIII. Tertium tenemur præstare. Quomodo possimus, Jesuita non videt. Quid tum? Non ideo non possumus. Quod indignè non feret, cùm ipsius gens multa possit & faciat, quæ non videmus, quo modo ex Scriptura demonstrent. Possunt docere & docent, Reges occidere, subditos adversùs suum magistratum, si non sentiat cum Papa, concitare, fidem violare hæreticis datam, si utile sit Ecclesiæ. Et quis enumeret omnia potentiæ Jesuiticæ argumenta, quæ nos non videmus è Scriptura demonstrari posse. Fortè nec alii vident, quamvis nobis multo perspicaciores. Experiamur igitur, quod ille se non videre, queritur. Definitio est hæc: *Sacramẽtum est ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita est promissio remissionis peccatorum.* Hanc ille proponit, hanc, tanquam utriusque partis calculo approbatam, commendat Bellarminus l. 1. Non audet urgere, ut probemus, hanc convenire Baptismo. Nimis enim clarè constat è Scriptura, Baptismum esse ritum, qui habet mandatum Dei, & cui annexa

nexa est promissio remissionis peccatorum, Marci 16, 15. 16. Actor. 2, 38. cap. 22, 16. Et tamen suprà trigesimo, imò hoc ipso numero trigesimo octavo id postulaverat atque postulat. Jam ergo videt, nos præstare posse, quod se non videre simulabat. De confirmatione, ordine, pœnitentia, matrimonio & extrema unctione, hîc silet. Ergo & nos præterimus; imprimis quia recurret quæstio capite undecimo, ubi est sedes ejus propria.

XIV. Urget, ut probemus è Scriptura, *Eucharistiam habere annexam promissionem remissionis peccatorum. Vel, quod idem sit, Deum in Scriptura promittere nobis remissionem peccatorum, si ad hoc sacramentum accedamus.* Nõ a nudè urget, sed addit, *Nunquam probare posse.* Num. 38. Jam quin Eucharistiæ symbola habeant annexam promissionem remissionis peccatorum, illi dubitare non possunt, qui verba institutionis seriò expendunt. Promissionem enim non obscurè exprimit Christus, cùm ait; *hoc est corpus meum, quod pro vobis tràditur*, Lucæ 22. *Hoc est enim sanguis Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, Matth. 26, 28. At Deum promisisse remissionem peccatorum omnibus, qui ad sacramentum accedunt, dupliciter potest intelligi, nempe vel simpliciter de omnibus, q accedunt, quocunq; tandem accedant affectu & modo, vel de credẽtibus, qui justitiam esurientes sitiẽtesq; cum viva fide accedunt. Priorem sensum nos nunquam probaturi sumus. Falsus ènim est, nec idem cum altero, quod opinatur Sophista. Supersedere igitur poterat operosa probatione ejus, quod à nobis in dubium nõ vocatur. Fatemur, non esse institutam sacram cœnam à Christo, ut cuique homini accedenti remittat peccata, vel ut ex impio & peccatore faciat justum, sed institutam, ut justitiam & sanctitatem, quæ in eo est, foveat, conservet & augeat. Verùm ille finis nõ excludit alios tũ primarios, tum secundarios. Primarii sunt, 1. ut serviat recordationi mortis Domini, Lucæ 22, 19. 1. Corinth. 11, 24. 25. non nudæ, sed efficaci, quâ mens pia Christum cum omnibus beneficiis apprehendat & sibi applicet, inter quæ est peccatorum remissio. 2. Ut sit symbolum & sigillum cõmunionis nostræ cum Christo capite, 1. Corinth. 10, 16. 3. Ut sit testimonium nostræ spiritualis nutritionis in Christo, quòd scilicet carne & sanguine ejus spiritualiter pascamur ad vitam æternam. 4. Ut sit sigillum novi fœderis, seu promissionis evangelicæ de remissione peccatorum, Matth. 26, 28. Quicunque igitur verâ fide præditi accedunt, illis testatur Deus, se eos recipere in gratiam, condonatis omnibus peccatis. 5. Ut sit symbolum nostræ resurrectionis. 6. Ut sit signum mutuæ nostræ coalitionis in unum corpus, 1. Cor. 10, 17. Alios fines nunc non tangam.

XV. Becanus contendit, *tantum abesse, ut Deus remittat accedentibus ad cœnam peccata, ut etiam obsit peccatori, si cum conscientia peccati accedat.* In forma sic erit: Si peccatori obest, quando cum conscientia peccati ad Eucharistiam accedit, utique ritus cœnæ non habet annexam promissiõem remissionis peccatorum. At prius verum. Ergo. Prius falsum, inquam ego. Probat tribus argumentis. Primum

Universidad de Deusto
Biblioteca

est à verbis Apostoli, *Probet autem quisq; seipsum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, damnationem sibi ipsi edit & bibit*, 1. Corinth. 11, 28. &. Probatio non in eo consistit, ne cum conscientia peccati accedas ad sacram cœnam; alioqui nemo mortalium posset unquam ea uti: nemo enim unquam tam sanctus fuit, qui non haberet peccatum. Qui autem habet peccatum, is non est sine conscientia peccati. In eo potiùs consistit probatio, ut explores te ipsum, 1. An peccata commissa agnoscas, deplores & averseris. 2. An verâ fide gratiam Dei in Christo oblatam amplectaris tibique applices. 3. An proposueris deinceps vitam emendare. Nec mox indignè manducat & bibit, quicunque mãducat & bibit cum conscientia peccati, sed qui nec credit nec resipiscit.

XVI. Secundum petit ab eo, quòd *Christus noluit porrigere Eucharistiam, nisi præmissâ pedum lotione.* Nempe ut significaret, *neminem nisi lotum, purum, & immaculatum à culpa mortali ad mensam Domini admittendum esse.* Resp. Quid pedum lotione Christus significare voluerit, ipse testis est, ut alio interprete non sit opus. Vide historicum fidelem, apud quem ad suadendum fraternæ dilectionis & humilitatis officium transfert. Illud mysterium, quod Jesuita commendat, in mentem Christo venisse, nullo constat indicio. Non venisse, inde constat, tum quia admittebat Apostolos, qui nõ erant citra peccatum: tum quia Apostoli nusquam promulgârunt hanc legem; tum quia, eo semel posito, cœnę usus cessaret in hac vita. Nemo enim est, qui non omni tempore habeat peccatum. Omne autem peccatum est mortiferum suâ naturâ: quòd verò non omnibus mortem infert, non est illius naturæ, sed divinæ gratiæ adscribendum.

XVII. Tertium ducit à natura hujus sacramenti, *Eucharistia*, inquiens, *nihil aliud est, quàm cibus & potus spiritualis, quo anima reficitur & vegetatur*, Joh. 6, 56. *Sicut ergo cibus & potus corporalis non prodest corpori mortuo, sed vitam habenti, sic etiam, servatâ proportione, de Eucharistia dicendum.* Jubet videre infrà caput 11. n. 16. At ibi ne verbulum quidem addit, sed ea tantùm repetit, quæ hîc dixerat. Nos autem ibi, Deo nos bene juvante, de re tota disseremus plenius, quia eò pertinet. Hîc brevissimè. Eucharistia ad obsignãdam spiritualem alimoniam est omnino instituta. Corpore & sanguine Christi pascimur spiritualiter. Illorum symbola sunt panis & vinum in cœna. Jam verum est, mortuo corpori non prodesse cibum & potum; sic & mortuis in peccato non prodest cœna. At distinguendi erant ægri à mortuis in peccato. Illi quidem habent peccatum, sed vivunt per fidem filii Dei, & peccato plenum regnum non permittunt: Isti sunt, in quibus plenè regnat peccatum, qui non sunt regeniti. His non magis prodest, quàm mortuis cibus corporalis: at ægris prodest, sicut cibus corporalis. Si dicas, quicunque conscius sibi est peccati mortalis, eum esse in peccato mortuum, ego intrepidè nego. Apostolus enim sibi conscius erat peccati, Rom. 7. nec tamen illo tempore erat mortuus in peccato, sed vivebat per fidem filii Dei. Sic Johannes vivebat per fidem, & tamen non

non negat, se habere peccatum, 1. Johan. 1, 8.

XVIII. Tertia controversia. *An exorcismus & aliæ ceremoniæ in Ecclesia Papistica usitatæ possint adhiberi in baptismo?* Dicit, *Lutheranos eas admittere, Calvinistas rejicere. Neutros tamen ex Scriptura suam sententiam probare posse. Non quidem Lutheranos, quia Scriptura nusquam dicat, ejusmodi ceremonias usurpandas, sed ex sola traditione Ecclesiæ hoc habeamus, de qua scribat Augustinus lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 29. Non Calvinistas, nisi fortè hoc modo: Nullæ ceremoniæ sunt usurpandæ in Ecclesia, nisi de quibus exstat expressum mandatum in Scriptura. At nullum exstat mandatũ de ceremoniis, quas pseudocatholici usurpant in baptismo. Ergo tales ceremoniæ non sunt usurpandæ.* Nũ. 39. Nec Lutherani omnes ceremonias in Ecclesia Papistica usitatas admittunt, nec orthodoxi, quos exoso Calvini nomine homo premit, omnes rejiciunt. Lutherani rejiciunt usum sputi, salis, chrismatis, exsufflationem. Aliqui retinent exorcismum, aliqui abjiciunt. Qui retinent, non possunt, fateor, suam sententiam ex Scriptura probare. Sed qui rejiciunt, bene possunt. Nostri distinguunt inter ritus divinitus institutos, Apostolis usitatos, & humano consilio ac voluntate introductos. Illos non rejicimus. Quò pertinet mersio in aqua, seu adspersio, in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. Nec istos repudiamus, quamvis non sint simpliciter necessarii, ut divinitus instituti. Inde cum ex Actis colligamus, Apostolos adhibuisse explicationem doctrinæ, exhortationem, preces, nos quoque adhibemus. Humani tus instituti sunt partim utiles, partim superstitiosi. Illos retinemus liberè: quò pertinet abrenunciatio, patrinorum professio & abrenunciatio infantium nomine facta, susceptio patrinorum, impositio nominis &c. Istos repudiamus, nempe exorcismum, usum salis, sputi, chrismatis, exsufflationem, præsertim cùm hæ ceremoniæ obtrudantur, tanquam prorsus necessariæ ac pars divini cultus, illisque tribuatur specialis quædam efficacia. Ista omnia confirmantur ex Scriptura. De primo genere habemus mandatum Christi: De secundo exstat regula generalis, 1. Corinth. 14. *Omnia fiant ad ædificationem*, v. 26. *Omnia decenter & ordine fiant*, v. 40. De tertio Christus dicit, Matth. 15. 3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? v. 9. Frustrà me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.* Exorcismum verò & alias quasdam ceremonias Papisticas esse superstitiosas, & probatum est à nostris sæpius, &, Deo volente, ampliùs probabitur loco suo.

XIX. Sic tuemur nostram sententiam ipsi, nec indigemus eam ad rem Becani opera, quam nobis offert, fallens se ipsum & alios. Fingit, nos sententiam nostram confirmare non posse, nisi eo modo, quem ipse suggerit. Nos aliter posse, patet à reipsa, ut non indigeamus opera, q̃ ille nobis invitis obtrudit, ut inde occasionõ arripiat traducendi nostras ceremonias & nos constringendi. Imò rejicimus hoc totum, quod ab ejus officina est profectum. Tam bardi enim stupidique non sumus, ut opinemur, nulli ceremoniæ in Ecclesia esse locum, nisi quæ habeat ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sertum mandatum in Scriptura. Non damnamus omnes ceremonias, quæ in Scriptura mandatum non habent. Nullam esse partem cultus divini, nullam simpliciter necessariam, nisi quæ habeat mandatum, id verò docemus & probamus ex verbis Christi paulò antè laudatis. Habeat ergo sibi & lambat suum fœtum Jesuita, qui frustrà quærit, ubi exstet de nostris ceremoniis mandatum in Scriptura? Nempe 1. *Ut infans in Ecclesia coram universo populo baptizetur, idque vel die dominico, vel aliquo alio, quo populus ad concionem venire solitus est.* 2. *Ut illi, qui adferunt infantem ad Baptismum, interrogentur, an spondeant, se infantem, si adoleverit, in fide & moribus instructuros.* 3. *Ut nomen imponatur infanti baptizando.* 4. *Ut formula baptismi pronuncietur linguâ patriâ.* 5. *Ut recitetur symbolum, oratio Dominica, & alia preces.* Frustrà, inquam, quærit. Nam de usu linguæ vernaculæ mandatum habemus, 1. Corinth. 14. Reliquæ non sunt præcisè necessariæ. Ideo non opus est, ut monstremus mandatum in specie. Sufficit mandatum generale de servando ordine & decoro. Sed hac de re ex professo agendi locus erit, cùm ad Manualis librum tertium perventum fuerit.

XX. Quarta controversia. *An infantes accipiant actualem fidem in baptismo, an verò in exorcismo? Hanc controversiam, dicit, versari inter Lutheranos. Et quidem Lutherum disertè docere, infantes credere vi exorcismi. At Philippum & alios, vi baptismi.* Inde quærit, *quis sit judex? Si Scriptura, cur non finiat litem?* Et minatur, se hac de re ex professo l. 2. cap. 2. acturum esse, num. 40. Primò. Si controversia ista inter Lutheranos versatur, quinam igitur, vi exorcismi infantes fidem accipere, contendunt? In præsenti enim dixit, *versatur.* Becanus Lutheranos non nominat, nec potuit. At Lutherum nominat. Num is Lutheranus erat? An cum Lutheranis de eo contendit? Utrumque falsum. Secundò. Finita certè est controversia, si ulla unquam fuit. Nulla enim est hodie. Malè igitur huc accersitur. Tertiò. Sophista dicit, inter Lutheranos hanc controversiam versari; Alieno ergo loco mota est, quia hîc promisit controversias utrique Evangelicorum parti communes contra Papistas. Non igitur tenemur respondere, sed rejicimus in suum locum, quem actor ipse nominat.

XXI. Quinta controversia. *An baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi?* Affirmavit olim Cyprianus cum suis, negavit Augustinus cum aliis. Jesuita dicit, *nec hos nec illos potuisse ex sola Scriptura litem decidere.* Num. 40. Cyprianum non potuisse, concedo. Tuebatur enim errorem à Scriptura alienum: Augustinum non potuisse, nego. Etsi verò ille nõ potuisset, nego tamen, ideo non posse ex Scriptura probari. Posse, nos suprà ostendimus, cùm objiceret Sophista, cap. 2. num. 19. At ille probat, *non potuisse, quia nõ aliunde, quàm ex Apostolica traditione & praxi Ecclesiæ se tuebatur. l. 2. de Bapt. contra Donatistas. c. 7. & l. 5. cap. 23.* Hoc falsum. Nam ad Scripturam quoque provocabat, & quidem eodem capite 23. inquiens, *contra mandatum Dei esse, quòd venientes ab hæreticis, si jam illic baptismum Christi acceperunt, non baptizantur, quâ Scripturarum auctoritate sanctarũ ostenditur?* Quòd Cyprianus consuetudini cesserit, non dicit historia. Si tamen, quod affirmat Jesuita, cessit consuetudini, quia videbat, se à præsidio Scripturæ desertum esse, nos habemus, quod volumus. Sic enim agnovisset judicium Scripturæ. Nec nos consuetudinem repudiamus, quæ est cum Scriptura, imò magnificimus & opponimus Novatoribus: sed repudiamus eam, quæ est contra Scripturam. Vide suprà.

XXII. Tandem jactat, esse & alias similes controversias, quæ ex sola Scriptura decidi non possint, sed alio judice opus habeant. Num. 42. Si sunt similes, utique possunt decidi è Scriptura. Si non possunt, dissimiles sunt. Quas enim hactenus movit, è Scriptura decidi posse, patet. Obiter eas se hîc insinuaturum esse, dicit. Esse autem has, 1. *An baptismus unâ mersione an trinâ conferri debeat?* 2. *An Christiani loco sabbati debeant colere diem dominicum?* 3. *An beata Maria manserit virgo cum? post partum?* 4. *An Petrus Apostolus fuerit Romanæ Ecclesiæ Episcopus?* 5. *An symbolum fidei sit verè Canonicum & Apostolicum?* 6. *An in veteri Testamento fuerit aliquod externum remedium pro fœminis contra peccatum originale* &c. Num. 42. Ita undique circumfert oculos, an occurrat, unde laboranti causæ subveniat. Ille obiter tangit. Nec nos igitur erimus prolixi, præsertim cùm omnes istæ quæstiones, exceptâ secundâ, suprà sint excussæ.

XXIII. Prima est de re adiaphora, cujus decisio pendet à regula generali, quæ exstat in Scriptura. In secunda spectari potest abolitio sabbati judaici, & celebratio diei dominici. Illam manifestè habemus à Scriptura, Galat. 4, 10. Coloss. 2, 16. unde vetus Ecclesia in Ebionitis hunc errorem non immeritò condemnavit, quòd diem sabbati celebrandum esse, contenderent, apud Eusebium lib. 3. Hist. Eccles. cap. 24. & Theodoretum lib. 2. Hæret. Fabul. Celebrationem diei dominici quidam ad Christi, alii ad Apostolorum institutionm referunt. Illi vix causam obtinebunt, Scriptura judice. Nec isti directè probant institutionem. Interim de usu Ecclesiæ Apostolicæ satis manifestè constat, ex Act. 20, 7. 1. Corinth. 16, 2. Qui cùm à Spiritu sancto per Apostolos tum voce, tum exemplo sit approbatus, nec probabile sit, usum invaluisse citra Apostolorum consensum, nec ulla causa cogitari possit, cur mutetur, pii & moderati Scripturæ testimonio persuadentur, ordinis conservandi causâ diem illum cum universa Ecclesia celebrandum esse. Quamvis causam nostram minimè læderet, si ex sola Scriptura quæstio hæc decidi non posset: Non enim est de dogmate fidei, non de moribus, sed de publici cultus divini quadam circumstantia. Tertia non concernit articulum fidei; Ideo ejus decisio ex Scriptura non est necessaria. Retinemus tamen Ecclesiæ sententiam, tanquam piam & probabilem. Vide Controv. 2. sect. 4. n. 20. 21. Quarta est quæstio facti, quam tamen multi contra Papistas è Scriptura defendunt negativè. Etsi verò id fieri non posset, nihil decederet auctoritati Scripturæ. Non enim est quæstio de fide. Quinta soluta est suo loco. Dogmata symboli esse divina & Apostolica, constat ex Scriptura: Hanc dispositionem esse ab Apo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stolis, non est dogma fidei, sed ad factum pertinet, quod non necessariò debet è Scriptura decidi. Vide suprà Controv. 2. sect. 4. num. 8. 9. 10. Sexta deciditur è Scriptura. Vide suprà l. 1. sect. 2. Num. 3. & 4.

Sectio V.

Quartum argumentum ab usu & praxi veteris Testamenti petitum refutatur.

I. QUartum argumentum principale ab usu & praxi veteris Testamenti sumit in hunc modum: *Certum est, in veteri Testamento omnes controversias legales, quæ erant maioris momenti, à summo Pontifice, tanquam à supremo in terris judice, non autem à Scriptura dirimi ac definiri debuisse.* Si probationem petas, dicit, id primò testari Josephum lib. 2. contra Appionem, cùm ait; *Pontifex ante alios sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, dijudicat controversias, convictos delicti punit: cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius.* Deinde manifestè colligi ex illo Deuteron. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & adscende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies, quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum. Non declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille.*

II. Resp. Primò. Sophista omittit tum conclusionem, tum propositionem, contentus proposuisse antecedens. Id in fraudem factum esse, ego quidem non dubito. Sive enim hoc argumento Ecclesiam totam, sive Romanum Pontificem supremum absolutumque constitueret omnium controversiarum judicem, sive Scripturam negaret plenariam esse posse normam, & judicem impropriè dictum, seu directivum, nimis manifestus esset elenchus consequentis. Si *Ecclesiam totam*; Nam à lege ad evangelium, seu à veteri politia ad novam non valet consequentia, nisi aliunde probetur, cùm multa fuerint inter Judæos, quæ non obtinent inter Christianos. Probatio non est petenda è longinquo. Est in eodem textu, quem laudavit adversarius. Summus sacerdos judicabat inter lepram & lepram. At nihil ejusmodi Romano Pontifici unquam tributum est, vel ipse sibi vindicavit. Si *Pontificem Romanum*; Nam ibi erat summus sacerdos à Deo institutus & præfectus Ecclesiæ universæ, ejusque sacerdotibus. Hîc non est nisi Christus, nedum Romanus Pontifex. Quis enim illi subjecit omnes ministros? Non Christus, non Apostoli. Erat inter plures Episcopos ab initio, postea collegas habuit Patriarchas; donec tyrannicè invaderet Papatum Oecumenicum.

III. Si Scripturam negaret plenariam esse normam & judicem directivum, elenchus esset consequentis manifestus. Nam

Nam primò illa in novo Testamento est plenior, quàm fuit in veteri. Ut igitur maximè ex veteri Scriptura non debuissent omnes dirimi controversiæ, non tamen ideo non debent omnes dirimi ex toto systemate. Deinde ibi respondebat Deus, si legitimè interrogaretur. Sicut, verbi gratiâ, factum in causa immundorum, tempore Paschatis, Num. 9. 6. in causa ejus, qui ligna collegerat in sabbato, Num. 15. 32. & de filiabus Salphaad earumque hæreditate, Num. cap. 27. In novo Test. omnes ad Scripturam remittit.

IV. Secundò. Antecedentis pars utraque falsa, nec probatur solidè, vel ex Josepho, vel ex Scriptura citata. Non ex *Josepho*. Is enim primò non dicit, non debuisse controversias ex Scriptura dirimi, quod assumit Jesuita. Secundò, nihil dicit, unde solidè concludas, summum Pontificem veterem fuisse judicem omnium controversiarum fidei absolutum. Imò dicit, unde patet, non fuisse. Nam ad officium summi Sacerdotis unâ eâdemque ratione refert sacrificium, custodiam legum, dijudicationem dubiorum & punitionem lege convictorum. Atqui sacrificandi & delinquentes puniendi potestas non erat absoluta, sed limitata ad certam legis formam, à qua ne quidem in minimo illi licebat recedere. Ergo talis quoque potestas dijudicandi controversias. Additur custodia legis, quæ non erat absoluta interpretandi facultas, sed accurata legis observatio. Deinde Josephus nihil horum restringit ad summum Pontificem, exclusis aliis. Pauò antè enim dixerat: *Sacerdotibus autē (Lex) in communi quidem res præcipuas dispensare permittit. Summo verò Pontifici aliorum sacerdotum principatum competenter injungit.* Quæ communio etiam ab istis ipsis verbis patet, quæ Jesuita recitavit. Non enim minùs reliqui Sacerdotes, quàm summ⁹, offerebant sacrificia, nec uni custodia legum erat commendata, nec uni dubiorum dijudicatio. Si igitur ex his verbis absolutam judicandi potestatem velis adstruere, quid obstat, quo minùs eandem reliquis quoque Sacerdotibus trîbuam? His cùm non competierit, quomodo ex istis verbis intelligam, summo Pontifici fuisse concessam? Imò non fuisse concessam, inde intelligo.

V. Neutra pars antecedentis ex *Scriptura* citata probatur. Non *prior*, quòd summus Sacerdos supremus fuerit judex. Nam primò Moses non nominat summum Sacerdotem, sed Sacerdotes, v. 9. *Et adibis Sacerdotes Leviticos, vel ad summum Judicem, qui erit diebus illis, ut consulas eos, & judicent tibi statum illius iudicii.* Scio, Bellarminum aliquoties in singulari numero recitare, nempe lib. 3. de Verbo Dei, cap. 4. & lib. 4. de Pontif. Rom. cap 1. Verùm eum Scripturam corrumpere, ut causæ serviat suæ, omnes intelligunt. Depulsâ istâ corruptelâ, aut omnes Sacerdotes Levitici fuerint omnium controversiarum judices supremi, aut hic locus est ad probationem inutilis.

VI. Secundò. Moses non tantùm Sacerdotes, sed etiam summum Judicem nominat, id est, magistratũ civilem summum. Aut igitur civilis magistratus erit omniũ cõtroversiarũ de religione judex suprem⁹ pariter ac sacerdos, aut hîc nõ agitur de suprẽo cõtroversiarũ fidei judice.

Ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aliqui per summum judicem intelligunt summum Sacerdotem, id quod placet Papistis: verùm sine justa ratione. Nam judicis titulum de Pontifice summo non invenieris in Scriptura. De civili magistratu nihil frequentius. Et habemus eodem libro cap.16. horum judicum institutionem: qui aliâs conjunguntur Principibus, Johan.8,33.cap.23.24. aliâs Sacerdotibus, Deuter.19,17. Sicut loco citato duo litium genera exprimuntur, sic etiam duo judicia: lites politicæ ad civilem judicem, ecclesiasticæ ad ecclesiasticum remittuntur. Non igitur omnium controversiarum supremum judicium hîc vindicari potest Romano Pontifici, qui sibi sumit potestatem pronunciandi, non tantùm de ecclesiasticis, sed etiam civilibus controversiis,

VII. Tertiò. Non demandatur hîc Sacerdotibus constitutio doctrinæ & religionis, ejusque dijudicatio, sed particularium litium cognitio & decisio. Nominatur enim quæstio de lepra. Ubi illis non permissum, statuere, quid de leprosis fieri debeat, sed an sit leprosus, nec ne, qui illis sistitur. Est ergo judicium τῶν κατ' ἕκαστα, non τῶν καθ' ὅλου. Non igitur est norma. Denique Sacerdotes alligantur & quidem universi ad regulam, nempe legem. Non igitur eorum ac ne quidem summi Sacerdotis judicium erat absolutum, vel norma, sed determinatum.

VIII. Non *posterior de Scriptura*; Fateor quidē, Scripturam judicem τῶν κατ' ἕκαστα non fuisse, quæ erant facti; Non enim dicebat, *hic, ille, iste est leprosus.* Primò tamen illarum controversiarum norma esse & debebat & poterat. Ergo judex directivus, judex τῶν καθ' ὅλου. Sic enim Moses: *Ex præstituto legis, quam docuerint te, secundum judicium illud, quod dixerint tibi, facito.* Debuerunt ergo secundùm legem dicere, non legem condere. Vetus interpres paulò aliter vertit, à verbis discedens, non à sensu: *Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem eius.* Nec est, ut Papista dicat, hoc esse à latina versione, non à textu originali. Illam enim carpere Papistis non licet, sic volentibus Patribus Tridentinis. Deinde ubi legis, à Scriptura controversias fidei dirimi non debere? De his enim quæritur. Non lego in Mose, sive citato, sive ullo alio loco.

IX. Becanus primò tria quædam notat circa citatum locum, eaque latissimè explicat; deinde ad controversias religionis trahit verba Mosaica; denique aperto Marte cùm Scriptura congreditur, eam judicis & normæ plenariæ dignitate spoliaturus. Primum parùm facit ad rem. Duo posteriora rem tangunt, sed infeliciter, ut mox patebit. Notat tria. Primò quòd variæ fuerint controversiæ in populo judaico, & hîc quidem recensentur duæ species, una de sanguine, altera de lepra, at alibi insinuentur quatuor genera, ut 2.Paral.19,20. *Ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus.* Nam alias ortas esse ex lege Decalogi, alias ex mandatis moralibus, quæ sunt extra legem Decalogi; alias ex præceptis ceremonialibus, alias denique ex judicialibus præceptis. Secundò. Quòd in singulis civitatibus constituti fuerint inferiores judices, qui ex officio debebant hujusmodi controversias dirimere, ex Deut.16,18.2.Paral.19,5. Tertiò. Quòd, quando inferiores judices non poterant inter se convenire, nec controversias ad se delatas propter difficultatem dirimere, necesse fuerit confugere Hierosolymam ad superiores judices, quibus, tanquam supremus judex, præsederit Pontifex, cujus sententiæ, sub pœna mortis, oportuerit acquiescere. Id quod pateat ex verbis citatis. Num.45.46.47. Hinc colligit, duplex apud Judæos fuisse tribunal; unum majus, alterum minus, & utriusque discrimen, num.48. originem, num.49. 50. instaurationem, num.51. rursum discrimen temporis Mosis & aliorum Pontificum, num.52.53.54. exponit satis prolixè.

X. Nos de singulis brevissimè. De *primo* Resp. primò. Quòd variæ fuerint controversiæ in populo Judæorum, quarum duæ species hîc recensentur, est extra controversiam. Nihil igitur attinebat id nos docere. Secundò. Quòd 2.Paral. 19,10. quatuor controversiarum genera insinuentur, non satis patet. Non enim erat lex quadruplex, sed triplex, sc. moralis, ceremonialis & judicialis. Id & communi ferè consensu omnium Christianorum constat, & manifestè indicatur à Mose, cùm distinctè nominat Hammitzva, Hachūkim, Vehám Mischpatim, id est, præceptum, statuta & judicia, Deut. 6,1. Lev.26,14. & pro præceptis nunc decem verba, Deut.4,13.14. aliâs Hattoróth, legem ponit: at alibi legem, tanquam genus, præmittit, testimonia verò, statuta & judicia, tanquam species subjicit, Deut.5, 12. Quo sensu fortasse etiam Josaphati verba accipi possunt. Ut omnino controversiæ fuerint morales, ceremoniales & judiciales. Tertio. Etsi autem præcepta quædam moralia hîc velis à Decalogo distingui, non tamen satis commodè hinc quartum genus controversiarum constituas. Lyranus enim, quem Jesuita laudat glossæ auctorem, præcepta interpretatur cætera moralia, quæ instar conclusionum ex Decalogo sunt elicita, qualia legimus, Deut.6. Illa non constituunt peculiarem legem, proinde nec inde peculiare controversiarum genus constituendum. Quartò. Controversiæ, de quibus Josaphat loquitur, non oriebantur ex lege; nec id dictum Lyræ, Becanus de suo fingit. Quædam super lege oriebantur, nullæ ex lege. Lex non pariebat controversias, sed sopiebat. Quintò. Judicium, quod Rex optimus Josaphat tam diligenter constituit, non erat tam de ipsa lege, quàm de controversiis è lege judicandis: Lites ergo singulares eò deferebantur, de quibus, quàm primùm constaret de facto, statim pronunciari debebat, non ex arbitrio Sacerdotis, quasi ipse lex esset viva & regula judicii, sed ex lege Mosaica, cujus sententiam Sacerdotes præ aliis habere debebant & præsumebantur. Non tamen nego, etiam de controverso sensu legis pronunciâsse Synedrium magnum: Nego aliunde pronunciare debuisse, quàm ex lege.

XI. De *secundo*. Certum, in omnibus civitatibus fuisse inferiores judices constitutos. Id Moses præceperat, Deuteron. 16,18. Id Josaphat curæ habuit, 2.Paral.19, 5. Sed hoc quid ad rem, ubi agitur de

controversiis fidei? Illarum judices non erant in singulis civitatibus constituti, quod quidem à Scriptura constet. Rex eas Senatui Hierosolymitano demandat. Sed jam pone, fuisse etiam in aliis civitatibus. Quid te juvabit? An sic debebant ex officio judicare, ut non judicarent juxta legem? Imò juxta legem. Lex igitur erat judicii norma. Ergo judex directivus. Sic nostræ causæ exemplum patrocinatur.

XII. De *tertio* Resp. primò. Supremum judicium fuisse Hierosolymis, non nego: ad illud poterant controversiæ tum à partibus deferri, tum devolvi ab ipsis judicibus. Quemadmodum graviores quæstiones ad Mosen deferebantur, leviores decidebantur à constitutis judicibus, Exod. 18, 26. Deut. 1, 17. Secundò. Id quoque concedo, Sacerdotem summum præsedisse huic judicio, modò sapiens esset, quod Hebræi disertè monent; sed falsum, vel solum præsedisse, vel tanquam supremum judicem, qui nullam haberet judicii normam, ad quam esset alligatus, & judicari non posset. Non solus præsedit, quia etiam judex Regius. Ut enim duplices erant controversiæ, quarum aliquæ negocium Domini, aliæ regium concernebant, sic duo erant præsides. Amaria summus Sacerdos in negocio Jehovæ: at Zebadia dux, non Sacerdos, de tribu non Levi, sed Judæ, in negocio regio, 2. Paral. 19. ℣. 11. Nempe, sicut Moses dixerat: *& adibis Sacerdotes Leviticos, vel ad summum judicem.* Et tam ille adjudicatur morti, qui superbè restiterit sententiæ summi judicis, quàm qui Sacerdoti non auscultaverit, Deut. 17, 12. Non præsedit, ut supremus judex, qui esset absolutus. Idem enim dicendum esset de præside politico. Jam hoc alienum. Deinde illum minùs legi fuisse alligatum, quàm reliquos, non constat: Imò constat, æquè alligatum. Uno enim modo de utrisque loquitur Scriptura in hac causa, Deut. 17, 11. *Ex præstituto legis, quam docuerint.* Huc pertinet, quod Casaubonus ex Thalmud Mussecah Ha Sanhedrin Perek 2. ubi jura Pontificum explicantur, refert, *judicat (Pontifex) & judicatur, & testimonium perhibet, ac testimonium adversùs illum admittitur.*

XIII. Tertiò. Sed ut maximè obtineat Sophista, quod de Sacerdote vetere dixit, non sequitur à veteri ad novum Testamentum, nisi alia accedat probatio. Neque ideo uno loco debet esse unum supremum judicium, ad quod provocetur ab omnibus Ecclesiis novi Testamenti. Nam ibi erat unus populus: hîc multi. Ibi Rex unus: hîc quàm plurimi. Ibi angusti terræ fines: hîc amplissimi. Ibi quotannis omnes viri coram Domino comparere tenebantur. Commodè ergo controversiæ omnes ad unum supremum tribunal deferri, & sententia obtineri poterat: Novi Testamenti diversissima est ratio.

XIV. Jam de iis, quæ Sophista ex dictis colligit, facile est judicium. Aliena enim sunt & ad causam præsentem ne hilum quidem conferunt. An fortè docendi eramus, duplex fuisse tribunal apud Judæos, & multiplex utriusque discrimen. Majus tantùm fuisse Hierosolymis, minus in singulis civitatibus. In majori majores, in minori minores dijudicatas cõtroversias: illi præfuisse summum Pontificem, non isti: à minori appellatum ad majus, non vice versâ. In majori septuaginta personas fuisse præter Pontificem, in minori viginti tres: Denique majus appellatum Sanhedrin, vel Concilium Seniorum, minus non item. An, inquam, hoc eramus docendi? At nos sciebamus veritatem & quidem aliquanto distinctiùs edocti à rerum Judaicarum peritis. Jesuita tribunalia cum Conciliis Judæorum confundit. Duplex fuit Concilium, triplex tribunal, seu judicium, nempe infimum, medium & supremum. Illorum hæc erat differentia. Infimum constabat tribus viris, qui leviora dijudicabant, ut debita pecuniaria, furta, rapta, damna illata, calumnias, plagas, & similia. Unde causæ illi tribunali obnoxiæ appellabantur *pecuniariæ*, eratque in omnibus oppidis, in quibus pauciores essent, quàm viginti & centum viri, seu Oeconomiæ, nec unquam nominatum est Sanhedrin. Medium constabat viris viginti tribus, & judicabat causas *animarum*, seu capitales, sive de hominis, sive de bestiæ vita ageretur, sive bos cornupeta lapidandus esset, sive iumentum ad nefarium congressum adhibitum, idque vocabatur Synedrium minus, & erat in omnibus urbibus ac locis, ubi centum ac viginti pluresve cives viverent. At Hierosolymæ, quòd caput populi ac tum regni tum templi sedes esset, duo ejusmodi Synedria erecta dicuntur, quorũ inferius in porta mõtis, quâ ad montẽ tẽpli ibatur, superi' in porta Esræ, vel ad portã atrii sedebat. Tertiũ seu summum appellabatur Synedrium majus; Id constabat Sacerdotibus, Levitis & primoribus populi. Assessores erant septuaginta. Illi cognoscebant, quæ ab inferioribus non poterant definiri, vel ambiguæ erant; idque sive consulti à judicibus, sive appellati à partibus: Illi judicabant de iis, quæ integras tribus & totam gentem, adeoque religionem ac regionem, pacem & bellum concernebant. Illi quoque constituebant inferiora tribunalia, & auctorabant judices. Vocatur Senatus gentis, 1. Maccab. 12, 6. 2. Maccab. 1. ℣. 10. Senatus Judæorum, 2. Maccab. 11. ℣. 27. Duo præsidebant. Unus supra numerum septuaginta, qui *Rosch Hajeschibah*, caput consessus, & *Nasi*, princeps vocabatur, qui stabat loco Mosis. Alter ex LXX. Assessoribus deligebatur, & dicebatur *Pater domus judicii*, sedebatque priori à dextris, reliquis ad sinistram considentibus. Vide præter alios, Paulum Fagium in Thargum Onkeli, annot. in Deuter. 16. Zepperum lib. 5. de leg. Mosa. cap. 4. Casaubonum Exercit. 13 Num. 5. Buxtorfium in Lexico Chaldaico-Rabbinico, & adhuc superstitem doctissimum Spanhemium in Dub. Evang. part. 3. Dub. 139. Hoc verò totum quid tandem confert Papistis? Num quia Hierosolymæ fuit Synedrium magnum, quod de negociis religionis & regionis Judaicæ cognoscebat, in novo Testamẽto Romæ Synedrium Oecumenicum esse debet, à quo omnis terra judicetur? Num Romanus Papa solus isti præsidere debet, quia summus Sacerdos Synedrio magno aliquando præsidebat? Num Synedriũ Romanũ omnia tribunalia cõstituere ac omnes judices auctorare debet orbe toto, quia id faciebat Hierosolymitanũ in Judæa? Sequela nimis insulsa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XV. Becanus de institutione dicit, *quòd minus Concilium sit institutum ex consilio Iethro*, Exod.18. *majus verò ex mandato Dei*. Num.15.16. Posterius verum: Prius falsum. Moses enim ibi non instituit collegia, quæ præessent singulis civitatibus; sed singulares homines, v.25. constituit sexcentos in sexcenta millia, centenis præfecit sexies mille, quinquagenis duodecies mille, denis sexagies mille. Penes illos septuaginta, tanquam senatum, erat Consilii publica auctoritas. Penes istos judiciorum potestas. Inde dicebantur Primores, Deuter.1.13. velut prætores, qui ius dent populo, & judicatum curent fieri in causis singulis. Alibi legem fert de constituendo civitatum singularum iudicio, Deuteron.16.v.18. Si tamen, quod nonnullis placet, concedam, Synedrium minus à Mose institutum esse, quid Papistam juvabit? Instauratum utrumque esse per Josaphatum, non nego; at quòd assuit tam studiosè, Pontificem fuisse Præsidem, seu caput Concilii Seniorum, id non Jesuiticè intelligendum est. Non enim solus præfuit, non ut absolutus judex, vel regula infallibilis, quod ille conatur lectori persuadere. Moses eum non præfecit, quod à Scriptura constat. Ipse præfuit septuaginta viris. Paulus Fagius ex Hebræorum scriptis memorat, Sacerdotem magnum in Sanhedrin receptum esse, modò sapientia præditus esset. Ut locum deberet sapientiæ, non muneris dignitati.

XVI. Denique discrimen processus declarat. Non necessarium erat. Constabat enim antea. Utinam tamen verè declarâsset! Aliter, fateor, sub Mose in deserto, aliter sub ordinariis Pontificibus in terra promissionis actum, sive Pontifices, sive Seniores Concilii spectes. Si *Pontificem* spectes; Dicit, *Pontificem post ingressum in terram promissionis, diremisse controversias ex lege scripta. At Mosen, præsertim antequàm lex integrè scripta esset, multas diremisse ex viva Dei voce, cujusmodi sint illa tres: Prima, quid faciendū esset iis, qui propter immundiciem legalem non poterant Pascha celebrare*, Num.9,6. Secunda, *quâ pœnâ debeat affici is, qui ligna collegerat in Sabbato*, Num.15,32. Tertia, *an filiæ Salphaad posset habere hæreditatem inter cognatos patris sui*, Num.27. Hîc primò accipio, quòd Pontifex in terrâ promissionis debuit controversias ex lege scripta dirimere. Ego sic: aut ex sola Scriptura debuit dirimere, aut non ex sola Scriptura. Si ex sola Scriptura, Ergo Scriptura aliquando fuit in veteri Testamento norma controversiarum decidendarum plenaria & judex directivus. Cur ergo in novo esse non possit? Si non ex sola, tum perit discrimen, quod hîc voluit Jesuita commendare. In deserto enim, dicit, non ex sola Scriptura esse decisas controversias. Et quæ fuerit norma alia præter Scripturam? Nec enim Moses, nec Prophetæ usquam memorant: omnes uno ore ad legem singulos vocant & alligant, idque sub gravi commination, si quando ab ea recedatur.

XVII. Secundò. De ordinario Pontifice sub Mose in deserto non constat, quòd aliunde quàm ex lege scripta ullam controversiam deciderit. Moses os Domini consuluit, & respondit de iis, quæ in lege

lege non erant nominatim definita: Sed hoc ad Aaronem aliosque Pontifices veteres trahi non debet, multo minùs ad Romanum Pontificem. Ratio triplex: Prima, quia Mosis auctoritas fuit extraordinaria: ab extraordinario autem ad ordinem perpetuum, seu ordinarium nō valet consequentia. Patet: Illi enim non est successum in munere. Josua enim tantùm fuit Dux, Aaron Pontifex; Moses fuerat Dux & Pontifex. Secunda, quia Propheta fuit immediatè à Deo inspiratus, qui non tam interpretaretur leges, quàm ferret populo, nomine Dei. Malè igitur à Mose ad alios nectitur consequentia: & tamen hoc faciunt Sophistæ, nominatim Bellarminus. Becanus non quidem apertè struit consequentiam, lectoris tamen animum, his tanquam tacitis innodatum vinculis, trahere conatur ad suum Romanum Præsulem.

XVIII. Tertiò. Exempla sunt ferè aliena, non quòd non sint Mosis facta, sed quòd non sint facta Pontificis. Pontifex enim esse desierat, postquàm confirmatus esset Aaron. Dum igiur Jesuita quærit causæ laboranti remedium, perniciem accersit. Hinc quippe constat, decisas esse aliquas controversias in deserto ab alio, quàm Pontifice. Possunt igitur etiam hodie, si hîc analogia inter vetus & novum Testamentum est urgenda. Prima quæstio soluta est anno secundo ab exitu, Num.9,1. Nec secunda videtur incidisse ante sacerdotium Aaronis: Homo enim adductus est ad Mosen & Aaronem, Num.27,2. Aut igitur fuerint duo Sacerdotes summi uno tempore, aut Moses tum non fuit Sacerdos. Illud alienum. Hoc igitur verum. Per consequens, exemplum alienum. Et quidem tanto alienius, tum quòd quæstio non esset ecclesiastica, sed politica, proinde ad Ducem pertineret potiùs, quàm ad Sacerdotem; tum quòd non declarationem legis, sed novam legem postularet. Moses enim non declarat hîc legem, sed fert novam, v.8.9.10.11. Id quod non fuit in potestate Sacerdotis illo tempore.

XIX. Ex parte Concilii Seniorum hoc discrimen notat, quòd *septuaginta Seniores, qui à Mose electi sunt, acceperint Spiritum prophetiæ in ipsa electione. De iis, qui postea in eorum locum successerunt, non constet, accepisse*. Hoc verum est. Ideo amplectimus. Quod addit, non est ejusdem notæ. Credibile illi est, *Successores singulari Dei assistentia usos esse, quoties de rebus difficilioribus consultandum esset, & maximè hanc assistentiam Pontifici speciatim concessam fuisse*. Num.54. Credibile, inquit. An etiam credēdum, & quidem necessariò? Quid est singularis assistentia? ad infallibilitatem ducens, idque absolutè, an citra infallibilitatem & sub conditione? De *posteriori* facilè assentior. Imò credo. Quod enim Christus dicit, Matth.18. *Ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, ibi ero in medio eorum*, id etiam veteris Testamenti tempore verum fuit. Sic singularis assistentia promissa est singulis ministris Ecclesiæ; nec tamen ideo singuli infallibilitatis donum habent. De *priori* non idem pronuncio. Sit credibile Becano. Mihi non est. Non exstat promissio: non testimonium Scripturæ ullum: in contrarium sunt exempla. Errârunt enim multoties Seniores, imò & ipse summus Sacer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacerdos. Assistentia igitur infallibilitatẽ absolutè præstans concessa eis non fuit. De hoc paulò pòst iterum.

XX. Sic fuerunt Becani notabilia & inde facta collectio. Ineinceps ad controversias fidei trahit verba Mosis & cõtendit, omnium illarum supremum judicem fuisse Pontificem. Nostri concedunt, Põtificem cum Sacerdotibus fuisse judicem controversiarum particulariũ; at negãt, fuisse judicem absolutum, adeóq; ejus judicium normam authenticam. Ille duo regerit: Unum est, *omnes controversias, sive de fide essent, sive de aliis rebus, appellatas esse legales*, idq; duplici de causa. Primò, quòd *omnes orirentur ex ipsa lege non satis bene intellecta.* Secundò, quòd *per veram legis interpretationem essent dirimendæ*, Deut. 17,10. Alterum est, *omnes, sine ulla exceptione, pertinuisse ad Pontificem, tanquam ad supremum judicem, etiam illas, quæ erant de fide & religione.* Hoc probat tripliciter. Primò ex illis verbis; *Amaria Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: at controversiæ de fide maximè ad Deum pertinent: ergo in illis præsidebit. Quid autem est præsidere in controversiis, quàm judicem agere?* Secundò. Ex verbis præcedentibus: *Ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus; hæ omnes ad Pontificem deferebantur: Ergo nulla erat exempta à jurisdictione Pontificis.* Tertiò. Exemplo: *quæstio, an Messias jam natus esset tempore Herodis, deferebatur ad Concilium Sacerdotũ*, Matth. 2,3. Num. 55. Resp. Sophista corrumpit nostrorum hominum sententiam: Non venit illis in mentem, Sacerdotem summum à judicio controversiarum fidei removere: Omnes ultro concedimus, illum istis controversiis occupari debuisse: judicem vel solum, vel absolutum, ejusque judiciũ normã fuisse, inficiamur. Inquis; *Distinctum tamen fuit inter controversias legales & eas, quæ sunt de fide: tenet igitur exceptio Iesuitæ.* Dictum est, Deut. 17. nec agi de doctrinæ, aut legum constitutione, nec de quæstionibus fidei, sed de litibus particularibus ex lege decidendis. Id patet à textu. Nam sermo est de litibus quæ in inferiori judicio in singularum civitatum portis agitabantur, & decidi non poterant. Quænam illæ? Num controversiæ fidei? At illæ non ventilabantur in inferioribus judiciis. Versus octavus nominat judicium inter cædem & cædem, inter litem & litem, inter plagam & plagam. Inde facilis est conclusio, judicium summi Sacerdotis hîc non constitui normam controversiarum religionis. Hoc volumus: Hoc si dat adversarius, bene est: si non dat, ipso invito à textu obtinemus.

XXI. Cæterùm quæ regerit, citra difficultatem expedimus. Prius quidem sic: Controversiam de religione legalem dicl potuisse, non nego; nullo tamen testimonio constat, omnes controversias esse legales appellatas. Etsi constaret, nihil ad rem faceret. Non enim negamus, controversias religionis ad Pontificem pertinuisse. Ad solum & tanquam ad absolutum judicem pertinuisse, negamus. Ratio *prior* falsa est. Erant enim quædam controversiæ facti, quæ non ex ipsa lege oriebantur, sed quòd factum esset dubium. Sicut hodie multæ in foro tum ecclesiastico, tum civili agitantur controversiæ,

fiæ, ubi legis sententia quidem est clara, sed facti circumstantiæ dubiæ. *Posterior* non est universaliter vera. De controversiis facti falsa: quia illæ non per interpretationem legis definiebantur, sed per cognitionem facti. Ubi de sensu legis erat dubium, omnino per veram legis interpretationem definiebatur. Sed hoc est adversario pernicioſum. Nam interpretationis regula erat non arbitrium Sacerdotis, sed lex ipsa. Sic hodie regula nõ est Pontificis, vel Ecclesiæ sententia, sed Scriptura. Alioquin peribit analogia, quam ille in suo argumento obtendit.

XXII. Posterius falsum est, non quòd controversiæ de Religione non pertinuerint ad Pontificem, sed primùm quòd, ut dixi, ad eum non pertinuerint, tanquam absolutum judicem; deinde quòd non omnes legales controversiæ ad eum pertinuerint, ut supremum judicem. Nam erant etiam controversiæ de negocio regio ex lege decidendæ: Illarum judicio intererant Sacerdotes & Levitæ; verùm non præerat Sacerdos summus, sed magistratus politicus. Testis Synedrii Hierosolymitani instaurator, Josaphat, 2. Paral. 19,11. Probatio est ineffica. Prima quidem: Nam primò concludit, Pontificem in controversiis fidei fuisse judicem, quod nos non negamus. Non concludit, absolutum fuisse judicem. Id verò est, quod nos negamus. Secundò. Verba textus habent, quòd Amaria, *in his, quæ ad Deum pertinent*, sit caput, id est, primarius inter judices. Non igitur in omnibus controversiis, quæ ad magnum Senatum deferebantur. Zebadia enim in negocio Regis, id est, regni erat caput. Textus non habet, quòd omnes lites ad Pontificem deferri debeãt. Omnes nominantur, non unus Pontifex. *Quæcunque lis pervenerit ad vos*, inquit Rex: non ait, *Quæcunque lis pervenerit ad Pontificem.* Non unus, sed plures judices constituuntur. Quartò. Nimis imprudenter dictum, quòd præsidere in controversiis nihil aliud sit, quàm judicem agere: Hoc enim si ratum sit, tot fuerint præsides, quot erant Assessores. Hi omnes judices agebant. Secunda non est melior. Verbis enim laudatis Amaria non declaratur iudex legis, sed litium in negocio Jehovæ secundùm legem decidendarum præses. Non igitur ipsi soli iudicium defertur, sed directio. Judicium Levitis & Sacerdotibus non minùs quàm ipsi. Norma declaratur lex moralis, ceremonialis & forensis. Tantum abest, ut Amaria, aut quicunque alius Summus Pontifex constituatur iudex omnium controversiarum absolutus. Sed nec ullo apice infallibilitas ei asseritur. Taceo, conclusionem esse prorsus alienam, siquidem iurisdictio, quæ sit Pontifici cum aliis Assessoribus communis, intelligatur. Non enim à nobis negatur. Sin autem intelligatur singularis & eximia Pontifici, non fluit ex verbis, quippe in quibus nullum illius vestigium apparet. Deniq; iam pone, quòd nulla quæstio de religione exempta fuerit singulari iurisdictione veteris Pontificis. Quid tum? Ergone absolutus fuit iudex? Non sequitur.

XXIII. Tertia eiusdem notæ. Primò. A Matthæo dicuntur convocati omnes

Prin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Principes Sacerdotum, id est, Principes familiarum viginti quatuor Sacerdotalium, de quibus legimus, 2.Paral.36,14. 1.Par.15,4.5.6.24,4.5.6. summi sacerdotis κατ' ἐξοχὴν dicti non fit exserta mentio. Fuerit tamen & ille vocatus; non enim negabo; nihil hîc præ cæteris ei tribuitur. Aut igitur omnes fuerunt judices controversiarum omnium absoluti, aut ille fuisse, hinc non agnoscitur. Secundò. Convocati fuerunt ab Herode, id est, tempore & statu Ecclesiæ Judaicæ corruptissimo: Ut igitur maximè tributa fuisset illo tempore summo Pontifici potestas judicandi singularis & absoluta, non tamen eam haberet à Dei institutione. Proinde usus non fuisset veteris Testamenti, unde Becanus argumentum promisit, sed abusus, isque horribilis.

XXIV. Tertiò. Falsum, illis fuisse propositam quæstionem, *an Messias jam natus esset*? Ad Matthæum provoco, cujus testimonio evidentissimè constat, quæsitum fuisse ab Herode, quo loco nasci debeat Messias? *Non quæsivit*, inquit Jansenius in Concordia Evangelica cap.9. *Herodes, ubi Christus natus esset, (dixissent enim, se nescire;) sed ubi nasci deberet secundum Scripturam; Hoc enim est, ubi Christus nasceretur.* Quartò. Sacerdotes propositam quæstionem à Scriptura planissimè decisam ostendunt Herodi. Testis Matthæus, apud quem sic respondent, cap.2,5. *In ea Bethlehem, quæ est Judææ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Judæ.* Quis hîc non agnoscat, quæstionem ab ipso Spiritu sancto in Scriptura loquente decisam esse, Sacerdotes autem tantùm fuisse ministros, per quos divina decisio Herodi innotuerit? Hæc ratio decidendarum controversiarum nobis unicè placet: Hanc quicunque tenent, eos libenter admittimus, sequimurque animo prompto. Cæterùm nulla litera in tota illa historia occurrit, unde constet, veterem Pontificem fuisse omnium controversiarum judicem absolutum & ἀνυπεύθυνον. Imò si huic consultationi præfuit summus Sacerdos, constat, alligatum fuisse ad Scripturam, quam, tâquam unicam judicii normam, sequatur. Quod planè nostram quidem confirmat sententiam, Papisticam autem funditus evertit.

XXV. Jam vide, quomodo non solùm apertum bellum Scripturæ Sophista indicat, sed etiam insolenter insultet, clamitans, facilè probari posse, Scripturam per se nec fuisse, nec potuisse esse hujusmodi controversiarum judicem, quod nos interpretamur, esse non potuisse normam controversiarum decidendarum plenariam. Tam confidenter agit. Suprà in argumento dixerat, à Scriptura dirimi non debuisse; hîc, nec potuisse, contendit. Sed nos primò petimus à lectore, ut probè meminerit, insignem elenchum accidentis committi, quoties adversarius argumentatur, Scripturam hodie normam controversiarum esse non posse, quia olim non fuerit in veteri Testamento. Hodie enim Scriptura multo est auctior. Deinde jactatur probatio facilius, quàm præstatur, quod hîc Becanus suo nos docet exemplo.

XXVII. Probatio hæc illi est, quia *Scriptura, quatunc exstabat, præsertim primis aliquot seculis, non erat fere alia, quàm lex Mosaica, seu volumen fœderis, ac Deuteronomii.* Num.57. Forma sic erit: *si in veteri Testamento, præsertim primis aliquot seculis non erat fere alia Scriptura, quàm lex Mosaica, ergo à Scriptura in veteri Testamento non potuerunt dirimi controversiæ religionis. At prius verum. Ergo.* Conclusio intelligitur vel de toto tempore veteris Testamenti, ex quo Scriptura exstare cœpit, vel de primis seculis, quibus tantùm lex Mosaica fuit scripta. In utroque sensu nego consequentiam. Ille probare debet. Non probat, nisi eo, quòd dicit, tria de volumine legis esse certa: Primò. *Primarium, seu authenticum exemplar esse à sacerdotibus in arca fœderis asservatum.* Secundò. *Interpretationem illius in re dubiâ commissam fuisse sacerdotibus ac præsertim summo sacerdoti*, Deuter. 17,8. Hag.2,12. Malach.2,7. Tertiò. *Hoc exemplar authenticum semel tantùm in septennio debuisse à sacerdotibus prælegi universo populo in tabernaculorum festo*, Deut. 31,10. Nullam hîc audio, nullam intelligo probationem consequentiæ, quod ut clarius fiat, faciamus argumentum. Cujus authenticum exemplar fuit asservatum in arca fœderis, interpretatio Sacerdotibus commissa, & exemplar authenticum semel prælectum universo populo solenniter in septennio, illa in veteri Testamento, præsertim primis aliquot seculis, quibus ferè non alia erat Scriptura, quàm lex Mosaica, non potuit controversias omnes dirimere adeoque judex earum esse. Jam apertus est elenchus consequētis. Primò enim non solum autographum exemplar authenticum & idoneum erat decidendis controversiis, sed etiam alia

inde fideliter transscripta. Etsi igitur autographum legis servatum fuit in arca, potuit tamen Scriptura esse norma plenaria; tum quia illud, quoties opus erat, poterant consulere, tum quia alia exemplaria in Sacerdotum aliorum manibus versabantur, quemadmodum leges Imperatoriæ non cessant in omnibus judiciis esse norma, etsi autographum uno loco asservetur, aut etiam pereat.

XXVI. Secundò. Ab interpretatione Sacerdotis adversùs auctoritatē Scripturæ normalem, seu judicialem, pessimo exemplo concluditur. Id quod variè patet. Nam primò vera interpretatio nihil addebat legi, sed pendebat à lege secundùm illam censenda. Secundò. Si sequela Sophistæ admittatur, nulla erit norma plenaria controversiarum in Ecclesia. Nam hodie non solùm Scripturam, sed etiam traditiones exponendi partes deferunt Ecclesiæ Antistitibus ipsi Papistæ. Aut igitur non ideo non potuerunt omnes controversiæ fidei ex Scriptura decidi, quia ejus interpretatio Sacerdotibus fuit commissa, aut hodie ne quidem ex Scriptura & traditione conjuncta possunt dirimi, quia utriusque interpretatio est penes Ecclesiam. Tertiò. Summo Sacerdoti maximè esse commissam interpretationem præ aliis, non lego Deut.17. Hag.2. Mal.2. Moses non ait, *adibis Sacerdotem summum*; sed, *adibis Sacerdotes Leviticos.* Confer Levit.10,9.10.11. Deuter. 33,10. Haggæus non ait, *interroga Sacerdotem summum, sed, interroga jam Sacerdotes de lege.* Malachia quidem in singulari numero loquitur, at eo non exprimit privilegium summi Sacerdotis, sed officium

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab unoquoque Sacerdote præstandum. Quartò. In specie Concilium Tridentinum non poterit esse norma fidei vel inter ipsos Papistas, ejus enim interpretationem deferunt Papæ.

XXVII. Tertiò. De promulgatione legis in septennio semel facta suprà dictum Controv.2.sect.2.num.12.13. Illa erat solennior; non tamen ideo non legebatur sæpius. Etsi verò tanto intervallo repetita fuit solennis promulgatio autographi, non tamen ideo non potuerunt ex Scriptura dirimi controversiæ. Primò enim nec crebra promulgatio legis dat legi auctoritatem normæ, nec rara repetitio derogat. Quemadmodum Nemesis Carolina est norma judiciorum criminalium, etsi autographum ne semel quidem relegatur publicè, imò ne quidem exstet in loco judicii. Deinde Sacerdotes poterant promere autographum, quoties opus erat, ut non sit, cur hinc ad criminandam Scripturæ auctoritatem quisquam convertatur. Imò ex sinceris apographis æquè poterant controversiæ dirimi, ac ex autographo, sicut doctrina tradi poterat non minùs ex apographis, quàm autographo. Singulis enim sabbatis legebatur Moses in synagogis. Explicatum verò fuisse à Sacerdotibus, non dubium; neque tamen illi habebant in manu exemplar primarium. Cùm doctrina universa ex apographis potuerit tradi, cur non ex iisdem decidi potuerint controversiæ?

XXVIII. Atqui Jesuita clamat, quantũ potest, sequi primò, *populum non habuisse primarium & authenticum exemplar legis Mosaicæ, sed solos Sacerdotes. Si ergo extra solennitatem tabernaculorum orta fuisset aliqua controversia legalis, populum non potuisse consulere authenticum exemplar, quod non habebat, sed debuisse adire Sacerdotem, & ab eo, tanquam ordinario judice, petere sententiam definitivam.* Secundò: *Etsi populus habuisset exemplar, non tamen potuisse ex eo controversiam ullam dirimere, quia non populi, sed Sacerdotis, & maximè Pontificis erat, legem Mosaicam, ex qua nascebantur controversiæ, interpretari,* Num. 58.

XXIX. Ad *prius* respondeo. Primò verum est, populum non habuisse primarium exemplar legis, sed solos Sacerdotes. Imò addo, ne quidem omnes Sacerdotes semper & ubique habuisse exemplar primarium. Habitabant enim illi in diversis civitatibus; istud apud Arcam federis in loco sacro asservabatur. At falsum, populum non habuisse exemplum authenticum. Error inde, quòd miser Sophista fingit, solum autographum fuisse authenticũ, nõ quod ex eo fideliter descriptum & cum eo collatum. At hoc longè falsissimum. Probo, idque multis argumentis. 1. Liber legis est instrumentum authenticum, etsi Mosis manu scriptus non sit. Αὐθεντίαν enim non habet à manu hominis, sed à Deo: At eædem res, idem sensus apographi, qui autographi. Inde Apostolus de Scriptura, quæ tum exstabat, dicit, esse θεόπνευστον: neque tamen autographa vetera tunc exstabant. 2. Rex non habuisset exemplar authenticum & fide dignum: Autographum enim non habuit, sed apographum, Deut.17.18.19. Hoc absurdum. 3. Reformatores in omnes civitates missi, 2.Par.17,7.8.9. & judices à Josaphato constituti in civitatibus, 2.Paral.19,5.6.7.8.9. non habuissent authenticam regulam controversiarum: non enim habuerunt autographum Mosaicum. 4. Tempore amissi libri, de quo legimus, 2.Reg.23. non fuisset Scriptura ullo modo norma. 5. Christus non remisisset Judæos ad authenticum instrumentum: Habuisse enim eos autographum Mosaicum eo tempore, non constat ullo indicio. At absurdum, Christum voluisse eos remittere ad aliud instrumentum, quàm authenticum. 6. Hodie Scriptura veteris Testamenti nullo modo esset authentica norma. Quis enim habet autographum? Imò nec Scriptura nova. Quis enim habet Apostolorum manum propriam? At hoc pugnat cum sententia Papistarum fatentium, esse normam, quamvis fingant partialem.

XXX. Secundò. Non concluditur quæstio: Non enim quæritur, *potuerit-ne populus consulere exemplar primarium, extra solennem promulgationem*, vel, *an debuerit adire Sacerdotem & ab eo petere sententiam definitivam*? Sed, *an ex Scriptura potuerint lites dirimi?* Exemplar primarium populus non potuit consulere, quia non habuit: Hinc si concludas, à Scriptura non potuisse dirimi controversias, omnes vident elenchum accidentis. Non enim hoc fit ex Scripturæ imperfectione, sed ejus carentia. Quòd verò de adeundo Sacerdote, ut judice ordinario, & petenda definitiva dicitur, id vel intelligitur de solitario summo & absoluto judice τῶν καθ' ὅλου, cujus judicium sit norma infallibilis, & sententia nulli adstricta canoni, sed quæ sit norma, vel de judice subordinato τῶν κατ' ἔκασα & sententia adstricta canoni. Priori sensu falsum, nec sequitur ex dictis: Posteriori verum, & sequitur. At ἀπροσδιόνυσον. Hinc enim minimè inferre licet, à Scriptura dirimi non posse controversias, sed committitur elenchus non oppositorum, ut oppositorum. Opponuntur quippe, quæ sunt subordinata. Exemplum cape. Populus non habet authenticum exemplar Nemeseos Carolinæ & aliarum legum imperialium. Non igitur potest consulere, exortâ controversiâ, sed debet adire legisperitos, qui interpretentur. Quid? Ne quidem Jcti habent exemplar primarium. Principes non habent. Nec tamen ideo non potest controversia dirimi ex Nemesi Carolina aliisque legibus. Si non possit inde dirimi, nisi primarium exemplum sit in populi manibus, quot furibus, quot latronibus, quot plagiariis, quot denique maleficis aliis facta est injuria? Qui nempe judicati sunt absque exemplo primario. An mavis aliud? Tridentini Concilii Canones habent Papistæ pro norma, ex qua decidi possint controversiæ inter nos & ipsos agitatæ. Jam plebs Papalis non habet Canonum primarium exemplar. Non potest igitur consulere, sed debet adire Episcopum, quamvis nec ille habeat, vel potiùs ipsum Papam, tanquam judicem. Ergone ex Canonibus non potest Papisticè decidi controversia inter nos & ipsos agitata? At Patres ibi decid-erunt. Jam si Canones Tridentini in Papistica Schola manent norma, & ex iis possunt controversiæ decidi, licet primarium exemplar non versetur in plebis manibus, cur non idem dicatur de Scri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptura veteri ? imò tota?

XXXI. Tertiò. Unde habet Jesuita, non potuisse populum intra septennii spatium consulere exemplum authenticum ? Non habet à Scriptura. Dicet: *quia septimo demum anno prælegebatur universo populo.* Non sequitur: illo demum tempore solenniter prælegebatur universo populo; Ergo intra illud tempus nemini licebat consulere primarium exemplar. Quod vel invito Becano extorquebo. Sacerdotes consulti à populo intra septennium aut habuerunt normam sui judicii, aut non habuerunt. Non habuisse, absurdum est & rei veritate & confessione Sophistæ. Concedit enim, Scripturam esse normam, quamvis partialem. Si habuerunt, aut inde habuerunt, quòd consulerent primarium exemplum, aut quòd inspicerẽt apographum. Si prius; Ergo & populus potuit consulere primarium exemplum intra illud tempus. Si posterius; Ergo populus habuit normam in manu, quia habuit apographum. Rex enim pertinet ad populum, quando contradistinguitur Sacerdotibus. Ille autem jubetur penes se habere apographum, Deuteron.17,17. Deinde Philippum & Nathanaëlem legisse, ex eo conjicit Jansenius in Concord. Evang. c. 17. quòd Philippus Nathanaëli dicit, *Invenimus eum, de quo scripsit Moses.* Si illi legerunt; Ergo habuerunt quoque plebeji.

XXXII. Ad *posterius.* &c. Primò. Non potuerit populus ex Scriptura controversias dirimere. Quid tum? In antecedente non dixerat Jesuita, populum non potuisse, nec de eo quærebatur: Dixerat, à Scriptura non potuisse dirimi controversias. Ab illo ad hoc si concludat, boni animadvertunt elenchum consequentis. Secundò. Nego, non potuisse populum ex Scriptura ullam controversiam dirimere. V.g. Si vicinæ Gentes dicerent, suos Deos esse colendos, nominatim Baal Pehor; item scortationes, adulteria esse licita; multos esse Deos; sculpendas esse imagines, quæ colantur. An non ex Scriptura dirimere poterat populus has controversias?

XXXIII. Tertiò. Probatio non est legitima. Confundit enim interpretationem legis privatam cum publica. Sacerdotibus erat commissa interpretatio legis publica; populo non erat commissa publica, sed concessa privata. Cùm enim omnibus liceret legem legere, & lectio ordinetur ad intelligentiam, cum intelligentia autem Scripturæ conjuncta sit interpretatio, apparet manifestè, etiam populo concessam esse interpretationem privatam. Intelligere enim est assequi verborum sensum. Interpretari est verba ad illum sensum rectè aptare. Sic de diremptione controversiarum. Publica erat Sacerdotum; privata singulorum, qui à Deo hoc donum habebant, ut ad Scripturam legendam intelligendamque essent apti: De qua re suprà suo loco actum est. Ibi vide.

XXXIV. Quartò. Etsi solis Sacerdotibus fuisset legis interpretatio concessa, non tamen sequeretur, populum non potuisse, sed non debuisse dirimere controversias. Licet verò populus non potuisset, non tamen ideo vel Scriptura non fuisset norma controversiarum plenaria,

ria, seu judex directivus, vel Sacerdotum judicium fuisset norma absoluta. Quamvis enim interpretatio Sacerdotibus fuit commissa, potestas tamen absoluta non concessa, sed adstricta canoni. Ideo diserte in Deuteronomio nominatur *os legis*, c.17,10. à quo *os verbi*, q debebant annunciare, non differt. At apud Malachiam ait Jehova, *Cùm labia Sacerdotis observarent scientiam, & lex requireretur ex ore ipsius*; cap.2,7. Item, *Interroga jam Sacerdotes de lege*, Hag,2,11. Lex ergo ab iis requiri debuit. Quænam illa? Non alia, quàm quæ à Mose erat tradita. Scripta igitur. Quod patet ab exemplo, quod addit Propheta de sanctificatione & pollutione ex lege. Ergo Sacerdotes tenebantur ex lege respondere. Illa igitur norma, non ipsi. Præterea officium describitur, non promissio ponitur. Theodoretus in Malach. *Cõvenit, Sacerdotẽ summè justum esse legum divinarum administrum, nempe aliorum præceptorem electum, & cui divina responsa perferendi negocium datum est.*

XXXV. Becanus duas quæstiones hîc movet & solvit. Utramque videbimus. Prior est, *quare interpretatio legis & per consequens decisio controversiarum legalium pertinuerit potiùs ad Pontificem, quàm ad alios?* Respondet, *si spectemus industriam humanam, non minùs alios, quàm Pontificem potuisse legem intelligere, & interpretari, si autem spectemus assistentiam Spiritûs sancti, quæ sanè potissimùm spectanda sit, eam Pontifici potius, quàm aliis communicatam esse. Cujus rei exemplum*, dicit, *nos habere in Mose, quippe cui Deus majorem assistentiam concesserit, quàm septuaginta Senioribus, qui illi in hoc officio subserviebant, quod colligatur ex* Num.11,17. Auferam de spiritu tuo tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi. *Perinde enim hoc esse, ac si diceret, Dabo illis donum gratiæ, sed infra illud donum, quod tu habes, Tibi, qui supremus judex es, plus dari oportuit, quàm illis, qui subjecti sunt.* Num.59. Nos sic statuimus. Primò præsuppositâ distinctione interpretationis publicæ & privatæ. Pontificem quæstio comparat vel cum aliis Sacerdotibus, vel cum populo, idque in interpretatione vel publica, vel privata. Cùm agitur de publica, si cum populo comparatur, causa diversitatis est vocatio: quia Deus voluit, publicum ministerium esse, per quod Ecclesia publicè doceatur. Si cum aliis Sacerdotibus, Scriptura nusquam summo potiùs Sacerdoti commendat interpretationem legis, quàm aliis. Sophista quidem citavit tres textus; Verùm duobus, nempe Deut.17, 9. & Hag.2,11. Sacerdotes nominari, jam antè est annotatum. A Malachia nominatur Sacerdos, non ut notetur una persona, sed ordo, id quod patet à versu octavo & nono. Ibi enim exprimitur numerus pluralis. At summo Sacerdoti soli usquam decisionem controversiarum esse commendatam, non lego.

XXXVI. Privata interpretatio Pontifici non magis, quàm vel Sacerdotibus aliis, vel populo commissa est. Omnes in lege se exercere debuerunt. Sic Timothe° à puero noverat sacras literas. Christus dicit in genere Judæis, *Scrutamini Scripturas*, Joh.5,39. Et Moses præcipit, ut suos filios doceant, Exod.13,14.15.16. Deut.5,6.7. Tanto tamen major diligentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia requirebatur à Sacerdotibus, quòd ipsi gererent publicum interpretandi munus, ad quod privatâ interpretatione se parabant; maxima requirebatur à Pontifice, quòd emineret inter omnes. Jam de controversiarum legalium diremptione res est expedita. Non commissa fuit unquam soli summo Sacerdoti. In iis, quæ ad Deum pertinebant, fuit primarius: At in iis, quæ regium negocium spectabant, Amaria. Nusquam lego, quòd decisio ad illum potiùs, quàm ad cæteros Sacerdotes ei adjunctos pertinuerit. Ad omnes Assessores judicii pertinebat, 2. Paralip. 19.

XXXVII. Secundò. Dubium non est, quin Deus adstiterit Sacerdotibus in interpretatione legis, quando Deum invocabant, timebant & ipsius legis ductum sequebantur. At assistentiam illis absolutè vel promisisse, vel præbuisse, ne errarent in interpretando & judicando, Scriptura non testatur. Imò non præbuisse, testatur clarissimè. Errârunt enim multoties. Tertiò. Summo Sacerdoti præ cæteris Sacerdotibus in judicando assistentiam à Deo fuisse communicatam, nullo Scripturæ testimonio constat. Imò ille non minùs erravit, quàm cæteri.

XXXVIII. Quartò. Exemplum Mosis est alienum. Primò enim, cùm septuaginta Seniores illi adjungerentur, non erat summus Pontifex, sed tantùm Dux; Aaron enim erat Pontifex. Deinde Seniores non erant ex una tribu Levi, sed ex toto populo. Et quidem communis sententia est, ex singulis tribubus senos fuisse delectos. Ut omnino fuissent septuaginta duo, connumeratis Eldad & Medad, qui manserant in castris. Ad Sacerdotes igitur, qui erant ex una tribu, malè transfertur. Tertiò. Est factum extraordinarium. Simile enim nusquam legitur, quod factum esset postea, id quod fatetur Jesuita. Num. 54. Denique non est à textu, quod de donorum differentia inter Mosen & Seniores affertur, sive verba spectes, sive sensum. Non, *si verba*: Non enim est in textu originali, vel etiam Græco, *Auferam de Spiritu tuo.* Hoc totum est à versione latina veteri, quâ sensum reddi laboriosum ad intelligendum, monet Augustinus lib. 3. quæst. super Numeros, quæst. 13. Posset enim trahi ad spiritum hominis, de quo Deus non loquitur. In originali est, *separabo de Spiritu, qui est super te.* Sensum in eo verum attigit Jesuita, quòd interpretatur de dono gratiæ. Sic Theodoretus in Quæstionibus. Sic Augustinus. At à veritate deficit, cùm hûc sensum fingit, *Dabo eis donum gratiæ, sed infra donum illud tuum, quod tu habes.* Hoc non est à verborum sono, non à cohærentia, non à tota Scriptura. Tantum abest, ut hîc sit sensus genuinus, *Plus dari tibi oportet, qui es supremus judex.* Quid non concludamus ex Scriptura, si sic licet ludere? Non jam disputo, diminutionemne doni Mosi collati verba Dei significent, an donum æquale? In illum inclinant aliqui eruditissimi homines & exercitati in Scriptura, quibus verba non parùm videntur favere: Non significari diminutionem, plerique Veteres contendunt, nominatim Theodoretus & Augustinus, Id mihi certum, verbis non significari, quod vult Jesuita.

XXXIX. Posterior quæstio; *An Pontifex*

tifex in decisione controversiarum fuerit judex infallibilis? Respondet, omnino fuisse infallibilem. Nos dicimus, non fuisse. Ille cõatur probare tripliciter. Primò ex discrimine, quod erat inter summum Pontificem & alios inferiores judices: *Nam*, inquit, *quando oriebatur aliqua controversia difficilior, in cuius decisione inferiores judices vel dissentiebant, vel veritatem attingere non poterant, volebat Deus, ut partes litigantes deferrent eam ad Pontificem, supremo Concilio præsidentem, cum hac promissione, quòd à Deo accepturi essent judicii veritatem*, Deut. 11, 9. *At si Pontifex in tali casu fuisset fallibilis, non accepissent ab eo judicii veritatem, nec promissio Dei fuisset impleta. Ergo dicendum est, in tali casu falli non potuisse.* Num. 60.

XL. R. Primò. Non omnis controversia difficilior ab inferioribus judiciis deferri debuit ad summum Sacerdotem, tanquam superioris Concilii præsidem, nisi simul esset judex politicus, sed vel ad Sacerdotes, vel ad judicem summum, qui erit diebus illis. Nempe ut diversæ erant causæ, sic ad diversos judices deferendæ. Politicæ ad magistratum civilem, qui judex summus appellatur, ecclesiasticæ ad Sacerdotes. Sic Lyra in h. l. *Aliquando contingebat, ut officium in unam concurreret personam, sicut patet de Heli, qui fuit judex & summus Sacerdos populi*, 1. Sam. 4. *Sed ut communius erant distincta personæ, sicut & officia. Potest ergo intelligi iste recursus ad utrumque coniunctim, & hoc erat in causis, quæ non poterant terminari ab uno sine alio, utpote in ædificatione templi, quæ non poterat fieri sine potestate regia, nec disponi absque sacerdotali ordinatione; vel divisim, ut in causis spiritualibus esset recursus ad summum Sacerdotem, & in temporalibus ad judicem.*

XLI. Secundò. Sacerdotis summi non fit diserta mentio. In plurali enim nominantur Sacerdotes. Versu duodecimo quidem singulari numero Sacerdos appellatur, verùm hoc ad ordinem Sacerdotum, non ad unam personam exclusivè pertinere, vel hinc patet, quia versu nono ad Sacerdotes controversia remittitur. Ad quos autem remittitur causa, qui debent pronunciare, illorum sententiæ nemo debet superbè refragari. Aut igitur Sacerdotes excludantur oportet à cognitione causæ & sententia, aut versu duodecimo excludi non possunt, sed sub Sacerdotis nomine comprehenduntur.

XLII. Tertiò. Esto, judicaverit summus Sacerdos de quæstionibus ad supremum Concilium delatis judicii veritatem, non ideo fuit infallibilis. Nam etiam reliqui Sacerdotes veritatem iudicabant, neque tamen ideo erant infallibiles. Sic hodie multi judices civiles rectè judicãt, non tamen ideo falli nequeunt. Quartò. Si inferiores judices à Pontifice summo semper, & absolutâ Dei promissione judicii veritatem accepissent, utique negari non posset infallibilitatis donum. At non semper acceperunt. Præterea promissionem hîc nullam, nedũ absolutam, lego, sed descriptionem officii, quod facere debent tum ii, ad quos controversia defertur, tum ii, qui deferunt. Ad quos defertur, illi debent 1. judicare statum illius judicii, v. 9, Vetus vertit, *indicabunt tibi judicij veritatem.* Arias, *indicabunt tibi verbum judicii.* 2. Docere v. 10. idque

ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex præstituto legis, v.11. Qui deferunt, debent 1. facere ex præstituto illius legis, quam illi indicaverint ipsis, ℣.10. 2. Observare, ut faciant omnia, quæ docuerint ipsos ex legis præstituto. 3. Non recedere à sententia illa dextrorsum, aut sinistrorsum. At mandatum à promissione plurimum distat,

XLIII. Cæterùm hîc non promitti infallibilitatem absolutam, duobus constat argumentis evidentissimis. Unum est, quòd sermo est ñ de solo Sacerdote summo, sed de Sacerdotib' Leviticis in genere. Aut igitur isti fuerunt infallibiles, a. infallibilitas hîc ñ promittitur absolutè. Illos autẽ omnes fuisse infallibiles, quis dixerit, aut, si dicat, probaverit? Alterum est, quòd idem pronunciatur de summo judice. Si ergo inde Sacerdos summus fuit infallibilis, non minùs fuerit infallibilis judex summus politicus. Hunc enim intelligi, & nos suprà ostendimus & Papistæ nobiles, nominatim Lyra, & Cajetanus agnoscunt in h. l. & à textu patet, quia, cùm v.12. Sacerdos in singulari nominatur, non copulativa, sed disjunctiva ponitur, ne de eodem interpreteris. At judicem politicum supremum ordinarium fuisse infallibilem, hactenus non sunt ausi Papistæ dicere. Et possent refutari manifestis exemplis, si procederent eò insaniæ. Id igitur verum, populum non accepisse veritatem, quoties sacerdos fallebatur. At promissionem Dei non esse impletam, falsum. Nulla enim exstabat de infallibilitate. Ideo Bellarminus l. 2. de Concil. cap. 6. scribit, certiores & majores promissiones Dei habere Ecclesiam, quàm Synagogam. De Synagoga enim non esse dictum, eam esse columnam & stabilimentum veritatis. At si Pontifex fuit infallibilis, par erit ratio in Papistarum schola.

XLIV. Becanus fruſtrà urget, *si Pontifex in hoc casu fuisset fallibilis, non accepisse populum ab eo judicii veritatem, & promissionem Dei non esse impletam.* Nunquam accepisse, non sequitur. An enim fallibilis judex nunquam rectam fert sententiam? Nunquam ergo in causis civilibus & criminalibus à magistratu politico recta sententia exspectanda: quia fallibilis est. Contingere potuisse, ut aliquando nõ acciperent, id verò sequitur. At id nec absurdum est, nec eo divinæ promissionis veritas deficit. Deus enim non promisit absolutè, eos semper à Pontifice summo judicii veritatem accipere debere.

XLV. Secundò ex mandato Dei. *Deus sub pœna mortis mandabat omnibus, ut acquiescerent sententiæ Pontificis*, Deut. 17,12. *At certum est, non mandàsse, ut acquiescerent sententiæ falsæ, præsertim in negocio fidei ac religionis. Ergo certum est, sententiam Pontificis, præsertim in negocio fidei & religionis, non potuisse esse falsam, sed ex peculiari assistentia Dei infallibilem.* Num. 61. In forma sic erit; *Cujus sententiæ omnes ex Dei mandato, sub pœna mortis, acquiescere debuerunt, ille est infallibilis. At summi Pontificis sententiæ omnes ex Dei mandato sub pœna mortis acquiescere debuerunt. Ergo summus Pontifex fuit infallibilis.* Ratio majoris est, *quia Deus haud dubiè non mãdavit acquiescere falsæ sententiæ.* Resp. Primò. Falsa major. A mandato enim obedientiæ, sub pœna mortis, præstandæ ad infallibilitatem non valet consequentia, sed committitur elenchus non causæ, ut causæ. Alioqui ex eodem argumento concludam, summum Politicum judicem fuisse infallibilem, quia non minùs morti adjudicatur, qui superbè refragatur sententiæ judicis, quàm qui Sacerdotis. At infallibilem fuisse judicem politicum, nimis apertè falsum. Si infallibilitas judicis civilis hoc argumento non concluditur, ne quidem concluditur summi Pontificis. Unum enim idemque est argumentum. Sic hodie acquiescendum est sententiæ supremi judicis Politici, neque tamen ille mox est infallibilis. Sic hodie est acquiescendum judicio Ecclesiæ in mutuarum offensarum decisione, itemque excommunicatione. Et tamen fieri potest, ut in facto erret, & excommunicet eum, qui non erat excommunicandus. Hoc fatetur Bellarminus.

XLVI. Secundò. Non est, ut ille contra Politicum judicem excipiat, *Sacerdotis esse sententiam definitivam, judicis executionem.* Refutat enim glossam textus ipse, qui eodem prorsus modo de Sacerdote & judice loquitur. Quòd prætendit Sacerdotis imperium, hoc non est à textu originali, sed à translatione latina veteri. In originali sic est, *Qui commiserit superbè, ut non auscultet Sacerdoti (H. homed leschareth.) perstanti ministrando Iehovæ Deo suo, aut judici*, quibus verbis non notatur imperium, sed ministerium, ut patet à phrasi repetita capite sequente, versu quinto. Ipse Arias sic vertit, *Qui fecerit in superbia ad non audiendum Sacerdotem stantem ad ministrandum.* Optimè. Nam *Schereth* in Pihel est ministrare. Sic Num. 8,26. Deut. 18,7. *Veschereth* & ministrabit, Num. 3,6. *Veschertha*, & ministrabunt. Quod ne ad imperium trahas, memento, de Josua dici, *Meschareth*, minister sc. Mosche, Exod 24,13. c. 33,11. itemque de Sacerdotibus, & Levitis, 1. Par. 6,32. Deut. 18,5. Unde Sacerdotes appellantur cum adjectione ministri Domini, Joël. 1,9. 1. Reg. 10,5. Imò de politico servitio capitur, 2. Par. 17,19. *Hammescharim eth hammélech.* Nomẽ ex infinito Pihel *Schareth*, ministerium, λειτουργία. Unde vasa *Schareth* non imperii, sed ministerii appellantur, 2. Par. 24,14. Num. 4,12. At stare administrandum, nisi vehementer omnes sensus me fallunt, non est imperare.

XLVII. Quartò. Si major omnino tenere debeat, sic formanda erit, Cujus sententiæ omnes ex Dei mandato simpliciter & absolutè idque prorsus in omni controversia, sub pœna mortis, acquiescere debẽt, ille est infallibilis. At sic falsa minor. Id patet ab argumentis, & Papistarum confessione. *Ab argumentis:* Primò enim Deus non mandavit, ut simpliciter acquiescerent sententiæ Sacerdotis in omni controversia, sed secundùm legem pronunciatæ, Deuteron. 17,11. *Ex præstituto legis, quæ docuerint te.* Secundò. Oportuisset populum, ex Dei mandato, approbare summi Sacerdotis sententiam contra cultum Dei prolatam, imò blasphemiam Cajaphæ condemnantis Christum. Id mens pia perhorrescit. Tertiò. Nusquam absoluta potestas judicandi datur Sacerdoti, sed certis circumscripta limitibus, quod patet primùm ex textu præsente. Deinde ex generali sententia, quæ summum Sacerdotem non minùs tangebat, quàm alios, Lev. 19,15. *judicate*

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustè. Deuteronom.1,16. *Maledictus, qui pervertit ius peregrini.* Denique ex eo, quòd sæpiùs aberrârunt summi Sacerdotes. Quod enim Deus absolutè promittit, id præstat. Verax enim est; mentiri non potest. At non semper præstitit infallibilitatem judicii. Non igitur promisit absolutè. *A Papistarum confessione*; Cajetanus in h.l. *Nisi*, inquit, *divinæ legis ori congruat, tam quod docent, quàm quod judicant Sacerdotes & judex in ambiguis, divinæ non est fultum auctoritate.* Hieronymus ab Oleastro in h.l. *Non est judicibus liberum, iudicare, ut volunt, sed iuxta leges* (judicare debent) *& illis parendum, cum secundùm eas iudicaverint.* Paulus Venetus in Consideratione censurarum Pauli V. *In Deuteronomio Sacerdotibus non absoluta obedientia, sed secundùm leges Dei præscripta ordinatur.* Tostatus in h.l. *Dicitur in litera, quòd iudices illi duas constitutiones habere debent. Prima est, ut iudicent secundùm veritatem: Secunda, ut iudicent secundùm legem. Ergo videtur, quòd si iudicaverint contra veritatem, vel contra legem, non est iis assentiendum.* Glossæ ordinariæ & Lyræ testimonium paulò pòst audiemus.

XLVIII. Terriò Becanus ex parte litigantium sic disputat; *Si Pontifex, quando publicè in Concilio pronunciabat sententiam, potuisset falli, vel à legitimo sensu aberrare, nunquam litigantes, qui illum consulebant, fuissent securi; Cur ergo sub pœna capitis tenebantur sequi illius decisionem? Cur altera pars cum tanto onere debebat subiacere sententiæ contra se latæ, quam poterat suspicari falsam & iniquam esse? Denique cur totus populus in negocio religionis iubebatur id sequi, quod Pontifex iudicabat sequi oportere, si Pontifex errare poterat?* Num.62. R. Primò. Aut idem tenet in sententia summi judicis Politici, aut hîc non tenet. Uterque enim hîc conjungitur & quidem, ne tergiverseris, nominatim exprimitur, 2.Par.19,11.

XLIX. Secundò. Distinguenda sunt causarum genera. Erant lites quædam particulares, quarum decisio erat infallibilis & præstabat securitatem absolutè, quia miraculoso effectu res dubia manifestabatur, ex Dei instituto. Sic in causa zelotypiæ, mulieri in suspicionem adductæ propinabatur aqua, à cujus sumptione innocens manebat salva, nocentis venter intumescebat & tumebat femur, Num.5,27. Erant etiam multæ, in quibus non erat securitas absolutè. Similiter in causa religionis decisio non erat simpliciter infallibilis, nec securitatem præstabat absolutè; quod quidem ullo Scripturæ testimonio constet. Imò luculenta sunt testimonia in contrarium, quæ paulò pòst producemus. Inquirat Jesuita in toto codice veteris Testamenti, ac vel unum textum proferat, qui securitati absolutæ perhibeat testimonium. Neque tamen ideo nulla religionis securitas. Illa erat à lege; Ibi erat cultus Dei descriptus. Illam proferre debebant Sacerdotes, illam audire poterat populus.

L. Tertiò. Non jussi sunt sub pœna capitis sequi decisionem Pontificis, qualemcunque sententiam ferret, sed si ex præstituto legis doceret. Id, ut paulò antè dixi, manifestum ab ipso textu. *Ex præstituto legis, quam docuerint te*, v. 11. Transgressio ejusque pœna æstimanda est ex mandato. Is enim pœnam incurrit, qui transgreditur mandatum. Glossa ordinaria in hæc verba, *iuxta legem*, sic habet; *Nota, non dicitur tibi, ut obedias, nisi iuxta legem docuerint.* Lyra in ista verba, *nec declinabis*; id est, *motus commodo, vel damno temporali. Hîc dicit Glossa hebraica:* Si dixerit tibi, quòd dextra sit sinistra, vel sinistra dextra, talis sententia est tenenda; *quod manifestè falsum, quia sententia nullius hominis, cuiuscunque auctoritatis, est tenenda, si contineat manifestè falsitatem, vel errorem. Et hoc patet per hoc, quod præmittitur in textu*: Judicabunt tibi judicii veritatem. *Postea subditur*, Et docuerint te juxta legem ejus, *ex quo patet, quòd si dicant falsum, vel declinent à lege Dei manifestè, non sint audiendi.* Qui ergo Sacerdoti docenti alienos Deos, vel abusum religionis, non auscultabat, minimè dignus erat pœna, sed laude. *Sic* qui non venerunt, ex imperio Aaronis, ad festum vituli aurei, non fuerunt morte digni; sed fuerunt, qui venerunt. Ideo mulctati quàm plurimi. *Sic* qui altari, cujus forma ex *Syria* erat allata, non communicârunt, non fuerunt obnoxii pœnæ à Deo denunciatæ, quamvis Uria summus *Sacerdos* illud erexisset; nec quidem ullus tenebatur sequi. *Sic* Nicodemus, Josephus Arimathæensis, alii pii, qui Cajaphæ sententiam adversùs Christum pronunciatam non tenebantur sequi.

LI. Quartò. Onus spectat vel conscientiam, vel res externas, puta famam, libertatem, officium, dignitatem. Onus respectu rerum externarum non erat tantum, quin ferri posset. At hîc onus conscientiæ nullum. Non enim nostra lædi-

tur conscientia, si injuria nobis fiat, sed ejus, qui sciens injuriam facit. In ceremonialibus igitur particularibus litibus tantum onus non erat, quin partes portare possent injuriam passæ. Et notum est, in supremis judiciis civilibus, etsi suspicio subesse possit iniquitatis, partes tamen debere subjacere sententiæ judicis. Ratio est, quia Deus primò vult finem esse litium. Deinde quia sæpè per iniquam judicis sententiam alia peccata mulctat. Denique quia alioqui seditioni aperiretur decumana porta. Sic quoque in offensis fraternis, Ecclesiæ judicio falsum subesse potest, & tamen pars altera, quæ premitur, debet ei subesse. In religionis negocio aliter se res habet. Ibi est onus conscientiæ, quod nemo recipere, nemo portare tenetur.

LII. Quintò. Multæ sunt monitiones in Prophetis, multa mandata. At nusquam jubetur populus in negocio religionis id simpliciter sequi, quod Pontifex judicabat, sequi oportere. Ubi enim jussus? Miror, rem tantam, citra justam probationem, voluisse Jesuitam in medium proponere. Sciebat enim, id nos negare. Ubique ad legem & testimonium revocatur populus, Jesa.5,20. Ps.1.

LIII. Cæterùm infallibilem non fuisse summum Sacerdotem & collegium Sacerdotum, constat multis argumentis. Primum hoc esto: Si Aaron, absente Mose, circa cultum Dei errare potuit, ne Sacerdotes quidem summi fuerunt *ἀμετακλίντοι* & infallibiles? Prius verum. Ergo & posterius. Consequentia patet. quia Aaroni, in absentia Mosis, commissa erat rectura populi, Mose, cùm montem con-

fcenderet, suas vices in ejus manum quasi resignante, Exod. 24. Populus ad illum remittebatur, si vel consilium dandum, vel controversia esset dirimenda, Exod. 24,14. *Ecce autem Aaron & Hur vobiscum, qui habebit aliquid dicendum, accedat eos.* Antecedens probatur ab Exod. 32. Nam populo malum dedit consilium, ℣.2. Conflavit aureum vitulum, ℣.4. Exstruxit altare coram eo, v.5. Proclamavit festum, ibidem. Hic magnus error in Rectore populi.

LIV. Becanus dicit, *nos nihil probare, quia Aaron nec fuerit Pontifex, quando vitulum ex auro conflavit, nec fuerit auctor idololatriæ.* Num. 64. Respondeo primò. Certum quidem, Aaronem demum anno secundo, die primo mensis primi plenè esse consecratum Pontificem, Exod. 40,17. Verùm inde non evanescit vis argumenti. Etsi enim non esset unctus Sacerdos summus, cùm vitulum conflaret, erat tamen summus Sacerdos vocatus & peculiariter designatus Rector populi, à quo decidi debebant cõtroversiæ, si quæ orirentur. Secundò. Nos non dicimus, auctorem fuisse idololatriæ, quòd primus hoc consilium susceperit, sed partim quòd assenserit populo iniqua petenti, partim quòd consilium malum dederit, & occasionem præbuerit idololatriæ.

LV. Quòd objicit Jesuita, *populum dixisse, surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant*, eo Aaron non excusatur ab omni culpa. Nam ut ut videatur impedire velle scelestum consilium, dum tamen sibi metuens à tumultu, consensum simulat, quodammodo ejus fit auctor. Ideo 1. Conflati vituli infamia in eum conferetur, v.4. 2. Moses illi graviter exprobrat, quòd induxerit super populum peccatum grande, v.21. *Quid fecit*, inquiens, *tibi populus iste, quòd induxeris super eum peccatum maximum?* 3. Dicitur populum denudâsse, v.25. *Cùm ergo videret Moses, populum esse nudatum, quòd nudâsset eum Aaron ad ignominiam subeundam ab inimicis, qui insurrecturi fuissent in eos.* Ad ornamenta & mundum muliebrem denudationem referre, nimis est dilutum. Mox enim additur, *probrosum fuisse inter hostes*; & capite sequente legimus, adhuc habuisse sua ornamenta, quæ jussi deposuerunt, v.4.5.6. Denudaverat igitur, quia cultus divini puritatem, quâ præ omnibus splendebant, contaminaverat & palàm fecerat, illos non rectè colere Deum, qui tot miraculis ipsos duxerat ex Ægypto. Sic dicitur Achatz denudâsse Jehudam, 2. Paralip. 28,19. nempe idololatriam invehendo & verum abolendo cultum. 4. Deus in Aaronem valde fuit iracundus ad perdendum eum, Deuteron. 9,20. Num illum vellet perdere, si non graviter peccâsset. Qui vel penitùs eum excusant, vel saltem graviter peccâsse negant, ii ipsi non leviter errant. Agnoscunt Patres & Papistæ. E Patribus Hieronymus Aaronis peccatum appellat sacrilegium, Epist. 30. E Papistis multi vocant idololatriã, nominatim Tostatus in Exod. Lorinus & Cornelius à Lapide in Act. 7. Leonhardus Marius in Exod. 32. (apud D. Gerhardum) scribit, *Illud mirari vix satis possum, quomodo hoc tempore sibi quidã persuadeãt, Aaronem vel omnino non, vel saltem nõ graviter peccâsse, cùm hæc ejus ædificatio altaris & nominis Jehova translatio*

latio ad vitulum apertissima idololatria sit.

LVI. Secundum. Uria Sacerdos contra legem Dei exstruxit novum altare ad formam altaris Damasceni, & in eo sacrificia obtulit, 2. Reg. 16,10. Hîc præsuppono, quòd Lyra annotat in Glossa, alii Papistæ concedunt, & noster Jesuita, num. 78. agnoscit, Uriam illum fuisse summum Sacerdotem. Porrò sic arguo. Quicunque in Regis gratiam innovat Dei cultum, ille non est infallibilis regula divini cultus, sed errare potest circa cultũ divinum. At Uria in Regis gratiã innovat Dei cultum. Ergo non erat infallibilis regula divini cultus, sed errare potuit circa cultum. Consequentia patet, quia innovatio cultus est magnus error. Et qui in uno potest errare circa religionem, ille potest quoque in altero. Antecedens constat ex historia. Nam Regi veram religionem abroganti & superstitiosos cultus instituenti non solùm non resistit, sed etiam suam operam accommodat. Offert in peregrino altari.

LVII. Becanus excipit, *Uriam non errâsse, tanquam judicem, & Præsidem concilii, in dirimendis controversiis legalibus, sed extra Concilium errâsse in facto, volentem satisfacere mandato Regis Achatz. Exemplum igitur ad rem non facere: quia non sit quæstio, an Pontifex in nulla re errare potuerit, sed an errare potuerit in sententia publicè ferenda circa controversias legales*, Num. 65. Resp. Frustrà sunt hominis diverticula. Primò. Ex eo quòd dicit, errâsse in facto, obtineo, quod volo. Nam qui facto introducit alienam religionem, is non est infallibilis norma divini cultus & religionis. Quid enim prodest Ecclesiæ, si Sacerdos, motâ quæstione de religione, non promulget edictum erroris tuendi causâ, at ipso facto introducat novum cultum? Num illum, tanquam regulam, populus sequi possit tutò? Secundò. Alienum est, quòd clamat, non errâsse judicio legali, sed facto. Suum de religione judicium testatur ipso facto. Neque aliter potuit populus interpretari. Cùm ergo factum est à veritate religionis alienum, judicium de religione sanum esse non potest. Realis decisio est verbali multo efficacior. Ipsi Papistæ fatentur, consuetudinem & praxin Ecclesiæ esse normam. Sic noster Jesuita suprà.

LVIII. Tertiò. Distinguendum erat inter errorem facti, cujus certitudo pendet ab humano testimonio, & facti, de quo planissimè constat, quòd sit contra legem. Circa prius facti genus error fortè committatur, citra errorem juris, at in posteriore non est citra prævaricationem ipsius juris. Lyra in 2. Reg. 16. *(Fecit igitur) timore Regis & iam corruptus idololatria.* Tostatus in h.l. *Quæritur, quomodo Urias Sacerdos voluit fabricare altare pro idololatria? Respondendum, quòd hoc fortè fecit, quia ipse erat idololatra, sicut Rex. Nam sicut interdum declinabant populi cum Regibus ad idololatriam; ita etiam declinabant Sacerdotes. Aliter potest dici, ut placeret Regi, qui valdè inclinatus erat ad idola, laudabat facta eius & etiam ipse eum eo idola colebat. Vel fortè faciebat propter timorem, quia Rex, nisi coleret idola, occideret eum, vel auferret ei reditus. Voluit ergo potiùs carere religione & Deum offendere, quàm reditus amittere.*

LIX. Quartò. Sophista frustrà est, cùm dicit, *Uriam non errâsse, tanquam judicem & præsidem Concilii, sed extra Concili-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilium. Nam primò quæstio erat simpliciter de Pontifice, non erat, quatenus vel præesset Concilio, vel esset extra Concilium. Deinde qui extra Concilium errare potest, cur non possit in Concilio? Ergone illi infallibilias est à societate Concilii? Atqui Papistæ clamant, Papam Romanum, ad quem omnia ista referunt, esse infallibilem, etiam extra Concilium; Concilia non esse, nisi per Romanum Pontificem. Si Romano infallibilitas non confertur à societate Concilii, cur collata fuisset veteri Pontifici? Quid? Becanus dicebat, assistentiam Spiritus sancti potiùs Pontifici, quàm aliis fuisse communicatam. Num tantùm in Concilio, & non extra Concilium? Si tantùm in Cõcilio, non igitur tam Pontifici, quàm Cõcilio communicata fuerit. Si etiam extra Concilium, cur hinc effugium quærit, quòd Uriæ factum non nitatur sententia lata in Concilio?

LX. Tertium Jesaia cap. 56, 10. (juxta Tremellium 57, 2.) ait; *speculatores illius cæci, quotquot sunt, non agnoscunt, quotquot sunt, canes sunt muti, nõ possunt latrare*, &c. Becanus excipit, *Jesaiam non intelligere Pontifices sui temporis, sed Scribas & Pharisæos, qui erant futuri tempore Apostolorum, cùm esset vastanda urbs à Romanis.* Probat auctoritate Hieronymi, & è textu, quo dicat Deus, *se post dispersionem (Babylonicam) Judæos iterum cõgregaturum.* Deinde *aggregaturum gentes*, tãdem *vocaturum bestias agri, id est, Romanos ad devastandam urbem, idque quia speculatores, id est, Scribæ & Pharisæi merebantur hanc pœnam duplici peccato, id est, tum cæcitate & incredulitate, tum ignaviâ. Cæcitate & incredulitate; quia nec ipsi volent Christum agnoscere pro Messia, neque permissuri sunt, ut Judæi in eum credant*, Math. 15, 14. 23, 13. *Ignaviâ; quia non defendent gregem sibi concreditum nec vitia subditorum.* Num. 66.

LXI. R. Primò. Cur Jesuita Scribas & Pharisæos tempore Christi nominat, Pontifices non nominat? Num hi illis erant meliores? Secundò. Quid si concedam, Prophetam traducere Pontificum improbitatem, qui fuerunt tẽpore Christi & Apostolorum. Ergone non notavit sui temporis Sacerdotes. Hoc jam nego. Imò Judæorum speculatoribus inde à suo tempore usque ad adventum Christi exprobrat tum insciti am, tum ignaviam, tum avaritiam & contumaciam.

LXII. Tertiò. Probatio, quâ contendit, de sui temporibus Sacerdotibus Prophetam non loqui, non est firma. Nam 1. Distinctæ sunt Prophetiæ; Una promissoria, altera comminatoria; illa priore loco ponitur, ista posteriore; Hujus autem impletio non est necessariò posterior illius complemento, respectu temporis. Non enim, ut monet Hieronymus in cap. 26. Jerem. in Prophetis historiæ ordo texendus, cùm in præsentiarum sub eodem Rege priora postea & posteriora antè dicãtur. 2. Deinde Deus hîc ñ agit p̃cisè de dispersione Babylonica, non præcisè de collectione ex Babylone. De hac demum agit infrà post commination em cap. 57, 17. juxta Tremellium. Hîc autem describitur à singulari opere, quo gratiam suam erga gentem Judaicam declarat, dum dicitur aggregans depulsos Israëlis, ex Deuteron. 30, 3. 4. 3. Adhæc Jesaia quidem post promissionem de aggregatione multorum ad Ecclesiam vocandorum, facit mentionem bestiarum. Non autem dicit, quòd post vocationem Gentium demum bestiæ illæ sint advocandæ & nullo modo antè. 4. Si illi tantùm notantur, qui post aggregationem Gentium præfuerunt Ecclesiæ, ergo non erãt nominandi Scribæ & Pharisæi, quos suo tempore Christus in Judæa reprehẽdit, Matth. 15, 14. 23, 13. Vocatio enim Gentium facta demum est post Christi adscensionem in cœlum, tempore Apostolorum. Si verò illi comprehenduntur, qui ante vocationem Gentium fuerunt in Synagoga tempore Christi, quo modo eos, qui fuerunt Jesaiæ tempore, excludes, argumento ab ordine Prophetiæ petito?

LXIII. Quartò. Rectiùs exponi potest utraque Prophetia. Nempe sic; Capite quinquagesimo sexto à versu primo usque ad nonum, præmium pietatis proponitur, idque sub forma hortationis promissione confirmatæ, v. 1. & 2. Promissio illustratur duplici prolepsi ℣. 3. quarum posteriori satisfit objectioni Judæorum castratorum, qui de ariditate sua & exclusione à congregatione sunt soliciti, ℣. 4. 5. Ubi promittitur admissio in templũ & nomen eximium. Priore satisfit objectioni alienigenarum, ℣. 6. 7. 8. ubi promittitur exauditio precum, acceptatio cultus spiritualis, v. 7. & multitudo ad Ecclesiam vocandorum, ℣. 8. De qua Christus ait, *Alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere.* Atque sic piorum confirmantur animi, ne cladibus secuturis frãgantur. Contrà ne hypocritæ sibi perpetuas inducias promitterent, subjungit vaticinium de oppressione instante, sub typo bestiarum, ℣. 9. quo sermonis involucro usus quoque est Jeremia, cap. 7, 33. 12, 9. 34, 20. Ubi per bestias intelliguntur Assyrii, Babylonii, Græci, Romani, maximè Babylonii, qui gravissimam intulerũt cladem, 2 Reg. 24, 14. 15. Jerem. 52, 13. 14. Jeremia sic interpretatur, cap. 50, 17. *Parva*, inquiens, *pecus dispersa fuit Israël, quam leones depulerunt, prior comedit eam Rex Assyriæ, hic autem posterior ossa ejus comminuit, Nebucad-nezar Rex Babyloniæ.*

LXIV. Quintum. Sed ne tergiversationi sit locus, conferatur hæc Prophetia cum aliis verbis ejusdem Jesaiæ, cum historia, cum aliis Prophetis. Verba Jesaiæ sunt tum hoc loco, tum alibi. Hoc loco non tantùm comminationis atrocis causas in speculatorum improbitate collocat, sed etiam, institutâ gravi contestatione, ad populi impietatem refert. Dubium autem non est, quin ejusdem temporis speculatores intelligat, cujus populum notat. Jam dicant nobis Jesuitæ, an non notet populum sui temporis. Alibi sunt verba ejusdem Jesaiæ, cap. 28, 7. *Præses ac Propheta errant potu inebriante, errant in functione videntis, titubant in judicatione.* Ubi nota, præsidem intelligi tum civilem, id est, Regium, tum Ecclesiasticum. Sic enim *Cohen* accipitur. Vetus Interpres reddidit, *Sacerdos & Propheta.* Num negabit Jesuita, ad illius temporis Sacerdotes pertinere? Atqui primò omnes circumstantiæ id evincunt. Antè dixerat de decem tribubus, sub nomine Ephraim: Nunc de duabus. Denunciatur interitus

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per Chaldæos. Sic Lyra, qui dicit, eum prophetare contra contemptores Prophetarum præsentium. Ergo contra illius temporis Sacerdotes. Sanctius Jesuita (apud Rivetū) *Describit*, inquit, *illius tēporis statum infelicem, ubi Sacerdos & Propheta aquè ac vulgus imperitum, dum suo genio intemperanter indulgent, poculis frequentibus vacant, ab alia ebrietate spirituali absorpti sunt.*

LXV. Jam collatio historiæ veritatem, quam tuemur, egregiè illustrat. Vixit Propheta sub impio Rege Achatz, in cujus gratiam Uria peregrini altaris formā intulit templo & in illo obtulit. Si tum ea non facta sunt, quæ Propheta hîc reprehendit, utique lubens concedam, illius temporis homines non intelligi. Videamus. Præsuppono autem, populi nomine comprehendi Regem & proceres. Illis exprobrat Propheta varia peccata, nominatim idololatriam & fiduciam in Regis auxilio. Idololatriam, sub adulterii & scortationis nomine, traducit, atque ostendit, quòd omnibus locis & variis modis eam exerceant. Quòd omnibus *locis* exerceant, arguit, dum excelsa, montes, torrentes, omnes arbores virentes & scopulos petrarum nominat, ℣.9.10.11, 12. Id de Rege Achatz disertè scribitur, 2.Reg.16,4. 2.Chron.28,4. *Modos* varios exprobrat, nempe quòd filios mactent in honorem Moloch, v.9. fundant libamina, offerant munera, v.10. & sacrificent victimas, ℣. 11. An non his modis Achatz ejusque subditi scortati sunt adversùs Deum? Vide 2.Reg.16,3. 2.Chron.28,3. Fiduciam in auxilio Regis declarat Jesaia, dum objicit, quòd mittant legatos ad Regem, cum oleo, & demittant se usque in sepulchrum, v.13. Id factum à Rege Achatz. Is enim misit legatos ad Assyrium & adeò se abjecit, ut beatum se duceret, si ab eo servus agnosceretur, 2.Reg.16,7. 2.Chron.28,16. Jam clarum, loqui Prophetam de populo sui temporis. Ergo etiam de sui temporis speculatoribus, canibus & pastoribus. Denique accedit aliorum Prophetarum consensus. Micha Jesaiæ σύγχρονος cap.3.℣.11. *Quorum*, inquit, *Sacerdotes pretio docent, & quorum Prophetæ pecuniâ divinant.* Jam eat Jesuita & clamet, *ex sua interpretatione, quæ & textui & Hieronymo conformis sit, nihil cōtra Papistas colligi posse, quia illorum assertio sit, Pontificem in V.T. non potuisse errare in definiendis legalibus controversiis, quæ ad ipsum in Concilio deferebantur.* Ostendi, non esse textui conformem. A responso patet, quòd hinc adversùs ipsos non nihil colligatur. Quod de assertione addit, est inane κεφάλαιον. An igitur concedunt, Veterem Pontificem errare potuisse in decidendis quæstionibus legalibus, quæ ad ipsum extra Concilium deferebantur? Si potuit, cur non possit Pontifex in novo Testamento? Si non potuit, quid opus est restrictione?

LXVI. Sextum. De sui temporis hominibus ait Jeremia cap.6,13. *A minimo eorum usque ad maximum eorum quisquis est, deditus est quæstui: Etiam tum Propheta, tum sacerdos, quisquis est, agit falsò.* Becanus excipit, *non esse intelligendum de errore, vel mendacio Pontificis in decisione controversiarum legalium, sed de dolo & mendacio Sacerdotum & Prophetarum in prædictione futurorum. Nam cùm Jeremias*

Populo captivitatem propter scelera prædiceret, Sacerdotes & Prophetas populo blanditos & pacem promisisse. Probationem jactat à textu, quia *illa prædictio præcedat*, ℣.11.12. *Contradictio sequatur*, ℣.15. *Ideo nos non nisi hanc consequentiam inde posse formare: Sacerdotes & Prophetæ in veteri Testamento mentiebantur in prædictione futurorum. Ergo Pontifex errabat in decisione controversiarum legalium.* Num.67. Resp. Magnas nugas vendit Sophista, cùm ad decisionem controversiarum omnia vult restringere. Nos sic arguimus; Quicunque in doctrina & cultu Dei errare potuit, is non fuit infallibilis judex controversiarum religionis. At Pontifex veteris Testamenti errare potuit in doctrina & cultu Dei. Ergo. Major patet per se. Minor confirmatur à Jeremia.

LXVII. Sed vide, quantâ solicitudine errorem doctrinæ à Sacerdotibus dimoveat disputator. Dicit, *in prædictione futurorum errorem commissum esse.* Ita est: committebatur error à Pseudoprophetis, quibus applaudebant improbi Sacerdotes; ut falsa prædictio esset Prophetarum, falsorum approbatio & commendatio Sacerdotum; in utraque fraus & dolus. Illi enim mentiebantur, ut his gratificarentur; hi applaudebant illis, ut ipsi dominatum obtinerent. Sic exponit Jeremia, cap.5,30.31. *Res*, inquiens, *stupenda & horrenda facta est in terra hac: Prophetæ ipsi prophetant falsò, & Sacerdotes dominatum exercent horum operâ.* Vetus Interpres sic vertit, *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis.* Ubi Glossa interlinearis sic habet; *Sacerdotes, qui facienda ex lege decernunt.* Quæ autem sequela, *Dolus commissus est à Sacerdotibus in prædictione futurorum, Ergo non in doctrina?* Dolum & mendacium traducere non contentus est Propheta, sed etiam depravationem cultus exprobrat. Probo tum ex hoc, tum aliis textibus.

LXVIII. Ex *hoc textu.* Nam in præcedentibus lego, ℣.10. *Ecce verbum Iehovæ est eis probrosum, non delectantur eo.* Quod quale fuerit, tum ex capitibus antecedentibus, tum ex consequentibus verbis hujus capitis liquet. Nam versu decimo sexto exprimitur, cùm ait; *Sic dicente Iehovâ, state secūdum vias & adspicite ac interrogate de semitis antiquis, quænam sit via boni, & ambulate per eam, ita invenietis requiem animæ vestræ: dixerunt, non ambulabimus.* Item v.17. *Me constituente etiam super vos speculatores, dicendo, attendite ad sonum tubæ, dixerunt, non attendemus.* Sonus tubæ erat legis promulgatio & doctrina, Ezech.3,17. & 33,7. Huic non attendebant Sacerdotes. Item versu 19. *Ad verba mea non attendunt, & ipsam quoque legem meam sprevernnt.*

LXIX. Jam vide *alios textus*, tum hujus nostri, tum aliorum Prophetarum. Hic noster suprà cap.5. dixerat, *Igitur ibo ad optimates & loquar eis.* Quid verò de illis queritur? *Confregisse jugum, rupisse vincula: irrare in his, qui non sunt dij.* Jam, ut bene monet Hieronymus in cap.5. Jerem. hîc scribit, qui sint optimates, Prophetæ videlicet & Sacerdotes, quorum alii futura prædicant, alii ex lege facienda decernant. Porrò. Dehortatus eos erat ab idololatria, cap.2. hortatus ad fidem & resipiscentiam, cap.3. cap.4. & 5. Illius

verbi contemptum & idololatriam exprobrat ipsis, cap.2,25.cap.3,1.(juxta Tremel.cap.2,38.) idque disertè nominatis Sacerdotibus, cap.2,26.27. *Tanquam pudore fieris cùm deprehenditur, ita pudefacient domum Israelis, ipsos, Reges ipsorum, Principes ipsorum Sacerdotesque ipsorum & Prophetas ipsorum, qui dicunt ligno, pater meus es tu, & lapidi, tu peperisti me.* Confer cap.5,19. Ex *aliis* Prophetis Ezechielem audi dicentem, cap.22,26. *Sacerdotes ejus (Hierosolymæ, tempore Zidekiæ) vim faciunt legi meæ.* Idem dicit Zephania, cap. 3,4. in quem locum Lyra scribit, *Sacerdotes legem Dei irritaverunt propter suas traditiones.* Si vis, Danielem audi, num errorem Sacerdotum ad prædictionem futurorum restringat: Imò ad legem revocat. Ait enim cap.9,10. *Non auscultavimus voci Iehovæ Dei nostri, ut ambularemus in legibus eius, quas proposuerat per servos suos Prophetas.* Ubi non eximuntur Sacerdotes. Nominantur enim. Num fortè solus summus Sacerdos eximitur? Nugæ.

LXX. Porrò si Interpretes consulas, audies, Prophetis falsis tribui mēdacium in prædictione, Sacerdotibus in explicatione legis. Hieronymus in cap.5. Jerem. ad decreta ex lege refert. Similiter in Jer. 6,13. in hæc verba, *Et à Propheta usque ad Sacerdotē.) Alii*, inquit, *in prophetādo mēdacium, alii perversè interpretando legem Dei.* Theodoretus in Jerem.cap.2. in illa verba, *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus?)Hoc*, inquit, *omnium maximè profanum, eos qui ducunt, factos esse Principes erroris. Quis error ille? Sequitur; Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt scaturiginem aquarum perennium, ut effoderent sibi cisternas, cisternas fractas, quæ non capiunt aquas.* Retineat igitur sibi suam consequentiam, quam nobis præscribebat Jesuita. Habemus aliam à Propheta, quam nunquam subvertet. Nisi fortè infallibilis regula & judex controversiarum religionis esse potest, qui in cultu docendo exercendoque errare potest. Quanquam & à Jeremia clarum, Prophetas, quos perstringit, non tantùm prædicendo falsa errâsse, sed etiam idololatriam exercendo. Sic enim ille capite secundo, *Propheta ipsi prophetârunt per Bahalem, & inutilia secuti sunt.* Vulgatus interpres habet, *idola secuti sunt.*

LXXI. Quintum. Ne quenquam lateat error judicii, producimus sententiam à Sacerdotibus & Pseudoprophetis adversùs Jeremiam latam, Jerem.26,6. *Omnino moriturus es.* Et ℣.11. *Crimen capitale est in viro isto, nam prophetavit contra civitatem hanc.* Becanus more suo tergiversatur. Jactat, *illud judicium non spectare præsentem quæstionem.* 1. *Quia licet Sacerdotes & Prophetæ erraverint in hoc facto, non tamen erraverint in decisione alicujus controversiæ legalis, sed tantùm in eo, quòd dicerent, falsam esse prædictionem Ieremiæ de imminente eversione Ierusalem.* 2. *Quia non soli Sacerdotes & Prophetæ, sed etiam populus condemnaverit illum ad mortem,* ℣.8. *Sententiam igitur non fuisse legitimè & judicialiter latam in Concilio, seu Synedrio, in quo legales controversiæ decidebantur, sed in tumultuario concursu & seditione vulgi, id quod pateat ex eventu. Principes enim, seditione cognitâ, advenisse & liberâsse Ieremiam.* Num.68.

LXXII.

LXXII. Resp. Primò. Omnino ad hanc quæstionem spectat judicium. Propheta enim hortatur omnes ad resipiscentiam, renuentibus minatur urbis excidium & captivitatem. Id Deus fecerat in lege, Lev.26. Deut.28. Propheta applicat. Quæstio igitur erat, *Num opus esset populo resipiscentia, & nisi resipisceret, luiturus esset improbitatis pœnam?* Item, *Num Ieremia pœnam denunciando, mortis supplicium mereretur?* Priorem Jeremia affirmabat, illi negabant; Posteriorem illi affirmabant, Jeremia negabat. Utraq; quæstio ex lege poterat & debebat decidi. Vide Deut.28,36. & seqq.

LXXIII. Secundò. Neutra probatio est solida. Non *prior*. Nam Sacerdotes isti omnino errârunt primò circa cultum Dei; non enim ambulabant in lege Dei, ℣.4. Deinde in decisione controversiæ legalis. Nam Jeremia non nudè prædicebat interitum, sed propter idololatriam & alia scelera, Jerem.7,8.9.10.11. & seqq. Inde quæstio, *ideone esset morte dignus?* Illi affirmabant, Jeremia negabat. Jam lex erat data de Pseudoprophetis, quam non poterant applicare præsenti negocio. Non enim ad alienos Deos ducebat, sed ad verum Deum invitabat. Error autem in decisione commissus oriebatur ex prava legis interpretatione. Nunquam enim Jeremiam morte dignum judicâssent, si secuti essent legis sententiam. At illi oculos intendebant in promissiones, urbem illam fore Deo æternum domicilium, Psalm.132,14. q.d. *Tu facis Deum sibi contrarium. Quod enim eius nomine prædicas, id apertè conflgit cum eius promissionibus. Deus autem perpetuò sibi constat. Tu igitur es falsarius, & ita unus ex Pseudoprophetis, quos Deus non patitur in sua Ecclesia, sed morti addicit.* Sic illi fucum faciunt, cùm absolutè interpretantur, quod intelligendum erat cum hac exceptione, si purè ibi coleretur, sicut mandaverat, & divellunt mandatum de pietate & obedientia à promissione, quæ Deus conjunxerat.

LXXIV. Non *posterior*. Quis enim docuit Jesuitam sic arguere, *Non soli Sacerdotes & Prophetæ, sed etiam populus condemnavit Ieremiam. Ergo Sacerdotes & Prophetæ non errârunt in decisione controversiæ legalis?* Assensus populi & improbitatis communio nec mutat erroris speciem, nec tollit culpam. Præterea sententia fuit Sacerdotum & Prophetarum, populi approbatio: Quemadmodum populus adversùs Christum clamabat, *Crucifige, crucifige*, cùm Sacerdotum sententiâ fuisset condemnatus. Quod etiam hinc patet. Sicut enim populus priùs approbaverat Sacerdotum & Prophetarum decreta, sic cùm Principes intercedunt, mox illis se melior pars adjungit, mutatâ sententiâ. Inde soli Sacerdotes & Prophetæ coram Principibus agunt contra Jeremiam. ℣.11.

LXXV. Tertiò. Quòd dicit, sententiam non fuisse legitimè latam in Concilio, id concedo facilè. At hoc absre. Quæstio enim non est, *An Pontifex errare potuerit, cùm legitimè definit controversiam*; Imò implicat, legitimè definiri controversiam, & non verè: Sed, *an errare potuerit in decisione ullius controversiæ?* Licet autem ñ fuerit legitima sententia, non tamen ideo non fuit sententia. Theodore-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus in h.l. *Principes ac populus hæc audientes, reprehendunt iniquam Sacerdotum & Pseudoprophetarum sententiam.* Quartò. Quòd tumultuarius concursus fuerit & seditio populi, non nego: At nego, ideo non errâsse Sacerdotes in judicando. Imò inter alia in eo errârunt, quòd concitârunt seditionem populi adversùs Prophetam, & voluerunt tueri cultum idololatricum. Sic igitur concludo. Qui adeò immergitur idololatriæ, ut adversùs ejus reprehensorem seditionem populi concitet, is non est ἀταραξίας, non infallibilis norma controversiarum fidei. At Sacerdotes illi veteres adeò immersi fuerunt idololatriæ, ut adversùs ejus reprehensorem concitaverint seditionem populi. Ergo. Num fortè summus Sacerdos solus non concitavit? Num à reliquis Sacerdotibus in cultu dissensit? Audiam.

LXXVI. Quintò. Eventus, quem Jesuita notat, quemadmodum est indicium magni tumultus, sic nullo modo excusat Sacerdotes ab errore in religione. Imò contrà: qui adeò exarserunt adversùs veræ doctrinæ vindicem, & corruptelarum legalium adversarium, ut compescendi sint à magistratu civili, ii non sunt infallibilis normæ controversiarum religionis. At veteres Sacerdotes adeò insanierunt adversùs veræ doctrinæ vindicem, & corruptelarum legalium adversarium, ut fuerint compescendi auctoritate Principum publicâ, v.16.

LXXVII. Denique etsi res illo tempore per tumultum & seditionem acta sit, quin tamen præcesserit deliberatio atque decretum Sacerdotum & falsorum Prophetarum, ego nullus dubito. Nam Jeremia suos adversarios jam antè introduxerat sic loquentes; *Agite, cogitemus contra Jirmeiam cogitationes, nam non est peritura lex à Sacerdote, & consilium à sapiente, & verbum à Propheta; agite, percutiamus eum, propter linguam istam*, cap.18. Quorum hæc erat vox? Contendentium cum illo. Sic enim ait versu proximè sequente, *Attende Iehova ad me & audi vocem contendentium mecum.* Jam qui cum eo contenderint, notum. Sacerdotes facilè inter eos erant principes, ab ipso Deo in hoc catalogo positi. Jerem.1, 18. 19. Et sanè ipsa verba auctores referunt. Dum *cogitationes* nominant, deliberationes & decreta notant, ac si dicerent, *Nos præditi sumus jurisdictione ordinaria. Deus enim Ecclesiæ suæ nos præfecit.* Sic servum Dei premi posse, putabant. Quam ad rem afferebant schema, quo facilè fallerent omnes simplices. Jactabant, legem non perire à Sacerdote, consilium non posse perire à Sapiente, & verbum à Propheta. Negari autem non poterat, quin essent legitimi Sacerdotes, quoad vocationem. Jam Seniores, qui Sacerdotibus erant conjuncti, etiam meritò jactabant suam dignitatem. Postremò ad eausque tempora populus Prophetis non caruerat. Hæc tria opponebant Jeremiæ. Inde deliberabant, & decernebant, hominem, tanquam Pseudoprophetam, tollendum esse è medio. Atque id exprimit Propheta his verbis, *Cogitemus cogitationes.* Quæ de interioribus cogitationibus exponere prohibet, quòd id sibi mutuò dicentes & alii alios incitantes introducuntur. Paschur, secundus à summo Sacerdote, qualis

is erat Eleazar, Aarone superstite, exsequi cœpit consilium, dum innocentem percutit & ponit in cippo, cap.20, 1.2. Tandem palàm coram multitudine eum morti adjudicant, cap.26. Unde patet, quòd dicebam, etsi res illo tempore in templo per tumultum & seditionem acta fuerit, præcessisse tamen deliberationē & decretum Sacerdotum.

LXXVIII. Sextum. Nostri solent producere judicium Pontificis & Seniorum, quo CHRISTUM morti adjudicatum esse, testantur Evangelistæ. Exemplum valdè clarum. Quin enim Caiaphas, quoad externam vocationem, verus fuerit Pontifex secundùm ordinem Aaronis, non est dubium. Jam quidem Hosius libro secundo contra Prolegomena Brentii affirmare non verebatur, illud Concilium fuisse legitimum, Spiritum Sanctum illi interfuisse & præfuisse; Verùm tantæ blasphemiæ pudet Becanum. Fatetur igitur, Caiapham, qui tunc erat Pontifex, errâsse cum Concilio, nec habuisse ampliùs infallibilem Dei assistentiam, quià Synagoga jam ferè exspirabat. Num.69. At primò frustrà dicit, non ampliùs habuisse assistentiam infallibilem, qui unquam habuisse, nondum probavit. Deinde id refragatur hypothesi. Contendebat enim suprà, Pontificem veterem fuisse infallibilem. At Caiaphas erat Pontifex. Annon verus? Spiritus Sanctus eum vocat ἀρχιερέα, Johan. 11. Infallibilis igitur, aut non omnis summus Pontifex Veteris Testamēti fuit infallibilis. Si non omnis, infallibilitas igitur non fuit annexa muneri, sed pro conditione eorum variavit, qui munere sunt functi. Ostendendum igitur certis argumentis, qui fuerint, qui non fuerint infallibiles. Sic actum de infallibili assistentia. Inde actum de securitate Ecclesiæ, quam jactat Jesuita. Si enim non omnibus, sed aliquibus præstita est assistentia, fecuri esse non potuerunt, qui ab ejus ore pendebant absolutè.

LXXIX. Tertiò. Ratio, quam addit, est frivola. Si enim in gratiam Synagogæ data est infallibilitas Pontifici, tamdiu durare debuit, quàm diu durabat Synagoga. At cùm Christus condemnaretur à Concilio, Synagoga adhuc durabat. Nōdum enim velum templi erat scissum; nondum oblatum illud unicum sacrificium expiatorium. Ferè exspirâsse, concedo; Sed nondum planè exspiraverat. Unde habet, ferè exspiranti debuisse subtrahi, quod erat Synagogæ donum perpetuum & ordinarium? Reliqua manebant integra, scilicet potestas offerendi, interce dendi, judicandi. Et una infallibilitas exspirâsset? Si in illis erat numeranda. Perinde hoc mihi est, ac si dicas, animam ablatam esse à corpore, cùm ferè exspirâsset, quasi absit anima à corpore morti vicino, nondum tamen mortuo.

LXXX. Sophista non habet, quod obtendat solidè. Ne tamen nihil dicat, monet, se notare obiter, *Potuisse quinque in Synagoga distingui. 1. Legem Mosaicam. 2. Prophetiam de Christo. 3. Sacerdotium & sacrificia legalia. 4. Supremam potestatem judiciariam, quæ erat in Pontifice & Concilio. 5. Infallibilem Dei assistentiam, quæ illi potestati erat annexa.* Num.69. Tria priora agnosco, sunt enim vera, at hoc loco aliena. Quartum est ambiguum. Si notetur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur potestas absoluta, non agnosco; falsum enim: Si subordinata & determinata, seu adstricta canoni Scripturæ, agnosco. Verum enim. Quintum prorsus falsum. Ideo repudio, idque nunc non alio argumento, quàm quod suggerit adversarius. Nam si infallibilitas fuit annexa potestati judiciariæ, hæc autem Sacerdotio, omnino æquè diu duravit ac ipsum Sacerdotium. At posterius falsum ex hypothesi Sophistæ. Negat enim, infallibilitatem usque ad mortem Christi durâsse, nec tamen negare audet, Sacerdotium eò usque durâsse. Obiter nota. Sophista disputat pro Pontificis infallibilitate. Hîc non audet soli Pontifici eam tribuere; Sed dicit, fuisse in Pontifice & Concilio. Quod si *copulativè* intelligat, magna pars auctoritatis Romano præsuli peribit: Non enim erit infallibilis extra Concilia. Sin *disjunctivè*: ergo & Concilium sine Pontifice erit infallibile, & Pontifex extra Concilium. Cur igitur suprà hâc ratione causam Pontificis tuebatur, quòd Sacerdotes, qui condemnârunt Jeremiâ, extra Concilium eam sententiam tulissent?

LXXXI. Sed audiamus viri sapientiam! Monstrare vult, quando singula exspiraverint. Primò dicit, *legem Mosaicam, quoad obligationem, abrogatam esse in morte Christi, secundum Thomam in* 1.2.q.163. art.3.ad 2.&. Cui bono illud? Num de eo quæritur? an ad explendas chartas ingeritur? De lege *ceremoniali* verum, & probatur, quia velum templi tunc scissum est, Matth.27. quia erat umbra rerum futurarum. De *morali* falsum, nec probatur. *Falsum.* Christus enim non venit, ut legem dissolvat, sed ut impleat, Matth.5. 17. Implet autem tum secundùm legis normam sanctè vivendo, Hebr.7,26. tum eam vindicando à pharisæorum corruptelis, Matth.5.6.7. tum pro nobis satisfaciendo, Romanor.8,3. Galat.3,13. cap. 4,4.5. tum denique in nobis suâ gratiâ efficiendo, ut & ipsi obedientiam hîc inchoemus, completuri in cœlo, Roman.6, 6.c.8,11.

LXXXII. Non *probatur.* Velum enim templi non pertinet ad legem moralem, sed ceremonialem. Patet, quia in morali illud non instituitur. Consummatio à Cyrillo Alex. refertur ad sæviendi Judæorum potestatem, quæ in morte terminum habuerit, lib.12. in Johan. cap.36. Ab Augustino ad id, quod antè erat prædictum & quia nihil remanserat, quod antequàm moreretur, fieri adhuc oporteret. Tract.119. in Johan. quæ verba repetit Glossa Interlinearis. Ordinaria refert ad omnia, quæ oportebat fieri, antequàm acciperet acetum & traderet Spiritum. Theophylactus, *Hæc sc. prophetia cum aliis impleta est, nihil superest, omnia consummata sunt.* Ego verò non dubito, quin Johannes complectatur hâc voce non tantùm præterita, sed etiam quæ mox erant secutura, nempe mortem & resurrectionem, quæ illi cohæret, ut intelligamus, in morte Christi salutis nostræ complementum contineri. Consummatio igitur Christi spectat partim legem ceremonialem, quia Christus ea consummavit, quæ ibi erant præfigurata, & abrogavit umbram, partim moralem, quia illi satisfactum; unde deinceps nec ejus maledictio tangit credentes, nec premit vis coactiva. Falsúm igitur, post mortem Christi non viguisse legem Mosaicam, puta moralem.

LXXXIII. Secundò dicit, *Prophetiam unamquamque exspirâsse, quando impletum fuit id, quod per eam prædicebatur.* Num.71. Hoc verum, sed planè alienum hoc loco. Tertium sophisticè explicatur, dum *sacrificia legalia per mortem Christi abrogata esse* dicuntur. Num.72. Antea enim Sacerdotium & sacrificia conjungebantur: Jam omittitur Sacerdotium; fortè quia nolebat de hoc apertè pronũciare, quod de illis dicitur. Illa in morte Christi abrogata esse, verè dicuntur. Idem dicendum de Sacerdotio, quia hoc à sacrificiis divelli non potest.

LXXXIV. Quartò dicit, *Potestatem judiciariam, itemque divinam assistentiam illi annexam, non videri simul, seu eodem momento exspirâsse, sed successivè & quasi per partes.* Num.73. Hæc magna est sapientia, quæ non facilè capitur, nisi ab iis, qui versati sunt in Jesuitarum schola. Si tamen ab iis capitur. Quis enim è nobis capiat sine magistro Jesuita, quas partes habeat sive judiciaria potestas, sive infallibilis assistentia, quam illi annexam fingunt Sophistæ? Nos (cur enim non fatear ignorantiam?) ne novimus quidem infallibilem illam assistentiam, tantum abest ut noverimus ejus partes, quas habeat oportet, si per partes exspiravit. Nec mirum; Scriptura nusquam assignat, nusquam indicat, per partes exspiraturam, multominùs temporum momenta, quibus singulæ exspiraturæ sint partes. Videte hominis trepidantis vestigia. Ipse satis apertè prodit, cùm non audet dicere, *non simul tota exspiravit,* sed dicit, *non videtur simul tota exspirâsse.* Rectiùs facturus, si priùs cogitâsset de partibus, priusquàm secundùm illas exspirâsse successivè, tradidisset. Si eum velint tueri Jesuitæ, habent hîc quod agant. Monstrent infallibilis assistentiæ partes. Monstrent, earum unam sine altera esse potuisse & debuisse: Promissionem de conjunctione partium monstrent: Sed & quo tempore separari debuerint.

LXXXV. Quid verò si Becanus certo nitatur fundamento? Videbimus & applaudemus. Duplex innuit. Prius est, quia certum, *Christum habuisse maiorem potestatem judiciariam & uberiorem Dei assistentiam, quàm habuit Pontifex in veteri Testamento, juxta illud,* Matth 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra. *Itaque Pontificem respectu Christi non potuisse amplius habere supremam, tametsi habuerit supremam in suo ordine & statu.* Num.73. Quis non admiretur, imò stupeat acumen! Nam primò probare debet, potestatem judiciariam Pontificis veteris successivè & quasi per partes exspirâsse: argumentum tertium illi est, quia Christus majorem habuit potestatem judiciariam & assistentiam, quàm Pontifex. Argumentum erit tale: *Si Christus maiorem habet potestatem iudiciariam & assistentiam uberiorem, quàm Pontifex vetus, ergo potestas iudiciaria per partes desiit.* Iterum dico, quis non admiretur acumen? Certè tam subtilis est consequentia, ut ejus ratio sensus nostros planè fugiat. Jesuitæ igitur succurrent stupiditati nostræ probatione aliquanto luculentiore. Secundò. Si rectè memini, non fuit un-

Universidad de Deusto
Biblioteca

unquam quæstio, *An pontifex habuerit supremam potestatem judiciariam, respectu Christi?* Sed, *an suo ordine & statu?* Quid igitur opus erat illud concludere? Itane elencho ignorationis elenchi iterum erat commendandum Jesuiticum acumen. Tertiò. Num fortasse Pontifex antea habuit supremam potestatem, respectu Christi? Jesuita enim concludit, non *amplius* habere. Si non habuit, quid sibi vult, quòd non *amplius* habere potuisse dicitur? Ita enim nullum discrimen patebit temporis ante Christum & post Christum, quod voluit homo explicare. Quartò. Totum illud si detur, quod infert, num inde sequitur, judiciariam potestatem exspirâsse successivè & quasi per partes? Illud rursus multo est subtilius, quàm quod à nobis queat videri. Sic solent se tueri, qui extra Scripturas fingunt nova dogmata. Novum nominare mihi liceat, quod in Veteribus non occurrit. Nisi fortè Becanus ex puriore Antiquitate hausit, potestatem judiciariam Veteris Pontificis exspirâsse successivè & quasi per partes. Exspecto, quis ex universo Patrum choro nominetur.

LXXXVI. Posterius est, quòd facilè ostendi possit, *in Conciliis post Christi nativitatem à Pontifice & Sacerdotibus celebratis, assistentiam divinam paulatim subtractam esse.* Tria recenset, *in quorum primo manserit integra assistentia divina, in altero sit diminuta, in tertio penitus sublata.* Primum fuit tempore Herodis, cùm Magi venissent Hierosolymam; Secundum, tempore Lazari resuscitati; Tertium, tempore captivitatis Christi, quando ad mortem est condemnatus. Jam dicit, *In primo responsum esse de loco nativitatis Christi ex Scriptura. Quæ decisio, quia vera & infallibilis, ex vera infallibili assistentia Dei fuerit profecta. In secundo Caiapham ex una parte errâsse, ex altera non errâsse: Partim ex odio humano, partim ex assistentia Spiritus Sancti, more prophetico, locutum esse. Errâsse in eo, quòd Christum adjudicaret morti: In eo non errâsse, quòd prædiceret, Christum moriturum pro salute Judæorum, & hoc non ex semetipso, id est, proprio judicio & affectu humano, sed ex divino instinctu, qui Pontifici, ratione officii, soleat assistere. In tertio adversùs Christum esse latam sententiam iniquam, nec quicquã gestum, unde constare possit, divinam assistentiam adfuisse.* Num. 74. 75. 76. 77.

LXXXVII. R. Primò frustrà disputatur de subtractione successiva, priusquàm constet de habitu. Privatio enim præsupponit habitum. At de habitu nondum constat. Quæsitus à Jesuita anxiè, non inventus. Secundò. Tempore Herodis summum Pontificem & Concilium Seniorum infallibilitatis donum habuisse, apertè falsum. Nam multos habuerunt errores in fide, depravârunt legem multis modis. Nec enim corruptelæ, quas Christus reprehendit, Matth. 5. 6. 7. 15. 16. & aliis capitibus, erant novæ, sed jam inveteratæ. Unde sic arguimus. Quicunque in explicanda lege & tradenda doctrina cœlesti errant, illi non habent donum infallibilitatis, nec sunt infallibilis norma & judex controversiarum religionis. At Pontifices Judæorum & Concilium errârunt, tempore Herodis, in explicanda lege & tradenda doctrina cœlesti. Ergo. Major per se patet; nisi fortè Jesuitæ è Scri-

Scriptura nobis monstrare queant, in decidendis controversiis religionis infallibilem esse posse, qui errare potest in explicatione legis, unde controversiæ decidi debebant. Minor constat inde, quia errores Pharisæorum erant accepti à Patribus, Matth. 5, 21. 15, 2. qui legis observationem ad sola exteriora opera restringebant fingentes, non prohiberi motum animi. Unde Josephus lib. 12. Antiq. Jud. Polybium Persarum historicum reprehendit dicentem, Antiochum in montibus miserè mortuum esse, quòd voluisset spoliare templum Dianæ in Perside. Ait enim, malam voluntatem non esse peccatum, nisi exeat in effectum. Ideo Lyra, *hoc est*, inquit, *quod audistis, quod dictum est antiquis*, id est, *Sic interpretabantur præceptum hoc, sed hunc errorem excludit Salvator.*

LXXXVIII. Tertiò. Responsi à Principibus Sacerdotum Herodi de loco nativitatis Messiæ dati veritas est in propatulo. Verùm si ex indicatione veritatis in Scriptura disertè propositæ, specialem infallibilem Spiritus Sancti assistentiam concludas, nego consequentiam. Non enim omnis quicunque verum dicit, donum infallibilitatis habet, alioqui singuli Pharisæi fuissent infallibiles: id enim singuli nôsse & pronunciare poterant. Erat enim satis clarè scriptum in Propheta. Singuli Episcopi essent infallibiles, quia id possunt pronunciare, quod disertè in Scriptura dicitur. Judæi post Christum habuissent singularem Spiritus Sancti assistentiam & fuissent infallibiles. De loco enim nativitatis interrogati respondebant idem cum principibus Sacerdotum. Nec aliud moderni Judæi respondent. Aut igitur hi omnes habent assistentiam Spiritus Sancti singularem, ne errent, aut ea ex responso Sacerdotum concludi nequit. Imò si hinc vetus Pontifex cum Concilio agnoscitur judex infallibilis, ipsi cacodæmones possent esse infallibiles judices controversiarum, quia aliquando verum dixerunt, nempe Jesum esse filiũ Dei. Cæterùm hoc exemplũ ostendit, judicium esse adstrictum canoni Scripturæ. Responderunt enim ex Scriptura, idque non ingerendo suam glossam, sed recitando Prophetæ verba. Quod cùm sit, nobis non est dubium, veritatem esse infallibilem: quamvis qui pronunciant, nõ habeant infallibilitatis donum. Quod absurdum videri non debet. Nimis enim apertum est, infallibilem veritatem ab eo proponi posse, qui non est absolutè infallibilis, ex peculiari Dei assistentia. Nisi non sit infallibilis veritas, quando de singulis articulis commodè respondetur Scripturæ verbis. At id fieri potest quotidie à pastoribus, etiam extra Concilium. Imò etiam à multis aliis Christianis. Nec tamen illi sunt infallibiles absolutè.

LXXXIX. Quartò. Assistentia infallibilis exemplo Caiaphæ malè concluditur. Nam primò hoc fuit extraordinariũ. Semper enim prophetâsse, qui esset summus Sacerdos, non constat. Imò constat, nõ prophetâsse. Ex eo igitur, quòd Caiaphas prophetâsse dicitur, apparet, non fuisse ex ordinario instinctu. Ergo prorsus extraordinarium. Ergo assistentiæ, quam Becanus fingit fuisse ordinariam, exemplum esse nequit. Præsertim cùm idem Caiaphas Christum blasphemiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

damnaverit ex cathedra. Secundò. Caiaphas non intellexit, se prophetare. Ipse enim furoris æstu percitus Christum morte afficiendum decernit, propter externam salutem Judæorum, ne à Romanis subvertantur: De satisfactione Christi, de salute spirituali, de collectione filiorũ Dei, ne quidem cogitavit. Fuit enim quasi bilinguis. De suo evomuit crudele necandi Christi consilium, Deus verò linguam ejus aliò flexit, ut sub ambiguis verbis simul vaticinium proferret, quod innuit Evangelista, cùm scribit, *ex semetipso nõ dixisse*, v. 51. Qua in re Deus Sacerdotium respexit, non quòd illi esset annexa infallibilis assistentia, sed primò ut
a. vox sublimi loco emissa clariùs audiretur & plus haberet reverentiæ ac ponderis.
b. Secundò. Ut Deus, ex quo illius Pontificatus auctoritas constabat, ore ipsius Põtificis testaretur, salutem publicam populi Israëlitici & aliarum Gentium veteris Testamenti Pontificatu & sacrificiis effici non posse, aut afferri; sed unius Sacerdotis novi Testamenti hostiâ &
c. munere. Sic Arias Montanus. Tertiò, ut minus excusationis esset Judæis, si cœleste oraculum, quod ex sede Pontificia manabat, negligerent. Id Calvinus primæ rationi addit. Jam si tu concludas, *Per cujus os Deus prophetiam edit, is est infallibilis judex controversiarum*, Ego rectè nego consequentiam. Alioqui fuisset etiam Bileam, cujus ore Deus populo suo benedixit, Num. 23, 8. Jansenius in Concord. Evang. c. 103. eum cum Nebucadnezare comparat, *Scelestus*, inquiens, *hic Pontifex his verbis ad iniquam innocentis necisionem commovere voluit, ac significare, melius esse, ut unus ille moriatur, quàm propter ipsum omnis populus perdatur à Romanis. At Spiritus sanctus eisdem illis verbis ad Prophetiam versus est, imò verba illa ipsi inspiravit, quatenus per ea significatur, Christi morte humanum genus liberandũ, quomodo Deus impia Nabuchodonosoris voluntate & oppressione usus est ad castigationem sui populi.*

XC. Tertiò. Qualis erit judex, qui non intelligit, quod pronũciat, vel quod quæritur? Certè Caiaphas non magis noverat Dei consilium istis verbis expressum, quàm asina Bileami intelligebat, quod loquebatur. Hoc accommoda ad Pontificem Romanum & egregium habebimus judicem! Quartò. Ut subscribant Sacerdotes Caiaphæ sententiæ, cõspirant in mortem Christi. Hic est consensus Pontificis & Concilii. Et adhuc sit infallibilis judex atque norma controversiarum?

XCI. Quintò. De tertio Concilio verissimè dicitur, quòd in eo nihil sit gestũ, ex quo constare possit, divinam assistentiam adfuisse. Sed hoc nocet adversario. Nam primò Caiaphas illo tempore fuit verus Pontifex, & nihilominùs non habuit infallibilem assistentiam Dei, ergo infallibilis assistentia non est per se annexa summo sacerdotio. Secundò. Aut
2. Caiaphas illo tempore fuit summus in Ecclesia controversiarum judex, aut nõ fuit. Si fuit, ergo in summo visibili judice controversiarum omnium non necessariò requiritur infallibilitas. Caiaphas enim falsus fuit. Si non fuit, actum est de argumento Jesuitæ, quo contendit hactenus, in veteri Testamento omnes cõtroversias à summo Pontifice debuisse dirimi. Si enim illo tempore non fuit summus judex, quomodo dirimeret controversias? Aut igitur Scriptura tunc fuit judex normalis, seu directivus, omnium controversiarum, aut nullum habuit Ecclesia Judaica illo tempore infallibilem judicem. Si fuit Scriptura, nos habemus, quod volumus. Si non fuit, nulla igitur Judæis esse potuit fidei securitas. Hactenus sunt defensa exempla, quæ nostri protulerunt. Ex qua defensione duo colligo: Unum est, omnino ad rem facere, quicquid ogganniat Jesuita. Aaron enim etsi nondum esset plenè consecratus, cùm erraret, erat tamen designatus Rector populi, à quo peti debebant consilia & decisiones controversiarum. Uria erravit in judicio circa divinum cultum. Jesaia locutus de sui temporis Sacerdotibus. Jeremia de Sacerdotibus, qui errabant in cultu divino & incidebant in idololatriam. Caiaphas erat Sacerdos & damnabat veritatem blasphemiæ. Alterum, inanem esse Becani jactantiam gloriantis, suam inde confirmari opinionem. Quòd enim num. 78. scribit, *ex eo quòd de Caiapha dictum est.* Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, *perspicuè constare, Pontificem habuisse hoc privilegium, ut à semetipso non decideret controversias, sed ex divina potiùs directione*, id præter gloriationem Jesuiticam nihil habet veri. Nam primò vel unicum verbum prophetandi ostendit, non fuisse ex ordinaria assistentia: alioqui habuisset Pontifex donum prophetandi ordinariè. At non habuit. Deinde distinguendum erat inter decisionem, & decisionis rationem. Decisio erat, Jesum trucidandum esse. Ratio decisionis, quia expediat ipsis, ut unus homo moriatur pro populo & tota gens non pereat. Illud apparet ex approbatione decisionis, versu 53. *Ab illo die consultabant, unà, ut trucidarent eum.* At illa decisio non erat à Spiritu sancto, sed à cacodæmone. Ratio decisionis à Spiritu sancto erat suggesta, quamvis alio sensu, quàm Caiaphas apprehenderet. Notatur igitur, Deum sic honorâsse Sacerdotium, cùm summi Pontificis lingua uti voluit in promulganda Prophetia, ut Judæi essent eo magis inexcusabiles; ordinariæ assistentiæ infallibilitatem declarare non voluit.

Sectio VI.

Argumentum quintum ex usu & praxi Novi Testamenti petitum confutatur.

I. Quintum argumentum petit Becanus ex usu & praxi novi Testamẽti. *Sicut*, inquiens, *in veteri Testamento non Scriptura, sed Pontifex & Concilium Seniorum fuit judex controversiarum, sic etiam in novo hactenus servatum est.* Id quod promittit, se ostensurum esse brevi inductione. Num. 79. Priusquàm exemplis rem probaret, rectè erat facturus, si formâsset argumentum. Non format. Sed etiam facturus rectè, si totum id probandum susciperet, quod proposuerat. Nec hoc facit. Nos igitur hîc repetimus in lectoris gratiam. Non debet probare, aliquas Ecclesiæ & Conciliorum esse partes, aut aliquas olim Episcopi Romani partes fuisse

in decidendis controversiis. Neutrum enim negamus. Debet probare, ex praxi & usu Novi Testamenti. 1. *Ecclesiam esse judicem omnium controversiarum summũ & absolutum. 2. Scripturam non esse solam normam decidendarum controversiarum, sed Scripturam & traditionem. 3. Quod Ecclesiæ tribuitur, id competere tum Pontifici Romano, tũ Conciliis ab illo approbatis, atq; adeò eorum sententiam esse absolutè infallibilem normam.* Hæc enim nisi omnia conjunctim probet, frustrà est omnis labor. Jam videamus probationem.

II. Primò producit controversiam de circumcisione motam, Apostolorum tempore, quam dicit, non esse delatam ad Scripturam, tanquam communem judicem, sed ad Apostolos & Seniores, qui eam deciderent. Ubi duo notat: Unum est, *quòd hæc controversia potuisset à Paulo & Barnaba determinari, at non sit determinata, ut docerent, huiusmodi controversias, quæ religionem concernunt, ad ordinarios Ecclesiæ Prælatos, vel ad Concilia Prælatorum pertinere.* Alterum, *quòd in illo Concilio Apostolorum nullum Scripturæ testimonium, quod ad circumcisionem directè pertineret, sit allatum, cùm tamen in utramque partem non defutura fuissent testimonia, si ex illis solis oportuisset litem definire. Nam pro circumcisione potuisset afferri illud de fœdere æterno*, Gen.17,10.11.13. *Contrà occurrebat illud*, Deuteronom.30,6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui*, & Jerem.4,4. *Circumcidimini Domino.* Num.80.81.82. Argumentum in forma sic erit: Si controversia de circumcisione, Apostolorum tempore, non ad Scripturam est delata, nec quidem à Paulo & Barnaba solis decisa, sed ad Apostolos & Seniores Hierosolymis congregatos remissa, & in illo Concilio nullum Scripturæ testimonium, quod directè ad circumcisionem pertineret, allatũ, Scriptura non potest esse judex controversiarum, nec quidem sola norma, sed Ecclesia & in ea Pontifex summus, & Concilia ab eo approbata sunt judex supremus, absolutus, infallibilis. Prius verum. Ergo & posterius.

III. Respondeo primò. Si per judicẽ intelligat judicem propriè dictum, & τῶν καθ' ἕκαστα, non ferit nos conclusio, cùm negatur Scriptura esse judex. Id enim nostri nõ affirmant. Quia judicem normalem seu directivum, & τῶν καθ' ὅλα intelligimus, seu normam judicii. Secundò. In majore multæ latent fallaciæ. Prima est oppositorum. Deferri ad Apostolos cõtroversiam, & Scripturam solam ejus decidendæ controversiæ esse normam adeoque judicem directivum, non sunt opposita; quemadmodum non sunt opposita, veritatem doceri ab Apostolis, & doceri ex sola Scriptura. Docent enim secundùm Scripturam, 1. Corin.15, 1.3.4. nihil docent extra Scripturam, Act.26, 22, 23. & tamen opponuntur à Sophista. Secunda, consequentis, eaque triplex. Prima, quòd à tempore non completi canonis Scripturæ, ad tempus canonis jam completi, de quo nostra agit quæstio, malè concluditur. Altera, quòd ab Apostolis ad Ecclesiam, quæ fuit post Apostolos, non valet consequentia, multo minùs ad Pontificem Romanum. Nam Apostoli infallibilitatis testimonium habuerunt, tanquam immediatè inspirati, & potestatem habuerunt extraordinariam. Ecclesia post Apostolos non habet, nedum Romanus Pontifex. Nec vel illa, vel iste inspiratur immediatè. Tertia in eo est, quòd Scriptura norma decisionis esse inde negatur, quia nullum dictum sit allatum, quod directè circumcisionem spectaret. At sine eo nihilominùs poterat juxta Scripturam decidi.

IV. In antecedente ejusque probatione, non solidiot est disputatio. Imprimis committitur error nõ causæ, ut causæ. Paulus enim & Barnabas non ideo nõ deciderunt controversiam extra Synodum, quòd sola Scriptura non posset esse norma unica atque plenaria, vel ordinarii Ecclesiæ Prælati essent absoluti judices controversiarum; Apostoli enim, ad quos potissimùm detulerunt, non fuerũt ordinarii: sed tum, ut gratificarentur Antiochenæ Ecclesiæ, quæ ad reprimendos eos, qui Hierosolymâ venerant, legationem ad Apostolos & Seniores Hierosolymitanos decreverat, tum ad testandam suam modestiam, tum denique ad adversarios, qui auctoritate reliquorum Apostolorum istos conabantur in contemptum adducere, vel lucrandos, vel convincendos tanto evidentiùs Apostolorum consensu. Theophylactus in Act.15. *Non dixit autem Paulus, Quidnam? an non sum is, cui à tot signis per me editis fides haberi debeat? Sed passus est sibi persuaderi, ut propter illos adscenderet. Nam ipse quidẽ ab initio erat in hac sententia, quam Apostoli postea confirmârunt. Quoniam autem initio non videbatur illis ea auctoritate præditus esse, cui de re tanta fides haberetur, sed eos, qui erant Hierosolymæ spectabant & attendebant, illuc adscendit, non ut ipse aliquid amplius disceret, sed ut adversarios in suam sententiam adduceret, quòd & illi, qui in Hierusalem erant, hæc comprobarent.* Prorsus scilicet quemadmodum antea adscenderat Hierosolymam, non quòd indigeret confirmatione Apostolorum, sed ut declarato consensu tanto majore cũ fructu prædicaret inter Gentes, Gal.2.

V. Hoc inde magis clarescit, quòd Apostolus solus complures, & quidem uno capite septimo prioris ad Corinthios octo controversias decidit, inconsulto Apostolorum collegio, vel Concilio. 1. An *Christiano liceat uxorem ducere?* 2. *Conjugesne Christiani mutuò debitum reddere, an negare debeant?* 3. An *potiùs in cœlibatu & viduatu manere conducat?* 4. Num *divortia Christianis sint licita?* 5. An *fidelis conjugem infidelem deserere debeat?* 6. An *consultum sit, virgines innuptas nubere?* 7. An *easdem nuptui dare?* 8. An *viduis vota secunda sint concessa?* Capite octavo quæstionem de idolothytis decidit, *liceatne fidelibus libertatem Christianam scientibus, occasione ferente, in Gentilium idoleis accumbere?* Capite decimo v.23. & seqq. duas religionis quæstiones resolvit; an *liceat Christianis carnibus immolatitiis vesci, vel carnes immolatitias è macello emere?* Et an *liceat ad Gentilium convivia domestica accedere, in quibus apponantur idolothyta?*

VI. Secundò. Ponit dubium, tanquã certum, *nullum esse allatum testimonium è Scriptura, quod circumcisionem directè spectaret.* Unde id nobis confirmat Jesuita? Quia nullum legitur in Actis? Atqui lego, multam in Cõcilio fuisse συζήτησιν, v.7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quis credat, sine Scriptura fuisse? Præsertim cum non solùm Jacobus in Petri sententia de Gentium vocatione approbanda confirmandaque ad consensum Prophetarum provocet, sed & Paulus alibi collatis testimoniis demonstraverit veritatem Evangelii, seu Jesum esse Christum, Actor. 9, 12. ac studuerit Judæis persuadere, quæ de Christo sunt, ex lege Mosis & Prophetis, Actor. 28, 23. quin imò testetur disertè, se nihil dixisse extra ea, quæ Moses & Prophetæ futura prædixerunt, Act. 26, 22.

VII. Tertiò. Testimonium Scripturæ, quod pro circumcisionis externæ perpetua duratione citat Becanus, urserint Pseudapostoli, non urserint; nobis non nocet, postquàm Christi habemus sententiam: *Lex & Prophetæ usque ad Johannem*, Matth. 11. Neque sequitur, Deus ait: *Stabilio autem fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te per ætates suas, ut fœdus sit perpetuum, me esse tibi Deum & semini tuo post te*, Ergo circumcisio est fœdus absolutè perpetuum. Vox enim *Holèm* interdum infinitam, aliâs indefinitam, aliâs finitam & ad certam periodum limitatam durationem significat, ut cùm de Levitarum, & servorum servitute enunciatur. Circumcisio dicitur futura in fœdus perpetuum, non quòd nunquam esset abroganda, sed quod esset signum æterni fœderis, & duratura longissimè usque ad Messiæ tempora. Mutatâ autem œconomiâ veteris fœderis, ipsa quoque mutari debuit. Illam mutationem fœderis prædixit Jeremia, cap. 31.

VIII. Reliqua duo testimonia pro abolitione circumcisionis non potuisse ab Apostolis urgeri, certi sumus, quia aliena movere non poterant immediatè inspirati à Deo. At illa aliena. *Prius* quidem; quia non continet promissionè novi Testamenti propriam, quæ non habuerit locum in veteri. Abrahamus enim non tantùm carne, sed etiam corde fuit circumcisus. Idem dicendum de filiis Abrahæ. Filios autem nomino, qui sunt ex fide, Gal. 3, 1. Id qui negat, illi dicendum erit, non nisi foris Judæos in veteri Testamento fuisse, neminem in occulto. Neminem igitur fuisse verum Judæum, neminem habuisse laudem ex Deo. *Non enim qui est in propatulo Judæus, Judæus est, nec ea quæ est in propatulo circumcisio, id est, in carne, circumcisio est; sed qui in occulto Judæus est, & circumcisio cordis, id est, in Spiritu, non litera: cuius Judæi laus non est ex hominibus, sed ex Deo*, Romanor. 2, 28. 29. *Posterius* alienum, quia continet mandatum utrique Testamento commune. Veteri, Deuteronom. 10, 16. & novo, Coloss. 2, 11. Quòd enim opinatur Jesuita, sensum esse, Deum non requirere circumcisionem carnis, si absolutè intelligatur, falsum est; non tantùm requisiviisse, verum.

IX. Secunda probatio. *Post Apostolorum tempora aliæ atque aliæ controversiæ diversis locis ac ætatibus exortæ sunt, quas similiter à Pontifice Romano, vel à Conciliis ab eo approbatis decisas ac diremptas esse, ex historiis ecclesiasticis notum est. Et qui illorum sententiæ noluerunt acquiescere, pro hæreticis habiti & damnati sunt.* Prævidebat, nos esse negaturos. Ideo ut probet, duodecim cõtroversias enumerat, nũ. 83. & sequentibus, usque ad num. 95. & primò. Nimium properat ad exempla. Priùs erat

erat cogitandum de consequentia. Ex eo enim quòd multæ controversiæ à Romano Pontifice & Conciliis, ab eo approbatis, sunt decisæ, & contradictores pro hæreticis habiti, non sequitur, Scripturam solam judicem directivum, seu normam controversiarum fidei plenariam esse nõ posse, sed vel Papam, vel Concilia ab eo approbata, esse judicem summum absolutũ & infallibilem. Cõstat enim, multas controversias ex Scriptura definitas esse.

X. Secundò. Quid est, quòd dicit, *Similiter à Pontifice Romano vel à Conciliis, ab eo approbatis, decisas ac definitas esse controversias.* Num eâdem potestate, quâ Apostoli usi sunt in Concilio Hierosolymitano? Falsum. Apostolorum enim potestas fuit extraordinaria, Romanorum Pontificũ & Conciliorum, aut ordinaria fuit, aut nulla, vel saltè illegitima. Num eodem infallibilitatis privilegio? Et hoc falsum. Quis enim, ubi & quibus verbis concessit privilegium? An citra Scripturarum allegationem? Nec illud quidem verum. Vide Nicænum, Constantinopolitanum, Chalcedonense.

XI. Tertiò. Nusquam invenio, quòd illi tantùm pro hæreticis fuerint habiti, qui à Pontifice Romano hæretici sunt declarati. Multo minùs invenio, præcisè eo nõine esse habitos, quòd ille declaraverit, quasi non habiti tales. Si absque illo, ab aliis fuerint damnati. Imò invenio, pro hæreticis fuisse habitos, qui ab aliis sunt damnati, inconsulto Pontifice Romano, vel saltem priusquàm consuleretur. Nonne enim Nicolaitæ & Cerinthus ex Johannis sententia sunt habiti hæretici? Nec tamen constat, exspectatam esse ullius ea in re Romani Pontificis auctoritatem. Epiphanius, Philastrius, Augustinus, prolixos hæreticorum catalogos texunt. Num illi omnes pro hæreticis habiti, quòd à Romano Pontifice & Conciliis, ab eo approbatis, tales sint declarati? At multi sunt inter eos, adversùs quos nec ab ullo Romano Pontifice, nec à Concilio, ab eo approbato, quod constet, pronunciatum est. Si verò pro hæreticis haberi possunt, qui nec à Romano Pontifice, nec à Concilio illi approbato sunt damnati, tota vis argumẽti abit in nihilum. Auctoritas enim erit pluribus communis. Ergo aut plures judices summi, absoluti & infallibiles in Ecclesia, aut auctoritas illa nõ est certa nota judicis omnium controversiarum absoluti & infallibilis.

XII. Quartò. Non nego, multas controversias à Conciliis decisas esse; Ideo demum legitimè decisas esse à Conciliis, quòd à Pontifice Romano approbata essent, quasi citra ejus approbationem non valerent, id verò nego. Nam in Africanis sunt decisę, priusquàm accederet Pontificis approbatio. Nominatim controversia Pelagiana; de qua quæro, an non fuerit legitima decisio, antequàm approbaret eam Julius? Quid? si Julius non approbâsset, an futura illegitima? an Pelagius non futurus erat hæreticus?

XIII. Quintò. Quoties Romani Pontifices auctoritate propriâ tentârunt decidere controversias, toties perit similitudo cum priori exemplo. Paulus enim & Barnabas non deciderunt soli, sed detulerunt Hierosolymam. Petrum, quem fingunt Romanum Pontificem, solum aliquam decidisse cõtroversiam fidei, nullo

Universidad de Deusto
Biblioteca

lo constat testimonio. Ubi igitur similitudo? Sextò. Etsi omnes controversias percurramus, & consideremus diligentissimè, non tamen hinc convincimur, Scripturam non esse judicem directivum seu solitariam normam, sed Pontificem Romanum, vel Concilium ab eo approbatum esse judicem summum & absolutum, ejusque sententiam absolutè infallibilem. Videamus.

XIV. Prima fuit, *an Pascha deberet celebrari cum Judæis decimâ quartâ primi mensis, ut volebant multi in Asia, qui propterea Quartadecimani appellati sunt, an verò tantum die dominicâ, sicut nunc fit?* Hanc dicit, *tandem post multa Concilia Episcoporum decisam ac finitam esse à Victore Papa, anno Christi 198. apud Eusebium l. 5. Histor. Eccl. cap. 23. & seqq.* Resp. Primò. Ex hac controversia non constat, Scripturam esse non posse judicem directivum, seu solitariam normam decidendarum controversiarum fidei. Hæc enim controversia per se non est de fide, sitne decimâ quartâ Lunâ, an proximè consequente die dominico celebrandum Pascha? At si quæratur de necessitate, de qua quæsitum fuisse, monet Alphonsus à Castro, jam incurrit in doctrinam de libertate Christiana, & ex sola Scriptura plenè constat, quid sit sentiendum. Illa enim ad certos dies non adstringit Christianos. Est ergo per se liberæ observationis, quæ fuit sententia Aniceti & Polycarpi. Cùm enim de quibusdam conferrent, in quibus discrepabant, de hoc nihil contenderunt. Neque enim Anicetus Polycarpo suadere poterat, ne servaret, quæ cum Johanne, discipulo Domini nostri ac reliquis Apostolis, quibuscum fuerat conversatus, semper servaverat: nec Polycarpus Aniceto suasit, ut servaret, qui sibi presbyterorum, quibus successerat, consuetudinem servandam esse, dicebat. Eusebius refert lib. 5. Hist. Eccles. cap. 23. itemque Baronius ad Annum Christi 167. num. 9.

XV. Secundò. Becanus historiam non narrat fideliter. Nam 1. dicit, litè decisam esse à Victore Romano. Id Eusebius non habet l. 5. cap. 23. & sequentibus. Duo quidem sequuntur capita, at decisionem Victorianam non tangunt. Capite vicesimo tertio non memoratur decisio controversiæ, sed excommunicatio à Victore tentata. 2. Fingit, post multa Cõcilia à Victore decisam. Atq; eodem tempore diversis locis habebantur Synodi; In Palæstina habebantur, quibus præfuerunt Theophilus Cæsareensis & Narcissius Hierosolymitanæ parœciæ Episcopi; Romæ habita, cui Victor præfuit; Alia in Ponto, cui Palmas præsedit; Alia in Gallia, quam moderatus est Irenæus, denique aliæ alibi. Omnium una erat & consentiens determinatio, apud Eusebium lib. 5. cap. 21. 3. Fingit, à Victore finitam esse. Non est finita. Nec enim Ariani acquieverunt, nec ubique est recepta ista consuetudo ante determinationem Concilii Nicæni ex longo intervallo secutam, quam Ambrosius refert epistolâ octogesimâ tertiâ. Alphonsus à Castro lib. 12. adversùs hæres. scribit, *Post Victorem etiam aliquando hæc quæstio suscitata est, sed tandem in Concilio Nicæno finita est.*

XVI. Tertiò. Ex hac historia non constat

eo, Pontificem Romanum esse absolutè judicem omnium controversiarum; imò constat, nec fuisse, nec agnitum illis temporibus. Nam primò. Non plus Victori tribuitur in Synodo Romana, quàm Irenæo in Gallica, Narcisso & Theophilo in Palæstina, vel Palmæ in Ponto. Secũdò Asiani, ut dixi, nòn acquieverunt Victoris sententiæ, sed constanter suum retinuerunt morem, in quo non tantùm exempla Philippi & Johannis Apostolorum, eorumque discipuli Polycarpi Smyrnensis aliorumque Episcoporum, sed etiam imprimis Scripturam, quam volverit ac revolverit, se sequi, Victori Polycrates rescribit, apud Eusebium lib. 5. c. 22.

XVII. Tertiò. Num Africani fuerunt hæretici, quòd Victoris sententiæ non acquiescerent? Fuerint sanè oportet, aut exemplum hoc loco prorsus alienum. Becanus enim, pro hæreticis fuisse habitos, dicit, qui Pontificis Romani sententiæ non acquieverunt. At Asiani vel docuerunt, Pascha necessariò celebrandum esse decimâ quartâ lunâ, vel sic celebrârunt decimâ quartâ lunâ, ut liberæ observationis esse, existimarent. Si prius docuerunt obstinatè, non nego, sententiam fuisse hæreticam, non quòd non acquiescerent Victori, sed quòd manifestè pugnarent cum Scriptura. Alphonsus: *Si credit, pascha esse necessariò celebrandum decimâ quartâ lunâ, quocunq; die illa occurrat, tunc verè hæreticus est.* Item: *Istorum sententia inde convincitur hæreseos, quòd suprà in titulo de lege (NB. ex sola Scriptura) ostendimus, esse hæresin, asserere, ceremonias & judicia legis veteris obligare tempore legis evangelicæ.* Si posterius, non fuerunt hæretici Asiani. Agnoscit Alphonsus, *qui*, inquiens, *decimâ quartâ lunâ, quocunque die veniat, celebrat, non est hæreticus censendus, nisi id esse necessariò faciendum, crediderit.*

XVIII. Quartò. Cùm Victor conaretur Asianas Ecclesias eo nomine excommunicare, primò recessit ab Antecessorum suorum vestigiis. Anicetus enim nihil præscribebat Asianis. Deinde frustrà fuit. Non enim id placebat omnibus Episcopis, sed complures hortabantur eum, ut quæ pacis, unitatis & dilectionis cum proximis essent, sentiret. Et scribit Eusebius, exstare eorum verba, qui Victorem acriter reprehenderint. Inter quos fuit Irenæus, qui non solùm Victori objicit, quòd Antecessores ipsius Soter, Anicetus, Pius, Hyginus, Telesphorus & Xystus, pacem cum iis coluerint, qui non eandem consuetudinem cum ipsis observarent, sed etiam ostendit, propter rem adiaphoram non movenda esse certamina. Omnes illi impii & blasphemi, si Victor erat summus & absolutus judex.

XIX. Quintò. Quid? Episcopi Romani quarto seculo sententiã Ambrosii de die Paschæ exspectârunt. Cui bono, si Victor controversiam finiverat & fuerat judex infallibilis? Cur enim ei non acquieverunt simpliciter omnes successores? Num res ab infallibili & absoluto judice judicata ad examen revocetur? Ambrosii verba sunt, epist. 83. *Unde necesse fuit, quia etiam post Ægyptiorum supputationes & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem Episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ per literas plerique meam adhuc exspectant sententiam, quid*

Universidad de Deusto
Biblioteca

existimem scribere de die Paschæ. Nihil igitur facit Becanus, quàm quòd potestatem Papalem valdè reddit suspectam mentione hujus controversiæ, de cujus decisione ne ipsi quidem Papistæ inter se consentiunt. Nam Becanus & plerique alii Papistæ decisionem ad Victorem referunt; nonnulli ad Pium, Baronius ad Apostolos, quos, dicit, olim statuisse, celebrandum Pascha die dominico, ad Annum Christi 167. num. 10. Imò nominatim placuisse Petro, in diem dominicum Pascha transferre; Non enim Pium (ut alii velint) vel Victorem fuisse ejus rei auctores, ad Annum Christi 58. num. 82.

XX. De hoc viderint Papistæ. Nos sic statuimus, si Apostoli hanc rem definierunt, utique decisio Victoris non est argumentum, Romanum Pontificem esse unicum, absolutum & infallibilem omnium controversiarum judicem. Non statuerint Apostoli; de quo nihil scriptis proditum à Romanis produci posse, verè scribit Socrates lib. 5. Histor. cap. 21. nihilominùs patet veritas. Si enim Pontifex Romanus absolutus & infallibilis habebatur judex, contrà hæreticus, qui ejus sententiæ non acquiesceret, quid opus erat Victoris decisione, quam jactat Becanus? Edito enim decreto, deciderat quæstionem Pius, si Baronio credas, anno centesimo quinquagesimo nono. Cur in Conciliis compluribus in diversis locis res agitabatur? Cur multis annis post Victorem ab Episcopis Romanis exspectabatur sententia Ambrosii Episcopi Mediolanensis? Cur à se ipsis dissident Pontifices Romani? Anicetus cum Polycarpo & Asianis decimâ quartâ Lunâ Pascha celebrantibus amicitiam coluit, Victor abrupit? Baronius quidem prætendit, Victoris tempore Montanistas in Asia aliosque hæreticos quartam decimam Lunam observâsse, ad Annum 198. num. 15. 16. Verùm frustrà. Quid enim hæretici ad Asianos Catholicos?

XXI. Secunda controversia fuit, *An Ecclesia posset illos absolvere à peccato, qui post baptismum lapsi essent?* Negavit Novatianus, sed damnatus in Concilio Romano, sub Cornelio Papa, circa annum 255. Resp. Primò. Baronius non præcisè asserit illo anno habitum, sed illi videtur, ad Ann. 255. num. 2. Secundò. Non damnatus est Novatianus à Cornelio, tanquam summo & absoluto judice omnium controversiarum, sed tanquam ab ejus Ecclesiæ Episcopo. 1. Quia separatim ab aliarum Provinciarum pastoribus Synodi celebrantur, & statuitur ab omnibus, subveniendum esse lapsis. Sic Eusebius, sic Baronius. 2. Quia in Africano Concilio damnata est hæresis, cui Romanum deinde consensit, ut habetur tom. 1. Concil. pag. 369. & patet ex Cypriani epistola quinquagesima secunda, ubi refert, se ea de re Romam ad collegam suum Cornelium scripsisse: Non igitur tanquam ad summum judicem, quippe qui collegam non habet. Similiter Antiochiæ celebratum est Concilium contra eos, qui Novati schisma (unum fuit schisma Novatiani, Romani Presbyteri, & Novati, Afri Episcopi, quorum nomina tum à Græcis, tum ab aliis confunduntur, apud Baronium, ad An. 254. num. 62.) corroborare sunt conati

conati, ut Dionysius Alexandrinus ad Cornelium Rom. scribit, apud Eusebium lib. 6. Histor. cap. 45. 3. Postquàm jam semel in Africano & Romano Concilio res esset definita, lapsis, actâ resipiscentiâ, dari pacem debere in agone mortis, postea mutârunt Africani, idque inconsulto Romano. Definierunt enim, viventibus dandam esse pacem, neque usque ad mortem denegandam communionem. De qua re scribunt epistolam Synodicam ad Cornelium, quæ est apud Cyprianum quinquagesima quarta. Unde Pamelius concludit, pro tempore & personis mutari statuta Conciliorum priorum per posteriora, in Notis pag. 109. Nos concludimus, Romanum Episcopum non fuisse unicum, absolutum & infallibilem omnium controversiarum judicem agnitum ab Africanis. Definiunt enim, illo inconsulto nec ejus auctoritate nituntur, sed suum tantùm illi decretum significant. Inquis; *At Cornelius omnium nomine scribit ad Antiochenum Episcopum & commune decretum significat.* Respondeo; id nondum est argumentum potestatis judiciariæ absolutæ, sed eminentiæ alicujus super Episcopos Italiæ; quod vel hinc patet, quia aliæ literæ ad eundem Antiochenum venerunt à Cypriano, & aliis, qui cum illo erant, quibus significabatur, & ipsos ad hoc consentire, quòd adjuvandi sint & curandi, qui tentationi cesserunt, & meritò hæresis hujus auctor unà cum adhærentibus ipsi ab Ecclesia Catholica rejiciendus, eodem Eusebio l. l. cap. 42. referente.

XXII. Tertiò. Quòd autem sola Scriptura non fuerit norma controversiæ decidendæ, quo argumento probant Sophistæ? Romani Concilii acta desiderantur, ut nihil inde pro se possit proferre adversarius. In Concilio Africano Scripturas diu ex utraque parte esse prolatas, testis est Cyprianus epist. 52. Et res ipsa evincit. Duo enim hîc in controversiam veniebant. Unum inter Novatum & Catholicos controvertebatur, *An lapsis post baptismum danda esset venia?* Alterum inter ipsos Catholicos, *Dandane demum in articulo mortis, an victuris, mox actâ pœnitentiâ?* Prius efficaciter è Scriptura colligebatur; è qua allegat Cyprianus verbum Christi, Matth. 18. Posterius ex regula charitatis æstimandum erat, de qua Scriptura non tacuit. Omnia ad ædificationem, 1. Corinth. 14. Jam enim nō dicam, articulum fidei non esse, quo tempore sit recipiendus, qui lapsione suâ offendit Ecclesiam & resipiscit.

XXIII. Tertia, *An in Deo sint tres personæ realiter distinctæ?* Becanus dicit, *negâsse Sabellium, asserentem unam tantùm personam, quæ habeat tria officia sc. creationis, redemptionis & sanctificationis, sed damnatum in Concilio Alexandrino, tempore Silvestri Papæ, anno Christi 319. juxta Baronium.* Num. 86. &. Damnatus quidem est Sabellius in Concilio Alexandrino, quod ejus loci Episcopus convocaverat. Eusebius enim, Vercellarum Episcopus, Imperatoris mandato ab exilio revocatus, Alexandriam se contulerat, ut Concilio subsidio Athanasii convocato, Ecclesiæ dogmata stabilirentur, eaque de re cum Athanasio diligenter egerat & obtinuerat, teste Socrate, lib. 3. cap. 4. & 5. Sed hinc suam opinionem Becanus

Universidad de Deusto
Biblioteca

minimè stabilit. Nam primò non probat, Scripturam non solam esse normam; imò sicut Dionysius Alexandrinus Sabellii Gregales, Athanasio teste, ex evangeliis retuderat; Itemque sicut sententia de recipiendis, qui hæresis communione se maculaverant, ex evangeliorum auctoritate prolata & approbata erat, apud Rusinum lib. 1. Histor. cap. 29. Sic damnatus est Sabellius à Concilio è Scripturis. Num fortasse è solis Scripturis convinci non poterat? At essentiæ divinæ unitas & personarum trinitas ex iis demonstrari potest clarissimè. Alphonsus à Castro fatetur lib. 5. adversùs Hæres. *Quapropter*, inquiens, *superfluum est, imò ridiculum, rationibus & argumentis hoc agere, sed* SOLIS *Scripturarum testimoniis, ex quibus apertè demonstrabimus, Deo duce, ejusdem Dei unitatem & personarum trinitatem.* Nec sanè Alphonsus in hac causa ad ullam Concilii decisionem provocat, sed in sola Scriptura totus acquiescit.

XXIV. Secundò. Non probat Becanus, Concilium fuisse judicem supremũ & absolutum; Imò non fuisse, nos ex fallibilitate probamus. Nam Concilium extra controversiam Sabellii decrevit, non oportere, cùm de Deo sermo instituitur, verbis οὐσίας & ὑποστάσεως uti, idque quòd prius in sacris literis non reperiatur, at posteriori Apostolus, dogmatum necessitate adductus, usus sit. At malè. Cur enim non liceat his vocibus uti? Certè Ecclesia postea usa est.

XXV. Tertiò. Non probat, Papam esse summum & absolutum judicem. Primò enim is hãc causam non decidit. Imò nec per se, nec per legatum interfuit, Osius Episcopus Cordubæ interfuit ex occasione, quòd esset missus ab Imperatore ad tumultum ab Ario concitatum sedandum, teste Socrate, lib. 3. cap. 5. Baronius quidem à Silvestro missum contendit, ad Annum 318. num. 88. 89. & ad Annum 319. num. 22. 23. 26. Verùm nec ullum habet ejus rei testem in universa Antiquitate, nec argumentũ solidum: *A quo*, inquit, *dicendum, legatum esse Osium Episcopum Cordubensem clarissimum confessione & eruditione virum ad Constantinum Imperatorem in Orientem*? Legatum? Baroni. Unde tu habes, legatum esse ad Constantinum in Orientem, & non potiùs à Constantino evocatum? Nusquam lego, quòd per Osium literas ad Alexandrinos dederit Constantinus, quia ab aliquo ad eum esset missus, sed quòd eum Imperator singulari amore complecteretur, & summo honore prosequeretur. Unde conjectura non ambigua, ad id ab Imperatore delectum esse.

XXVI. *Sed à quonam*, inquit Baronius, *affirmandum, missum esse legatum eundem Osium Alexandriam ad Alexandrum, tantaque auctoritate, ut Synodum habuerit generalem, nisi quòd eò ipse profectus fuerit Apostolica sedis legatus*? Res facilis. Missum affirmamus ab Imperatore. Testem petis? Do Eusebium illum ipsum, quem ob suppressum Osii nomen accusat Baronius. Ille sic, *Quibus (dissidiis Ecclesiæ Alexandrinæ) auditis, Imperator animo supra modum dolens, remque illam propriæ calamitatis loco statuens, confestim virum ex numero piorum, quos habuit circa se, quem modesta fidei virtute satis spectatum & superioribus temporibus pietatis confessione insigniter*

decoratum intelligebat, mittit, ut pacem inter eos, qui Alexandriæ discordabant, conciliaret, literasque ad eam rem imprimis accommodatas per eundem ad seditionis auctores dat., lib. 2. de vita Constant. cap. 62. Addo Socratem lib. 1 cap. 4. Jam obstrepat Baronius, Osii mentionem in literis nullam fieri, nec missi legati. Quis hominis impudentiam non miretur? Pari argumento concludam, Osium à Silvestro missum non fuisse. Si enim legatum Silvestri munire voluisset suis literis Imperator, mittentis & missi nomen fuisset exprimendum. Nos hoc artificio non indigemus. Imperator literis suis disertè scribit, *Me communem vestræ mutuæ dissensionis arbitrum, tanquam pacis moderatorem, non sine causa adhibeo.* At *cùm alii Episcopi Alexandro suppetias tulerint, haud par est credere, Silvestrum quievisse, quòd ejus muneris præcipuè esset, obortas hæreses damnare, & discordias inter Episcopos conciliare*, inquit Baronius. Non quieverit. Ergo misit Osium? Consequentia Baronio indigna! Sed & quòd præcipuè ad Romanum Præsulem pertinuerit, obortas hæreses damnare, & discordias inter Episcopos conciliare, nec à Christo habemus, nec ab Apostolis. Baronius autem non obtinet, à Silvestro missum fuisse Osium, de quo Eusebius l. l. cap. 71. *Ille verò*, inquit, *bonus & spectatus nuncius non solum literis fideliter perferendis, sed & Imperatoris mittentis voluntati pro virili sua inservivit.*

XXVII. Secundò. Ut maximè Osius (quod inanissimum est Papistarum commentum) fuisset missus à Silvestro, nihil tamen legimus, quo constet, illi absolutum judicium fuisse permissum Alexandriæ. Socrates scribit, quòd disserendo de essentia & hypostasi, novæ contentioni occasionem dederit: quòd summi absolutique judicis partes egerit, nec ille, nec quisquam alius dicit fide dignus.

XXVIII. Quarta. *An Christus sit purus homo, sicut cæteri mortales, & nihil amplius habeat in natura & hypostasi, quàm nos habemus*? Becanus dicit, *id affirmâsse Paulum Samosatenum, sed damnatum in Synodo Antiochena, tempore Dionysii Papæ, an. 266. juxta Baronium.* Ita est. Blasphemiam istam disseminavit Samosatenus, non immeritò eo nomine damnatus à duabus Synodis Antiochenis, quarum prior tempore Galieni Imperatoris, & quidem, juxta Baronium, anno ejus Imperii duodecimo, id est, an. Chr. 266. habita, quippe quo ipso Dionysius Alexandrinus, teste Eusebio lib. 7. Histor. cap. 26. ad Synodum vocatus obiit: altera anno secundo Aureliani Imperatoris, circa an. Christi 272. celebrata. Becanus priorem solùm tangit. Verùm à neutra obtinet, quod molitur. Primò non obtinet, Scripturam non esse solitariam normam controversiarum. Nam 1. Error Samosateni ex sola Scriptura potest evidentissimè confutari. 2. Patres ex Scriptura adversùs illum disputârunt & quidem sola. 3. Baronius ad ann. 266. num. 5. 6. & seqq. proponit confessionem prioris Synodi missam ad Paulum, quæ certè sola Scriptura nititur. Sic enim ajunt Patres; *Hunc autem filium genitum, unigenitum, imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturæ, sapientiam & verbum ac virtutem Dei ante secula, non præcognitione, sed substantiâ & hypo-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

staſi Deum, Dei Filium, cum in veteri & novo Teſtamento cognoverimus, confitemur & prædicamus. Qui autem contrà dicit, Filium Dei non eſſe ante conſtitutionem mundi, dicitque, credere & confiteri eſſe Deum, non eſſe aliud, quàm duos Deos prædicare, qui Filium Dei non eſſe Deum prædicat, hunc alienum eſſe ab Eccleſiaſtica regula, arbitramur & omnes Catholici nobiscum conſentiunt. De hoc enim ſcriptum eſt. Thronus tuus Deꝰ in ſeculum ſeculi, virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Vide totam confeſſionem; eſt quaſi catena dictorum Scripturæ. 4. In poſteriori Synodo diſputatio acris contra Paulum ſuſcepta eſt à Malchione Scholæ Antiochenæ Magiſtro & Eccleſiæ Presbytero: quis dubitet, è Scriptura ſuſceptam? Confeſſionem ibi editam memorat Baronius, ad Ann. 272. num. 16. ex Actis Concilii Epheſini. Nec dubium, quin eandem normam poſterior ſit ſecuta, quam prior; Ergo Scripturam.

XXIX. Secundò. Non obtinet Sophiſta ab hac Synodo, Pontificem Romanum fuiſſe abſolutum & ſummum judicem: Imò non fuiſſe, ab ea patet. Nam primò Dionyſius, Papa Romanus, nec inſtituit Synodum, nec illi, quod conſtet, præfuit. Secundò. E Synodo poſteriori, teſte Euſebio lib. 7. cap. 29. ſcribunt Epiſcopi congregati unam epiſtolam ad Dionyſium Romanum, Maximum Alexandrinum & cunctos per orbem comminiſtros Epiſcopos. Non deferunt judicium Dionyſio, ſed referunt ſuam ſententiam pariter illi, iſti, reliquis, & alium Epiſcopum ſurrogant in hæretici locum. Adeò non exſpectant ſententiam Romani præſulis, quem inter collegas ſuos cenſent, non agnoſcunt Dominum. Athanaſius ſcribit, lib. de Synodis; *Duo Dionyſii diu ante ſeptuaginta fuere, qui Samoſatenſem ſuſtulere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præſul erat.* Hoc Baronius ad ſcripta refert, quibus hæreſin confutârint, ad Ann. 265. num. 12. Jam certum, Alexandrinum ſcriptis oppugnâſſe Samoſateni hæreſin, Romanum oppugnâſſe ſcriptis, nullo teſte probat Baronius. Eſto tamen. Num tanquam judex ſummus & abſolutus? Unde conſtat? Athanaſius enim pariter tribuit utrique Dionyſio Samoſateni primùm ſublati laudem. Si cum Baronio urgeas, Dionyſium Romanum priori loco nominari ab Athanaſio, quis acumen non admiretur? Dubito autem, an Papiſtis multum ſit profuturum. Nominatur enim Jacobus primo loco, Cephas ſecundo, Johannes tertio, Galat. 2. 9. Ergone major judicandi poteſtas competebat Jacobo, quàm Petro? Nos ſic colligimus; Duo illi Dionyſii diu ante alios ſuſtulerunt Samoſatenum, neuter igitur fuit judex abſolutus & ſummus; alioqui omnes ſuperſediſſent ulteriori judicio.

XXX. Quinta. *An Chriſtus ſit verbum Patris æternum & ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ? Negavit Arius, ſed damnatus in Concilio Nicæno ſub Silveſtro Papa, & Conſtantino Magno.* Num. 88. R. Primò. Non diſputabo, an ſit habitum ſub Silveſtro? Sozomenus Julium Pontificem nominat lib. 1. cap. 16. Illud quæro, an hîc Scriptura non fuerit judex directivus? Atqui prò

mò Conſtantini Magni vox in Synodo prolata in vulgus eſt notiſſima, *Libri*, inquientis, *Evangeliſtarum & Apoſtolorum, quin etiam veterum Prophetarum oracula, nos evidenter docent, quid de divino numine ſit ſentiendum. Omni igitur ſeditioſâ contentione depulsâ, literarum divinitus inſpiratarum teſtimoniis res in quæſtionem adductas diſſolvamus.* Sic Theodoretus lib. 1. Hiſt. cap. 7. Alphonſus Piſanus repetit tom. 1. Concil. lib. 2. in Nicænum Conciliũ pag. 515. Secundò. Idem Piſanus ibidem pag. 517. ſuffragium Oſii Cordubenſis Epiſcopi ſic concipit; *Sancta & magna & generalis Synodus in Nicæa congregatorum S. Patrum noſtrorum per beatum & ſanctum Epiſcopum Oſium Cordubæ civitatis Hiſpanicæ provinciæ, locum tenentem Romani Epiſcopi cum prædictis ejuſdem ſedis Epiſcopis, altero ipſum interpretãte, dixit, Divinitas non eſt una perſona, ut Judæi opinantur, ſed tres perſonæ verè ſubſiſtentes, non ſolo nomine. Et hoc pluribus teſtimoniis in novo & veteri Teſtamento prædicatur.* Quòd Oſium Romani Epiſcopi locum tenuiſſe, dicit, unde hauſerit, ipſe nôrit. Nos Jeſuitæ ſine teſte fide digno non credimus. Quod autem de veteris & novi Teſtamẽti conſenſu memorat, accipimus tanquam ipſi rei conſentaneum, & Jeſuitæ opponimus.

XXXI. Tertiò. Concilii Actis inſerta eſt diſputatio cum Philoſopho Ariano. Illo petente perſpicuam demonſtrationem, affertur vox Evangelii: *Per ipſum omnia facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil.* Itemque illa Chriſti, *Ego & Pater unum ſumus*, ib. p. 519. Idem excipiens adversùs veritatem, reprimitur voce Evangelii. Cùm Chriſtum inſtrumentum creationis appellaret, contrà Epiſcopi; *Audi, ô Philoſophe, teſtimonia ex divinis Scripturis, coæternum Patri Filium ipſius eſſe adſtruentibus, creatoremque & opificem omnium creaturarum naturarum.* Illo urgente, Filium factum eſſe ante omnia; contrà Epiſcopi, *Johannes Evangeliſta manifeſtius demonſtrat, ipſum ſemper cum Patre exiſtere, coæternum Patri & ſuperiore carentem, ut Pater. In principio*, inquit, *erat verbum &c. Ecce apertiſſimè oſtenſum eſt, ô Philoſophe, quòd omnis creatæ naturæ Filius opifex ſit. Ut autem perfectiſſimè cognoſcas, quòd non eſt alteri ſubjectus, ſed ſuum habet dominium, ut Pater, accipe aliud expreſſiſſimum teſtimonium. Audi ergo divinum Jeſaiam, clamantem &c. Puer natus eſt nobis*, pag. 520. Eidem dicunt Epiſcopi, *Scriptis crede, quæ non ſcripta ſunt, ne cogites, nec inquiras*, pag. 524. *Spiritus Sancti Deitas probatur ex Scriptura*, p. 525. & dicitur illi, *advertens igitur animum adea, quæ priùs tibi dicta ſunt, audi & nunc de eodem manifeſtiores demonſtrationes ex ſacris literis*, pag. 526.

XXXII. Secundò. Pontificem Romanum eſſe ſummum abſolutumque judicem, quomodo hinc patet? Ex tota actione nullum argumentum ſuccurrit. Oſius primus ſubſcripſit, poſtea legati Papæ, Victor & Vincentius, Presbyteri urbis Romæ. Si fuiſſet Romanus Præſul ſummus & abſolutus judex agnitus, an Oſius ipſius legatis fuiſſet prælatus? Inquis; *is ipſe fuit Silveſtri legatus.* Unde hoc habetis Papiſtæ? Unum ex vera Antiquitate teſtem producite, & viceritis. Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini cap. 7. ſcribit. *Ejus*

tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen Presbyteri, qui aderant, illius locum suppleverunt. Theodoretus lib.1. Histor. cap.7. *Romanus Episcopus senio confectus ipse non affuit, misit tamen Presbyteros duos, qui compositioni interessent.* Socrates lib.1. cap.5. *Ex ipsis Hispanis, unus nominis & famæ celebritate insignis, cùm aliis multis in consessu illo adfuit. Urbis verò illius, penes quam imperium est, Episcopus ingravescente ætate præpedit', abfuit: sed ejus Presbyteri, qui aderant, ejus locum supplevere.* Sozomenus lib.1. cap.16. *Vitus & Vincentius eiusdem Ecclesiæ Presbyteri pro illo adfuere.* Audin', ejus Presbyteros adfuisse, & quidem duos nominatim Vitum & Vincentium? Episcopus nulli veterum nominatus, nedum Osius, qui si fuisset Romani legatus, haud dubiè in subscriptione indicâsset. Id enim receptum more, & factũ à Vito & Vincentio.

XXXIII. Sexta. *An in Christo sint duæ personæ, sicut sunt duæ naturæ, divina & humana? Affirmavit Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, sed damnatus in Concilio Ephesino, sub Cœlestino Papa & Theodosio Imperatore, anno 454. & priùs à Cyrillo, in Concilio Alexandrino, anno 431.* R. Primò. Hîc nobis ostendat quicunque potest, Scripturam non fuisse normam solitariam, Papam fuisse judicem summum & absolutum. Imò Scripturam fuisse normam illis solitariam, ex eo mediocriter patet, tum quòd in epistola Synodica, Alexandriâ ad Nestorium missa, cum Patres congregati hortantur, ut fidem rectam & jam inde ab initio per sacros Apostolos & Evangelistas, qui verbi spectatores & ministri fuerunt, sanctis Ecclesiis traditam suscipiat, apud Baronium, ad Annum 430. num. 52. tum quòd Cyrillus omnes anathematismos ibi conditos ex Scriptura sola declarat, tomo quinto Actorum Concilii Ephesini, à Theodoro Peltano editorum, tum quòd sacrosanctum evangelium in cõspicua sede posuere in medio collocata, tum denique quòd secundùm illud pronunciâsse, disertè affirmant Ephesini Patres in epistola ad Theodosium his verbis: *Veritatis dogmata sincerè simpliciterque exposuimus, illisque Nestorii doctrinam ex illius exegesibus, publicisque ejusdem epistolis & concionibus decerptam conferentes culpaque ex ea collatione multis modis obnoxiam deprehendentes, evangelio, quod Christum universorum Dominum nobis præsentem ostendebat, in medium proposito, sententiam tulimus,* apud eundem Peltanum, tom.4. Actor. Ephes. Concil. c.10.

XXXIV. Secundò. Romanum Pontificem non fuisse summum, absolutum, & universalem judicem agnitum, ex controversiæ illius historia, haud obscurè constat. Non à Nestorio agnitus, is enim decretum Cœlestini neglexit, imò contempsit, ac ne quidem responso dignatus est. Non à Cyrillo & reliquis Catholicis in Oriente; Etsi enim constaret, Romæ Nestorium jam esse declaratum hæreticum, ipsi tamen de tota causa deliberationem Synodicam introducunt. Quod non licebat, si Cœlestinus erat summus, absolutus & universalis judex.

XXXV. Baronius quidem ad Annum 431. contendit, *non debuisse causam Ephesi novo subjacere examini, nihilque Synodo tributum à Pontifice, quàm ut quæ Romæ erant in Nestorium decreta, executioni mandarent;* Sed contendit more suo. Nec enim nunc dicam, ad executionem Romani decreti opus non fuisse Concilio Oecumẽico, primò ex Imperatoriis literis ad Cyrillum datis constat, vocatos esse Episcopos ad præsentem rerum tam utilium inquisitionem. Vide apud Peltanum tom.1. Actorum cap.25. Secundò. Ex iisdem clarum, prohibitam esse innovationem, donec Concilium pronunciet. Verba sunt; *Ante sanctissimam coactam Synodum communemque eiusdem, qua de omnibus dabitur, sententiam, nihil quicquam in ulla prorsus re privatim à quoquam innoveturr.* Tertiò. Testantur Patres in epistola Synodica ad Theodosium, *Vestra,* inquientes, *Maiestatis pietatem confirmatam percupiens, exactiorem dogmatum examinationem sacræ Synodo iniunxit.* Quartò. Ipsa acta Peltani testantur, discussam esse doctrinam à Synodo, interrogatis omnium sententiis.

XXXVI. Septima. *An in Christo sint duæ naturæ? Eutyches & Dioscorus dixerunt, ante unionem hypostaticã, fuisse duas naturas, divinam & humanam, post unionem duas in unam coaluisse & unam factam esse. Sed damnati sunt in Concilio Chalcedonensi, sub Leone Papa & Marciano Imperatore, anno 454.* R. Ab Eutychianæ controversiæ historia nihil adversùs nos Becanus obtinet. An enim sacra Scriptura non fuit, non esse potuit illius decidendæ norma plenaria? An non agnita à Patribus Chalcedonensibus? Leo Romanus Papa contra Eutychis hæresin scribens ait, *In hanc insipientiam cadunt, qui cùm ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt.* Ergo qui ad Propheticas voces, ad Apostolicas literas, ad evangelicas auctoritates recurrunt, inde veritatem plenè possunt cognoscere. Flavianus in hac causa ad Leonem; *Decet sequi Patres nostros, nec commutare definitionem eorum perpetuam, quorum regulam secundùm Scripturas esse, didicimus.* Exstat inter epistolas Leonis, itemque tomo Conciliorum secundo, pag.32. Et quæso, cur in medio proposita fuerunt sacrosancta evangelia, si norma plenaria non fuerunt agnita? Cur judices & amplissimus Senatus, cùm de Leonis epistola judicium esset ferendum, ad sacra evangelia omnium animos & oculos revocant?

XXXVII. Jam quòd Romanus Pontifex ne quidem illius controversiæ judex summus & absolutus fuerit, ex iis ipsis Actis, quæ in tomo Conciliorum latino à Papistis edita reperiuntur, patet; tantum abest, ut omnium controversiarum fuerit agnitus judex absolutus. *Primò* enim Flavianus, inconsulto Leone, Eutychen damnavit in Concilio Constantinopolitano, & demum post sententiam scribit ad Leonem, non, quod ad Annum 448. num.53. fingit Baronius, ut ille, tanquam primæ sedis Episcopus, sententiam ferat, sed ut sui circuli Episcopis sententiam latam significet. Verba enim Flaviani sunt, *Misimus ad beatitudinem vestram literas, quibus scriptis docuimus, & presbyterio illum esse nudatum, qui sic captus est &c. ut sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub beatitudine vestra degentibus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

manifestare dignetur illius impietatem; ne nescientes quicquid ille senserit, quasi ad Orthodoxum vel per literas, vel per aliquam coniunctionem loquantur.

XXXVIII. *Secundò.* Leo, ut jam suprà in occasione dixi, multis precibus à Theodosio contendit, ut intra Italiam haberi jubeat Concilium, epist.9. Ut cogatur, obtinet, ut in Italia cogatur, non obtinet. Indictum enim Ephesi ab Imperatore. Testis Leo epist.12. quo pessimè cedente, preces iterat suas apud Theodosium de Concilio generali in Italia congregando, Valentinianum autem Imperatorem & uxorem ejus Eudoxiam, genibus provolutis, ad memoriam beati Petri deprecatur, ut Theodosium ad aliam Synodum instituendam hortentur. Testis Liberatus in breviario c.12. tom. 2. Concil. Non tamen obtinet à Theodosio. Post illius obitū Marcianus quidē indicit, at non in Italia, quod Leo supplex petierat, sed Chalcedone. *Tertiò.* Leonis legati permittere nolebant, ut Dioscorus sederet in Chalcedonensi Concilio, sed audiendus intromitteretur, idque quod id vir Apostolicus Papa præcepisset. Inde petunt, ut jubeatur exire. Nō obtinent. Jubentur causam specialiter exponere. Nolunt, quòd contra Papæ præceptum venire non possint. Respondetur illis, *Covenit, vos specialiter, quid erraverit, exponere.* Lucentius quidem contrà, *Nō patimur, tantam iniuriam nec vobis fieri, nec nobis, ut iste sedeat, qui iudicandus advenit.* At audit à judicibus & Senatu, *Si iudicis obtines personam, non ut accusator debes prosequi,* & sedit, invitis Romanis, Dioscorus ex judicum jussione.

XXXIX. *Quartò.* Epistola Leonis in Eutychiana causa ad Flavianum scripta, quam Christianæ fidei regulam Baronius nominat, & miraculo confirmatam dicit, ad Annum 449. num.39. publicæ censuræ est subjecta, auditis de ea omnium sententiis, quibus Nicæno & Constantinopolitano symbolo consentanea per omnia declarabatur ab omnibus. *Quintò.* Non obstante legatorum Romanorum tergiversatione, Concilium magno consensu sedi Constantinopolitanæ æqualia jura tribuit & pronunciat, æqualibus cum antiqua Roma privilegiis frui debere, etiam in Ecclesiasticis, & secundam post illam existere. *Denique* Anastasii Imperatoris tempore Chalcedonense Concilium, teste Evagrio lib.3. cap.30. neque palàm in Ecclesiis prædicatum fuit, neque ab omnibus rejectum. Nam singuli Ecclesiarum præsides pro suo arbitratu ea in re egerunt. Quidam Concilii decretis adhæserunt firmiter: alii non solùm illud Concilium & ejus decreta rejecerunt, verùm etiam tum illud, tum Leonis de fide decisionem damnârunt anathemate. Jam ite Papistæ & ex Eutychianæ hæresis historia Romanum Papam omnium controversiarum summum & absolutum judicem asserite.

XL. Octava. *An in Christo sit una tantùm voluntas? Macarius Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexandrinus, Sergius Cōstantinopolitanus & quidam alii, tametsi agnoscerent in Christo duas naturas, dixerunt tamen unam tantùm esse voluntatem, nempe divinam, ut refert Thomas 3. part. quæst.18. art.1. Ideo Monotheletæ appellati sunt. Eorum sententia damnata est in Concilio*

Concilio generali Constantinopolitano III. sub Agathone Papa & Constantino IV. Imperatore, anno 679. juxta Baronium. Resp. Agnoscimus, eam fuisse Monotheletarum hæresin, & damnatam in Concilio Constantinopolitano, tempore Agathonis Papæ Romani. At mi homo, quâ arte hinc Scripturæ plenariæ normæ dignitatem eripis, atque Papam Romanum summum & absolutum controversiarum judicem asseris? De eo enim inter nos quæritur. Non credo, frustrà in medio posita fuisse sacrosancta evangelia. Ex Scriptura duæ voluntates in Christo clarissimè demōstrantur, nec opus est eam ad rem ullo externo supplemento. Alphonsus à Castro lib.4. adversùs hæreses, recitatis verbis Christi, *Veruntamen non mea voluntas; sed tua fiat.* Mox addit, *Vides hic expressè duas Christi voluntates nominatas, unam divinitatis, aliam humanitatis.* Gregorius de Valentia, *Sed,* inquit, *hic error manifestè revincitur testimonio Christi,* Nō mea, sed tua fiat voluntas; *ubi utramque voluntatem apertissimè distinxit.* Agatho nihil hîc gessit, quod absolutam summi judicis potestatem arguat. Contrà legimus, in dicto Concilio damnatum esse hæreseos Honorium Romanum Pontificem. Res clara; Acta loquuntur. Negari non potest. Insignem controversiarum omnium judicem! Illo nitatur Ecclesia Catholica, & præclarè cum ea agetur. Imò Papistica nitatur: Catholica nunquam nitetur.

XLI. Nona. *An Spiritus Sanctus sit Deus? Negârunt Macedoniani. Hi damnati sunt in generali Concilio Constantinopolitano primo sub Damaso Papa, & Theodosio Imperatore, anno 383.* Quæso, quæ sequela, Macedoniani in Concilio Constantinopolitano primo, sub Damaso Papa & Theodosio Imperatore, sunt damnati; Ergo Scriptura non fuit ejus controversiæ norma plenaria, sed Papa Romanus judex summus & absolutus. Alius fortassè speciosiùs pro Imperatore concluderet. Is enim Concilium convocavit auctoritate suâ, teste Socrate lib.1. cap.8. Damasus non convocavit. Imperator rogatus à Patribus, ut decretum eius ratum esse jubeat: Verba sunt in epistola ad Theodosium, apud Baronium, ad Annum 381. num.31. *Rogamus tuam Clementiam, ut per literas tuæ pietatis ratum esse jubeas, confirmesque Concilii decretum, & sicuti literas, quibus nos convocâsti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam summam eorum, quæ decreta sunt, conclusionem sententiâ atque sigillo tuo corrobores.* Nihil ejusmodi, quod constet, rogatus est Damasus, quem non fuisse agnitum in Ecclesia judicem omnium controversiarum summum & absolutum, ex hac laudati Concilii historia non obscurè colligitur.

XLII. Nam primò, illo inconsulto, fuit generale Concilium indictum, habitum, & in eo contra hæreticos pronunciatum. Bellarminus quidem jactat, celebratum esse mandato Damasi: at insigni fallaciâ. Nil enim tale ab ullo veteri auctore fide digno scriptum. Allegat mandatum literarum, quod Orientales laudent in epistola Synodica. Jam quidem faciunt mentionem literarum, apud Theodoretum lib.5. Histor. cap.9. Atqui 1. nullum laudant Damasi mandatum. Legimus enim, *ad literas reverentiæ vestræ;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

non legimus, *ex mandato literarum.* 2. Literæ non erant unius Damasi, sed Occidentalium Episcoporum, quibus rogabantur Orientales, ut ad Romanam Synodum venirent. Testis Theodoretus lib. 5. cap. 8. 3. Non tangunt Concilium centum & quinquaginta Episcoporum, Probo. Missæ enim erant post Concilium Aquileiense. Sic ipsi Orientales, apud Theodoretum. Illud autem celebratum anno 381. mense Septembri: Cùm primum Constantinopolitanum Concilium cœpisset mense Majo ejusdem anni, juxta Baronium. Occasione igitur literarum ab Occidentalibus missarum iterum coactum est Concilium Constantinopoli; quæ Bellarminus confundit. Baronius inde argumentum petit frustrà, ad Annum 381. num. 19. quòd ope Damasi Macedonius sit damnatus. Id enim non est factum in procurando Concilio Constantinopolitano, sed in Concilio Romano.

XLIII. Secundò. Petiit quidem Damasus cum Occidentalibus, ut Orientales Romam venirent ad Synodum. Non tamen venerunt. Si fuisset summus judex, an compellere auctoritate suâ non potuisset? Tertiò. Cùm ex altera congregatione Orientales de Synodico decreto ad Occidentales scribunt, non minùs Damasum, quàm Ambrosium, aliosque Episcopos, suum vocant collegam. Malè, si Damasus fuit summus & absolutus judex. Is enim collegam non admittit. Et tamen non malè accepit Damasus. Quartò. Non aliud petunt à Damaso, quàm à cæteris Occidentalibus Episcopis. De fidei decretis scribunt, *Hæc & vobis & nobis & cunctis non pervertentibus, verbum veræ fidei, æquum est pariter placere.* De decretis politiæ ecclesiasticæ; *Quibus à nobis legitimè & canonicè perfectis, vestram quoque pietatem delectari volumus, cohibereque specialis charitatis & timoris Domini intercessione omnem humanam perturbationem, plurisque Ecclesiarum ædificationem putare, quàm erga aliquem privatam voluntatem, aut gratiam.* De summa atque absoluta judicandi potestate hîc neque πρῶ, neque μύ.

XLIV. Quintò. Non omnia decreta Damaso placuerunt. Imò quædam displicuerunt. Nominatim, quòd Constantinopolitano proximus locus à Romano esset assignatus, itemque quòd Flavianus Antiochenæ Ecclesiæ datus esset Episcopus. Imò Damasus favit Paulino contra Flavianum, & teste Sozomeno lib. 7. cap. 11. non parùm fuit indignatus. Sed &, si credas Baronio, ad Annum 382. num. 19. in Romano Concilio secundum locum Alexandrino, tertium Antiocheno deberi, declaravit, ut Constantinopolitanus vix postremum obtineret. Certè non tantùm Damasus Constantinopolitano repugnavit, sed etiam ejus successores, multis seculis. Non tamen hinc irrita facta est Concilii sententia. Imò Innocentius tertius, qui secundùm Onuphrium sedit circa annum Christi 1198. Constantinopolitano tandem nolens volens secundum locum concessit, Can. *Antiqua.* De *Privileg. & excess.*

XLV. Controversia decima. *An baptismus repeti, seu reiterari possit? Quæ dupliciter potest intelligi. Primò, an baptismus, si semel validè collatus sit, repeti possit? Affirmavit*

mavit Marcion, teste Epiphanio, hæres. 42. Secundò, an baptismus, qui ab hæreticis collatus est, repeti possit? Affirmârunt Donatistæ, qui baptizatos à Catholicis rebaptizabant, teste Augustino, lib. de Hæres. cap. 69. eo quòd catholicos haberent pro hæreticis & baptismum ab hæreticis collatum putarent esse invalidum. Hi damnati sunt in Concilio Romano, sub Melchiade Papa, anno 313. apud Baronium. Resp. Hæc quæstio quidem tacta, non fuit tamen potissimùm tractata Romæ, sed causa Cæciliani, quæ coram Imperatore multorum criminum accusaverat Donatus. Eam ecclesiastico judicio finiri vult Imperator. Num hinc summa & absoluta judicandi auctoritas Papæ Romano asseritur? Imò evertitur. Nam primò Melchiades delegatur judex ab Imperatore, literis ipsi & Marco inscriptis. Non igitur erat judex causæ ordinarius, nedum summus & absolutus. Secundò adduntur Melchiadi in eo judicio collegæ, præter Marcum, cui simul inscripta epistola, qui collegæ erant in episcopatu, Rheticius Augustodunensis, Maternus Agrippinensis & Marinus Arelatensis. Non priùs illis, post Melchiadi causa committitur, nec ut ille cognoscat, istis præsentibus, quod fingit Baronius, ad Annum 313. num. 22. sed pariter declarantur omnes judices, referente Eusebio lib. 10. Histor. cap. 5.

XLVI. Tertiò. Adstringuntur non obscurè legi divinæ, tanquam regulæ. Baronius num. 24. verba sic legit; *Ut ibi coram vobis & Rheticio etiam & Materno & Marino collegis vestris, quos ea de causâ Romã maturare jusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, (ut nostis) postulat.* In græco est, ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἐμβρίθειαν, id est, *quò q̃ religiosissimæ legi cõveniunt cognoscatis*, vel, ut noster Chamierus vertit, *prout comperietis, venerandissimæ legi congruere.* Quartò. A judicio Melchiadis & collegarum appellatum est. Quàm justè, non dico. Definitè affirmabant Donatistæ, ut apparet ex Imperatoris literis, ad Syracusarum Episcopum, paucos quosdam sententias suas & judicia protulisse, & priùs quàm cuncta, quæ erant inquirenda, exactè perquisivissent, ad judicandum admodum velociter & festinanter prorupisse. Illud dico, licitam fuisse appellationem. Melchiades igitur non erat summus & absolutus judex.

XLVII. Quintò. Quod erat statutum Romæ à Melchiade & collegis, id rursum ventilatum & sententiâ definitum in Concilio Arelatensi jussu Imperatoris instituto. Baronius quidem valde indignatur hoc nomine Constantino. At non offensi eâ re, tanquam novâ & insolenti, Ecclesiarum Præsules. Imò liberè judicârunt de Melchiadis & collegarum sententia. Sic, puto, erat manifestanda Romani Pontificis summa, absoluta, universalis potestas judiciaria. Quam cur non agnoverit Optatus Milevitanus, non immeritò quæras. Is enim non hominem, sed Scripturam in hac causa quærit judicem. Verba sunt lib. 5. *De baptismi sacramento non leve certamen innatum est, & dubitatur, an post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere? Vos dicitis, licet. Nos dicimus, non licet. Inter* licet vestrum & non licet nostrum *nutant & remigant animæ po-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulorum. Nemo vobis credat, nemo nobis, omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices: Si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur; deforis quærendus est judex. Si paganus, non potest nôsse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est baptismatis Christiani. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium; de cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cùm habeamus hic in Evangelio testamentum? Quia hoc loco rectè possunt terrena cœlestibus comparari: tale est, quòd quivis hominum numerosos habens filios. His quamdiu pater præsens est, ipse imperat singulis; non est adhuc necessarium testamentum. Sic & Christus, quamdiu præsens in terris fuit (quamvis nec modò desit) pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater, cùm se in confinio senserit mortis, timens, ne post mortem suam, ruptâ pace, litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum. Et qui in tumulo quievit, tacitis de tabulis loquitur vivus. Is cuius est testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas eius, velut in testamento, sic in Evangelio inquiratur. Nempe bono illi Optato Milevitano Præsulis Romani absoluta potestas judiciaria in mentem non venerat.

XLVIII. Undecima. *An homo sine gratia Dei per solas naturæ vires possit implere legem, si velit? Affirmârunt Pelagiani & Cœlestius. Sed damnati sunt in Concilio Carthaginensi, & Milevitano, sub Innocentio primo, anno 416. iuxta computum Baronii.* Resp. Damnati illi jure meritoque non tantùm à laudatis duobus, sed & aliis cõpluribus Conciliis. Ego verò primò q̃ro, quâ arte hinc colligas, Romanum Põtificẽ esse summum & absolutum omniũ cõtroversiarum judicem, Scripturam judicem directivũ, seu normam plenariam non esse? Id enim nondum intelligo. Nũ aliam Patres illi respexerunt normam. Provoco ad Milevitanos canones, qui si non ex sola Scriptura contra Pelagium deprompti sunt, ipsis allegatis textibus, Papistæ vicerint. Videat, qui volet, tertium, quartum, quintum, sextum, septimũ, octavum.

XLIX. Secundò. Num ullum exstat argumentum, quòd Patres illi absolutam & infallibiliter judicandi potestatem Romano Papæ tribuerint? Non sufficit, Innocentii tempore habita esse Concilia. Edant nobis argumentum, qui possunt. Illudne dabunt, quòd scripserunt ad Innocentium epistolam Synodicam? An quòd ab eo petierunt, ut statutis suis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas? Atqui non tantùm ad Pontificem Romanum, sed & ad alios scribebantur epistolæ Synodicæ, Res manifesta. Probatione non est opus. Confirmatio Conciliorum erat duplex. Una fiebat per edictum, quo Ecclesiæ jubebantur suscipere decretum Conciliorum. Altera, assensus testificatione. Illa erit tum penes Imperatorem, imprimis quoad Concilia Oecumenica; tum penes Reges, quoad particularia, sub quibus celebrabantur. Ista, penes Episcopos. Neutra argumentum judicis summi, absoluti & infallibilis suppeditat. Non *prior*; alioqui Imperator fuis-

fuisset omnium cõtroversiarum fidei judex absolutus & infallibilis. Is enim, ut palàm constat, confirmabat per edictum. Non *posterior*. Alioqui plures eodem tempore darentur judices absoluti & infallibiles. Non enim soli Romani Pontifices, sed & alii suo assensu confirmabant Concilia.

L. Probatione prolixa supersedeo in re clara. Suppetunt exempla confirmationis ab Episcopis & Conciliis petitæ. Ab *Episcopis*: Liberius postulavit à Constantino, ut fides in Concilio Nicæno tradita subscriptionibus omnium ubique Episcoporum confirmaretur, teste Sozomeno lib. 4. cap. 10. A *Conciliis*; Athanasius Concilium Episcoporum Ægypti cogendum curavit, quo decreta tum Sardicæ de ipso, tum in Palæstina sancita suffragiis suis quoque confirmarent. Ex decima quarta Synodo Toletana scribunt Hispaniæ Præsules (Actis sextæ Synodi missis à Leone II.) apud Baronium, ad Annum 683. num. 25. *Ad hoc omnes Hispaniæ præsules invitati sunt, ut prædicta Synodalia instituta, quæ miserat, nostri etiam vigoris manerent auctoritate suffulta, omnibusque per nos sub regno Hispaniæ consistentibus patescerent, divulganda.* Idem Baronius, ad Annum sequentem, num. 6. refert, in Toletano cõventu rursus ad publicum examen Synodalia Acta esse revocata, ut rursum eadem comprobarentur, & Decretum, ut post quatuor Oecumenica Concilia, Sexta Synodus constitueretur.

LI. Cæterùm non frustrà Milevitanum Concilium nobis opposuerit Becanus. Id enim invictum argumentum sug-

gerit, contra summam & absolutam Pontificis Romani potestatem judiciariam, dum appellationem ad transmarina prohibet. Nimis enim impudens est hoc loco Gratiani impostura, cùm canonem recitat, addentis, *nisi fortè sedem Romanam appellaverint*. Hanc quippe *transmarinis* comprehendi, tam certum, ut ipsi Papistæ, confutatâ Gratiani glosâ, agnoscât, in editione Conciliorum Veneta. Ad quem ab Africanis Conciliis appellare non licebat, an is agnosceretur omnium controversiarum judex summus, & absolutus?

LII. Duodecima. *An parvuli nascantur in peccato originali, & ad illud peccatum abolendum indigeant baptismo? Negârunt Pelagius, & Cœlestius, teste Augustino lib. de hæres. cap. 88. Hic error damnatus est in Concilio Milevitano cap. 2. & postea à Zosimo Papa, ut testatur idem Augustinus lib. de pecc. originali cap. 6. & seqq.* Resp. Milevitanum Concilium duos errores damnat, quos Becanus fraudulenter in unam quæstionem compingit. Unus est negantium, infantes baptizandos esse; alter, asserentium, liberos ex Adamo nihil trahere originalis peccati. Jam Pædobaptismus à Scriptura satis planè asseritur. Pro originali peccato Milevitani Patres citant illustre Pauli testimonium ex Romanor. 5, 12. ut in hac causa Scriptura judicis directivi atque normæ plenariæ dignitatem facilè tueatur. Pro Romano autem Pontifice nihil audio dictum in Concilio, nihil ab Augustino in hac causa. Quid contrà dictum invenerim Canone vigesimo secundo, dixi numero præcedente. Imò omnia ibi dicta huc

quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque quadrant. Quibus addo, cùm Cœlestius ab Africano decreto ad Zosimum provocâsset, isque provocationem, qui erat jam tum ejus sedis genius, tanquam auctoritati novæ comparandæ commodam, quamvis temere factam, facilè admisisset, Africanos consilium apertè improbâsse, & non obstante Romano judicio, quod Zosimus moliebatur, in negocio progressos, iterum Cœlestium publicâ Concilii sententiâ damnâsse neque exspectâsse judicii Romani exitum. Vide Baronium, ad Annum 418.

LIII. Becanus tria in recitatis & similibus controversiis consideranda esse, dicit. Primò, quòd *altera pars litigantium clarè & perspicuè damnata sit.* Secundò, quòd *hæc condemnatio facta sit ab Ecclesia Catholica, tanquam à iudice, quæ aliquando tulerit sententiam per Pontificem, qui sit caput, seu pastor Ecclesiæ, aliquando per Concilia, quæ repræsentent Ecclesiam.* Tertiò, quòd *Lutherani & Calvinistæ agnoscant hanc damnationem legitimè factam esse. Fateri enim, Novatianum, Sabellium, Samosatenum, Arium, Nestorium, Eutychen & Dioscorum, Monotheletas, Macedonianos, Donatistas, Pelagianos, meritò damnatos esse & pro hæreticis haberi oportere, nec aliunde quàm ex Ecclesiæ Catholicæ decisione. Quòd si sola Scriptura esset judex, & Ecclesia suam sententiam non interposuisset, in hodiernum usque diem durare istas controversias, nec adhuc clarè & palàm omnibus constare, suprà dictos errores pro hæreticis habendos esse. Nunc cùm ab Ecclesia damnati sint, rem certam & indubitatam esse.* Num. 96.

LIV. Resp. De primo nullum est dubium. De secundo distinctè pronunciandum. Nam primò in prima controversia condemnatio Asianorum non est facta ab Ecclesia Catholica, sed à Victore, qui caput Ecclesiæ Catholicæ, seu universæ non fuit, sed particularis Ecclesiæ Romanæ pastor: cui contradictum à multis Episcopis Catholicis. In reliquis controversiis distinguendum est inter primam condemnationem & ejusdem approbationem. Approbata est condemnatio à Catholica Ecclesia. At prima condemnatio nõ est in istis omnibus ab eadem facta. Quædam enim Concilia fuerunt particularia, in quibus audita est sententia earum Ecclesiarum, à quibus congregata erant Concilia. Sic Romanum in causa Novatiani, Alexandrinum contra Sabellium, rursum Romanum contra Donatistas, Carthaginense & Milevitanum contra Pelagianos non fuerunt Oecumenica.

LV. Secundò. Condemnationem ab Ecclesia, tanquam à judice, factam non negamus: at negamus factam, tanquam à judice summo & absoluto, cujus sententia simpliciter sit infallibilis. Spiritus Sancti in Scriptura loquentis fuit magisterium; Ecclesiæ, ministerium; Directio, Scripturæ; Promulgatio, Ecclesiæ. Tertiò. Quòd Catholica Ecclesia in suprà dictis controversiis tulerit sententiam per Põtificem, tanquam caput & pastorem Ecclesiæ, est longè falsissimum. Præsupponitur enim, Pontificem Romanum esse caput Ecclesiæ Oecumenicum. At non esse, nos suprà demonstravimus. Et, quæso, quam controversiam ex suprà dictis omnibus Ecclesia decidit per Pontificem

extra Concilia? Ne unam quidem nominare potest. Quòd enim ex Augustini libro de peccato originali cap. 6. & seq. affert, Pelagianos à Zosimo damnatos esse, ea sententia non fuit primùm lata à Zosimo: Jam antè enim in Concilio Milevitano erant damnati, ut ipse fatetur Sophista, num. 95. Ergo repetita à Zosimo. Ergo non aliud factum, quàm quod à quolibet Episcopo fieri potest in simili causa. Imò quod factum à plurimis. Sic à Cyrillo damnatus Nestorius. Quid? Si Baronio credas, à Zosimo lata est sententia in Concilio Romano.

LVI. De tertio. R. Primò. Nostri non agnoscunt, Asianos legitimè damnatos esse à Victore. Novit Sophista. Ideo cùm repetit auctores controversiarum, illos nominare non audet: Et tamen in genere, sine exceptione, affirmat, nostros hãc condemnationem agnoscere, legitimè factam esse. Secundò. Nec illud quidem verum, quòd profiteamur, non aliunde istos pro hæreticis haberi, quàm ex Ecclesiæ Catholicæ decisione. Imò ne sic quidem sentimus. Nam licet Catholica Ecclesia in Concilio non pronunciâsset sententiam, tamen pro hæreticis essent habendi, qui errorem fundamentalem adversùs Scripturam contumaciter defendunt. Neque enim hæreticus definitur, qui à Concilio damnatus est, sed qui errorem fundamentalem contumaciter defendit. Alioqui pro hæretico haberi nemo posset, nisi qui damnatus esset ab Ecclesia Catholica in Concilio generali. Sic veteres illi Hæresiarchæ, qui vixerunt & obierunt, priusquàm congregarentur Concilia, id est, primis trecentis à Christo annis, non fuissent habiti pro hæreticis. Absurdum. Aliunde igitur constat, quàm ex ista decisione. Tertiò. Solam Scripturam esse potuisse judicem directivum, id est, normam plenariam, patet à reipsa. Omnes enim illæ controversiæ ex sola Scriptura decidi possunt solidè. Id quod de aliquibus ostendimus suprà, de reliquis parati ostendere, cùm opus erit. Fuisse normam in iis Conciliis, quorum Acta exstant, ex dictis constat mediocriter.

LVII. Quartò. Frustrà opponitur, nisi Ecclesia suam sententiam interposuisset, adhuc durare istas controversias: Nam nec duratio controversiarum impingi debet Scripturæ defectui, nec cessatio tribui soli auctoritati Ecclesiæ. Duratio non debet impingi Scripturæ defectui, quia illi quoque errores durant, qui in Scriptura sunt condemnati evidentissimè. Nomino cultum idolorum; illum apertè damnatum à Scriptura, quis neget? Et tamen durat adhuc hodie. Sic peccata vigent, quamvis clarissimè damnata à Scriptura. Rursum cessatio controversiarum non pendet ab auctoritate solius Ecclesiæ, sed potiùs à Dei providentia, qui, pro liberrima sua voluntate, vel sinit esse hæreses, vel exstinguit. Quas exstinguit, eas exstinguit tum Scripturæ, tum Ecclesiæ ministerio. Neque tam ad omnis judicis officium pertinet, ut personæ cessent litigare, quàm ut lis rectè justeque decidatur, quæ duo à se invicem separari queunt. Posterius Scriptura præstat ministerio Ecclesiæ. Si personæ improbè pergant litigare, an ideo suam dignitatem non tueatur Scriptura?

Universidad de Deusto
Biblioteca

LVIII. Quintò. At *ne adhuc quidem clarè omnibus constaret, prædictos auctores pro hæreticis habendos esse.* Ne id quidem verum est. An non Christianis omnibus constaret ex Scriptura, citra definitionem Ecclesiæ, invocationem Diaboli esse horrendam idololatriam, serpentem non esse adorandum? quem errorem tuebantur Ophitæ. An non constaret, non esse permiscendum panem Eucharisticum humano sanguine? usum casei in sacra cœna esse alienum? Anthropomorphitas esse hæreticos? Sextò. Res, fateor, certa & determinata nunc est de supradictis hæresibus; at verò non tam quia Ecclesia pronunciavit, quàm quia pronunciavit è Scriptura. Ecclesia à se ipsa non præstat certitudinem infallibilem, sed cùm affert vocem capitis Christi è Scriptura.

LIX. Veniebat Jesuitæ in mentem, *quid si Ecclesia errâsset in ferenda sententia?* Respondet, *hoc tantundem esse, ac si dicas; Quid si Christus, Apostoli & Prophetæ mentiti essent? Nam illi testati sunt, Ecclesiam errare, aut deficere non posse. Est enim, ut Christus loquitur, fundata super petram, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Matth. 16. *Est columna & firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. *Nunquam confundetur, neque erubescet*, Jesa. 54. 4. *Jaspis est propugnaculum eius*, v. 12. *Et omnis lingua resistens illi in judicio condemnabitur*, v. 17. subjicit, *se de hac re dixisse* cap. 3. R. Non immeritò id in mentem veniebat Sophistæ. Si enim Ecclesia errare potest, quomodo certitudinem infallibilem de se extra Scripturam præstet? At insignis est φλυαρία ac mendacium, quòd hoc tantundem sit, ac si dicas, Christum, Apostolos & Prophetas esse mentitos. Nam Ecclesiam simpliciter errare non posse, nusquam dixit Christus, nusquam Apostoli, nusquam Prophetæ. Non igitur arguuntur mendacii, si Ecclesia dicatur esse fallibilis. Verba Christi, Pauli Apostoli & Jesaiæ, quæ ingerit, vindicavi suprà Controv. 3. sect. 5. num. 10. & sequentibus. Ibi vide.

LX. Deinceps Becanus Gardium sibi adversarium deligit, idque eo nomine, quòd probandum alicubi suscepit, Concilia non tantùm errare posse, sed etiam errâsse multoties. Ridet verò illum. Salsè, insulsève, non dicam. Penes æquum lectorem est. Nos παραδείγματα superbæ gentis jam pridem didicimus contemnere. Hæc Becani certè omnibus sunt contemnenda. Nihil enim momenti ad causam nostram afferunt, quippe quæ ne pilo quidem fit deterior, ut maximè probando defecisset Gardius. Non enim illo, non ullo alio homine, quamvis doctissimo, causa nostra nititur. Neque tamen erat, cur Jesuita virum traduceret tam insolenter in hac causa. Gardius adducit duo genera Conciliorum. Alia nempe, quæ ex hypothesi & confessione Papistarum errârunt, alia quæ absolutè. Prioris generis sunt hæc. 1. Ariminense, Seleucience & Ephesinum secundum, fatente Bellarmino. 2. Constantinopolitanum primum & Chalcedonense, decernendo, Episcopum Constantinopolitanum debere esse parem & æqualem Romano Pontifici. 3. Constantiense & Basileense, definiendo Concilium esse supra Papam. Posterioris sunt hæc. 1. Neocæsareense, decernendo, presbyterum non debere in-

interesse secundis nuptiis. 2. Carthaginense quartum, statuens, Episcopum non debere legere libros Gentilium, nec rei familiaris curam gerere. 3. Toletanum primum definiens, eum qui pro uxore habet concubinam, à communione repellendum non esse. 4. Nicænum secundum sanciens cultum & adorationem imaginum. 5. Constantiense adimens laicis communionem calicis. 6. Tridentinum statuens plurima decreta contra Scripturam & consensum Patrum.

LXI. Becanus clamat, *Gardium oleum & operam perdere.* Cur verò? primò, *quia ipsi Papistæ fateantur, Concilia errare posse, nisi à Pontifice sint approbata.* Secundò, *quia multa ex iis, quæ dixerit, falsa sint.* Num. 99. 100. In Becano & similibus si perdidit, æquo ferendum est animo: Vix promittere sibi poterat singularem de illis fructum; nec tamen ideo apud bonos & veritatis studiosos omnino perdidit, quibus ea opera potissimùm erat destinata. De quo quicquid fiat, certè duabus istis exceptiunculis non intervertit omnè olei & laboris impensi fructum Gardio. Non *priori.* Fateantur enim Jesuitæ, Cõcilia errare posse, nisi à Pontifice sint approbata; Quid tum? utile tamen est, exempla innotescere, tum Evangelico-Catholicis, tum Papistis simplicioribus, quos Conciliorum nomine, tanquam Gorgonis capite, objecto terrent Sophistæ, quoties volunt. Nam primò non omnium Papistarum idem est hac super re sensus. Qui Concilium supra Papam efferunt, illius infallibilitatem à Pontificia approbatione nec suspendũt, nec quidem possunt, citra absurditatem manifestam.

LXII. Secundò. Jesuitarum confessio inanè est subterfugium. Si enim errare possunt Concilia, quæ non approbavit Papa, omnino etiam possunt, quæ approbavit. Id probo tribus argumentis. Primum est, quia nec mandatum habet Papa de conferenda infallibilitate Conciliis, nec Concilia, quòd à Papa Romano magis, quàm à quocunque alio, approbationem debeant petere. Secundum. Quia nusquam exstat promissio, quòd Papalis approbatio sit Concilio infallibilitatem allatura. Tertium. Quia approbatio illa aut spectat ipsam congregationem Concilii & decernendi potestatem; aut ipsum decretum. Si ipsam congregationem, tum evertunt seipsos Papistæ. Constat n. eorum Conciliorum decreta improbata esse à Papis, quorum congregatio antea erat approbata. Si decretum, aut præcedit approbatio decretum Concilii, aut sequitur. Si præcedere debet, quomodo sciat Papa, quid approbet? Nescio enim, quid Concilium sit decreturum. Si sequitur, ergo cùm decernerent congregati in Concilio, non erant infallibiles: Dum enim decernerent, non existebat approbatio. Poterãt igitur errare decernendo.

LXIII. Tertiò. Jesuitæ suâ confessione magnum præjudicium propriæ afferunt causæ. Nam si Concilia citra approbationem Papalem errare possunt, fieri ergo potest, ut Ecclesia careat infallibili judice controversiarum, quo non carere posse, certum est. Probatio facilis: Sæpe nullus fuit Papa Romanus, vacavit sedes dies bene multos, multos menses, annum unum, aliquando duos & aliquot

Universidad de Deusto
Biblioteca

menses. Aliquandò fuerunt duo, semel tres. Ibi incertum, quis esset verus Papa. Dubius Papa, non est Papa. Non igitur erat judex. Quis enim? Scripturam non ferunt judicem Jesuitæ. Nec Concilia esse poterunt, quia, Papistis asserẽtibus, errare possunt, nisi approbentur à Pontifice. Nullus igitur tum erat judex infallibilis, id quod pugnat cum ipsorum Papistarum præsupposito.

LXIV. Non *posteriori*. Quod enim multa falsa sint, quæ dixit hac in re Gardius, quomodo probat Becanus? Primò falsum esse dicit, quòd *Constantinopolitanum primum Concilium decreverit, Episcopum Constantinopolitanum debere esse æqualem Romano.* Se invenire, quòd *debeat esse proximus Romano Episcopo, quòd par esse debeat, se non invenire.* Num. 100. Num Becani vel cæcitatem, vel malitiam præstare tenetur Gardius? Cur non videt radiantis veritatis jubar? Primò vox ista, *æqualis*, non quidem exstat in Canone Constantinopolitano, exstat tamen in Chalcedonensi. Id sufficit tuendæ veritati. Et Gardius utrumque copulaverat. Becanus separavit, ut occasionem haberet cavillandi. Non alium inde fructum percepit. Nam si unum Chalcedonense Concilium habeamus, constat vis argumento. Si enim unum Concilium à Pontifice approbatum errare potest, omnia possunt. Chalcedonense autem erravit, si credas Papistis. Ergo possunt omnia.

LXV. Secundò. Etsi vox, *æqualis*, non exstat in Constantinopolitano canone, eundem tamen esse sensum, multis constat argumentis. Primò à verbis, quibus solius ordinis differentia constituitur. Τὸν μὲν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Ubi causa exprimitur urbis paritas. Nova enim Roma iisdem gaudebat privilegiis, cum veteri. Sic & Episcopi. Secundò. Id perspicuè testantur sexcenti triginta Episcopi in Chalcedonensi Concilio. Sic enim isti decernunt; *Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes & canonem, qui nuper lectus est, centum quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis, novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuere. Et eâdem consideratione moti 150. Dei amantissimi Episcopi sanctissimo novæ Romæ throno (τὰ ἴσα πρεσβεῖα) æqualia privilegia tribuere, rectè judicantes, urbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundâ post illam existẽtem.*

LXVI. Tertiò. Idem testatur Concilium Trullanum apud Gratianum, Dist. 22. Can. *Renovantes.* Jam vide. Sexcenti triginta Episcopi & rursum omnes Trullani dicunt, æqualia esse privilegia Constãtinopolitano data in in Concilio Cõstantinopolitano primo. Becanus negat. Num nos plus credamus uni Becano, quàm tot Episcopis & quidem in Concilio congregatis? Quartò. Romani Pontificis legati in Concilio Chalcedonensi non negabant, id decretũ esse Constãtinopoli, sed iniquitatis accusabãt decretũ. Si non fuisset decretum, num putabimus, illos non fuisse allegaturos? An fortè

tè meliùs novit Becanus, quid decretum fuerit, quàm legati Leonis?

LXVII. Quintò. Romani Præsules multis seculis contradixerunt canoni, ut apparet ex epistola Leonis primi ad Anatolium Constantinopolitanum, & Leonis noni ad Michaëlem Imperatorem, quemadmodum annotatur Distinct. 22. Si non eadem tributa sunt Constantinopolitano privilegia, cur contradicebat Romanus? An proximum ferre non poterat, licet inferiorem? Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus Constantinopolitanum sibi præferri, æquo ferunt animo. Romanus non ferret, secundum à se censeri? Hoc ambitionis argumentum nondum innotuerat vulgò; Jam Becanus prodit.

LXVIII. Denique annotatio ad hunc canonem, tom. 1. Concil. edit. Ven. habet, quòd sit renovatus à Concilio Trullano. Si renovatus, talis igitur olim fuit. Ibi sic repetitur, ut decernantur paria privilegia. Nec video, cur Baronius tantopere urgeat, non in Concilio, sed demum anno elapso ab Episcopis Orientalibus hunc canonem esse conditum. Certè Socrates lib. 5. cap. 8. dicit, quòd centum & quinquaginta eodem tempore decreverint, ut Constantinopolitanus proximè & secundùm Romanum Episcopum primas obtineret. Baronius quoque vellet suspectum reddere. At frustrà. Ideo tandem fingit, si sit canon conditus, ab iis, qui post Nectarii electionem remanserint, conditum esse. Verè fingit. Nihil enim habet, quo rem illam confirmet.

LXIX. Secundò. Becanus dicit, *nullum esse Cõcilii Carthaginensis quarti* (Baronius quintum nominat, ad Annum 398. num. 67.) *errorem, sed præceptum vel consilium ecclesiasticum. Posse enim Ecclesiam suadere, vel etiam legitimis ex causis mandare, ut Episcopi abstineant à lectione librorum gentilium. Similiter, ut se non implicent curis & negociis secularibus, sed occupentur officio pastorali, quod ipsis incumbit. Et hoc esse conforme Scripturæ,* 1. Timoth. 4, 16. *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis.* 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus. Et* Actor. 6, 2. *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Num. 101. Resp. Primò nimis frivolum est, quod affert de consilio ecclesiastico. Non consilia dabantur in Concilio, sed fiebant decreta. Id patet à præfatione, in qua dicuntur hæc constituisse, & quidem tanquam ad ordines Ecclesiasticos canonicis disciplinis necessaria, tom. 1. Concil. pag. 758. Verba sunt; *Augusto Honorio Quarto & Eutychiano consulibus, sexto idus Nov. cùm Aurelius Episcopus in Concilio universali, Carthagine in Secretario cum omnibus consacerdotibus suis consedisset, placuit cum eo cunctis, qui fuerunt in eadem sancta Synodo, constituere hæc, quæ ad ordines ecclesiasticos canonicis sunt necessaria disciplinis.*

LXX. Secundò. Patres illi simpliciter interdixerunt Episcopo lectione Gentilium; patet, quia eodem canone lectionem librorum hæreticorum pro necessitate & tempore concedunt. At hoc alienum. Nec probatur dicto Apostoli; *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis.* Nõ enim sequitur; Episcopus debet attendere doctrinæ, Ergo non debet unquam legere libros Gentilium. Quis enim magis at-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tendebat doctrinæ, quàm Paulus? Et tamen ille citabat libros Gentilium. Num citaret, quæ legere non liceret Episcopis? Absurdum.

LXXI. Tertiò. Ut Episcopi occupentur munere pastorali, & à magistratus civilis functione abstineant, præcipere potest Concilium, & est conforme Scripturæ. At curam rei familiaris prohibere nō potest. Nam Apostolus, qui munus pastorale exactissimè descripsit, idem Episcopo curam rei familiaris permittit, 1. Timoth. 3, 4. *Qui*, inquiens, *sua domui bene præsit, qui liberos contineat in subjectione cum omni honestate.* Particula exclusiva, qua utitur Concilium, nusquam apparet in textu.

LXXII. Quartò. Verba Pauli de negociis secularibus nimis apertè torquentur. Nam 1. non ait, *Nemo militans Deo*, sed *nemo militans*, & intelligit militem mundanum, sicut pugilem & agricolam mundi, non Dei. Tribus enim utitur similibus, ℣. 4. 5. 6. 2. Non dicit, *nemo militans non curat τὰ βιωτικὰ*, sed, *non implicatur negociis vitæ.* Implicari est involvi & quasi totum obrui. Sensus igitur est, quēadmodum miles se subtrahit omni negociationi, quæ ab opere militari & partibus demandatis ipsum avocat. Sic Timotheus iis renunciare debet, quibus impeditur in militia spirituali. Huc pertinere curam rei familiaris moderatam, non immeritò nego. Nam ipse Apostolus suis laboravit manibus; quod ad curam rei familiaris pertinet, aut ego vehementer fallor. Denique si isto loco cura rei familiaris prohibetur Episcopo, ergo omni clerico. Nisi fortè reliqui clerici non militant Deo. At Carthaginenses Patres eodem Concilio can. 51. definiunt, *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat.* Can. 52. *Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo vel agriculturâ absque officii sui detrimento paret.*

LXXIII. Quintò. Quid facias Becano, qui, dum intentus est tuendo Concilio, officium sacrum in profanum mutat. Producit enim hîc verba Apostolorum de ministerio mensarum, quod Ecclesiasticum fuisse, non est dubium, nisi ordo diaconorum non est Ecclesiasticus. Ibi enim mensis sunt præfecti. Si non est, unde vel ipsum nomen habent Papistæ? De nomine dico. Res enim postea mutavit. Nam sequitur, Non æquum est, Apostolos derelinquere verbum & inservire mēsis; Ergo Episcopo non licet curam rei familiaris gerere? Non sequitur.

LXXIV. Tertiò negat, Concilium Toletanum 1. errâsse, cùm *definivit, eum, qui pro uxore concubinam habet, à communione repellendum non esse. Per concubinam enim intelligi non fornicariam, quæ extra matrimonium vivat, sed uxorem, quæ sine externa solennitate viro conjuncta est, ut pateat ex jure Canonico apud Gratianum.* Inde traducit imperitiam Gardii, qui canonem non examinaverit. Num. 102. ℟. Si Gratiani glossa vera esset, non equidem viderem, cur Concilium erroris accusaret Gardius. Cur enim à communione repelleretur, qui uxorem ducit conjugali affectu, citra legalia instrumentà? Neque enim tabulæ faciunt matrimonium, ut jam olim Papinianus respondit, sed cōsensus. Quæritur de Gratiani glossa, an mentem canonis attigerit? Scio, placere Covarruviæ & aliis Interpretibus. Aliis non placet, quos sequitur Gardius. Hîc non sufficit, ad Gratianum & Glossam provocare. Probandum est Jesuitæ, Toletanos Patres per concubinam intelligere veram uxorem. Illo sanè tempore nec jure civili nec usu communi erat uxor sine externa solennitate ducta. Quin potiùs concubina dicebatur, quam quis non mariti animo, sed concubitus tantùm causâ, sine stupri tamen crimine, flagitiove, domi habebat. Non ducebatur liberorum procreandorum causâ; non generabat iustos liberos, qui patri essent honori, sed qui pudori. Est vox Ambrosii. Hoc Gardii sententiæ suffragatur. Unde enim constat, aliter accipi in canone, quàm in jure civili, & usu communi? Accedit, quòd non apparet ulla idonea decreti causa, si Gratiani glossa locum habeat. Num enim quisquam illo seculo fideles excommunicavit, eo nomine, quòd citra solennitatem externam uxorem duxissent? Si nemo excommunicationem tentavit, cur Concilium contrairet? Tertiò. Aperta est oppositio uxoris & concubinæ. Non uxori solenniter ductæ, sed uxori opponitur concubina. Nec usquam appellatur uxor in jure canonico. Vide canonem. Sic habet integer, *Si quis habens uxorem fidelem & concubinam habeat, non communicet. Cæterùm is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur: Tantùm ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) sit coniunctione contentus.* Nam priori loco concubina uxorem significat ductam sine externa solennitate? Imò non mariti animo ductam. Ergo nec aliter accipitur posteriori loco.

LXXV. Quartò negat, *Concilium Nicænum secundum errâsse sanciendo cultum & adorationem imaginum, itemque Constantiense adimendo laicis communionem calicis.* Num. 103. ℟. Utrumque Concilium errâsse, demonstratum est à multis præstantissimis theologis sole meridiano clariùs. Nec nostri primùm Nicæni Concilii idololatriam condemnârunt; Jam olim id factum à Concilio Constantinopolitano, sub Constantino Copronymo & à Francofordiensi, sub Carolo Magno. Condemnationem factam esse, fatetur Bellarminus. De Constantiensi infrà, Deo volente, agemus ex professo. Obiter noto alium errorem Nicæni, quòd Angeli sint corporei, & animæ humanæ habeant corpora.

LXXVI. Quintò. *Concilium Tridentinum plurima decreta contra Scripturam & consensum Antiquitatis condidisse, negat confidentissimè, idque quòd Gardius non aliunde id probet, quàm auctoritate Chemnicii, qui propter apertissima mendacia, quibus scateant ipsius libri contra Concilium, meritò sit infamis.* Num. 184. ℟. Impietas & errores Tridentini Concilii in singulis propè controversiis deteguntur; ideo nō erat, cur peculiarem disputationem Gardius institueret. Chemnicium Becanus infamet, quantum volet. Apud bonos infamis non est ob laborem contra Tridētinos exantlatum. Concilii verò tyrannis tam aperta est, ut ne quidem Galliæ regno multis annis fuerit approbata, Henrico II. Francisco II. Carolo IX. Henrico III. & Henrico IV. Regibus.

SECT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO VII.

Argumentum sextum ex analogia judicis controversiarum civilium sumptum refutatur.

SExtum argumentum Becanus petit ex analogia judicis controversiarum civilium, & sic proponit: *Inter res fidei ac religionis ex una parte, & inter res civiles ac politicas ex altera parte potest spectari multiplex analogia.* 1. *Sicut in politicis ac civilibus sæpe oriuntur lites ac controversiæ, quæ requirunt aliquem judicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes: Sic etiam fit in fide ac religione.* 2. *Sicut in controversiis civilibus distinguuntur hæc tria, judex, lex scripta & consuetudo: Sic etiam in controversiis fidei hæc tria, judex, Scriptura utriusque Testamenti & traditio.* 3. *Sicut Princeps vel magistratus secularis fungitur officio judicis in decisione controversiarum civilium: Sic etiam Princeps Ecclesiæ, vel Synodus Ecclesiastica fungitur officio judicis in decisione controversiarum fidei.* 4. *Sicut lex scripta est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur judex secularis in decidendis controversiis civilibus: Sic etiam Scriptura utriusque Testamenti est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur judex ecclesiasticus in decidendis controversiis fidei.* 5. *Sicut sola lex scripta non est sufficiens & integra norma controversiarum civilium, sed lex scripta & consuetudo simul: Sic etiam sola Scriptura utriusque Testamenti non est sufficiens & integra norma omnium controversiarum fidei, sed Scriptura & traditio simul.* Num 105.

II. Resp. Becanus studiosè declinat formam syllogisticam. Causam quæris? ne crassus consequentis error primo intuitu lectoris feriat oculos. Nos formemus. *Si inter res fidei & res politicas multiplex est analogia, ergo eadem est utrobique controversiarum decidendarum ratio, per consequens scriptura V. & N. Testamenti non est sufficiens norma controversiarum, non index directivus*, sed Scriptura & traditio non scripta norma, at alius judex summus & absolutus, isque Pontifex Romanus, vel Concilium ab eo approbatum. *Prius verum. Ergo & posterius.* Hîc primùm nego consequentiam, tum quòd Deus formam rerum in Ecclesia gerendarum nusquam à civili republica petendam esse, docuerit, tum quòd in schola theologica similia non probent, tum denique quòd à republica civili ad Ecclesiæ statum argumentari non liceat, præeunte Christo, Luc. 22. In illa enim sunt leges & causæ humanæ, in ista divinæ: tum denique quòd allegata analogia ad eandem rationem decidendarum controversiarum non sufficiat. Deinde laborat antecedens. Non quòd nulla sit inter rempublicam politicam, & ecclesiasticam analogia, sed quòd non omnino sit tanta & in iis omnibus, quantam & in quibus Becanus fingit. Respublica suum habet Principem; Ecclesia quoque habet, at Christum, non alium, summum & œcumenicum, quod fingit Jesuita. Princeps in republica habet potestatem ferendi, mutandi, abrogandi leges. In Ecclesia nemo habet, quoad dogmata fidei. Lex civilis est temporaria, mutabilis; Scriptura perpetua & immutabilis. Legi civili potest

est sensus inferri auctoritate Principis, vel populi, quem antè non habebat; Scripturæ ñ potest. Lex civilis imperfecta, q.a humãa: Scriptura divina & perfecta. Cõ- 6. suetudo in republica habet vim legis; In Ecclesia non habet. In republica consue- 7 tudo interdum derogat juri communi scripto, in Ecclesia non derogat.

III. Becanus dicit, *hæc clara esse: Nihilominùs, ne quis dubitet, singula se velle explicare.* Num. 106. Primum clarum: reliqua non clara. Audiemus igitur declarationem. Primò probat, Principem, vel magistratum civilem fungi officio judicis in controversiis civilibus. Hoc erat tertium analogiæ membrum. Ubi secundum? Huc retrahimus Becanum. Nobis enim non est clarum. Non quòd non agnoscamus, in Politia ullo modo differre hæc tria, judicem, legem scriptam, & consuetudinem; Sed partim quòd Jesuita confundat judicem τῶν καθ' ὅλου, cum eo, qui est τῶν καθ' ἕκαστα. Hunc à lege differre, certum; illum, non item. Lex enim est judex τῶν καθ' ὅλου, partim quòd in republica lex scripta impropriè judex dici soleat, Das Gesetz soll vnser Richter seyn: partim quòd in Ecclesia non habeat eum locum traditio non scripta, quem consuetudo in Politia. Suprà disputatum est, nullum esse dogma fidei non scriptum, traditiones fidei nõ scriptas esse nullas post absolutum Scripturæ canonem. Ratio diversitatis aperta. 1. Quia consuetudo nititur tacito cõsensu eorum, inter quos invaluit, qui vim legis habet. Inde consuetudo vim legis habet. *Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur. (Et hoc est jus, & dicitur moribus cõstitutum.) Nam cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ sunt; meritò & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? l. De quibus. 32. ff. de Legibus.* At in Ecclesia consensus hominum vim legis habere nequit: quia homini nullum jus in Dei causa. 2. In republica consuetudo derogat legi scriptæ, juxta illud Juliani; *Quare rectissimè receptum est, ut leges non solùm suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* leg. & tit. eodem. Num etiam traditio in Ecclesia legi scriptæ derogat? Absurdum! impium!

IV. Jam fateor, probatione non egere, quòd Princeps, vel magistratus secularis fungatur officio judicis in controversiis civilibus. Quis enim tam improbus sit, ut hoc neget? At duo hîc potissimùm desidero. Unum spectat rempublicam civilem, alterum analogiam ejus cum Ecclesia. Prius est, quòd infert, judicem nullo modo dici legem ipsam, quia nemo sit tam stupidus, ut vel per ordinarium, vel delegatum intelligat ipsam legem. Ut verò nec ordinarius, nec delegatus judex sit lex, summus tamen judex est lex viva, & lex est vox summi judicis, imò aliquo sensu judex, nempe directivus & τῶν καθ' ὅλου.

V. Alterum analogiam spectat. Hic primò Jesuita Principi civili opponit Principem Ecclesiæ, & supponit, regimen Ecclesiæ externum esse monarchicum. Malè. Nam Ecclesia præter Christum non agnoscit alium Principem: & regi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

men ejus externum subordinatum, Aristocraticum potiùs est, quàm Monarchicum, de qua re disputatum suo loco. Secundò. Principi in Republica civili Deus potestatem dedit leges ferendi, mutandi, abrogandi, novas substituendi, sicut de se scribit Justinianus §.10.l.2.C. *de veteri iure enucleando.* Nemini dedit Deus in Ecclesia in rebus fidei, de quibus hîc agitur. Tertiò. Princeps alligatus est legibus in ferenda sententia. Ergo & ille, quem fingit Becanus, judex in Ecclesia. De Principe habemus verba Theodosii & Valentiniani Imperatorũ: *Digna vox est maiestate regnantis, legibus se alligatum Principem profiteri. Adeò de auctoritate iuris nõstra pendet auctoritas, & revera maius imperio est, submittere legibus Principatum. Et oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis iudicamus.* l. 4. C. *De Leg. & constit. Principum.* Quartò. Per Principem intelligit Pontificem Romanum, cui summum magistratum monarchicum demandatum esse, frustrà clamabat Jesuita: Probando enim deficiebat, cùm ea res ageretur. Quintò. Probare debet, Ecclesiæ per Pontificem, vel Concilia ab eo approbata pronunciantis sententiam esse infallibilem: Hoc non probat analogia.

VI. Secundò. *Legem scriptam non posse esse iudicem,* dicit, idque in tribus casibus. 1. *Quando ipsa obscura, aut ambigua est.* 2. *Quando una lex videtur alteri repugnare, quod frequentissimè contingat.* 3. *Quando verba legis, quæ generalia sunt, restringenda essent in aliquo casu & tamen restricta non sint.* *Hoc autem fieri, dicit, quando occurrit aliquis casus particularis, quem legislator, cùm legem conderet, non prævidit eventurum: Et si prævidisset, non voluisset sub lege sua comprehendere. In tali casu, contra legis verba iudicandum. Quis erit iudex? non lex ipsa. Nam illa seipsam non destruit, aut iudicat. Ergo alius distinctus à lege.* Num. 107.

VII. Resp. Primò committitur Elenchus à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Lex scripta in tribus casibus non potest esse judex: Ergo nullo modo potest esse judex. Consequentis errorem omnes agnoscunt, me tacente. Secundò. Sophista seipsum evertit. Si enim in tribus casibus lex scripta non potest esse judex: Ergo extra illos potest. Consequentia patet; Si enim nullo casu potest esse judex, ineptè nominantur tres, quibus non queat esse judex. Recta ratio id evidenter ostendit. Tertiò. Jam vide applicationem. Talis erit; *In tribus casibus lex scripta nequit esse iudex quæstionum civilium: Ergo Scriptura nullo casu potest esse iudex directivus controversiarum fidei.* Quis non videat hominis ineptias? An mavult, tribus casibus tantùm esse non posse? At suprà simpliciter dixerat, has partes ei denegandas. Hoc deseret, si tribus casibus hæreat: quibus nisi hæreat, analogia, quam molitur, peribit.

VIII. Quart Certè tres illi casus tanti momenti apud prudentes viros non fuerunt, ut eos propter legi scriptæ dignitatem suam auferrent cum Jesuita. Nisi fortè illis hi casus in mentem non veniebant. Marcianus ex Philosopho summæ stoicæ sapientiæ Chrysippo, Νόμος inquit, πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προστάττειν τῶν καλῶν

καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἡγεμόνα καὶ τῶν κατὰ τοῦτο κανόνατε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δέ, ὧν μὴ ποιητέον, id est, *Lex est omnium divinarum & humanarum rerum regina. Oportet autem eam esse præsidem & bonis & malis, & Principem & ducem esse: & secundùm hoc regulam esse iustorum & iniustorum, & eorum, quæ naturâ civilia sunt, animantium, præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum.* *Nam* & 2.ff. de *Legibus.* Præter vocem *iudicis* hîc nihil desiderari possit. Nominatur præses bonis & malis, Princeps, dux, præceptrix, prohibitrix. Cui ista omnia competunt, num ei titulus judicis justè denegetur, judicent cordati. Si verò lex scripta in politia civili rectè appellatur præses, Princeps, dux, cur non in Ecclesia, quæ multo habet certiorem, pleniorem, non humanam, sed divinam?

IX. Quintò. Tres nominati casus non juvant adversarium. Quando lex obscura est, vel ambigua, opus judice esse, agnosco, qui interpretetur. At quis authenticus interpres? Num alius, quàm qui legem condidit? Ut ministri, possunt sensum explicare plures; non autem obstringit nisi ipsius legislatoris interpretatio. Audi Valentinianum & Marcianum. Imperatores l. *Leges.* C. de Leg. & constit. Prin. *Si quid verò in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id ab Imperatoria interpretatione patefieri.* Audi Justinianum: *Si in præsenti leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari, solo dignum imperio esse oportet. Cur autem ex suggestionibus procerum, si dubitatio in litibus oriatur, & sese non esse idoneos vel sufficientes ad decisionem litis illi existiment, ad nos decurratur, & quare omnes ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiunt nostræ, si non à nobis interpretatio mera procedit? Vel quis legum ænigmata solvat & omnibus aperire idoneus esse videbitur, nisi is cui soli legislatorem esse concessum est? Explosis itaque his ridiculosis ambiguitatibus, tam conditor, quàm interpres legum solus Imperator iustè existimabitur.*

X. An placet applicare? Concedo, aliquos locos Scripturæ esse obscuros: Hi ergo separatim spectati & à corpore divulsi non possunt esse judex, quo nihil obtinet Sophista. At totum legis divinæ corpus obscurum esse, pernego: tam clarum esse, ut ex eo solo certa sententia de omnibus ad fidem & salutem necessariis hauriri possit, citra externum additamẽtum, probavi suprà. Ibi vide. Quia verò alicubi obscuritas occurrit, admitto interpretem. Ex analogia nemo authenticus esse potest, præter auctorem Scripturæ. Nempe sicut Imperator solus est auctor & interpres legis à se uno conditæ, sic Spiritus sanctus solus auctor & interpres Scripturæ authenticus. At ille hodie loquitur in Scriptura. Scripturæ igitur interpretatio ex ipsa Scriptura & quidem sola petenda. Hinc ergo pendet judicium. Atque hîc inter legem civilem & Scripturam ingens apparet discrimen. Si enim de interpretatione legis quæratur, inprimis inspiciendum est, quo jure civitas retrò in ejusmodi casibus fuisset. Optima enim est legum interpres consuetudo, l. 37. ff. de Leg. at hoc non pariter

Universidad de Deusto
Biblioteca

valet in interpretatione Scripturæ, juxta illud Cypriani, *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit; sed quid, qui ante omnes est, Christus, prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* C. *Si solus.* Distinct. 8.

XI. Sextò. De contrarietate legum viderint JCti, quorum alii ἐναντιοφανῆ veram, alii non nisi ἐναντιοφανῆ concedunt. Certè Justinianus §. 26. l. 2. C. de vet. jure enucl. contrarium aliquid in Codice positum nihil inveniri, pronunciat. Sed sive apparens, sive vera occurrat contrarietas, quid ad nos? Vera in Scriptura non occurrit. Ejus igitur auctoritas hinc non imminuitur. Apparens contrarietas legum tollitur ex ipsis legibus; sic si quæ repugnare sibi videntur in Scriptura, bene conciliantur per Scripturam. At judicem requirit. In Politia civili habes iterum summum & plures intermedios. Sic in Ecclesia summus est Spiritus Sanctus in Scriptura loquens. Intermedii sunt plures, id est, sunt Ecclesiæ ministri. Nihil hîc habet Papa præ aliis, aut perit analogia, quam urget Becanus tantopere.

XII. Septimò. In tertio casu magnum est discrimen inter legem civilem & Scripturam. De lege civili constat, quòd non omnes casus ea comprehendantur: *neque enim leges, neque Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: Sed sufficit, & ea, quæ plerumque accidunt, contineri,* inquit Julianus l. *Non possunt* 10. ff. de *Legibus Senatusque consultis.* Remedium duplex præstò est. Unum, quod à legis sententia in uno casu manifesta ad similia debet procedi. De quo idem Julianus l. 12. ibi. *Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus aut Senatusconsultis comprehendi. Sed cùm in aliqua causâ sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere atque ita ius dicere debet.* Alterum, auctoritas imperialis. De qua idem §. 18. l. 2. C. de vet. jure enucl. *Si quid imperfectum inveniatur, ab imperiali sanctione hoc repleatur.*

XIII. At analogia hîc laborat. Nam 1. Scriptura absolutissima perfectissimaque est, omnia quippe continens, quæ fidem moresque spectant, ut nulla quæstio fidei nominari possit, quæ non decidi queat ex Scriptura. 2. Hîc cessat imperfectionis causa; legis humanæ auctor est homo, qui prævidere omnia non potest: Scripturæ auctor Deus, qui prævidere omnia potuit. 3. Dissimilitudo legislatoris civilis & Dei hîc aperta. Becan⁹ fingit casum, quem si prævidisset legislator, tamen sub lege comprehendere noluisset. Nihil ejusmodi de Deo comminisci licet. 4. Dicit, *isto casu contra verba legis pronunciandum esse.* Ego addo, etiam contra sensum legis, quia præsupponit, legislatorem istum casum noluisse lege comprehendere. Num etiam contra verba & sensum Scripturæ licet pronunciare? Hoc affirmandum Jesuitæ, aut perit analogia. Inde fortasse est, quòd nonnulli Canonistæ tribuunt Papæ potestatem dispensandi contra Paulum & vetus Testamentum. At nec illud citra blasphemiam affirmari, nec ista potestas concedi potest. Cæterùm hâc parte malè comparari legem humanam cum Scriptura, doceat nos Imperator Justinianus. Sic ergo ille; *Quia divina quidem res perfectissimæ sunt, humani verò juris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est in eo, quod perpetuò stare possit, multas etenim formas edere natura novas deproperat, non desperamus, quædam posthæc emergi negocia, quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata. Si quid igitur tale contigerit, augustum imploretur remedium, quia ideo imperialem fortunam rebus humanis Deus proposuit, ut possit omnia, quæ noviter contingunt & emendare & componere, & modis ac regulis competentibus tradere.* l. 2. §. 10. C. de vet. jure enucl.

XIV. Postremò. Quòd *sola lex scripta non possit esse sufficiens norma pro decisione quarumcunque controversiarum civilium, sed præter legem scriptam sit admittenda consuetudo,* dicit, *certissimum esse apud JCtos, idque potissimùm in duplici casu. 1. Quando movetur aliqua controversia, de qua nulla exstat lex scripta; tunc enim consuetudinem habere vim legis* l. 35. ff. de leg. 2. *Quando exstat quidem lex scripta, sed ambigitur de sensu illius, nec aliunde quàm ex consuetudine, & traditione de ea constare potest: tunc illud obtinere,* Optima legum interpres est consuetudo. l. 37. ibid. itemque illud; *Imperator etiam Severus rescripsit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem ac rerum similiter judicandarum auctoritatem vim legis obtinere debere* l. 38. ib. Num. 108. Resp. Primò. Certissimum quidem est, consuetudini in rebus civilibus præter legem scriptam concedendum esse locum: Verùm non sine limitatione, sed si sit cum ratione citra errorem introducta. Nam *quòd non ratione introductum, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet.* l. 39. ff. de Leg. Unde Alexander Imperator, cùm rescribit, præsides provinciarum debere, probatis his, quæ in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causâ cognitâ statuere, sic consuetudinem commendat, ut rationem conjungat: *Nam,* inquiens, *& consuetudo præcedens, & ratio, quæ consuetudinem suasit, custodienda est.* l. *Præses* 1. Cod. *Quæ sit longa consuetudo.* Repetitur in jure canonico C. *consuetudo.* Dist. 12.

XV. Secundò. Verba legum non satis commodè applicantur. Legis trigesimæ quintæ verba malè applicantur: Lex enim non loquitur de casu non exstantis legis scriptæ, sed exstantis, at ambiguæ, adeoque de casu secundo. Patet ab ipsis verbis: Sic enim ibi Paulus JCtus; *Si de interpretatione legis quæratur, inprimis inspiciendum est, quo jure civitas retrò in eiusmodi casibus fuisset. Optima enim est legum interpres consuetudo.* Nec meliùs verba legis trigesimæ octavæ; Severus enim non de illo solo casu, sed simpliciter rescripsit. Conditionem nullam, nedum istam exprimit. Tertiò. Non intelligo, quòd consuetudinem à traditione in rebus civilibus distinguit Jesuita. Consuetudinem memorari, audio, de traditione nihil audio. Unde hauserit, viderit ipse.

XVI. Quartò. De analogia hîc altum silentium. Promittebat singulorum probationem. Non præstat. Nos in rebus indifferentibus facilè admittimus consuetudinem & traditionem non scriptam: at quæstio nostra est de fidei controversiis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hîc analogia deficit. Nam primò. In rebus civilibus omne jus aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut consuetudo firmavit. l. *Ergo.* 40. ff. de Leg. In rebus fidei sola voluntas Dei in verbo patefacto jus statuit. Secundò. In rebus civilibus Imperator & populus consuetudini auctoritatem legis dedit: in rebus fidei, Deus consuetudini auctoritatem legis non dedit. Tertiò. Imperatoris rescriptum eam in rem exstat in jure scripto. Nostri Imperatoris Dei non exstat in Scriptura, quo cõstet, consuetudinem æquipollere legi scriptæ.

XVII. Quartò. In rebus civilibus ex Imperatoris Juliani rescripto l. *De quibus.* 32. ff. de Leg. lex scripta per desuetudinẽ abrogatur. In rebus fidei lex scripta per desuetudinem ñ abrogatur. Imò etiã jus canonicum & civile habet, quòd legibus consuetudo cedat. Canonicum ex Isidoro, *Usus auctoritati cedat: Pravum usum lex & ratio vincat.* C. *Usus.* Distinct. 11. Jus civile: Constantinus Imperator ait; *Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est, verùm non adeò sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem.* l. 2. C. quæ sit longa consuetudo. Hoc nisi dent Papistæ, valdè erunt iniqui. Probo. Nam Nicolaus Papa scribit Michaëli Imperatori, *non posse statutis Pontificis consuetudinem cuiusquam refragari,* C. *consequens.* Distinct. 11. Aut igitur Papæ major est auctoritas quàm Scripturæ, aut huic consuetudo refragari non potest.

XVIII. Quintò. In rebus civilibus consuetudo est necessaria, propter legum imperfectionem: In rebus fidei non est necessaria, propter Scripturæ perfectionem. Imperatores fatentur, non potuisse casus omnes legibus comprehendi. Hoc Deus nusquam dicit de dogmatibus fidei in Scriptura. Imò omnia fidei dogmata comprehendi Scriptura, nos suo loco demonstravimus. Sextò. In rebus civilibus occurrere potest ambiguitas, quæ ex toto legum systemate fortè non sufficienter decidatur. At nullũ dogma fidei est, q ñ sufficiẽter decidi queat ex Scriptura, citra externũ additamẽtũ. Hoc probatũ suprà.

XIX. Becanus quærit, *Si occurrat controversia, quæ nec ex lege scripta, nec ex consuetudine definiri possit, quæ tunc futura sit norma, quam judex sequi debeat?* Respondet, *ex naturali æquitate debere rem componere.* Concedo. Non enim jam disputo, an is casus aliquando incidat. Analogiam potiùs videamus. Contendit, *idem fieri posse in controversiis fidei aut religionis.* Nego, idem fieri posse. Ille probat. *Nam,* inquiens, *si occurrat aliqua controversia, quæ neque apertè ex Scriptura, neque ex traditione decidi posset, recurrendum esset ad auxilium Spiritus sancti, qui tametsi omni casu implorantibus adesse solet, in hoc tamen speciatim doceret nos omnem veritatem, ut Christus promisit.* Num. 109.

XX. Resp. Primò. Apertè ex Scriptura decidi dicitur, vel quod totidem syllabis in Scriptura legitur, vel quod aut διαρρήδην in Scriptura legitur, aut per bonam consequentiam inde concluditur. Posteriori sensu nego, illum casum accidere in rebus fidei. Priore accidere, fateor, sed nego, ideo ex Scriptura decidi non posse. Non enim necessarium est ad veram decisionem, ut totidem syllabis dogma in Scriptura legam.

XXI. Se-

XXI. Secundò. Si posteriori sensu loquitur, sanè hîc mysterium nobis prodit Sophista, quod non omnibus familiariter notum est. Ideo notandum. Contenderunt hactenus adversùs nos Papistæ, non solam Scripturam, sed Scripturam & traditionem simul esse sufficientem normam decidendarum omnium controversiarum. Hîc ostendit Becanus, merum esse ludibrium. Nec enim Scripturam & traditionem conjunctim sufficere, quia casus incidat, qui nec ex Scriptura, nec ex traditione possit decidi. Papatus igitur non habet certam & sufficientem controversiarum fidei normam.

XXII. Tertiò. In omni casu ad auxilium Spiritus Sancti recurrendum: at in Scriptura loquentis. Quòd enim extra Scripturam immediatè deinceps inspirare velit veritatem, usque ad consummationem seculi, Christus non promisit. Certè ad hũc casum, quem Jesuita fingit, nimis importunè promissio extenditur, quia promittentis intentioni repugnat. Spiritus Sanctus enim hoc fine Apostolos in omnem veritatem ducere debebat, ut ipsi omnem veritatem alios docerent, nempe voce vivâ & scripto. Id aut fecerunt, aut nõ fecerunt: si nõ fecerunt, aut non potuerunt, aut noluerunt. Noluisse, quis affirmare ausit? Noluissent n. vel quòd impatientes essent laboris, vel quòd nobis inviderent: Utroque modo in Christi præceptum incurrissent. Alienum. Si non potuerunt, aut Christi veritas, aut Spiritus bona voluntas aut potentia in dubium vocatur. Id totum piæ mentes perhorrescunt. Fecerunt igitur, quod debuerunt. Tradiderunt igitur omnem veritatem. Casui igitur, quem Jesuita fingit, non est locus.

XXIII. Quartò. Casum, qualem fingit, omnino nullum potest monstrare, qui ad rem faciat. Dicit, *hoc remedio usos esse Apostolos in Concilio Hierosolymitano, ubi agebatur de circumcisione, & observatione legalium.* Primùm dico, exemplum esse alienum, quia factum, cùm canon Scripturæ nondum esset absolutus. Nostra autem quæstio est de tempore absoluti canonis. Deinde extraordinarium fuit, quia Apostoli immediatè inspirabantur à Deo & privilegium infallibilitatis erant consecuti. A facto autem extraordinario ad perpetuum ordinem non valet consequentia. Denique nego, ibi hunc casum incidisse, quem fingit Jesuita, donec probet. Certè hucusque non probavit, ac ne quidem tentavit. An de his nihil poterat ex Scriptura decidi? nihil ex viva Christi institutione, seu traditione? *Omnes Prophetæ & ipsa lex usque ad Johannem prophetârunt,* Matth. 11, 13.

Sectio VIII.

Argumenta Catholicorum proposita vindicantur.

I. HActenus fuerunt Papistarum argumenta. Deinceps Becanus quatuor objectiones pro nostra sententia format, in quibus confutandis vires suas experiatur. Ordine videbimus. Prima est ex Jesaiæ 8. *Ad legem magis & ad testimonium.* Dicit, *nostros hinc colligere, Judæos in Veteri Testamento, quandocunque oriebatur aliqua controversia, ex mandato Dei missos esse ad legem & testimonium,* id est, *Scripturam,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ram, tanquam ad judicem. Nos sic formamus argumentum. Ad quod Judæi in rebus fidei, sub hac comminatione mittuntur, non habituros lucem matutinam, qui juxta illud non sint dicturi, illud est norma fidei unica. Atqui Judæi ad Scripturam sub ista comminatione remittebantur. Ergo. Major probatur, quia Deus nō erat tam severè ulturus Judæos hoc nomine, si verbum non esset norma plenaria, quam sequi debebant. Minor est Prophetæ. Jam si norma, ergo erat judex directivus. Norma enim est directivus judex.

II. Becanus excipit, *nos valde errare*, Probat primò, quia suprà sit ostensum, *judicem controversiarum in veteri Testamento non fuisse Scripturam, sed Pontificem.* Deinde, quia *verba multo aliter sint accipienda, quàm nos putemus, ut pateat, à verbis præcedentibus, ubi agatur contra illos, qui de futuris eventibus solent consulere Pythonissas & ariolos, ac remittantur partim ad legem, quæ id prohibebat*, Deut.18,9. *partim ad testimonium Prophetarum, qui à Deo constituti erant, ut futura prædicerent*, 1.Reg.22,7. Si magni erroris convincere nos velit, firmioribus opus est argumentis. Hæc nimis levia. Prius quidem: quia præter inanem jactantiam nihil habet veri. Conabatur suprà spoliare Scripturam veterem directivi judicis dignitate: at defecit in ipso opere. Nec obtinuit, Pontificem veterem fuisse judicem controversiarum fidei summum & absolutum; imò cùm nostris premeretur argumentis, vix audebat Pontificem à Concilio sejungere. Adeò nihil inveniebat pro ejus infallibilitate, & potestate judicandi absoluta.

III. Posterius non est firmum. Nam primò etsi contra illos agitur, qui Pythonissas consulebant, non tamen ideo per legem & testimonium non intelligitur Scriptura, seu doctrina Mosis & Prophetarum. Est enim antithesis aperta eaque duplex, in qua duo docentur. In priore unum est, quos non debeant consulere, nempe Pythonissas & ariolos, v.19. Alterum, quem debeant consulere, DEUM SUUM, *Nonne populus Deum suum consulturus est?* In posteriore rursum unum removetur, alterum ponitur. Removetur tanquam absurdum, *Num pro vivis mortuos consulat?* Ubi per mortuos intelligit partim Gentilium Deos vita & sensu carentes, partim inania defunctorum nomina & spectra, quæ repræsentare solebant necromantæ. Ponitur; *Legem & testimonium consulunto*, id est, Lex & doctrina Prophetica præscripta est divinitus, illam consulant in omnibus fidei vitæque negociis.

IV. Hic sensus 1. à scopo dicentis non est alienus, sed maximè illi consentaneus. Cùm enim falsam viam inquirendæ veritatis disuadeat, rectam, ordinariam & perpetuam suadeat, & non sit alia, quàm ut audiant Mosen & Prophetas, juxta Abrahami responsum epuloni datum, Luc. 16,29. rectè sanè de his interpretamur. 2. Fluit ex ipsa forma verborum. In originali textu sic legitur: *Apud legem & apud testimonium*; quam ellipticam esse & subintelligi *quærunto*, constat ex antithesi. Apud quam legem quærent? Mosaicam. Apud quod testimonium? Prophetarum. Ubi considerandum, quòd non semper vivos erant habituri Prophetas, quos consulerent, neque tamen tunc cessatura hæc regula. Consulere igitur debebant Scripturam Propheticam. 3. Respondet præcedentibus verbis. Nam v. 16. nominatur *testimonium*, quod Propheta jubetur legare, id est, ab impiorum oculis occultare, & *lex*, quam jubetur obsignare in discipulis Dei, id est, piis & fidelibus inculcare, eosque in ea confirmare crebris monitionibus. Præterea ex lege Mosaica repetit doctrinam de solo Deo timendo & sanctificando, v.12.13. addita promissione & comminatione, v.14.15. 4. Illustratur aliorum locorum collatione. Frequens enim est ille significatus in Scriptura. Psalm.19,8. *Doctrina (lex thorah) Jehovæ integra est, restituens animam: testimonium Jehovæ verax, sapientiam afferens imperito.* 1.Chron.29,19. *Ad servandum præcepta tua, testimonia tua & statuta tua.* Psalm.78,56. *Et testimonia ejus non observârunt.* Psalm.119,1.2. *Beati integri viâ, qui ambulant in lege Jehovæ. Beati custodientes testimonia ejus, ex toto animo quærentes eum.* Ubi nota, pro eo, quòd hîc lex & testimonium appellantur, infrà v.9. verbum Dei nominari. Confer ib. v.59.&60.77.&79.93. &95. Ab hac frequentissima significatione cùm recedendi hoc loco nulla sit justa causa, meritò retinemus. Idem Hieronymo placuit inquienti in h.l. *Si vultis nôsse, quæ dubia sunt, magis vos legis & testimoniis tradite Scripturarum.*

V. Denique retinetur à Papistis, nominatim à Glossa interlineari. *Ad legem: in qua invenietis veritatem recurrite. Et ad testimonium: Scripturæ, quæ non fallit.*

Quid? à Bellarmino retinetur. Nam lib. 1. de verbo Dei, cap.2. recitatis verbis Mosis, Deut.17, *Si difficile &c.* & v.11. *Facies, quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quē elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem eius.* Subjicit: *ubi satis apertè S. Moses controversias exortas in populo Dei, ex lege Domini dijudicandas docet. Ad eundem modum & Isaias clamat*, cap.8. *ad legem magis & ad testimonium.* *Et Malachias*, cap.2. *Labia Sacerdotis &c.* & *David*, Psal.119. *Beati, qui scrutantur testimonia ejus.* Hîc duo nota. Unum; Eodem sensu secundùm Bellarminum legem & testimonium hîc capi, quo capit Malachia & David. Alterum. Aut hîc ineptissimè concludit Bellarminus, aut nostri nec falsi sunt, nec ineptiunt, sed falsus Becanus. Si Bellarminum ineptiarum damnet Becanus, non est, cur miremur, ab eodem damnari nostros. Qui enim domestico Rabbino & quidem facilè principi non parcit, quomodo parceret hominibus externis? Si nostri ineptiunt, Bellarminus autem non ineptit in oculis Becani, quis vertiginem non animadvertat?

VI. Secundò. Quòd per legem unicam illa lex, Deuter.8. de Pythonissis & per testimonium tantùm prædictiones evētuum futurorum Propheticæ intelligantur, nobis nondum persuadetur. Nam 1. quæ restringendi causa? Scriptura nullam ostendit. 2. In Deuteronomio non nudè proponitur lex de vitandis Pythonibus, ariolis, necromantis, sed additur mandatum de audiendo illo Propheta, quem Deus ex illorum medio esset suscitaturus, v.15. ubi certè ad totam doctrinam remittuntur. Accipimus igitur in la-

Universidad de Deusto
Biblioteca

titudine, quam Scriptura passim nobis commendat, his duabus vocibus doctrinam Mosis & Prophetarum complectens. 3. De prædictionibus eventuum Propheticis exclusivè interpretari prohibet tum vis antitheseos, tum necessitas, tum adversarii hypothesis, tum denique absurditas manifesta. *Vis antitheseos*; Ethnici Pythones non tantùm explorabant futuros eventus, sed etiam quâ ratione Dii irati placari vellent & deberēt. Exempla sunt manifesta. Sic populus Dei veram colendi Dei rationem apud legem & testimonium debebat quærere. *Necessitas*; Opus enim erat ad devitandos errores in cultu non tam futurorum eventuum, quàm veri cultus inquisitione. *Hypothesis adversarii* est, intelligi responsum Sacerdotum & Prophetarum: At Sacerdotes non erant potissimùm instituti, ut prædicerent futura, sed ut legem custodirent & interpretarentur, Malach. 2, 7. Denique *absurditas*: Si enim exclusivè de prædictionibus eventuum singularium, quæ fiunt vivâ voce, exponatur, sequētur duo imprimis absurda: Unum est, non præscribi perpetuam regulam & viam, quam posset populus insistere. Nam non erant semper futuri Prophetæ. Alterum; Non esse viam & regulam veteri & novo Testamento communem. Nobis enim non est data promissio de prædictionibus eventuum futurorum particularium, quę fiat vivâ voce, ad nostram interrogationem.

VII. Dixerat Gardius, cùm versaretur in hoc argumento 1. Nullum in tota Scriptura locum monstrari posse, ubi vox *testimonii* significet testimonium Prophetarum futura prædicentium. 2. Legem & testimonium hîc pro eodem accipi, id est, pro Scriptura. Jesuita primò locum monstrat Act. 10, 43. *Huic omnes Prophetæ dant testimonium, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Deinde etsi negare nequeat, legem & testimonium aliquando pro eodem capi, contendit tamen, *hîc esse distincta: & quidem per legem intelligi legem illam particularem*, Deuteron. 18, 9. *per testimonium, responsum Sacerdotum & Prophetarum, quod vivâ voce soliti erant dare.* Num. 113.

VIII. Ad *prius* resp. Gardij dictum de prædictione eventuum merè historicorum commodè intelligi debet, & sic non malè dictum. Nisi in contrarium ullus textus succurrat Jesuitæ. Verba Petri de Prophetarum testimonio Christo perhibito doctrinam salutis manifestè sonant. Inconsideratè igitur opponuntur Gardio. Ad *posterius* repeto rationes paulò antè propositas. Præterea noto Sophistæ inconstantiam. Numero 111. & 112. testimonium restringebat ad Prophetas, quorum erat officium de futuris prænunciare. Hîc extendit ad responsum Sacerdotum & Prophetarum. Ista non cohærent. Nam Sacerdotum officiū, ex ordinaria vocatione, non erat futura prænunciare, sed Prophetarum. Si igitur comprehenduntur Sacerdotes, cur restringit ad prædictiones futurorum evētuum? Si ad futurorum prædictionem pertinet, cur ingerit Sacerdotum nomē? Non ignoro, per os Sacerdotis summi Deum consultum esse, & consuli debuisse & Deum respondisse in rebus dubiis.

1. Sam.

1. Sam. 14, 3. c. 23, 6. 10. c. 30, 7. At hoc non promiscuè ad Sacerdotes pertinebat.

IX. Molitur duplicem probationem. Prior hæc est: *Si lex & testimonium loco citato sumeretur pro Scriptura, & mandatum esset, ut Judæi in rebus dubiis recurrerent ad solam Scripturam, jam omnes illi peccâssent contra hoc mandatum, qui in rebus dubiis consulebant Prophetas & Sacerdotes, ut David, Iosaphat, & alii plures in Scriptura laudati, imò Deus dedisset duo contraria mandata.* Unum, *quo iubebantur in rebus dubiis consulere solam Scripturam*: Alterum, *quo iubebantur consulere Sacerdotes & Prophetas*, Deuteronom. 17, 8. 18, 14. 15. *Hæc absurda sunt. Ergo & illud, ex quo sequuntur.* Num. 114.

X. Resp. Primò. Ad solam Scripturam recurrere, ambiguè dicitur. Particula enim, *sola*, vel excludit omnia alia media cognoscendæ veritatis, vel tantùm alia Principia & regulas, ut sensus sit, ad solam Scripturam, tanquam fidei Principium & regulam, debere Judæos recurrere. Hoc sensu, nego consequentiam. Priori, do argumentum totum. Secundò. Res dubiæ sunt distinguendæ. Vel enim spectabant fidem & Dei cultum, vel actiones & eventus politicos. Posteriori sensu non dicimus, remissum esse populum ad solam Scripturam. Poterat enim Deus consuli per Sacerdotem, aut Prophetam. At priori sensu, falsa est consequentia, quia unitas normæ, ad quam Ecclesia adstringitur, non excludit ministerium personale, quo uti Deo placuit in tradenda, conservanda, applicandaque norma. Lex & doctrina erant norma solvendorum dubiorum fidei: Prophetæ erant ministri normæ tum tradendæ, seu constituendæ, tum applicandæ: Sacerdotes conservandæ & applicandæ, non tradendæ. Illi n. divinitus inspirati canonem & edebant & interpretabantur. Isti ñ edebant canonem, sed conservabant, exponebāt applicabāt. Etsi igitur sola Scriptura esset norma, non tamen peccârunt, qui consuluerunt Prophetas & Sacerdotes, quotquot juxta illam normam voluerunt instituī ac doceri. Jussi enim erant, ex ore Sacerdotis legem requirere. Sic David & alii pii. Qui verò consulebant, ut in rebus fidei aliud præter normam illam audirēt, peccârunt. Agnoscit Bellarminus, eo ipso, quòd ad Sacerdotes remittitur populus, ad Scripturam remitti. Quid? Becanus nolens volens confirmabit veritatem. Dicit, *populum remitti ad solam illam legem particularem*, Deuter. 18. Num igitur peccabant, qui super hac re consulebant Sacerdotes & Prophetas? Atqui dicit alibi, legem non fuisse in manu populi, sed tantùm Sacerdotum. Duo igitur ista non verè opponuntur, quæ ipse opponit.

XI. Secundò. Deus non inde convincitur, contraria dedisse mandata, si sola Scriptura sit norma solvendorum dubiorum. Nam ad solam doctrinam scriptā, tanquam normam, remittebat; ad Sacerdotes non remittebat, tanquam ad normam, vel ut ab iis aliam acciperent doctrinam, præter legem scriptam, sed ut juxta legem ab eis docerentur. Sic disertè Deut. 17, 11. Tertiò. Deuter. 18, 14. 15. nihil lego de Sacerdotibus & Prophetis, quos debeant consulere. Sed versu 14. lego, *Nam gentes istæ ex planetariis & divinis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

auscultant, de te autem non ita sunt, quos tibi dat Iehova Deus tuus. Vetus interpres vertit, *Tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es*, id est, interprete Lyra, *populus Dei sc. per legem divinitus datam, & ubi non sufficit legis determinatio, dabitur tibi Prophetica revelatio.* Versu decimo quinto de Propheta agitur, quem Christum esse, collatio novi Testamenti declarat. Nàm Petrus, Actor. 3, 22. 23. tum Stephanus Actor. 7, 37. sic interpretatur, & quidem Petrus duobus modis ad Christum præcisè restringit. Prior est particula Δεικτικὴ, ἐκεῖνος; Sic enim recitat, πᾶσα ψυχὴ ἥτις ἐὰν μὴ ἀκούσῃ τοῦ προφήτου ἐκείνου ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ. *Quisquis non auscultârit Prophetam* ILLUM, v. 23. Alter est distinctio hujus Prophetæ à reliquis omnibus, qui antè fuerunt, de quo sic ait, v. 24. *Sed & omnes Prophetæ à Samuele & iis, qui deinceps secuti sunt, quotquot locuti sunt, etiam prænunciârunt dies istos.* Aut ergo de se ipsis prædixerunt, aut hîc Prophetæ illius nomine non comprehenduntur. Porrò ipsum argumentum Petri hoc evincit. Probat enim, Jesum esse Messiam, inde, quia sit ille per Mosen promissus Propheta. Si autem indefinita esset promissio, periret vis argumenti Petrini. Nec ferè dubito, quin Philippus huc respexerit dicēs Nathanaëli, *Invenimus illum, de quo Moses scripsit in lege*, Johan. 1, 46. Itemque Judæi dicentes, *Hic est verè Propheta ille*, Johan. 7, 40. Istis igitur verbis non remittuntur ad Sacerdotes. Nec sequitur, ad unicum illum Prophetam remittuntur, ergo non ad solam Scripturam, tanquam normam. Imò eo ipso ad Scripturam remittuntur. Hæc enim de illo testatur, Joh. 5, 39. 45.

XII. Posterior probatio talis est; *Si Judæi de iis omnibus, de quibus Gentes consulebant Pythones & ariolos, debuissent consulere legem & testimonium, id est, solam Scripturam, debuissent etiam consulere solam Scripturam de futuris eventibus, de quibus vel maximè Gentiles consulebant Pythones & ariolos. At Scriptura nihil determinatè poterat pronunciare de futuris eventibus. Ergo frustrà illam consuluissent. Deus autem nihil frustrà mandat fieri.* Num. 115.

XIII. Resp. Primò confundit quæstiones religionis & futurorum eventuum, itemque media & regulam: lex scripta fuit Judæis solitaria regula, quam tum in quæstionibus religionis, tum in consulendo de futuris sequi debebant. Hanc regulam præscripsit Deus Sacerdotibus, 1. Paral. 16. Regi & duci, Deuter. 17, 18. 19. Jos. 1, 8. Omnibus, Deuter. 5. Josu. cap. 23, 6. *Confirmabimini igitur valdè, ut observetis & faciatis, quicquid scriptum est in libro legis Mosche, ne recedatis ab eo dextrorsum vel sinistrorsum.* David Salomoni regulam actionum præscribit, 1. Reg. 2, 3. At lex scripta non erat solitarium medium decidendarum quæstionum fidei & explorandorum eventuum particularium. In quæstionibus fidei erant Sacerdotes & Prophetæ interpretes legis. De futuris eventibus respondebat Deus per Urim & Thummim. Num. 27, 21.

XIV. Secundò. Scriptura quosdam eventus determinaverat, quosdam non determinaverat specialiter. In utrisque regula esse debebat populo, ne quicquam adversùs eam committeret. In priori genere sola poterat tutò consuli; In posteriori non debebat ab ea responsum speciale peti, exspectarivè, sed ab eo, ad quē in his casibus ipsa remittebat, nempe à Deo, qui respōdebat per Urim & Thummim, vel Prophetas. Sic David exploraturus, essetne Saul adversùs ipsum descēsurus & Ceilani prodituri, non interrogat Scripturam. Ea enim hunc casum non determinaverat: At juxta solam Scripturam interrogat: tenet enim legem latam. Num. 27, 21.

XV. Secundò sibi objicit illud Christi, Johan. 5, 19. *Scrutamini Scripturas*, & dicit, hîc nostros notare, quòd Christus nos remittat ad Scripturam, tanquam judicem controversiarum. Nos sic arguimus: Quam regulam Christus in controversiis fidei decidendi secutus est, eam meritò agnoscitur unica fidei regula. At Christus Scripturam in controversiis fidei decidendis secutus est. Minor probatur multis Scripturæ testimoniis. Quæstionem moralem, liceatne se præcipitem dare è fastigio templi, ex Scriptura decidit eodem Matthæi capite. Hoc loco Judæos ad Scripturas remittit, è quibus sufficienter constet veritas.

XVI. Jesuita primò judicat, *nos id non dicturos esse, si intelligeremus mentem Christi, qui adversùs Iudæos probet, se esse Dei filium quatuor testimoniis nempe 1. Iohannis Baptistæ. 2. miraculorum. 3. Patris. 4. Scripturæ.* Num. 116. Secundò dicit, *nos ex hoc loco impugnare potiùs nos ipsos, quàm Papistas, quia contendamus solam Scripturam esse judicem controversiarum, & Christum ad solam Scripturam remittere: At Christus Iudæos non ad solam Scripturam remiserit, sed primò ad testimonium Iohannis: deinde ad testimonium miraculorum, postea ad testimonium Dei: denique, ut omnia experiatur, ad testimonium Scripturarum.* Num. 117. Tertiò jactat, *Papistas hac in re Christum imitari: quia in controversiis non solùm utantur testimonio Scripturæ, sed etiam Sanctorum Patrum & matris Ecclesiæ & miraculorum: Nostros autem, quasi Christo prudentiores essent, nihil velle audire nisi ex solis Scripturis. In quo similes sint Iudæis, contra quos Christus agat. Nam Iudæos, repudiato quocunque alio testimonio, solam Scripturam admisisse, atque hanc ipsam neque tunc intellexisse, neque adhuc intelligere: Idē nostris, qui sint in hac causa nepotes illorum, accommodari posse.* Num. 118.

XVII. Ad *primum*. R. Intelligimus, Dei beneficio, mentem Christi mediocriter, & tamen iterum dicere non veremur, quod semel hac de re diximus. Quin Christus quadruplici testimonio probaverit, se esse Messiam, non est dubium. Ergone mentem Christi non intelligimus?

XVIII. Ad *secundum*. Non impugnamus nos ipsos. Nam primò. Etsi Christus diversa argumenta Judæis proposuit, non tamen ideo non ad solam Scripturam, tanquam regulam, eos remisit. Non enim omne argumentum est regula. Sed omnis regula suppeditat argumentum. Sic Moses, Deut. 4. Judæis proponit, 1. Res, quas viderant, v. 9. 2. Quòd audivissent Dei vocem è monte, v. 12. 3. Suum ministerium, per quod sint edocti legem, v. 14. 4. Denique ipsam legem, v. 5. 6. Neque tamen ideo lex scripta non erat unica norma divini cultus. Imò esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

debuisse, patet à versu secundo.

XIX. Secundò. Nobis certum est, Christum eo modo ad Scripturam remisisse Judæos, quo ipse Moses. Nam auctoritatem eam, quam olim erat consecuta, non sustulit Christus. Ergo ad eam remisit, ut ad normam. Fuit enim Judæis. Probo: A quo nemini licet deflectere ad dextram, vel sinistram, id illi est instar normæ perfectæ. At à Scriptura Judæis deflectere non licebat. Ergo fuit illis norma perfecta. Item: Si omnes exercitiorum religionis constitutiones & reformationes Deo placentes ex sola Scriptura & secundùm eam sunt susceptæ, utique Scriptura fuit unica divini cultus norma, Prius verum. Ergo & posterius. Minorem concedit Tannerus. Hungerus & Gretserus negabant Ratisbonæ in colloquio. Ideo multis exemplis probata fuit à Protestantium theologis. Maior negari nõ potest, nisi ab homine perfrictæ frontis.

XX. Tertiò. Si Scriptura non fuit solitaria norma, Christus Judæos ad eam frustrà remisit. Reliqua enim testimonia non agnoscebant. Si igitur illa norma partialis, ad imperfectam normam remisisset. At hoc absurdum. Ergo remisit, tanquam ad normam totalem. Quartò. Jesuita dicit, Judæos solam Scripturam agnovisse normam. Bene est. Id Christus aut reprehendit, aut non reprehendit. Si reprehendisse dicas, monstra locum. An fortè ibi, cùm diceret, *Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram*? Matth. 15,3. Si non reprehendit: Rectum igitur.

XXI. Quintò. Cùm testimonium Johannis, miraculorum & Patris allegat, non negat, Scripturam esse perfectam hujus controversiæ normam. Nam Johannes suum testimonium firmabat è Scriptura, Jesa. 40. Vide Johan. 1,23. Imò erat jam olim designatum in Scriptura, Malach. 4. De miraculis quæ allegat, prædixerat Scriptura Jesa. 35. Ubi autem de eo testatus est Pater? *Quidam dicunt, quòd in baptismate, quando dixit, Hic est filius meus dilectus. Opinor autem, quòd magis intelligat, quòd per omnem Scripturam testatus sit de eo Deus, tam per legem, quàm per Prophetas.* Sic Theophylact⁹ ex Chrysostomo. Repetit Thomas Aquinas in Aurea catena. *Propterea mittit eos ad Scripturas, ostendens quoniam & Patris testimonium illîc est.* Chrysostomus Hom. 39. Verbum Patris de Scriptura exponit. *Et verbum ejus non habetis in vobis. Hoc est institutiones, præcepta, legem, Prophetas, nam licet Deus ea instituerit, non tamen apud vos sunt, quoniam mihi non creditis. Nam si ubique Scriptura mihi necessariò credendum testantur; vos autem mihi non creditis, eius vocem à vobis longè abesse, perspicuum est.*

XXII. Ad Tertium. Nec Papistæ hac in causa Christum imitantur, nec nostri Judæos, sed nostri potiùs Christum, Papistæ Judæos imitantur. Papistæ non imitantur Christum: Christus enim in controversiis vocat Judæos ad Scripturam; Papistæ à laicorum oculis Scripturam diligenter occultãt. Christus docet, ex Scriptura sufficienter se posse cognosci. Papistæ negant. Christus Patrum traditionem pro fidei Principio non admittit: Papistæ urgent. Christus ubique divino testimonio, nusquam humano nititur in rebus fidei. Allegat testimonium Johannis, miraculorum, Patris, Scripturam; hæc omnia erant divina. Papistæ nituntur humano testimonio. Testimonium enim Patrum sive separatim, sive conjunctim consideratorum non divinum, sed humanum est. Nemo illorum immediatè fuit inspiratus. Fassi omnes, se errare posse; errâsse, testatur res ipsa. Christus nusquam ad Ecclesiam, tanquam infallibilem judicem, provocat. Papistæ provocant ubique. Denique Christus miraculis veritatem confirmat, quia Scripturâ id prædixerat; Nunquam, veræ doctrinæ dignoscendæ criterium miracula esse, docuit. Papistæ docent.

XXIII. Nos Christo sapientiores esse nolumus. Accipimus enim omnia testimonia, quæ Christus proposuit, nempe præconium Johannis, miracula Christi, vocem Patris, denique Scripturam. Quid ampliùs requiras? Ille interrogatus de religione, respondet ex Scriptura, nominatim de legis impletione & proximo, Luc. 10,27. de divortio, Matth. 19,5. de resurrectione mortuorum, Matth. 22,32. de maximo præcepto, ibid. Quòd nec patrum, nec Ecclesiæ sententiam veritatis cœlestis regulam, nec miracula criterium ejus discernendæ infallibile esse, patimur, eo non studemus sapientiores esse Christo, sed potiùs eum imitari. Nihil enim ejusmodi ab illo unquam approbatum usquam legimus.

XXIV. Cur nostri imitentur Judæos? Illi non accipiebant testimonium Johannis, non miracula, non vocem Patris. Nos accipimus. Scripturæ se credere, jactabant; non credebant. Alioqui credidissent Christo. Solam Scripturam admisisse, falsum: admittebant enim & urgebant nimiopere traditiones Patrum. Scripturam nec intelligebant illo tempore, nec intelligunt hodie. Etsi tam subtiles nostri non sunt, quàm Jesuitæ videri haberique volunt, Scripturam tamen mediocriter eos intelligere, testantur commentarii. At verò Judæos imitantur Papistæ. Illi præter Scripturam urgebant traditiones suorum Patrum, easque eodem pietatis affectu suscipiendas esse, decernebant, aliquando præferebant. Similiter Papistæ. Illi discipulos Christi accusabant, quòd traditiones Patrum transgrederentur, Matth. 15,1.2. Marc. 6,5. Eãdem accusationem nobis intendunt Papistæ. Illi sæpius petebant à Christo signa, quibus doctrinam confirmaret, quo nomine reprehenduntur Matth. 12, 38.39. cap. 16,1.2.3.4. Marc. 8,11.12. Luc. 11,39. Sic quoque Papistæ, Quo, inquiunt, miraculo confirmatis vestram doctrinam? Si igitur hos Judæorum nepotes dixerim, fortè non malè dixerim.

XXV. Tertiò objicit sibi illud, Actor. 17,11. *Quotidie scrutantes Scripturã, an hæc ita se haberent.* Hîc nostros clamare, scribit, Beroenses non temere credidisse Paulo, sed omnia examinâsse juxta normam Scripturæ. Æquum igitur esse, ut nos illorum exemplum imitemur, & solam Scripturam pro norma ac judice agnoscamus. Nos sic formamus: Quod Beroenses in probatiõe fidei unicè scrutati sunt, cum approbatione Spiritus Sancti, id meritò agnoscitur unica norma

Universidad de Deusto
Biblioteca

controversiarum fidei. At Berœenses Scripturam unicè scrutati sunt in fidei probatione, idque approbante Spiritu Sancto. Ergo Scriptura meritò agnoscitur unica norma controversiarum fidei.

XXVI. Becanus vociferatur, *nos frustrà esse. Hunc enim esse loci sensum, Berœenses, cùm audirent, Paulum citare quædam Scripturæ testimonia, quibus Christi mortem & resurrectionem adstruebat, scrutatos esse, an iis testimoniis consentanea essent, quæ à Paulo dicebantur. Non quidem eo animo, quasi dubitarent de morte & resurrectione Christi, quippe quæ jam satis confirmata erat per virtutem miraculorum,* 1. Thessalon. 1,5. *Sed ut magis in fide confirmarentur, si viderent ea, quæ Paulus prædicabat, per Prophetas esse præsignificata.* Num. 120. Imò non frustrà sumus, si is est verborum sensus, quem Jesuita refert. Cur enim Berœenses explorabant, an ea Scripturæ essent consentanea, quæ Paulus docebat, si Scripturam pro norma non agnoscebant? Examinant doctrinam Pauli ad amussim Scripturæ, quemadmodum aurum igni probatur. Quo ipso patet, quòd nec leves fuerint ad credendum, nec contumaces. Promptitudinem enim conjungunt cum judicio. Non inquisiverunt, fateor, quòd dubitarent; Receperunt enim sermonem cum alacritate; sed ut confirmarentur. Eo verò vis argumenti non eliditur. Non enim erat solidus inquisitionis usus, nisi ex Scripturæ collatione constaret infallibiliter, quænam doctrina vera esset, quæ falsa. Vera quidem, quæ ei consentiat; falsa, quæ dissentiat. At si hoc ex Scriptura constat, deinceps non potest ei normæ titulus denegari. Jam non alibi inquisiverunt; quia non alia erat regula. Sola igitur Scriptura erat. Obiter nota fraudem Sophistæ. Hæc verba, *Scrutantur Scripturas* &c. conjungit cum illis; *Disserebat cum eis ex Scripturis*, v. 2. & exponit, *illa testimonia, quæ citaverit, scrutatos esse*: quasi non contulerint cum aliis non citatis. At Lucas memorat, quòd cum Thessalonicensibus disseruerit ex Scripturis, non memorat de Berœensibus. Deinde non dicit, quòd solùm ista testimonia citata à Paulo sint scrutati, sed generaliter Scripturas; Ergo conferebant locos Scripturæ, ut in vera interpretatione confirmarentur.

XXVII. Jesuita oggannit, *Nihil nos agere, nisi sic concludamus, Berœenses scrutabantur Scripturæ testimonia à Paulo citata; Ergo sola Scriptura est judex controversiarum: quod perinde sit, ac si dicas, Lutherani scrutantur Augustini testimonia à Bellarmino citata: Ergo solus Augustinus est judex controversiarum.* Vel sic; *Rustici scrutantur testimonia Lutheri à prædicante citata: Ergo solus Lutherus est judex controversiarum.* Vel sic; *Chemnicius in examine Concilii Tridentini scrutatur traditiones à Catholicis allegatas: Ergo sola traditio est judex controversiarum.* Vel denique sic; *Discipuli scrutantur testimonia Ciceronis à Præceptore citata: Ergo solus Cicero est auctor latinitatis. Apage*, inquit, *cum istis consequentiis. Et tamen apud adversarios, qui meliores non habent, in pretio sunt.* Num. 121.

XXVIII. R. Imò apage te cum istis offuciis; Non enim sunt nostræ consequentiæ, sed nugæ Becani nugacissimæ, quas in precio apud nos esse, qui putat, næ is vehementer fallitur: qui dicit, splendidè mentitur. Ubi enim istæ consequentiæ leguntur apud nostros? Nempe non poterat nos ludum facere, nisi affingeret nobis peregrinas sequelas, & ipsius Spiritus Sancti verba corrumperet. Is non dicit, quòd scrutati sint testimonia à Paulo citata, sed quòd scrutati sint Scripturas: nec nudè, sed an hæc ita se habeant. Ideo Theophylactus; *Quandoquidem potiùs hâc ratione magis creduli evadebant, dum scrutabantur Scripturas & reperiebant ea, quæ fecit & administravit Dominus assumptâ carne, cum scriptis veterum Prophetarum consonare atque convenire.* Nos meliorem habemus consequentiam, quam sic formamus. Berœenses Pauli doctrinam examinant ad solius Scripturæ amussim, nec aliunde, quàm ex Scriptura judicium de ea faciunt: Ergo pro unica norma doctrinæ habuerunt.

XXIX. Jam vide comparationem iniquissimam consequentiarum. Audet Augustinum, Lutherum, traditiones, imò Ciceronem conferre cum Scriptura. Ergone Berœenses non aliter scrutati sunt Scripturas, quàm Lutherani scrutantur Augustini testimonia, quæ citavit Bellarminus? Augustinianæ doctrinæ norma sunt scripta Augustini: at non veræ doctrinæ simpliciter. Cùm igitur de sensu Augustini quæritur, norma sunt ejus libri, & solus Augustinus judex: Quisque enim est suorum verborum interpres. At quis ferat, doctrinæ cœlestis normam constitui libros Augustini, quos ipse ex Scriptura vult judicari? Eadem ratio Lutheri. Instantia de Chemnicii examine nimis insulsa. Num sic scrutati sunt Scripturas Berœæi, sicut Chemnicius traditiones à Papistis allegatas? Chemnicius examinavit traditiones, an sic se habeant, ut jactât Papistæ, & invenit, ñ sic se habere, & cõfutat. Berœani non examinârunt Scripturas, ut eas confutarent, sed ut ea, q̃ Paulus dixerat, per eas probarent. Denique quid sibi vult Cicero in hac causa? Num Scriptura in rebus fidei eodem loco est, quo ille in latinitate? Sin non est, cur in comparationem venit? Cur consequentiarum similitudo jactatur? Si est, jam igitur non major erit Scripturæ prærogativa in rebus fidei, quàm Ciceronis in latinitate. In qua non ea tantùm valent, quæ dixit Cicero, sed etiam quæ Julius Cæsar, quæ Salustius, quæ Terentius, quæ Plautus, quæ denique multi alii. Interim cùm quæritur de phrasi Ciceroniana, non alia judicii norma est, quàm scripta Ciceronis. Sic cum quæritur, an aliqua doctrina sit divina, non alia nobis norma est, quàm Scriptura sacra.

XXX. Quartò dicit, plerosque simpliciores sic objicere: Judex controversiarum in rebus fidei debet esse infallibilis, qui errare non possit: quia si ipse erraret, reliqui etiam errarent, qui ipsius sententiam sequuntur. Jam verò constat, Scripturam esse infallibilem, at homines non esse infallibiles, sed mendaces & errori obnoxios, Romanor. 3, 4. Ergo Scriptura potest esse infallibilis judex: homines, cùm sint mendaces, non possunt: At Pontifex est homo, & Ecclesia nihil aliud est, quàm collectio hominum. Ergo Pontifex & Ecclesia sunt mendaces & errare possunt. Num. 122. Illud de Scriptura agnoscimus. Alterum de hominibus affin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

git nobis de suo Jesuita, ut habeat occasionem cavillandi. Nos non sic argumentamur. Omnis homo mendax: Papa & Ecclesia sunt homines; Ergo mendaces. Sed sic argumentamur. Regula & summus absolutusque judex controversiarum fidei debet esse infallibilis. At nec Ecclesia, nec Papa Romanus est infallibilis. Ergo nec Ecclesia, nec Papa Romanus est norma & judex summus absolutusque controversiarum fidei. Minorem nõ probamus inde, quia sunt homines, sed aliis rationibus, quas promam paulò pòst. Jam pereunt, quæcunque adversùs id, quod ipse, tanquam nostrum, de suo ingesserat Sophista, splendidè declamitat.

XXXI. Primò excipit, *Illud si quid roboris habeat, valere non minùs adversùs nos, quàm contra Papistas. Nam si omnis homo mendax sit & errare possit, necessariò sequi, Mosen, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Lutherum quoque & Calvinum, itemque omnes prædicantes Lutheranos & Calvinianos mendaces esse & errare posse, quia homines sunt. Nihil igitur illis credendum, aut fidendum esse, sed omnia, quæ ab illis dicuntur, suspecta & incerta haberi oportere. Nec referre, si dicant, se non hominis, sed Dei verbum annunciare. Nam si mendaces sunt, etiam in hoc puncto mentiri posse. Nihil ergo certi esse.* Num. 123. R. Hoc totum perit Jesuitæ. Primò, quia disputat adversùs suum commentum, nostrum argumentum non tangit. Secundò, quia nos non supponimus, Lutherum, Calvinum & Evangelicos ministros simpliciter errare non posse: Id ergo cùm affirmatè concludit, nos non impugnamur, qui tam superbè de nostris non sentimus, ut infallibilitatis privilegium illis asseramus. Nec illi, cùm viverent, tam erant superbi, ut sibi arrogarent.

XXXII. Tertiò. Moses, Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ iniquè huc pertrahuntur. Æstimatur enim homo vel ex naturæ corruptæ conditione, vel vocationis, seu muneris gratiâ. Ex naturæ corruptæ conditione omnes homines, quà tales sunt, in mendacium sunt proclives. At ex muneris gratia habent aliqui, ut prorsus sint infallibiles. Etsi igitur illi naturæ conditione erant homines, vocationis tamen gratiâ fiebant in docendo infallibiles. Omnia igitur tutò creduntur, q̃ ab illis dicta. Ab errore n. ad quẽ naturæ conditione ꝑpendebant, infallibiliter & absolutè ꝑservabantur virtute Spiritus Sãcti iñediatè illos dirigentis. De Luthero, Calvino, & aliis verbi ministris aliter se res habet. Nihil eorũ, q̃ dicunt, credendũ est, nisi consentiat cum Scriptura sacra, quæ fidei certitudinem præstat. Non creditur hominibus, quia dicunt, se annunciare verbum Dei, sed cùm annunciant. Multi enim annunciare se, dicunt, cùm nihil minùs annuncient. Exemplo esse potest Papa Romanus. Alio non est opus. Falsum igitur, nihil esse certi. Scriptura enim certa regula cœlestis veritatis. Cujus doctrina cum illa consentit, ille verum docet & auditur tutò; cujus doctrina ab ea dissentit, is falsum docet, & tutò repellitur.

XXXIII. Secundò Scripturam certam & infallibilem esse, fatetur quidem, sed addit, *cùm sæpè obscura sit, non facilè unicuique constare posse de legitimo illius sensu. Itaque alio opus esse judice, qui infallibiliter de-*

cernat, quis legitimus Scripturæ sensus sit. Hunc autem judicem esse non posse quemlibet hominem privatum, quia alioqui tot essent diversi judices, quot diversa capita & sententiæ, & sic nulla controversia componi posset. Debere igitur esse publicum judicem, qui cum auctoritate decernendi & definiendi inter partes litigantes potestatem habeat. Num. 124. R. Primò accipimus confessionem de Scriptura. Non igitur est regula Iesbia, non nasus cereus, quæ sunt Papisticæ laudes in Scripturam alibi dictæ, auditæ nobis alibi. Secundò. Non negamus, Scripturam alicubi obscuram esse; vel totam, vel in tantum esse obscuram, ut ex illa sola citra externum supplementum non possit certus haberi sensus de omnibus ad fidem & salutem necessariis, id verò negamus constantissimè. Probatio suo loco est producta. Non jam repetam, obscuritatem non detrahere auctoritati normæ, quia perspicuitas non est de essentia normæ. Id suo quoque loco probatum. Ut nec hîc habeat Sophista, unde concludat, Scripturam esse non posse plenam normam cõtroversiarum.

XXXIV. Tertiò. Concedo, non facilè unicuique constare de sensu eorum, quæ in Scriptura dicuntur obscuriùs. Imò doctissimis quibusque nonnulla facessere multum negocii. At nego, ideo opus esse alio judice extra Scripturam loquente, qui infallibiliter decernat, quis sit legitimus sensus. Nam obscuriùs dicta aut sunt scitu ad salutem necessaria, aut non sunt. Si non sunt, carere possumus, citra periculum, eorum notitia. Non opus igitur alio judice, qui infallibiliter hîc quicquam decernat. Si sunt necessaria, alibi invenimus exposita in Scriptura. Spiritus igitur Sanctus est suiipsius interpres in Scriptura infallibilis.

XXXV. Quartò. Infallibili judicis auctoritate Spiritui Sancto in Scriptura loquenti, assertâ, de cætero non repellimus ab hac causa omnem judicem, sed admittimus tum publicum, tum privatum suo ordine, utrumque tamen non nisi ministerialem. Publicus est, tum Ecclesia, tum quivis doctor constitutus in publico docendi munere; privatus, unusquisque Christianus, qui bonum intelligentiæ habet à Deo. De qua re suprà nos dicere meminimus. Uterque obnoxius Scripturæ, tanquam unicæ normæ & Spiritui Sancto in ea loquenti, tanquam summo judici. Quintò. Non sequitur, *Non potest quilibet homo privatus esse index infallibilis, Ergo debet esse index infallibilis publicus, qui auctoritatem habeat decernendi, & definiendi potestatem inter partes litigantes.* Neuter isto quidem nomine est necessarius. De privato assentitur Sophista. De publico patet, quia Christus eum non instituit. Instituisset autem, si fuisset necessarius. Si contendas, omnino esse necessarium, aut debet esse ubique visibilis & vocali sermone lites omnes decidere, aut non debet esse ubique visibilis, & potest vel sermone vocali, vel scripto lites determinare. Si prius affirmes, Pontifex nõ erit judex: Non enim ubique est visibilis, sed uno tantum loco videtur & loquitur. Si posterius, cur Spiritus Sanctus non possit per Scripturam lites determinare? Num minùs potest, quàm Pontifex? An fortè Pontifex nequit scripto controversiam finire?

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXXVI. Tertiò excipit, *homines dupliciter considerari posse, quatenus sint filii Adam & obnoxii variis naturæ corruptionibus. Sic sine dubio pronos esse ad mendacium & falsitatem*, Genes.8,21. Psalm.38,6. 2. *quatenus à Spiritu Sancto dirigantur & gubernentur ad aliorum institutionem. Sic infallibiles & sine mendacio esse. Talem in veteri Testamento fuisse Mosen cum Senatu Seniorum*, Num.11,17. *Tales alios Pontifices, qui deinde secuti sunt*, Deut.17,9. Aggæi 2,12. & Malach.2,7. *Tales Prophetas, Jesaiam, Ieremiam &c. Tales in novo Testamẽto fuisse Apostolos, ex* Joh.15,16.c.16 13. *talem denique semper fuisse, & nunc etiam esse Ecclesiam, quæ propter perpetuam assistentiam Spiritus Sancti nunquam erraverit hactenus, nec deinceps erratura sit, quia ædificata supra petram, & inferorum portæ adversùs illam non prævalitura, Matth.16. quia columna & firmamentum veritatis*, 1.Timoth.3,15. *nunquam confundetur neque erubescet*, Jesa.54,4. *Jaspis est propugnaculum eius*, v.17. *& omnem linguam resistentem illi in judicio judicabit*, v.17. *Esse igitur infallibilem judicem, quem quarant Papistæ*. Num.125.126.

XXXVII. Primò. Non erat, cur nos doceret, homines dupliciter spectare. Id jam antè nobis constare, testantur hominum nostrorum Commentarii in Psalmos & in epist.ad Romanos. Nec nos ex hominis conditione nudè unquam arguimus. Secundò. Mosen in docendo fuisse infallibilem judicem, agnoscimus. Propheta enim. Hic non pertinet ad ordinarios in Ecclesia.

XXXVIII. Tertiò. Tales fuisse Pontifices, qui sunt secuti, falsum. Exemplis tristibus & Propheticis testimoniis demonstratum à nobis suprà. Nec contrarium probatur tribus locis allegatis. Non ex *Deuteronomio*: Nec enim infallibilitatis mentio, nec perpetuæ assistentiæ Spiritus Sancti fit promissio, nec quidem de solo Pontifice summo ibi agitur. Non ex *Haggæo*: Ibi enim jubentur Sacerdotes interrogari de lege, non tantùm qui erant Hierosolymæ, sed & qui habitabant in aliis civitatibus. Ergone illi omnes infallibiles? Ex mandato de interrogandis Sacerdotibus officium Sacerdotum eõcluditur; infallibilitas non concluditur. Nõ ex *Malachia*: Is enim docet, quales esse debeant Sacerdotes, nõ quales sint futuri. Nam versu octavo eos arguit defectionis à lege, *At vos*, inquiens, *recessistis ab illa via, fecistis ut impingerent multi in legem, corrupistis fœdus leviticum, ait Jehova exercituum*. Inde Hosea cap.5,1. Sacerdotes illius temporis appellat laqueos in Mitzpa, & rete extensum in Thabore. Alia nunc non cito. Suprà sunt prolata.

XXXIX. Quartò. De Prophetis & Apostolis res indubitata est, neque adversùs nos ullò modo probanda. Ipsi enim probamus contra eorum adversarios & calumniatores. Quintò. Hîc nego consequentiam illam, *Ecclesia nunquam erravit nec errare potest, ergo est judex controversiarum, quem quærimus*. Nam non omne, quod est infallibile, mox est fidei regula; quod Angeli suo exemplo nos doceant. Illi enim infallibiles nec tamen fidei summa regula, aut judex. Testis Apostolus, Gal.1,8.

XL. Sextò. Tota Ecclesia vera, omnium temporum, seu universalis, quæ est verè

verè fidelium universitas, quin perpetuam habeat Spiritus Sancti assistentiam, nos minimè dubitamus; Illa in dogmatibus ad fidẽ necessariis & in fundamento contra Evangelium nec erravit unquam, nec errare potuit. At alia est ratio Ecclesiæ particularis. Nulla unquam fuit infallibilis; nulla est, nulla erit unquam, quæ errare nequeat. Nulli absolutè promissa est perpetua Spiritus Sancti assistentia. Sed unaquæq; ea tamdiu fruitur, quamdiu in vera fide perseverat & à Deo non deficit totaliter. Exemplum cape ab Ecclesiis Apostolicis, Corinthiaca, Philippensi, Thessalonicensi. Illis promissa est assistẽtia Spiritus Sancti perpetua, 1.Cor. 1,7.8.9. Philip.1,6.7.1.Thess.5,23.24. Neque tamen absolutè factæ sunt infallibiles. Neque perpetuò retinuerunt assistentiam Spiritus Sancti. Eventus docuit.

XLI. Septimò. Ab assistentia Spiritus Sancti perpetua minùs solidè concluditur absoluta infallibilitas. Est enim duplex assistendi modus, nempe immediatus & mediatus. Ille est temporarius & extraordinarius; iste perpetuus & ordinari⁹. Ille competit Prophetis & Apostolis; iste reliquo Ecclesiæ corpori ejusque pastoribus ac cæteris membris. Ille præstat infallibilitatem absolutam in docendo & definiendo: Iste non præstat; id quod verè fidelium exemplo manifestè patet. Non enim dubium est, quin illis assistat Spiritus Sanctus. Eorum tamen aliquos & errâsse, & errare posse, vix quisquam negaverit. Nonne Ecclesiæ sancti Doctores Græci & Latini habuerunt Spiritus Sancti assistentiam? Omnes tamen fuerunt fallibiles. Ipsi Papistæ errores quorundam annotant. Nempe Spiritus Sanctus Ecclesiæ quidem assistit; sed non semper eodem gradu & modo. Nam operationem suam efficaciùs in hac potiùs, quàm in illa Ecclesiæ universalis parte, seu Ecclesia particulari, in hoc potiùs, quàm illo Ecclesiæ membro, & in uno eodemque membro, uno tempore efficaciùs, quàm alio, pro liberrima sua voluntate, exserit. Sic non dubito, quin Ecclesiæ illæ in rebus fidei habuerint Spiritus Sancti assistentiam, quæ statuerant cum Augustino, Eucharistiam infantibus necessariò administrari: Tam efficaciter tamen Spiritus Sanctus in illis non est operatus, ut essent prorsus infallibiles. In illo enim dogmate errârunt, ipsis fatentibus Papistis. Non mirum. Homines, quibus Ecclesia constat, non tantùm reguntur à Spiritu Sancto, sed & adhuc carnem corruptam circumferunt. Inde lucta carnis & Spiritus, Galat.5,17. Infirmitates, quas Spiritus S. non omnes uno momento plenè tollit, interdum prævalent, ut homines non Spiritus S. in Scriptura loquentis, sed carnis ductum & sensum sequantur. Id quod non magis in Spiritus Sancti ignominiam cedit, quàm quòd renati peccant. Est enim utrobique culpa non Sancti ducis, sed hominis ducem nõ sequentis.

XLII. Octavò. Nota in paucis verbis multiplicem Sophistæ fraudẽ & fallaciam. Prima est, quòd Ecclesiam absolutè nominans intelligit Pontificiam. Magna fraus. Nam non sequitur, *Vera Ecclesia universalis habet perpetuam assistentiam Spiritus Sancti, & nec erravit, nec errare poterit. Ergo & Pontificia habet eandẽ assistentiam, & nec unquã erravit, nec errare poterit*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit deinceps. Est enim, ut nunc nihil aliud dicam, particularis, ad quam ab universali non rectè currit argumentum. Secunda. Torquet Scripturas. Suprà demonstravi. Ibi videsis. Christus de universali Ecclesia loquitur, non de Papistica. Nec hæc Apostolo in mentem veniebat, cùm Ecclesiam appellaret columnam & stabilimentum veritatis. Imò si vidisset, qualem nos videmus, nominâsset potiùs columnam & stabilimentum mendacii, erroris & superstitionis. Non magis Jesaiæ prædictio eã tangit, nisi, auctore invito, de ornatu templario interpreteris. Tertiò. Dicit, *Ecclesiam esse judicem illum infallibilem, quem quærant.* Intelligit Pontificem, & quidem vel solum vel cum Concilio congregatum. Magna fraus! Num Pontifex solus est Ecclesia? Concilium additur hominum fallendorum causâ. Jesuitæ enim Conciliis non tribuunt per se infallibilitatem, sed totam à Papa suspendunt. En nobis egregium judicem! Qui accusatur à nobis gravissimorum errorum, datur nobis propriæ causæ judex, sub venerando Ecclesiæ titulo.

Sectio IX.

Probatur, nec Ecclesiam, nec Papam Romanum esse summum absolutumque judicem.

I. DEteximus Becani fraudem; Deinceps nonnulla breviter proponemus argumenta, quibus constet, nec Ecclesiam, nec Pontificem Romanum esse vel normam, vel summum absolutumque judicem omnium controversiarum fidei. Ecclesiam non esse summum absolutumque judicem, concludo his argumentis. Primum. Summus absolutusque omnium controversiarum judex debet declarari in Scriptura. At Ecclesia non declaratur summus absolutusque omnium controversiarum judex. Ubi enim? Ergo.

II. Secundum. Qui est ad regulam à Deo alligatus, is non est summus absolutusque omnium controversiarum judex. At Ecclesia est à Deo alligata ad regulam. Ergo. Major patet. Qui enim alligatur regulæ, is subjicitur regulæ: qui subjicitur regulæ, is non est absolutus judex.

III. Tertium. Summi & absoluti controversiarum judicis sententia est regula fidei. At Ecclesiæ sententia non est regula fidei. Ergo. Major per se patet. Minor probatur primò; Si Ecclesiæ sententia est regula fidei, ergo erit regula suiipsius. At hoc absurdum. Ergo & illud. Consequẽtia patet, quia Ecclesiæ sententia regitur veritate fidei. Si igitur est regula fidei, tum disponit ipsa fidem, per quam regitur. Absurditas inde manifesta, quia Ecclesiæ sententia alligatur ad regulam. Jos. 23, 6. Galat. 1, 8. Ecclesia est tradita in regulam, nominatim Romana, Roman. 6, 17. Jam dic, ipsam esse regulam suiipsius; Sic erit in se ipsam tradita, id est, non tradita. Non enim alicui traditur, qui sibi relinquitur.

IV. Secundò. Ecclesia sententiam suam, quam fert, vel ex Scriptura sumit, vel non sumit. Si non inde sumit, aut ex revelatione extraordinaria, aut ex ordinaria, aut ex neutra habet. Si ex neutra; non igitur vera. Si ex ordinaria, nominetur. Ubi promittitur extra Scripturam? Nemo Patrum dixit, sensum verum ordinariè revelari, qui non ex Scriptura eruatur. Si ex revelatione extraordinaria accipit, primò non video, quomodo nos ad credendum obliget. *Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt. Non autem revelationi, si quæ fuit aliis Doctoribus facta,* inquit Thom. 1. par. q. 1. art. 1. ad 2. Deinde unde cognoscemus, quòd Ecclesia ex revelatione extraordinaria habeat? Num ex ratione? an ex revelatione? Illa non capit. Ubi ista? In toto Dei verbo ea de re nihil legitur. Ergo Ecclesia debet sententiam è Scriptura petere. Ipsa igitur non est regula fidei.

V. Quartum. Cujus fundamentum est doctrina, ei summi atque absoluti omnium controversiarum fidei judicis auctoritas non competit. At Ecclesiæ fundamentum est doctrina. Ergo Ecclesiæ summi atque absoluti omnium controversiarum fidei judicis auctoritas non competit. Minor est Apostoli, Eph. 2, 24. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Major patet. Fundamentum enim à suo ædificio non regitur, non disponitur.

VI. Quintum. Supremi & absoluti omnium controversiarum judicis sententia in iisdem rebus à se ipsa non discrepat. At Ecclesiæ sententia in iisdem rebus à se discrepat. Ergo Ecclesia non est supremus omnium controversiarum judex. Major patet inde, quia alioqui nulla erit certitudo. Minor probatur exemplis ad-

modum familiaribus. Olim lectam esse Scripturam in lingua materna, certum est ex historia & probatum suprà. Postea hoc abrogatum. Augustini & Innocentii sententiâ Eucharistia infantibus erat necessaria, quam sententiam sexcentos annos in Ecclesia viguisse, scribit Maldonatus in c. 6. Joh. De communione sub utraque specie, non est dubium, quin obtinuerit in primitiva Ecclesia: Postea paulatim alicubi omissa, tandem etiam abrogata, lege latâ in Concilio Constantiensi. In his Ecclesia aut citerior, aut anterior erravit.

VII. Sextum. Summus & absolutus omnium controversiarum judex est infallibilis. At Ecclesia non est infallibilis. Ergo. Majorem dant adversarii. Minorem probavi suprà loco de Ecclesia. Hîc breviter. Erravit tum aliena recipiendo, tum definiendo. *Recipiendo*; Nam recepit cõmentum de tribus Regibus, pro magis ex Oriente, qui venerunt, duce stellâ, ad Christum: Item de Catharina, de Georgio Cappadoce, de Christophoro. *Definiendo.* Definit, ut contendit Becanus, tum per Pontificem, tum per Concilia. De Pontifice postea.

VIII. In Conciliis definiendo errare potest & erravit. Quòd errare possit in Conciliis, hinc patet. Primò. In omni cœtu multitudinis, ubi secundùm majora vota definitur, fieri potest, ut major pars vincat meliorem. In Conciliis definiuntur omnia secundùm majora vota. Ergo accidere potest, ut major pars vincat meliorem. Secundò. Si Concilia à Pontifice approbata non possunt errare, ergo omnes eorum canones sunt θεόπνευστοι. At ca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

canones omnes non sunt θεόπνευστοι. Ergo. Minor patet: quia non immediatè inspirantur Concilia, sed tenentur uti ordinariis mediis, & docentur per Scripturam.

IX. Tertiò. Si Concilia errare non possunt, id aut fit propter sapientiam, aut sanctitatem, aut potestatem, aut promissionem perpetuæ assistentiæ Spiritus Sancti. Nec propter *sapientiam*, nec propter *sanctitatem fieri*, fatetur Papistæ, & res ipsa testatur. Non enim semper sunt omnium sapientissimi, qui veniunt ad Concilia. Nec sanctitas vel confirmat in fide, vel ab errore præservat absolutè, vel semper illis competit, qui ad Concilia mittuntur. Non propter *potestatem*; Nam, si credas Becano & quibusdam aliis, Papæ major est potestas, quàm Concilii. Et tamen Papa ex Cathedra docens potest errare, ut multi Papistæ fatentur. Nec denique propter *promissionem*, quia Christus nusquam promisit, se Conciliorum à Papa Romano approbatorum, perpetuò fore præsidem & directorem absolutè, ne errent. Quartò. Papistæ concedunt, Concilia errare posse in facto. Hinc concludo. Ergo & posse in fide. Si neges, propter ductum Spiritus Sancti, ego dicam, Si propter ductum Spiritus Sancti Concilia non possunt in fide errare, ergo nequidem posse in facto: Spiritus Sanctus enim non magis ducit in errorem facti, quàm fidei.

X. Jam errâsse Concilia, constat. Nuper vidimus exempla. Illis unum atque alterum addemus hoc loco. Primò Concilium Neocæsareense improbat nuptias secundas, Can. 7. ubi decernit, presbyterum nuptiis secundis interesse non debere, maximè cùm præcipiatur secundis nuptiis pœnitentiam tribuere. At hæ nuptiæ Spiritui Sancto sunt probatæ, Rom. 7,3. 1. Corinth. 7,39. Et tamen illud approbatum à Leone IV. Distinct. 20. Can. de libellis, & receptum à Cõcilio Nicæno primo, si credas Concilio Florentino Sess. 4. ubi id affirmatur. Bellarminus quidem excipit, *Concilium loqui de iis, qui duas uxores simul ducant*: at præter rem. Nam δίγαμος intelligi, qui secundas nuptias celebrant, patet ex Nicæno Canone octavo, ubi Cathari jubentur cum digamis communionem habere, & ex Laodiceno, cap. 1. ubi δίγαμία conceditur. Num δίγαμία simultanea concedatur? Aliqui pœnitentiam ad celebritatem nuptiarum referunt. Hoc iterum alienum. Nam nuptiarum fit mentio, non celebritatis.

XI. Secundò. Constantinopolitanum tertium, quod est generale sextum, definit Can. 72. irrita esse & solvenda conjugia Catholicorum cum hæreticis. Num dices, hos canones non editos esse à legitimo Concilio? Sic quidem Bellarminus. Atqui ex Adriani Papæ verbis constat, à sexta Synodo esse canones, & quidem legaliter, editos. Nam in epistola ad Tharasium, quæ est in Actione secũda VII. Synodi, dicit, hos canones divinè & legaliter esse prædicatos.

XII. Tertiò. Romanum sub Stephano septimo, vel, ut alii volunt, sexto, Formosum Pontificem damnavit, & omnia ejus acta abrogavit. At aliud Concilium postea celebratum Ravennæ, sub Johanne nono, restituit Formosum, & Stephanum damnavit, abrogatis ejus actis. Hîc manifestum, alterutrum Concilium sive hoc, sive illud errâsse. Sophistæ diffiteri non audent. Obtendunt igitur, quæstionem facti fuisse. Quid tum? Spiritus Sanctus enim non magis in facto, quàm in jure errare potest. Deus enim omnia novit. Porrò aut meritus est Formosus damnationem, aut non est meritus. Si non est meritus, ergo non fuit judicium Spiritus Sancti, quo condemnatus est; Et tamen fuit Concilii judicium, & quidem à Pontifice approbatum. Si est meritus, cur hoc judicium retractatum est sub Johanne nono? Num potuit Spiritus Sanctus rectum judicium præstare sub Johanne, non potuit sub Stephano? aut sub illo voluit, sub isto noluit?

XIII. Porrò nec Papam Romanum esse summum absolutumque omnium controversiarum judicem, patet his argumentis. Primum. Christus nusquam eum constituit summum absolutumque judicem; Nusquam declaravit; Nusquã Ecclesiam universam ad eum remisit; Nusquam Apostoli declarant, agnoscũtve; Nusquam nos ad eum remittunt. Si nec Christus, nec Apostoli eum declarant summum absolutumque judicem, aut non habet eam dignitatem, aut sumpsit sibi ipse, aut mõstrare tenetur, à quo, ubi, quando, quibus verbis sit consecutus. Si non potest, invasor muneris agnoscitur, non justus possessor.

XIV. Secundum. Summus absolutusque judex debet esse immobilis in rebus fidei. At Papa Romanus nõ est immobilis. Ergo. Major patet: Si enim non sit immobilis, quomodo tutò ei credatur? Hoc argumento ipsi Papistæ utuntur. Minoris probatio est admodum facilis: Historia enim Paparum tam obscurari & abscondi non potuit, quin ad nostram notitiam perveniret aliquorum Pontificum mobilitas. Paucos annotare sufficiat.

XV. Primus esto Marcellinus, qui ethnico ritu dæmonibus sacrificat. Habemus confitentem reum in Concilio Synvessano octoginta Episcoporum. Ubi depositus Episcopatum; volensne, an coactus, non habeo dicere. Bellarminus non negabat, cùm res illa ab eo disputaretur. Si in dubium voces, quid tandem erit certum apud Papistas? Testes enim multi, nec alii, quàm Papistæ. Anastasius Bibliothecarius, Volaterranus, Marianus Scotus, Platina Polonus, Martinus & alii recẽtiores. Imò Baronius, ad Annum 302. num. 95. fatetur, hujus immolationis Acta exstare veneranda antiquitate adeò signata, & veteribus testata monumentis, ac tabulis Ecclesiasticis consignata, plurimorumque testificationibus confirmata, ut ab his desciscere stultum, & tot testibus obniti, temerarium videri possit. Alii Acta Marcellini ficticia esse, dicebant, atque huc proclivior erat ipse quoque Baronius in priore Annalium editione; Verùm re meliùs consideratâ, agnoscit historiæ veritatem, & contraria solvit argumenta, ad Annum 303. num. 100. & seqq.

XVI. Secundus sit Liberius, cujus quo præclarior fuit in prima tentatione constantia, eo tristior lapsus, cùm consentiret Asianis, & subscriberet eorum confessioni. De illo sic Athanasius ad solitariam vitam agentes; *Liberius exul post ex*

actum biennium inflexus est, & veritus mortis minas, subscripsit. Volaterranus in Anthropol. lib. 22. *Liberius primùm à Cõstantio, tanquam orthodoxus, in exilium actus, verùm minimè in officio duravit, in Arianam & ipse sectam collapsus.* Idem testatur Martinus Polonus, & Alphonsus à Castro lib. 1. adver. Hær. in prima editione. Quin & ipse Liberius profitetur in epistola ad Orientales apud Baronium, ad Ann. 357. num. 43.

XVII. Tertius Vigilius, Imperator Justinianus edictum evulgaverat in damnationem Theodori Mopsuestent Theodoreti & Ibæ: Restiterat Vigilius; at Constantinopolin evocatus, inflexus consensit. Inde profectionem illam deplorat Baronius, quippe quæ magnum damnum intulerit Catholicæ Ecclesiæ, ad Ann. 546. num. 55. Quartus esto Paschalis secundus: Is magno spiritu condemnaverat laicas investituras. At captus ab Imperatore Henrico IV. confirmavit omnes in Episcopatu ab Imperatore designatos, & concessit, ut à laicis Episcoporum confirmaretur electio. Liberatus damnat suum factum in Concilio, apud Crantzium lib. 5. Saxoniæ cap. 38. Vide mihi Papas immobiles!

XVIII. Tertium. Summus judex, cujus sententia est regula fidei, semper sibi debet constare: At Romani Pontifices sibi non constant. Ergò. Major per se clara. Minor plurimis exemplis probatur. Pauca recito. Primum. Gregorius tertius definit, licere marito, cui mulier infirmitate correpta non valeat debitum reddere, ad alias nuptias transire, C. *Quod proposuisti*, cap. 32. quæst. 7. Contrà Papa per Concilium Tridentinum, Sess. 24. Can. 2. prohibet duas simul uxores habere. Secundum. Nicolaus 1. docuit, baptismum à Judæo collatum in nomine solius Christi esse ratum, C. *A quodam Judæo*. Distinct. 4. de *consecrat.* Contrarium statuit Zacharias Distinct. eâdem. Tertium. Cœlestinus Papa definivit, matrimonium inter fideles initum dissolvi, si alter in hæresin labatur. Idque non ut persona privata, sed ut Papa, teste Alphonso à Castro l. 1. adver. Hæres. cap. 4. ubi dicit, hanc definitionem haberi in antiquis Decretalibus in cap. *Laudabilem*, titulo, de *conversione fidelium*. Contrarium scitum ab Innocentio tertio & Concilio Tridentino.

XIX. Quartum. Nicolaus tertius determinavit judicialiter, Christum & Apostolos nihil habuisse in communi, nec in proprio. C. *Exiit*. De *verbor. signif.* 6. Decret. Johannes vigesimus secundus (Platina nominat vigesimum tertium.) contrarium definivit, & quidem hæreseos damnavit eos, qui dicerent, Christum ejusque discipulos nihil proprii habuisse. Quintum. Pelagius definit, diaconos Siciliæ ab uxoribus abstinere debere. Gregorius 1. hoc decretum improbat & abrogat, tanquam durum & incompetens, cap. *Ante triennium*. Distinct. 31. Sextum. Gelasius Papa definit, non licere Eucharistiam administrare & sumere sine vino, C. *Comperimus*. Dist. 2. de *consecr.* At Innocentius octavus Norvegiis permisit, ut sine vino celebrent.

XX. Septimum. Bonifacius circa annum 1302. inter curatos Sacerdotesque parochiales & Monachos mendicantes litem

litem dirempturus constituit, ut dictorum ordinum fratres de omnibus obventionibus tam funeralibus, quàm quibuscunque & quomodocunque relictis, quartam partem parochialibus Sacerdotibus & Ecclesiarum Curatis largiri integrè tenerentur, C. 2. de *sepult.* in Extravag. Benedictus XI. circa annum 1304. auditâ mendicantium querelâ, & re diu deliberatâ, constitutionem Bonifacii & quartæ solutionem simul abrogavit. C. 1. de *privileg.* in Extrav. At Clemens V. in Concilio Viennensi constitutionem Benedicti antiquavit, & approbante Concilio, eam, quæ à Bonifacio priùs edita erat, in usum revocavit, Cap. 2. de sepult. in Clement. Alexander V. circa annum 1490. Mendicantibus ad eorum importunam instantiam fructus, decimas, oblationes, obventiones & cæteros reditus ac emolumenta, quæ ex Curatorum beneficiis pendent, addicit, amplis & luculetis eã in rem bullis editis, Gregorius II. baptismum à Paganis administratum declarat irritum, C. *Quos à Paganis*. Distinct. 4. de consecr. Nicolaus I. ratum habet, in rescripto, quod exstat tom. 3. Concil. Hæc sufficiant hoc loco.

XXI. Quartum: Summus judex debet esse infallibilis. At Pontifex Romanus non est infallibilis. Ergo. Major conceditur à Papistis, Minor probatur & quidem tripliciter; nempe ex dictis, ex concessis & confessione Papistarum. Primò ex *dictis*. Infallibilis est immobilis in rebus fidei, semper sibi constat, nunquam à se discrepat. Papa Romanus non est immobilis in rebus fidei, non semper sibi constat, aliquando à se discrepat. Utrumque probatum, num. 52. & seqq.

XXII. Secundò. Ex *concessis* Papistarum. Illa sunt multa. Primum. *Pontifex in decisione debet humana media adhibere. Nã non debet Pontifex, in controversiis fidei dijudicandis, aut solo suo judicio fidere, aut exspectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, & ordinaria media, & tum demum exspectare assistentiam Spiritus & directionem divinam*, inquit Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 11. Non igitur est absolutè infallibilis. Quid enim si non adhibeat diligentiam, quantam res tanta postulat? Unde sciemus, adhibere? Quid si sit prorsus literarum rudis, etiam sacrarum? Audi Alphonsum à Castro. Is lib. 1. adversùs Hæres. cap. 4. (in editione Ann. 1543.) sic scribit; *Cum constet, plures Papas adeo illiteratos esse, ut Grammaticam penitùs ignorent, quisit, ut sacras literas interpretari possent?*

XXIII. Secundum. *Pontifex in præmissis errare potest.* Stapletonus in Relect. Princip. fidei doctrin. Controv. 4. quæst. 2. ait; *Ecclesia* (id est, Romanus Pontifex) *in singulis mediis non habet infallibilem & peculiarem Spiritus Sancti directionem, sed potest in illis probabili interdum, non semper necessaria collectione uti.* Si in præmissis nõ est infallibilis, quomodo sit in conclusione? *Media enim fallibilia, manifestum est, præstare certitudinem non posse, cui non possit subesse falsum. Nam effectus nequit causam suam excedere, & conclusio certior esse non potest præmissis, ex quibus infertur, quia ex posteriori stica doctrina, propter quod unumquodq; est tale, illud magis est tale*, inquit Vega l. 9. de Incertitudine gratiæ c. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXIV. Tertium. *Pontifex nec docet, nec definit controversias ex proxima Dei vel revelatione vel inspiratione. Non existimãdus est summus Pontifex*, inquit Melchior Canus lib.5.Locor.cap.5. *eam habere facultatem, quæ in Apostolis, Prophetis & Evangelistis inerat, ut, proposità unâquâlibet de fide quæstione, protinus dignoscere possit, utra pars quæstionis vera falsave sit.* Quomodo igitur sit absolutè infallibilis? Quomodo ejus definitio Prophetica?

XXV. Quartum. *Papa potest errare, ut privata persona, vel doctor privatus.* Sic multi. Costerus in Apologia cap.2. scribit; *Dico, nullum apud nos dubium esse, Romanum Pontificem, ut hominem privatum, errare ac in hæresin labi posse.* Inde Bellarminus lib.4.de Pont.Rom.cap.12. dicit, Nicolaum I. dum baptismum, sine expressione trium personarum factum, ratum habuerit, errâsse quidem, sed solùm, ut doctorem particularem, exponendo suam opinionem, non definiendo quæstionem de fide. Sed ô Papistæ, pari ratione omnes Episcopi dici poterunt infallibiles, quâ publici doctores, quamvis errent, quâ homines. Non enim magis in illo, quàm in istis, officium à persona est separatum. Num aliquis sit hæreticus in corde, ut homo privatus, & veritatem infallibiliter sciens volens ore definiat, ut doctor publicus? Cujus cor per hæresin factum est sedes diaboli, an illius linguæ insideat Spiritus Sanctus, eamque dirigat, ut sciens volens infallibiliter pronũciet veritatem?

XXVI. Quintum. *Papa potest incidere in Simoniam.* Dubitas? *Simoniam committere potest Papa, secundùm Thomam, in dando spiritualia pro temporalibus appreciativè, sicut divulgabatur de Bonifacio nono*, inquit Antoninus par.3.Summ.tit.22.c.7. Qui potest committere Simoniam, an sit infallibilis? Atqui Paschalis, C. *Patet.* caus. 1.q.7. *Patere*, declarat, *Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos: quia omnia crimina comparata Simoniacæ hæresi quasi pro nihilo reputentur.* Hîc Paschalis aut errat, aut non errat. Si errat, Papa non est infallibilis judex. Si non errat, Simonia utiq; est hæresis. Papa igitur potest fieri hæreticus, quia potest fieri Simoniacus. Fallibilis igitur.

XXVII. Sextum. *Suspicio hæreseos in Pontificem cadit.* Sic enim Bellarminus; *Quarta causa Concilii celebrandi est suspicio hæresis in Romano Pontifice, si fortè accideret, vel etiam tyrannis incorrigibilis; tunc enim deberet congregari generale Concilium, vel ad deponendum Pontificem, si inveniretur hæreticus, vel certè ad admonendum, si in moribus videretur incorrigibilis.* lib.1.de Concil.cap.9. Si hæc est causa Concilii celebrandi justa, quomodo Papa infallibilis? Num in infallibilem cadat suspicio hæreseos?

XXVIII. Septimum. *Decretales Epistolæ non exæquantur auctoritate canonibus Conciliorum & definitionibus.* Id totidem verbis statuit & prolixè probat Johan. Arboreus in Theosophia lib. 4. cap. 32. Alphonsus à Castro lib.1.adversùs Hær. cap.2.ante illum sic efferebat; *Post Conciliorum decreta proximum locum tenent decretales epistolæ à summis Pontificibus emissæ, longè tamen in his, quæ fidem Catholicam spectant, à Conciliorum definitionibus earum*

earum auctoritas abest. Si hoc verum, utique Papa Romanus non est infallibilis. Si enim infallibilis, quo jure decretorum Papalium auctoritas longè ab auctoritate Conciliorum abesse diceretur?

XXIX. Octavum. *Pontifex judicari potest, si deprehendatur à fide devius.* Sic enim lego C. *Si Papa.* Distinct.40. *Huius culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Hic canon, approbante Papa, in jus canonicũ relatus, aut justus est, aut injustus. Si injustus, erravit ergo Pontifex eum approbando. Si justus, non igitur Papa infallibilis.

XXX. Tertiò ex *confessione* celebrium Papistarum, eaque duplici. Multi enim confitentur in genere, Papam errare posse: Alii confitentur, errâsse. In priori ordine sunt hi: Joh.Gerson.lib. de Appellat.à Papa.num.14. *Tam*, inquit, *Papa, quàm Episcopus sunt à fide deviabiles.* Tostatus in defens. *Papa potest errare in fide ex operibus.* Antonin° part.3.Summ.tit.22. cap.7. *Cùm omnia possit Papa, potest etiam hoc, quod omnibus commune est, scilicet errare.* Nicolaus Cusanus lib.1.de Concil. cap.15. *Judicium fidei non est semper in nutu unius Pontificis definibile, quia hæreticus esse potest.* Alphonsus à Castro lib.1.adversùs Hær c.2. *Papa in fide errare potest, ut melius sentientes tenent, etiam ex his, qui Papatui plurimùm favent. Inter quos est Innocentius eius nominis quartus Pontifex, in capitulo primo de summa Trinitate.* Cap. 4. *Non credo, aliquem esse adeò impudentem Papæ assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, nec in interpretatione sacrarum literarum hallucinari possit.* Sic habet prior editio, ex qua transscripsi.

XXXI. Ambrosius Catharinus in Comm. in Gal. 2. *De quolibet alio Papa præter B. Petrum conclusio sit. Nihil prohibet, Papam errare, etiam in fide, ac deficere, etiamsi quidam novitii Scriptores ausi sunt oppositum defendere*, præter communem *sensum Doctorum.* Johan. Arboreus in Theosophia lib.4.cap.32. *Papa in fide errare potest, ut dicit Innocentius huius nominis quartus Pontifex, in capitulo primo de summa Trinitate. Et totà mihi aberrare viâ videtur, qui aliter sentit; & plus veritati tribuendum est, quàm amico. Assentantur sanè Romano Pontifici, qui faciunt eum immunem à peccato & à lapsu hæreseos & schismatis.* Nota. Alphonsus à Castro & Arboreus, teste Innocẽtio, probant, Papam in fide errare posse. Jam sive Innocentium errâsse, sive non errâsse, dicas, nos causam obtinemus. Si errâsse dicas, ergo Papa non est infallibilis. Ipse enim erat Papa. Si neges, errâsse, ergo Papa in fide potest errare. Id enim Innocentius affirmat, referentibus duobus celebribus Papistis, nec constat, quòd unquam retractaverit.

XXXII. In posteriori ordine sunt multi. Lyra in Matth.cap.16. *Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis, vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel secularis: quia multi Principes & summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatâsse à fide.* Multos errâsse Pontifices, Volaterranus probat. Liberium Arianis consensisse, fatetur Tostatus, Occam, Lyra, alii. Honorium fuisse Monotheletam, agnovit Adrianus Papa, & Leo II. *Anastasium II.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius nominis Pontificem favisse Nestorianis, qui historias legerit, non dubitat, inquit Alphonsus à Castro lib. 1. adv. Hær. cap. 4. De Johanne XXII. scribit Aventinus lib. 7. Annal. *Hunc Iohannem temere atque malè de beatitudine atque felicitate humana sensisse, reperio. Nullam penitùs animam mortalium, donec reviviscerent atque immortalitate donati post excidium demum orbis forent, cœlestem in curiam recipi, prædicavit. Legi ego epistolam, quæ exstat, theologorum eiusdem tempestatis, maximè Parisiorum, qui illũ hæreseos notâ inurunt, atque ut resipiscat, commonefaciunt.* En tibi egregium judicem Controversiarum, quem unicè quærit Jesuita! Ite viri Jesuitæ, & si potestis, sociis vestris persuadete, eum esse iufallibilem.

Sectio X.

Expenditur Becani quæstio, an omnes & singuli, qui sunt in Ecclesia, habeant assistentiam & directionem Spiritus Sancti, ut errare nequeant, idque dependenter à Papa Romano & Concilio illi approbato.

I. PAtet, spero, ex dictis satis manifestè, Jesuitam non invenire judicem illum infallibilem, quem quærit. Hîc poteramus finem facere, nisi placuisset homini quæstionem adjicere ac solvere. Illa considerandа est, priusquàm ad sequentem controversiam transeamus. Quærit, an *omnes & singuli, qui in Ecclesia sunt, habeant hanc assistentiam & directionem Spiritus Sancti, ut in fide errare non possint?* Dicit, *facilem esse responsionem, singulos quippe habere, sed dependenter ab ipsa Ecclesia. Quamdiu ergo maneant conjuncti cum Ecclesia, errare non posse. Si dissentiant ab Ecclesia, jam errare.* Num. 127.

II. Utinam tam sincera & vera esset responsio, quàm facilis visu fuit Jesuitæ! Verùm nec sincera, sed fallax, nec vera, sed falsa est, idque multis nominibus. Nõ *sincera*, sed *fallax* est: Nam primò respõdet, omnes & singulos, qui sunt in Ecclesia perpetuam assistentiam & directionem Spiritus Sancti habere, sed dependenter ab Ecclesia. Non ita videtur sentire. Probo. Tribuit hactenus eam assistentiam Pontifici Romano. An dependenter ab ipsa Ecclesia, ut si cum ea sentiat, non erret; si ab ea dissentiat, jam erret? Ergo vel non est caput Ecclesiæ, vel caput pendebit à corpore. Illud nolet Jesuita. Actum enim esset de rei summa. Istud palàm absurdum. Si Pontifex non habet dependenter ab ipsa Ecclesia, ergo aut non est in Ecclesia, aut Jesuita non animo sentit, quod lingua sonat. Vix dicet, non esse in Ecclesia. Abjudicaret enim ei salutem, cùm multoties ingeminet, extra Ecclesiam neminem salvari posse. Præterea non quadraret simile. Papam enim facit Ecclesiæ caput. Quomodo caput, si non est in Ecclesia? *Quo pacto cogitari aut fingi etiam potest, ut is habeat iurisdictionem, & proindè sit caput Ecclesiæ, qui non est membrum Ecclesiæ? Quod enim unquam fuit caput, quod non fuerit membrum?* inquit Bellarminus lib. 3. de Eccl. mil. c. 10. Si est in Ecclesia, utique non sincerè dictum, omnes & singulos habere assistentiam Spiritus Sancti dependenter ab Ecclesia.

III. Se-

III. Secundò. Fraus in voce Ecclesiæ suprà commissa hîc recurrit. Bis notare ex brevi intervallo me minimè pudet. Est necessaria nota. Nominat Ecclesiam. Jam si universalem omnium temporum intelligeret, quæ ipsos Prophetas & Apostolos comprehendit, nõ abnuerẽ, qui cum illa sentiunt, hactenus non errare; qui dissentiunt, errare. At eam non intelligit. Intelligit Pontificiam. Nec tamen totam. Ad clerum enim restringit. Nullam habet populi Christiani rationem. Imò si omnia probè expendas, res ad unum Põtificem tota redit. Non promittit tibi immunitatem ab errore, etsi cum generali Concilio, quod totam Ecclesiam repræsentare dicitur, sentias, nisi illud sentiat cum Pontifice. Nec igitur laicus Papisticus, nec parochus habet assistentiam Spiritus Sancti dependenter ab ipsa Ecclesia, sed à Pontifice. Quod magis patet, cùm quæritur, unde Concilium generale habeat assistentiam Spiritus Sancti, ut errare non possit? Num ab ipsa Ecclesia? At cor ejus esse dicitur. Siccine cor accipit spiritus vitales à corpore? Jesuita suspendit à Pontifice. Non igitur ab Ecclesia. Nisi solus Pontifex hîc per Ecclesiam intelligatur. Quod si verum, profectò responsio minimè sincera. Quæ enim ista metamorphosis?

IV. Non *vera*, sed *falsa* est. Nam primò. Nusquam sive Prophetæ, sive Christus, sive Apostoli assistentiam & directionem Spiritus Sancti, à qua infallibilitas pendet, omnibus & singulis, qui sunt in Ecclesia, promiserunt. Nisi fortè Jesuitæ monstrare possint, ubi infidelibus occultis, id est, iis, qui nec fidem internam, nec ullam Christianam virtutem habent, & tamen propter temporale commodum Ecclesiæ exteriùs se adjungunt, promiserint. Hos n. vera Ecclesiæ membra esse, disputat Bellarminus lib. 3. de Eccl. milit. cap. 10. Secundò. Nusquam iidem ab Ecclesia suspenderunt. Sunt in medio libri Veteris & Novi Testamenti. Inde promant Jesuitæ, si viri sunt, tantæ rei testimonium. Becanus nullum potuit proferre. Tertiò. Cogita, quid futurum sit, si ista sententia semel obtineat. Assistentiæ & directionis divinæ certitudo resolvetur in Ecclesiæ sensum. Etsi aliquis certus sit, se tenere Scripturæ sensum, non tamen erit certus, Spiritum Sanctum sibi assistere, nisi sciat, se tenere sensum Ecclesiæ. Quid si Ecclesia nihil definivit? Exemplum cape. Dominicani contendunt, Mariam virginem conceptam esse in peccato originali. Franciscani, quorum partes Jesuitæ tuentur, negant. Unde hi sciunt, se habere ea in re assistentiam Spiritus Sancti, ut non errent? An quòd sentiant cum Ecclesia? Atqui id incertum, in Papatu. Ejus enim consensum etiam pro se allegant Dominicani.

V. Quartò. Exempla sunt in contrarium in Veteri Testamento. Nam Aaron conjunctus manebat cum Ecclesia Israëlitica, cùm in μοχολατρείαν consentiret, manebant Sacerdotes & Levitæ cõjuncti: Errabant tamen. Moles dissentiebat, & non errabat. Sic qui cum Israëlitica visibili Ecclesia tempore Achabi sentiebant, errabant; Elia, qui dissentiebat, non errabat. Idem de Uria summo Sacerdote dicendum est; Qui cum illo sentiebant, errabant. Jesaia, qui dissentiebat,

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non errabat. Idem dictum volo de Pharisæis & Sacerdotibus, tempore Johannis Baptistæ. Illi sentiebant cum summo Sacerdote & illius temporis Ecclesia Judaica: Johannes dissentiebat. Nihilominùs tamen illi errabant, iste nõ errabat. Num fortasse in novo Testamento omnes in Ecclesia habent assistentiam Spiritus Sancti, ut errare non possint, dependenter ab ipsa Ecclesia, in veteri non dependenter ab Ecclesia? Discrimen hoc probandum esset è Scriptura, non nudè asserendum.

VI. Quintò. Jam pone, omnes, qui sunt in Ecclesia, habere Spiritus Sancti assistentiam dependenter ab ipsa Ecclesia; Quid Sophistam juvabit? Ergone habent nonnisi dependenter ab Ecclesia Romana Papistica? Num à Romano Pontifice? Cur inde magis quàm ab Ecclesia Hierosolymitana, vel Antiochena, vel Alexandrina, quas tres sedes unam esse, scribit Gregorius? Nisi fortè nuper inventæ sunt authenticæ tabulæ, in quibus hoc dependentiæ privilegium Ecclesiæ & sedi Romanæ Pontificiæ soli æternâ & irrevocabili lege, præ omnibus aliis, concessum legatur.

VII. Becanus rem duplici similitudine illustrari posse censet. Nos exspectabamus probationem; Similitudo non probat. Videamus tamen. Unam petit à proportione humani corporis. *Si*, inquiens, *quæras, an singula membra, quæ sunt in humano corpore, habeant in se spiritus vitales & sensitivos, quibus vita conservatur? respondendum est, singula quidem habere, sed dependenter à capite & corde. Nam à capite & corde, tanquam duplici principio, derivantur huiusmodi spiritus in reliqua membra. Unde si intercipiantur, aut occludantur meatus illi seu canales, per quos fit illa spirituum derivatio & distributio, necesse est, reliqua membra destitui spiritibus, & officium suum exercere non possunt. Sin pateant, & aperti sint, res salva est. Sic etiam in Ecclesia. Singuli fideles, qui sunt, quasi membra Ecclesiæ, habent quidem assistentiam & directionem Spiritus Sancti, sed dependenter à Pontifice, qui est veluti caput Ecclesiæ, & à Conciliis, quæ sunt quasi cor Ecclesiæ. Quamdiu ergo singuli manent colligati cum doctrina Pontificis & Conciliorum, participant de assistentia & gubernatione Spiritus Sancti, nec errare possunt. Sin per discordiam & pertinaciam discedant à capite & corde, jam occludunt sibi omnes meatus, ut assistentia & directio divina ad eos derivari non possit. Et sic à veritate abducuntur & erroribus obnoxii sunt. Quod contigit Ario, Nestorio, Macedonio, Pelagio & sexcentis aliis.* Num. 127.

VIII. De protasi non dicam: Ad Philosophos & medicos pertinet, ab unone, an duobus, an tribus principiis spiritus in corporis membra deriventur. De qua re Fernelius lib. 4. Physiol. c. 7 & 8. & Lud. Mercatus tom. 1. lib. 1. par. 4. Class. 3. Art. 1. eruditè disserunt. De Apodosi dicam. In ea nihil veri, nihil sani est, id quod breviter ostendo. Primò. Præsupponit, Pontificem Romanum esse caput totius Ecclesiæ. Malè. Nam primò, quis, quando, ubi, quibus verbis eum constituit totius Ecclesiæ caput Oecumenicum? Suprà monstrare conabatur, Non poterat. Secundò. Si Pontifex est caput, non alius erit præter ipsum, Ergo nec Christus. Id postulat simi-

similitudo. Corporis enim humani unum est caput, non duo. Si dicas, *Pontificem esse caput vicarium, Christum primarium*, nullus eris. Humanum enim corpus non habet caput vicarium. Tertiò. Ecclesia aliquando fuerit sine capite. Aliquando enim nullus fuit Pontifex. Vacavit sæpe sedes. Interdum dubius fuit in schismate. Dubius autem pro nullo habetur. Num corpus humanum esse unquam potest sine capite? Ergo vi similitudinis nec Ecclesia. Pontifex igitur non est caput. Quartò. Toties mortua fuerit Ecclesia, quoties mortuus Pontifex, & toties morietur deinceps, quoties Pontifex exspirabit. Mors enim totius corporis cum morte capitis est conjuncta. Si caput moriatur, corpus vivere non potest.

IX. Secundò. Dicit, *Concilia esse quasi cor Ecclesiæ.* An quævis? Non dicet. particularibus vix illum honorem tribuet. Nec potest, salvâ similitudine. Cor enim per omnia membra totius corporis distribuit spiritus vitales; Particulare Concilium non tangit universum Ecclesiæ corpus. Ergo de generalibus loquitur. Jam mihi vide, quàm aptè! Primis trecentis à Christo annis non fuit celebratum generale Concilium. Aut igitur Ecclesia toto illo tempore corde caruit: Aut Cõcilia generalia non sunt quasi cor Ecclesiæ. Illud nemo affirmabit. Hoc igitur verum.

X. Tertiò. Unde nobis persuadet, singulos fideles habere assistentiam & directionem Spiritus Sancti dependenter à Pontifice. Res maximi momenti lucubrationem indiget probatione. Nos hactenus docti sumus, fideles habere directionem Spiritus Sancti dependenter à Christo, tanquam capite. Si dicat Jesuita, habere dependenter à Christo & Pontifice, recedit à similitudine. Membra enim humani corporis hauriunt spiritus animales ab uno capite, non à duobus. Suprà dicebat, solum Christum esse caput, quoad influxum gratiæ: Hoc si verum, quomodo fideles spiritum accipiant dependenter à Pontifice? Num absque influxu gratiæ? Ita perit similitudo. Membra enim corporis humani non citra influxum capitis à capite hauriunt spiritus. Jam recole superiorum temporum memoriam. Cùm duo, cùm tres sederent Pontifices in schismate, an fideles singuli habebant directionem Spiritus Sancti, ut errare non possent? An dependenter à Pontifice? Ab utro igitur, cum duo sederent? A Gallone an Italico? A quo, cùm tres sederent? Sed etsi Pontifices contraria edant decreta, à quo fideles hauriant spiritum, ut errare nequeant? Exempla contrarietatis suprà recitavimus. Porrò quid fiet illis, qui Romanum Pontificem non agnoscunt caput? Quid Orientalibus? Quid fidelibus extra Romanum Imperium? An illi non habuerunt assistentiam Spiritus Sancti? Atqui non dependebant à Pontifice, tanquam capite.

XI. Quartò. Nondum constat, *quamdiu singuli colligati manent cum doctrina Pontificis, eos participare de assistentia & gubernatione Spiritus Sancti, nec in fide errare posse.* Quis auctor canonicus dixit? *Si* ad similitudinem provoces, nullus eris, imò evertes ipsum. Inde enim patebit, Papam non datum esse caput toti Ecclesiæ. Vide exempla. Postquàm Liberius

Universidad de Deusto
Biblioteca

exilii tædio in Arii partes flexus esset, Ariani cum illo colligati manebant in doctrina. An ea de causa non poterant errare? An Nestoriani non errare poterant, quòd ipsis Anastasius II. faveret? An Monotheletæ participabant assistentiam Spiritus Sancti, ut errare non possent, quamdiu manebant colligati cum Honorio in doctrina? Atqui damnati sunt à Concilio, & cum ipsis Honorius. Qui colligati cum Innocentio docebant, Eucharistiam infantibus esse necessariâ, an errare non poterant? Cur igitur Papistæ hodie non idem sentiunt? An fortasse olim erat vera sententia, quia eam Pontifex Romanus tenebat, hodie non vera, quia Pontifex non tenet? Quid de reliquis exemplis fiet? Certè aut conjunctio cum capite non est tibi necessaria, ut non erres, aut Pontifex Romanus non est caput. Ab eo enim citra errorem dissentire licet.

XII. Quintò. Dura sententia, divinam assistentiam & directionem ad eos derivari non posse, qui à Pontifice Rom. dissentiunt. Sed bene est, quòd non prodit è cœlo. Polycarpus ab Aniceto dissensit in quæstione de paschate. Athanasius & plurimi fideles toto animo dissentiebant à Liberio in Arii partes flexo. Idem à Sylvestro excommunicatus est. Plurimi ab Anastasio secundo in causa Nestorii dissenserunt. Plurimi ab Honorio, in negocio Monotheletarum. Num ad istos omnes non poterat assistentia & directio divina derivari? Non poterat, aut Jesuita falsus est.

XIII. Sextò. Exempla producta eum non juvant. Nam Arius, Nestorius, Macedonius, Pelagius non inde in errorem præcipites iverunt, quòd discederent à Pontifice Romano, tanquam Ecclesiæ capite. Primò enim istis temporibus nondum innotuerat caput Oecumenicum, à quo tota Ecclesia spiritum & sensum omnem hauriret. Deinde cùm Liberius rediret in gratiâ cum Arianis, & Vigilius cum Eutychianis, non receperunt inde Spiritus Sancti assistentiam, nec ab errore sunt liberati. Idem de Nestorianis, Monotheletis, & aliis dictum esto. Tertiò. Obstruxerunt Arius, Nestorius, cæterique hæretici meatus, per quos Spiritus gratiam accipere debebant, dum recederent à Scriptura canonica. Illa poterat eos sapientes reddere in salute, 2. Tim. 3, 15. Illam cùm negligerent, implebatur in illis, quod scriptum est, *Carpit sapientes, cùm versutia eorum*, 1. Corinth. 3, 19.

XIV. Septimò. Conjungit Pontificem & Concilia, velut caput & cor. Hîc lector cogitabit, sitne colligatio in doctrina cũ Pontifice & Conciliis necessaria ad perceptionem assistentiæ & directionis divinæ, an sufficiat colligatio vel cum Pontifice, vel cum Conciliis. Non est curiosa quæstio. Non enim semper est idem Põtificis & Concilii sensus. Generale Concilium Chalcedonense parem honorem Constantinopolitano Episcopo cum Romano decernebat. Aliter sentiebat Leo. Eugenius quartus Gregorium VII. secutus se supra Concilium efferebat. Contrà Concilium Constantiense, itemque Basileense tum verbis tum facto declarat, Papam esse infra Concilium. Jam si dicas, colligationem in doctrina & cum Papa & cum Conciliis esse necessariam, quid

quid fiet, cùm non idem est Pontificis & Concilii sensus? Exemplum non petemus è longinquo. Vide, quod tetigi.

XV. Quæritur, *an Concilium sit supra Pontificem Romanum?* Papa negat, idque sive comparetur cum Concilio, cui nec per se, nec per Legatos præsit, sive cum eo, cui per se, vel per legatos præsit. Inde Pius II. & Julius II. appellationem à Papa ad Concilium hæreseos damnârunt, id quod repetit & imitatur Leo X. in bulla adversùs Lutherum edita. At Pius IV. durante Concilio Tridentino, Romæ in Senatu conquestus, Lansacum Galliæ oratorem patrocinari nonnullis, qui Concilii auctoritatem supra Papam extollũt, disertè pronunciat, cùm opinio hæretica sit, ejus quoq; fautores esse hæreticos quibusvis suppliciis castigandos. Petrus Suavis refert in historia Concilii Trid. Contrà Constantienses & Basileenses perspicuè definiunt. Concilium esse supra Papam. Aliqui tenent papæ sententiam, imprimis novelli Jesuitæ; Plurimi Conciliorum. Si colligatio in doctrina cum Papa & Concilio est necessaria, neutra pars habebit assistentiam Spiritus Sancti. Non illi, qui Concilio Papam subjiciunt, quia non manent colligati in doctrina cum Papa. Non isti, qui Papam supra Concilium efferunt, quia non manent colligati cum Conciliis.

XVI. Si sufficere dicas, colligationem vel cum Pontifice, vel cum Concilio, primò discedis à similitudine. Ut enim integri sint sensus & vitales actiones, non sufficit, spiritus à corde, vel capite per meat⁹ in membra derivari. Debent simul ab utroque. Deinde cur copulatur Concilium cum Pontifice, non alternativè ponitur? Tertiò. Non opus erit Conciliis. Quod enim potest fieri per pauciora, nõ debet fieri per plura. Carere igitur poterunt fideles Conciliis; Id est, Ecclesia poterit carere corde. Si quidem verus Jesuita. Is sic appellat. Quartò. Si colligatio cũ Conciliis sufficit, non erit necessaria cum Pontifice. Aut igitur corpus capite carere potest, aut Pontifex non est caput Oecumenicum. Illud absurdum. Hoc igitur verum. Huc nos ducit similitudo Jesuitæ.

XVII. Becanus ad monelas convertitur, quasi re præclarè gestâ confectâque. *Ne*, inquiens, *idem nobis contingat, audiamus consilium Apostoli, qui ubique hortatur nos ad consensum & unitatem doctrinæ*, ut Roman. 16, 17. *Rogo autem vos, fratres, ut observetis, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab eis. Et* 1. Corinth. 1, 10. *Obsecro vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Et* Eph. 6, 3. *Servate unitatem spiritus in vinculo pacis: Unum corpus, & unus spiritus; sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Et Hebr. 13, 9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.*

XVIII. Sanctum Apostoli consilium audimus, agnoscimus, veneramur, sequimur animo lubenti. Sensum Jesuitæ non sequimur, nolumus sequi, idque nullâ pertinaciâ. Non licet. Longè enim alius est, quàm Apostoli. Inter Corinthios orta erant schismata, hoc dicente, *Ego sum Pauli*; illo, *Ego verò Apollo*; isto, *Ego verò Cephæ*; alio, *Ego verò Christi*. Apostolus improbat; vult omnes dicere, *Ego sum Christi*, idem loqui, idem sentire, idem velle

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed in Christo. Idem nos studemus. Schismata deploramus, non fovemus. Non dicimus, *Ego sum Calvini, ego sum Zvinglii, Ego Buceri.* Quòd aliqui dicunt, *Nos sumus Lutherani, vos estis Calviniani,* id toto animo improbamus, & cupimus non tantùm omnes, qui Evãgelium profitemur, idem loqui, sed & sentire: At in Christo crucifixo, quem Paulus prædicavit, non in capite vicario Oecumenico, quod nec prædicavit, nec agnovit. Non jubet idem loqui, idem sentire, quod quivis Episcopus Romanus post sexcentos, octingentos & mille annos docturus erat è cathedra & sensurus, aut Concilium Tridentinum tenditurum. Jesuita nos ad id vocat, invito Apostolo. Ideo non sequimur.

XIX. Apostolus unitatem Spiritus Ephesiis commendat, idque multis argumentis. Audimus unum corpus, unam spem vocationis, unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, unum Deum & patrem omnium. His argumentis ad unitatem ducimur. His acquiescimus. Sufficiunt enim. Non audimus unum caput vicarium Oecumenicum. Quis credat, sanctum monitorẽ omissurum fuisse, si ad unitatem Spiritus servandam duxisset necessarium? Quàm facilè dixisset, *unus Pontifex!* Non dicit. Jesuita vellet ingerere. Non patimur. Cui enim bono? Ephesii sine eo servare poterant Spiritus unitatem; cur nos nequeamus? An unum illud caput hodie non sufficit, quod Deus constituit super omnia ipsi Ecclesiæ? Ephes. 1,21.

XX. Apostolus non vult, Hebræos doctrinis variis & peregrinis circumferri. Nec nos velimus. Doctrinæ peregrinæ sunt, *quæ alienæ à veritate,* inquit Theophylactus, *quæ doctrinis Evangelicis contrariæ,* inquit Theodoretus: id est, *præter eas, quas audistis à nobis.* Sic optimè Chrysostomus. Talibus nolumus circumferri. Hæc una causa est tam longi certaminis, tot persecutionum, tot calamitatum, quas Ecclesiæ nostræ sustinent. Jesuita peregrinas doctrinas vocat, quæcunque à Pontificis & Concilii Tridentini, velut capitis & cordis Ecclesiæ, sensu sunt alienæ. Non sic Apostolus. Nisi in veteri & novo Testamento Pontificia & Tridentina doctrina nobis monstretur. Quicquid inde legitur, id promptè amplectimur. Quæ inde non leguntur, peregrina sunt. Illis, qui circumferri amant, suo periculo circumferantur. Nobis religio est.

XXI. Denique quod Apostolus à Romanis postulat, id nobis curæ fuit hactenus. Jesuita vellet, nos ab iis discedere, qui doctrinam afferunt, præter eam, quã moderna Romana Papistica Ecclesia didicit. Non ea mens Pauli. Non dicit, *præter doctrinam, quam vestri posteri post sexcentos, post mille annos discent, sed quam vos didicistis.* Præter illam doctrinam dissensionum & scandalorum auctores observavimus. Pontifices Romani auctoritate suâ homines mortuos, quos voluerunt, in sanctorum numerum retulerunt & religiosè invocandos commendârunt, jusserunt religiosè colere tum homines, quos in rerum natura unquam fuisse, minimè constat, tum reliquias sanctorum, adorare imagines, pro mortuis è purgatorio liberandis orare; vendiderunt pecuniâ indulgentias, satisfactiones proprias

prias & alienas pro peccato; merita operum, transsubstantiationem, missatium sacrificium externum reale propriè dictum finxerunt, extulerunt se supra universam Ecclesiam, jactârunt se illius caput & judicem controversiarum. Nominatim Gregorius VII. decrevit, Quòd *solius Romanus Pontifex jure dicatur universalis.* Quòd *ille solius possit deponere Episcopos, vel reconciliare.* Quòd *absentes Papa possit deponere.* Quòd *illi soli liceat pro temporis necessitate leges condere.* Quòd *solus possit uti imperialibus insigniis.* Quòd *solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.* Quòd *illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.* Quòd *unicum sit nomen in mundo, Papæ videlicet.* Quòd *illi liceat Imperatores deponere.* Quòd *de omni Ecclesia quacunque voluerit, clericum valeat ordinare.* Quòd *nulla Synodus absque præcepto eius debeat generalis vocari.* Quòd *nullum capitulum, nullusq; liber canonicus habeatur absque illius auctoritate.* Quòd *sententia illius debeat à nullo retractari, & ipse omnium solus retractare possit.* Quòd *à nemine ipse judicari debeat.* Quòd *nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem.* Quòd *majores causæ cuiuscunque Ecclesiæ ad eum referri debeant.* Quòd *Romana Ecclesia nunquam erraverit, nec in perpetuum errabit.* Quòd *Romanus Pontifex canonicè electus merito B. Petri indubitanter fiat sanctus.* Quòd *Catholicus non habeatur, qui non concordat cum Romana Ecclesia.* Quòd *à fidelitate iniquorum subditos possit absolvere.*

XXII. Hanc doctrinam Romani ab Apostolo non didicerant. Inde multi pii notârunt dissensionum auctores, & monuerunt officii; Gregorius est nominatus Antichristus apud Aventinum. Cùm successores ejus vestigia premerent, & spes nulla emendationis superesset, ab eis declinavimus, juxta consilium Apostoli. Jesuita vellet nos ad eos retrahere prætextu unitatis. Monstret, Romanos Hildebrandinam seu Gregorianam & Tridentinam doctrinam ex Apostolo didicisse. Si monstraverit, debemus redire, unde discessimus. Redibimus. Sin minùs, quid satagit, nos ad scandalorum auctores reducere, à quibus jussit Apostolus declinare? Nondum sentimus, occlusos esse omnes meatus, & interceptos spiritus, etsi à capite & corde Jesuitæ non hauriamus. Spiritus à capite Christo rorantis gratia nobis sufficit; Illius meatus quamdiu nobis patent, salva res est.

XXIII. Restat altera similitudo. Illam Becanus petit à grege ovium. *Nam,* inquiens, *sicut totus grex in uno stabulo vel loco collectus habet perpetuam assistentiam Pastoris, qui furcâ & canibus defendit illum à ferocia luporum; sic etiam tota fidelium Ecclesia, in una fide & spiritu collecta, habet perpetuam assistentiam divini illius Pastoris, qui dixit,* Ego sum pastor bonus & cognosco oves meas, Johan. 10,14. *Et iterum,* Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, Matth. 28,20. *Item, sicut singulæ oviculæ, quamdiu manent conjunctæ cum grege sub custodia pastoris, immunes ac tutæ sunt à morsu luporum: Sic etiam singuli Christiani, quamdiu manent conjuncti cum Ecclesia, id est, cum doctrina & consensu Ecclesiæ, immunes ac tuti sunt à periculo erroris & infidelitatis. Denique sicut oviculæ, quæ aberant à grege, de-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

stituuntur protectione Pastoris, ac proinde luporum insidiis expositæ sunt; Sic Christiani, qui discedunt à communi consensu & doctrina Ecclesiæ, destituuntur assistentia Spiritus Sancti, ideoque erroribus expositos esse, necesse est. Num. 128.

XXIV. Similitudo variè laborat & parùm homini utilis est. Nam totus grex ovium in una caula collectus non habet perpetuam assistentiã Pastoris; sæpe dormit, interdũ fugit, nõ semper eum defendit à lupo. Fit interdum fur, fit lupus. Non sunt singulæ oviculæ immunes ac tutæ à morsu luporum, q̃diu manent cõjunctæ cum grege: Totum gregem lupi invadunt, oves sternunt, rapiunt, lacerant, vorant, pastore altùm stertente, & canibus non latrantibus. Nec tantùm periculum est à lupis: Est etiam à noxiis pascuis, à fœtentibus aquis, à morbis, idque nõ tantùm singulis, aut aberrantibus à grege, sed & gregi toti. Scabie inficiuntur non solùm oviculæ segreges, sed & congregatæ. Ab una contagium sæpe serpit in gregem universum. Sanè tota fidelium Ecclesia in una fide & Spiritu collecta habet perpetuam assistentiam boni illius Pastoris, qui vitam pro ovibus posuit. Et quamdiu Christiani cum illa conjuncti manent in doctrina, immunes sunt in tantum ab errore, in quantum cum illa consentiunt. *Si* nihil prorsus teneant, quod non tota omnium temporum Ecclesia tenuit, tuti sunt ab errore & infidelitate. Qui ab ejus consensu discedit, in errorem præceps agitur.

XXV. Hoc verò quid ad præsentem causam? Num id nunc agitur? Imò quæritur, *an omnes & singuli habeant assistentiam Spiritus Sancti, ut errare non possint, dependenter à Pontifice Romano & Conciliis ipsi approbatis?* A tota fidelium Ecclesia ad Papisticam non valet sequela. Ubi toti gregi Christiano datus est unus Romanus Pastor vicarius Oecumenicus? Ubi grex totus ad unius illius sive furcam, sive pedum remissus alligatusque? Unde patet, cautum esse Christianis, modò illi se totos committant? Quid si furis animum sumat, si lupus fiat? Cur minùs fieri possit, quàm alii Pastores, quàm Arius, Nestorius, Macedonius? Quid si lupis se adjungat cum Liberio, & Honorio? An non dormitare potest? Cogita mecum illud tempus, quo hæretica exorta tempestas navem plenam blasphemiarum Romano portui inferebat, inveniebatque protinus patella operculum, & Romanæ fidei purissimum fontem cœno lutosa permiscebat vestigia. Fides Apostolico ore laudata in plerisque violabatur, ita ut Sacerdotes quoque & nonnullos monachorum, maximeque seculi homines, in assensum sui traheret. Quid Pastor? Pastor, inquam, non gregarius, sed, si Jesuitis credas, Oecumenicus? Num vigilabat? Num gregem à morsu luporum defendebat? Num tuti erant, quotquot ejus pedo se permitterent? Imò simplicitati ejus illudebant lupi. Una fœmella lupis publicè restitit, malens Deo placere, quàm hominibus. Horum testis Hieronymus Marcellam nominat. *Si* boni illius Siricii simplicitati lupi illuserunt, cur non possint Successoribus? Si illius pedum non præstabat gregi securitatem, quomodo cujusvis Successoris præstet? Nisi fortè re-

gnum,

gnum, quod in capite sequioribus seculis humilis ille Pastor & Servus Servorum cœpit gerere, deinceps plus terret lupos, quàm pedum. Nos vestigia terrent. Inde lubenter acquiescimus uni Pastori Christo; Ille solus plenam præstat securitatem. Illius simul & sancti gregis vox sonat in Scriptura. Illam audimus, & sequimur. Hîc suppetunt nobis salutaria pascua, hîc patent limpidi Prophetarum & Apostolorum rivuli: hîc panacea obvia contra omnes fidei morumque morbos. Inde munimur adversùs quosvis grassantes lupos, quocunque habitu, sive nativo, sive ementito, & à quacunque tandem orbis plaga in gregem erumpant.

XXVI. Becani sermo ad finem properat. Perorat enim, & quidem more suo. Dicit, *cùm hoc capite constitutum sit & multis argumentis confirmatum, Ecclesiam Christi, quæ errare non potest, esse judicem controversiarum fidei ac religionis, non magnopere laborandum esse de iis controversiis, quæ deinceps sequuntur; quia quilibet vir prudens facilè advertet, in singulis eam partem sequi nos oportere, quam Ecclesiæ auctoritas sequendam esse, affirmat: non verò quam privati quidam homines, nescio quo Spiritu afflati, propriâ electione amplectuntur. Nec tamen propterea ab earum tractatione abstinendum esse, sed potius dandam operam, ut singulæ, quantâ fieri potest, brevitate & claritate proponantur. Sic enim futurum esse, ut & Catholici faciliùs sua dogmata intelligant, & adversarii, perspectâ veritate, vel ad mentem redeant, vel si obstinati sint, in suo errore confundantur.* Num. 129.

XXVII. Multa sanè in hoc capite constituit. At nihil solidè probavit. Constituit 1. *Ecclesiam esse judicem controversiarum.* 2. *Normam, quam sequitur Ecclesia in ferenda sententia, non esse solam Scripturam, sed Scripturam & traditionem.* 3. *Ecclesiam sententiam dupliciter pronunciare posse: vel per Pontificem, vel per Concilia illi approbata. Utroque modo sententiam esse infallibilem.* Detexi fraudem: Per Ecclesiam intelligit Papisticã. Unde facilè do, si ista probâsset, Papistis de sequentibus controversiis non magnopere laborandum esse. Papa enim in sua causa ubique esset judex, & pro se pronunciaret. At enim verò ego repeto, q̃ semel dixi, nihil eorum probâsse. Non probavit, Ecclesiam Papisticam esse judicem controversiarum *summum & absolutum.* De hoc enim quæritur. Nec probavit, duplicem esse normam, Scripturam & traditionem. Nec probavit, Ecclesiam Papisticam sequi Scripturam in sententia ferenda. Denique non probavit, Ecclesiam Papisticam vel per solum Pontificem, vel per Concilia ipsi approbata sententiam pronunciare posse, & quidem utroque modo infallibilem. Imò argumentorũ ipsius palæstra nobis, vel potiùs veritati, quam tuemur, palmam victoriæ manifestè sudat. Ad collationem & pii lectoris ἀδέκαστον judicium provoco. Qui itaque in sequentibus controversiis falli nolet, is nobiscum statuet, in singulis eam partem sequi nos oportere, à qua stat Christus per Spiritũ suum in Scriptura loquens, non quam sive Papa Romanus, sive Concilium illi approbatum sequendam esse, affirmat. Quod cùm dicimus, Ecclesiæ universalis auctoritatem nõ contemnimus, quip-

pe

Universidad de Deusto
Biblioteca

pe quam & semper magni fecimus, & prævia Scripturâ lubenter sequimur. Nos nemini obtrudemus, quod privati homines, quicunque tandem sint, propriâ electione amplectuntur. Sed nec nobis obtrudi patiemur, quicquid sive Thomas, sive Scotus, sive Papa Romanus, sive Concilium Papisticum electione propriâ decernit tenendum. Cæterùm brevitati & claritati, quam promittit, nos quoque pro virili studebimus. Unde futurum speramus, ut verè Catholici sua dogmata faciliùs intelligant & intellecta confirment, at Papistæ, cognitâ veritate, vel ad mentem redeant, vel si in pertinacia perseverent, in errore suo tanto apertiùs, medio sole, confundantur.

XXVIII. Priusquam verò hinc abeamus, pauca ex dictis colligam, unde vel ipsi Papistæ agnoscant, quales disputatores sint Jesuitæ, & quem fructum ex assertione ipsorum tandem capiant. De priori duo colligo, primò Becanum & quicunque Papæ infallibilitatem cum ipso jactant, esse nimis impudentes assentatores, & abuti bonorum impatientia. Disputant enim contra certam historiam & manifestam experientiam. Exemplis evidentibus constat, Papas errâsse. Isti tamen negant, errare posse. Ne indignentur mihi boni Patres. Alphonsus à Castro suprà non credebat, esse adeò impudentem Papæ assentatorem, qui ei tribuere hoc velit, ut nec errare, nec in interpretatione Scripturæ hallucinari possit. Jesuitæ opinionem Minoritæ fefellerunt. Sunt tam impudentes.

XXIX. Secundò colligo, Jesuitas diffidere suæ causæ. Argumentum ex dictis duplex. Unum est, quòd ferre non possunt Scripturæ, id est, Dei in Scriptura loquentis judicium. Qui Scripturam ferre non vult judicem, is non vult Deum judicem ferre: Scriptura enim est Dei verbum. Alterum est, quòd præcisè quærunt judicem domesticum, eumque hominem, qui in sua causa pronunciet. Est enim pars litigans.

XXX. De posteriori colligo, Papistas longè alium fructum capere ex assertione Jesuitica, quàm fortè exspectent optentve. Immerguntur in difficultates insuperabiles. Primò. Certa controversiarum norma in contemptum adducitur, incerta & fallax commendatur. Scriptura est certa. Traditio non scripta minimè. Fallax deprehensa. Unde habent tres Reges Persiæ? Unde Ursulã cũ undecim millibus virginum? Unde Christophorum & Gregorium Cappadocem? A traditione. Num certa? Imò jam aliquibus Papistis fraus suboluit.

XXXI. Secundò. Principium certum obscuratur; incertum obtruditur. Certum principium religionis est Sacra Scriptura. At illi non admittunt, nisi sensu Ecclesiæ Papisticæ, id est, Pontificis. Nominant quidem Ecclesiam, Patres, Concilia; Sed omnia resolvuntur in Põtificem, qui sit infallibilis. Hoc est principium summum religionis Jesuiticæ, nec tamen per se notum, nec aliunde demonstratum. Non per se notum esse, fortasse omnes fatebuntur. Alioqui enim omnis sanus intellectus statim assentiretur. Nõ aliunde demonstratum: Unde enim? Num ex Scriptura, an ex traditione? Si ex Scriptura, ea vel per se tam clara est, ut citra ex-

tra externum supplementum inde intelligi possit, vel Pontificis interpretatione infallibili indiget. Si prius, cur Jesuitæ Scripturam in hac quæstione non ferunt judicem? Si posterius, unde constat, interpretationem Pontificis esse infallibilem? Num quia ipse dicit? En certitudinem! Si ex traditione, unde acceperunt? Unde sciunt, certam esse? Num quia Patres dicunt? Non dicunt. Sed si dicerent, certumne, quicquid dicunt, an solùm quicquid consentit cum Pontificis doctrina? Illud non dicent. Si hoc, petitur principium, de quo nec Pontifex ipse certus esse potest, nec alios certos reddere. Non potest ipse certus esse; Unde enim? Num ex Scriptura, an ex immediata revelatione? Si ex Scriptura, solane per se, citra aliud supplementum, an aliunde declarata? Si ex sola per se; cur negant, solam esse posse normam? Si non nisi ex declarata aliunde per externum supplementum, quis illud dabit? Illene an alii? Si alii, fallibile est. Si ipse, unde constabit, esse infallibile? Si ex immediata revelatione, quænam ejus sunt argumenta? Unde aliis de ea constabit infallibiliter?

XXXII. Tertiò. Certitudo & securitas fidei tollitur. Papistæ non possunt esse de religione sua securi. Omnis enim certitudo in Pontificis infallibilitate collocatur. At Christus eam nusquam illi promisit, nullum generale Concilium ei vindicavit. Ipsi Jesuitæ docent, debere adhibere diligentiam summam: Unde certi sunt, semper adhibere? Non semper est paratus ad respondendum: Inde non decidit quæstionem de conceptione Mariæ, quamvis tam crebrò rogatus. Plurimi iique magni nominis Papistæ palàm fatentur, errare posse. Si ab eo igitur pendet religionis certitudo, tanquam à summo judice, utique prorsus nulla est.

XXXIII. Quartò. Papistæ sæpe caruerunt & carebunt sæpe judice infallibili, quoties nempe Pontifex vel moritur & sedes vacat, vel sedet Pontifex dubius, id quod fit in schismate. Dubius enim, ut aliquoties dixi, pro nullo habetur. Vel cùm sedent Pseudopontifices, quod fere toto decimo seculo factũ est, teste Baronio. Deniq; interdum monstrũ fuerit omnium Controversiarum judex summus, & à monstro pependerit totius religionis summa. Ratio, quia aliquando monstra Romanam sedem tenuerunt. Testes ipsi Papistæ. Platina teterrima monstra vocat. En vobis judicem, quem quærunt Jesuitæ! Illi applaudant, in illo exultent inter suos. Facessat à nobis, qui deinceps non miramur, monstrosas sententias ex isto tribunali prodire.

Qualis judex, tales sententiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONTROVERSIA SEXTA
DE
ANTICHRISTO
SECTIO I.
Sententia Catholicorum proposita defenditur à calumnia Becani.

I. BEcanus disputationi de controversiarum judice proximè conjungit quæstionem de Antichristo. Quo consilio, nescio. Num ordinis ratio id suadet? An quisse summum absolutumq; omnium controversiarum judicem jactat, in Antichristi suspicionem fortasse venit? Noverit Jesuita, noverint socii. Nos non anxiè inquirimus, sed incumbimus in rem ipsam. Quam novâ methodo & in cæteris non ita usitatâ tractandam suscipit. Primùm enim nostram sententiam proponit, traducit, refellere conatur. Deinde Papisticam dicit, dictam incrustat. Denique nonnulla sibi objicit, quæ dissolvat. Nolo conjecturis indulgere. Si tamen dicam, hanc methodum ad præoccupandum lectoris sensum esse compositam, fortè à vero non multum aberravero. Tota tractatio & ipsa penè verba id testantur.

II. Ante omnia brevitatem pollicetur, cujus causam dicit: Sed falsam; poterat multo veriorem. Falsam dicit; Fingit enim, *se in hoc capite non diu hæsurum esse, quia adversarii vel non seriò agant, vel calumnientur.* In Manuali cap. 6. num. 1. Seriò rem agere, vel experti credere debebant Papistæ, postquàm nõ tantùm commentariis res acta est, sed etiam plurimorum sanguine obsignata veritas. Et dubito, an hoc Becanus dicat ex sensu Papæ sui capitis, imò & sociorum, qui vix sibi persuaderi patientur, ut sanguinem fundant in causa, quam non seriò agant. Altera accusationis pars de calumnia præter fœdam calumniam nihil habet veri. Cur enim calumniemur, si rem hanc agamus seriò? Scapham appellare scapham nõ est calumniari, sed dicere, quod res est.

III. Queritur, nos duo potissimùm apud rudem plebeculam inculcare. Primò *Antichristum jam pridem venisse in hunc mundum.* Secundò, *Romanum Pontificem esse Antichristum.* Utrumque docemus, idque non tantùm apud rudem plebeculam, sed etiam in eruditorum congregationibus, nisi fortè ejusmodi apud nos nullæ sunt, sed sola plebecula rudis nobis relicta, doctis omnibus conversis ad Jesuitas. Et nostram doctrinam mox in ipso disputationis limine lectori suspectam reddat, ejus tradendæ consilium premit conjecturâ, quæ ipsi tanquam homini in hac palæstra probè exercitato facilis quidem fuit prolatu: probatu non æquè facilis, quia ficta, non sumpta à re ipsa. Fingit, *non alio consilio nos in hanc doctrinam incumbere, quàm ut nostram defectionem à catholica fide possimus tegere & excusare, sub prætextu defectionis ab Antichristo. Et liceat nobis, quod apud Catholicos non licebat, impunè Pontifices & Episcopos contemnere, vota Deo nuncupata violare, moniales in uxores ducere, festa & jejunia negligere, carnis illecebras sectari, & quæ his similia sunt, patrare.* Num. 1.

IV. Facilis erat, inquam, hæc conjectura Becano alios ex suo & suorum ingenio & moribus æstimanti. Ille autem vel non agit seriò, vel calumniatur. Liceat nobis uti ipsius verbis, bona cum venia. Nollet videri, causam Papæ non agere seriò. Calumniatur igitur. A fide catholica non defecimus, nisi Apostolica non ampliùs est catholica. Illam enim tenemus, in veteri & novo Testamento consignatam. Pontifices & Episcopos verè catholicos, quales Apostolus describit, non contemnimus, sed lupis resistimus, eodem monente. Vota legitima non violamus. Si quis violet, suo violet periculo. Ecclesia non probat. Vota illegitimè posita rescindere, non est crimen. Moniales, quales sunt in Papatu, uxores ducere, non pugnat cum Dei verbo, aut Papa contra Dei verbum dispensat. Dispensavit enim. Et quis dubitet, moniales ætate immaturâ in claustra detrusas honestiùs inire matrimonium, quàm in fornicibus illis (nota est vox celebrium Papistarum) consenescere. Festa & jejunia nos nõ negligimus, sed immane legum humanarũ jugum, quo Episcopi, præter Dei verbum, Ecclesiam iniquè presserunt, excussimus, libertatem tuentes, in quam Christus nos asseruit. Carnis illecebras qui sectari volunt, non est cur papatũ deserant. Annon ibi regnant? Non igitur indigemus defectionis prætextu, quem in suum usum sibi servent Jesuitæ, si sapiunt.

V. Quin cogitat bonus ille disputator, non nostris primùm hanc sententiam placuisse, sed dictam à plurimis sub medio Papatu, longè ante Lutheri & Calvini tempora. Dictam negabis? Non potes. Dicta enim ab Episcopis, ab aliis, imò plerisque bonis, dicta ab Imperatoribus & Imperii ordinibus. Ab *Episcopis*: An. Chr. 858. Episcopus Colonienſis & Trevirensis Papam Nicolaum I. (Avent. l. 4. Annal.) sic alloquebantur. *Tu Pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannum agitas: Sub habitu & cultu Pastoris lupum sentimus. Titulus parentem mentitur, tu te factis Iovem ostentas; Cùm sis servus servorum, Dominus Dominorum esse contendis, juxta disciplinam Christi Servatoris nostri infimus eius omnium minister templi Dei: Tu verò libidine dominandi in præceps abis, quicquid tibi libet, licet. Fucus factus es Christianis.* Anno 991. Arnulphus Aurelianensis ad Rhemensem Synodum de Papa: *Quid hunc in sublimi solio residentem, veste purpureâ & aureâ radiantem, quid hunc, inquam, esse censetis? nimirum si charitate destituitur, sólaque scientiâ in-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

inflatur & extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens, & se ostendens tanquam sit Deus. Circa annum 1110. Episcopus Florentinus affirmare solebat, *Antichristum natum esse*, quod cum Paschalis II. cognovisset, eò statim profectus, re discussâ, homini silentium imponit. Auctor est Platina. Circa an. 1200. Joachimus Abbas Florensis in Calabria coram Richardo I. Angliæ Rege, dicit, *quod Antichristus jam in urbe Roma prognatus esset, & in sede Apostolica sublimaretur*, apud Foxum in comm. rerũ in Ecclesia gestarũ. Complures Episcopi, Gregorio VII. mortuo, *Romanum Episcopum Antichristum esse*, prædicârunt, id eis Myldorffi congregatis in memoriam revocat Otto Dux Bojorum, referente Aventino, lib. 5. pag. 550. Anno 1240. Eberhardus Salisburgensis in Concilio Reginoburgensi (Ratisbonensi:) *Hildebrandus ante annos 170. primus specie Antichristi Imperii fundamenta jecit: hoc bellum nefandum auspicatus est, quod per successores hucusque continuatur.* Aventinus refert lib. 7. Annal. p. 947.

VI. Ab *aliis*; Matthias, cognomento Parisiensis, natione Bohemus, circa ann. Dom. 1380. libro prolixè de Antichristo scripto probat, eum jam venisse, & prædicit futurum, ut Deus adhuc semel pios doctores excitet, qui Spiritu & zelo Eliæ ferventes, errorem Antichristi ipsumque Antichristum mundo patefaciant ac refutent. Militzius Bohemus eodem seculo idem scripsit, ut recitat Jacobus Misnensis in libro de adventu Antichristi: Imò bulla Gregorii secundi ad Episcopum Pragensem, quâ jubet hominem excommunicare, testatur, anno 1366. docuisse, quòd Antichristus jam adsit. Idque se coactum à Spiritu Romæ publicè conciónatum esse, ipse testatur, nec defuit illi cœtus, quem hæc doceret. Sunt editæ Parisiis quædam prophetiæ sub Maximiliano Cæs. ex variis auctoribus collectæ. In eo libello clarè citatur epistola S. Vincentii, in qua affirmaverit, Antichristum jam esse in mundo, imò Papam esse illum Antichristum. Hunc aliqui esse putant Vincentium, qui sanctitatis opinione celebris floruit in Italia, circa annum Domini 1400. Vide Catal. test. verit. lib. 19. col. 1871. Guilielmus Occam Clementem VI. libro edito Antichristum vocat, teste Aventino l. l. pag. 628. Circa ann. 1340. Johannes de Rupescissa, cui Frossardus lib. 2. Hist. summæ eruditionis laudem tribuit, *in Papatu Antichristum regnare*, docuit. Wiclephum, Savanorolã, Hussum lubens omitto. De *plerisque* dicit Aventinus in Gregorii VII. historia lib. 5. Annal. pag. 470. *Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices, tum Imperium Antichristi cœpisse, quòd ea, quæ Christus Servator noster tot annis antè nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidere.*

VII. Ex *Imperatoribus* hîc nomino Henricum IV. qui literis ad Reges & Principes datis, monet, *nisi caveant, Sacerdotes Romanos non cessaturos esse, donec more Antichristi in templo Dei sedeant, atque ab omnibus quasi Deus colantur & adorentur.* Apud Aventinum lib. 5. pag 476. Nomino Fridericum II. qui tum in suis literis ad Principes, tum Wenceslao Bohemiæ Regi per legatos perspicuè satis de-

declarat, Romæ Antichristum regnare. Vide Aventinum lib. 7. pag. 542. 543. Nomino Ludovicum IV. Imp. qui in edicto adversùs Johannem XXII. *Me*, inquit, *hæreticorum fautorem falsò vocat. Christianus sum, at ipse hæresiarcha est. Ut Antichristus non sit, tamen eius antecursorem, atque anteambulonem esse, necesse est.* In altero; *Caput ille factionis, Jacobus de Baburco, qui se Johannem XXII. nominat, regno humano inhiat, sicut Pastor est personatus, ita mysticus est Antichristus, canis pelliculâ tectus, in gregem Christi lupinâ rabie grassatur.* Infrà: *Jacobum illum imperii Antichristi auctorem, jure nostro, consilio, sententia, consensu communi Principum, Pontificum Germaniæ, Italiæ, efflagitantibus sacerdotibus populoque Romano, exauguratũ, abdicatum, hæreseos cõdemnatum declaramus, proscribimus, acta ejusdem rescindimus, universi Christiani eundem in numero impiorum ac sceleratorum habeant.* Vide Aventinum lib. 7. Annal. pag. 613. 616.

Sectio II.

Tres quæstiunculæ, quibus Becanus Catholicos refelli posse, jactat, excutiuntur.

I. Becanus clamat, paucis quæstiunculis nos refelli posse. Videamus. Prima est, *unde nobis constet, Antichristum venisse?* Dicit, nos respondere ex tribus Scripturæ testimoniis. Primò ex illo, 2. Thessal. 2, 7. *Mysterium jam operatur iniquitatis.* Deinde ex illo, 1. Johan. 2, 18. *Filioli, novissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Denique ex illo, 1. Joh. 4, 3. *Hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & jam nunc in mundo est.* Num. 2.

II. Bz. Non sic respondemus. Nomen Antichristi duobus modis in Scriptura capitur; Communiter & specialiter. Priori modo significat eum, qui doctrinæ Christi, cujus sectatorem se profitetur, in fundamento adversatur. Quo sensu omnes hæretici sunt Antichristi, quicunque vel personam, vel officium Christi impugnant. De illis interpretamur prius dictum Johannis. Posteriore sensu significat insignem quendam Antichristum, qui præ reliquis omnibus magnus Antichristus dici queat. Quem Scriptura sic nobis describit, ut jam corpus seu regnũ totum designet, alias unum quendam in regno summum & præcipuum notet. Corpus designat, cùm appellat bestiam, Apocal. 11, 11. Babylonem, Apocal. 18, 2. Præcipuum caput, cùm nominat hominem peccati, 2. Thessal. 2, 3 filium perditionis, ibidem, *qui sese effert & opponit adversùs quicquid dicitur Deus, aut numen, & præ se fert, se esse Deum.* Omnino igitur nobis constat, Antichristum venisse, quia venit ille, in quo notæ, quibus Antichristum Scriptura describit, conspiciuntur ad unam omnes. Non enim id ex iis tantùm verbis Pauli & Johannis concludimus, quod fingit Sophista.

III. Secunda quæstio est, *Quo tempore venerit Antichristus?* Clamat, *hîc mirè nos dissentire; idque quòd aliqui dicant, venisse post annum Christi sexcentesimum, tempore Phocæ Imperatoris, ut Lutherus & Leonius. Alii, anno 763. ut Henricus Bullingerus.*

Alii, anno Christi 1200. tempore Bernhardi, ut Wolfgangus Musculus, & alii sentiant aliter. Num. 3.

IV. R. Primò. Dissensio, si quæ est de adventus tempore, non tollit adventus veritatem. *Nam sæpissimè accidit, ut constet de re, & nõ constet de modo, vel alia circumstantia*, inquit Bellarminus lib. 2. de Pont. Rom. cap. 5. Id multis exemplis constat. Quo tempore Theophylactus Bulgarorum Episcopus floruerit, variant auctores. Onuphrius Panvinius dicit in fastis, claruisse sub Basilio Seniore Imperat. anno Chr. 843. Senensis in Bibliotheca, sub Michaële Porphyrogenito, qui cum Theodora Augusta matre anno 842. regnare cœpit. Ad annum Christi 700. refert Lindanus in Panoplia. Sub Michaële VII. Duca, circa an. Chr. 1071. claruisse, certum est Baronio, ad hunc annum num. 15. Ergone Theophylactus non verè aliquando fuit? De tempore, quo septimanæ Danielis incipiant & desinant, diversissimæ sunt opiniones. An ideo nec cœperunt, nec desierunt? De annis mundi, qui hactenus fluxerunt, tot sunt ferè sententiæ, quot Chronologi. Num propterea dicemus, mundum ipsum non cœpisse? Quo tempore advenerint Magi ex Oriente Hierosolymam, non una est omnium Christianorum sententia. Ergone falsum, venisse?

V. Sed hæc leviuscula videri possint. Videamus igitur nativitatem Christi. In quem consulatum, in quem Imperii annum, in quem mundi incidit? in quem mensem & diem? De consulatu tres reperiuntur fuisse veterum sententiæ. Epiphanius scribit, natum esse, Augusto decimum tertium & Sylvano Coss. in Panario Hæres. 51. Cassiodorus in Chron. ad Cornelii Lentuli & Valerii Messalæ, seu Messalini consulatum refert. Severus lib. 2. Hist. ad consulatum Sabini & Rufini. Sic memorat Baronius in Apparat. Annal. num. 100. qui cùm olim Epiphanio subscripsisset, pòst in Cassiodori sententiam ivit. Num. 101. Onuphrius Panvinius lib. 2. fast. Epiphanium sequitur. Ergo non natus Christus sub consulatu? Jam de anno Imperii Octavii Augusti: alii quadragesimum primum, ut Irenæus l. 3. adv. Hæres. cap. 2. 3. Tertullianus contra Judæos, Hieronymus in cap. 2. Jesa. Alii quadragesimum secundum, ut Epiphanius, Chrysostomus, Beda; Alii vicesimũ octavum, ut Clemens Alexand. l. 1. Strom. Eusebius l. 1. Histor. cap. 5. nominant, apud Baronium ib. num. 103. Annum mũdi alium alii assignant. Pererius Comment. in Dan. quatermillesimum vicesimum secundum, alii alium. Baronius num. 118. *ob diversitatem exemplarium & quòd non eandem omnes in illis numerandis servent methodum & rationem, mirum dictu, quòd quot sunt capita, totidem de iisdem scriptæ reperiuntur sententiæ. Sedere autem arbitrum, & cuius sint potiora iura, disquirere, & antiquissimam omnium quæstionem, larâ sententiâ, definire, non est præsentis ocii, nec nostrarum virium tantum opus.* Undecimo die mensis Tybi, qui est apud Latinos sextus Januarii, Christum natum docebant Ægyptii, iique orthodoxi. Latini vicesimum quintum diem Decembris. De hora etiam sunt varia mota. Hesychius serm. de natal. Dom. *Natus est mense Decembri, die sexto, horâ tertiâ diei.* Anastasius

stasius Sinaita in Hexaëm. lib. 7. eodem die, sed ad vesperam diei sextæ. Et Anastasius Nicænus (lib. quæst. q. 92.) eodem die, sed horâ diei septimâ. At diem dominicum assignant Patres Concilii sexti, Can. 8. tom. 3. Concil. Vide Baron. in Apparatu num. 122.

VI. Vis ad passionem pergere? Inde similiter patebit, quod dixi. Nam *constat apud Christianos, Christum esse mortuum in cruce pro nobis, maxima tamen discordia est de tempore, quo mortuus est. Tertullianus libro contra Judæos, Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. & Lactantius lib. 4. Instit. divin. cap. 10. docent, Christum mortuum anno XV. Tiberii, ætatis autem suæ anno XXX. Ignatius ad Trallianos & Eusebius in Chronico, & alii, eum anno ætatis XXXIII. & Tiberii XVIII. crucifixum. Onuphrius, Mercator & aliquot alii recentiores, anno ætatis suæ XXXIV. Christum passum esse volunt. Irenæus lib. 2. cap. 39. contendit, Christum ferè ad annum quinquagesimum perveniss̃e, proinde non sub Tiberio, sed sub Claudio passum esse. De die ac mense, quo Christus mortuus est, tanta est discordia veterum & recentiorum, ut adhuc sub judice lis sit. Vide Clementem lib. 1. Stromatum, ubi multas opiniones refert: at numquid propterea negabimus, Christum esse passum?* Sunt verba Bellarmini l. l.

VII. Jam si dissensionis oppositio à Becano rectè facta est, similiter Judæi & Gentiles hoc argumento negabunt, Christum esse natum, quia mirè Christiani dissentiant, de nativitatis anno, mense, die, hora. Athei nostri seculi negabũt passionem. Si illi frustrà, ut frustrà sunt, cur Jesuita venisse negat Antichristum propter dissensionem de adventus tempore? Mihi videtur perinde facere, ac si neges, Solem occubuisse, quia dissensio sit, quo horæ momento occubuerit, unus dicat, occubuisse quintâ, alius mediâ sextâ, alius septimâ, alius sexto, alius septimo, alius duodecimo horæ momento. Cùm tenebræ testentur, solem occubuisse, frustrà opponitur quæstio de momento occasus. Illos haud dubiè rideret Jesuita, & nos ipsum non rideamus? Simile enim argumentum. Nos Antichristum certis notis deprehendimus. Imprimis non debet hîc morosè objici ea dissensio, ubi agitur de regno, quod non uno die aut nocte erectum & ad suam perfectionem perductum est.

VIII. Secundò. De tempore cùm quæritur, distingui debet inter tempus Antichristi nascentis, regnantis, revelati & destructi. Rursus successus regni notari debet. Est tempus regni occupati, aucti, perfecti. Nativitatis benè longum. Et sanè monstrum tam horribile, tam vastum non uno momento concipi poterat, nec conceptum audebat in lucem prorumpere uno impetu. Ergo ab ætate Apostolorum conceptionis & nativitatis tempus arcessimus, ad Phocam proferimus. Tum cœpit regnare in Bonifacio tertio, qui à parricida impetravit Oecumenici titulum, quem qui usurparet, Antichristus vel ejus præcursor habebatur Gregorio. At nondum plenè regnabat; sed incumbebant Pontifices regno stabiliendo, augendo, amplificando, quod ad summũ fastigium perductum videri possit tempore Bernhardi. Cæterùm Musculus non dicit, Antichristum demum venisse circa

annum

Universidad de Deusto
Biblioteca

annum 1200. Annorum ne mentionem quidem facit, sed causam redditurus, cur à Romana Ecclesia discesserimus, nominat improbum dominatum à Christo disertè prohibitũ, quo sibi in omnes Christi Ecclesias sumpserint imperium, sacrilegam illam & damnatissimam Simonis hæresin, quæ prima Ecclesiam Christi tentaverit, quâ vendant claves, sacra cuncta, altaria, Christum, nec vendant tantùm, sed etiam emant priùs, ut non gratis accepta, sed empta vendant. Denique luxum illum plusquàm sybariticum, splendorem opum fraudibus & imposturis acquisitarum, & libidinem profligatissimã. Addit, quòd Bernhardus hoc viderit & monuerit, supersesse, ut reveletur homo peccati.

IX. Ut res fiat apertior, recito Bernhardi verba: *Ipsa quoque Ecclesiastica dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negocium transivere, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum; propter hoc tondentur, propter hoc frequentant ecclesias, missas celebrant, psalmos decantant; Pro Episcopatibus, archidiaconatibus, abbatiis aliisque dignitatibus impudenter hodiè decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipẽtur. Superest, ut reveletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed etiam meridianum, quod non sòlùm transfiguratur in angelum lucis, sed etiam extollitur supra omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Hoc vidisse, hoc monuisse Bernhardum, dicit Musculus; tum demum filium perditionis venisse, non dicit. Bullingerus non præcisè ad annum 763. ortum Antichristi refert, sed monet, conjungi debere, quæ proximè præcedentibus & consequentibus annis contigerunt. Occasio opinionis hæc illi est, quia numerum bestiæ intelligi censet de tempore exortæ bestiæ; cùm communiter referatur ad ipsum nomen bestiæ: de qua re postea.

X. Tertia quæstio. *Si Pontifex est Antichristus, quis primus inter Pontifices cœperit esse Antichristus?* *Audi*, inquit, *responsum. Gregorius Magnus, homo pessimus. Ita centuriatores cent. 6. cap. 1, & Chytræus in c. 9. Apocal. Non ita est. Gregorius fuit vir sanctus & bonus. Ita Lutherus l. cit.* Bc. Centuriatores quidem loco citato, Romanos Pontifices & inprimis Gregorium non tantùm lusisse Antichristum, sed totis viribus expressisse, ejusque fundamenta jecisse, scribunt. Gregorium Magnum tamen nec primum inter Pontifices Romanos Antichristum, nec hominem pessimum appellitant, quin potiùs suum illi honorem deberi, palàm profitentur. At partum Antichristi ad initium septimæ centuriæ referunt, & cent. 7. cap. 9. *Bonifacium III. primum Papam, hoc est, Vicarium Antichristi, à Scriptoribus nominatum esse*, annotant. Sed nec Chytræus Gregorium Antichristum primum & hominem pessimam vocat; sed Becanus candoris & pudoris Jesuitici specimen edit. An fortè pro Sabiniano Centuriatores & Chytræus ipsi in mentem veniebant? Sabinianus enim Gregorii successor, cùm fame urbem premeret, rogatus ut in sublevanda inopia hominum, Gregorii pietatem imitaretur, respondit; *Hominem istum nequam fuisse & ambitiosum*, teste Sabellico Ennead. 8. lib. 6. An potiùs non aliter poterat

terat Lutheri testimonium de Gregorii sanctitate nobis minimè improbatum huc afferre, nisi pessimum centuriatoribus dictum mentiretur? Quicquid sit, cogitet lector, quàm solidè hâc tertiâ quæstiunculâ nostros refellat Jesuita. Summa est. *Gregorius non fuit primus Antichristus; Ergo nec venit Antichristus, nec Pontifex Romanus est Antichristus.* Subtilissimè! Non fuerit Gregorius Antichristus. Nec sanè nos eum sic appellamus. Ergone nullus Pontificum? At ipse pronunciat, Antichristi præcursorem esse, quicunque universalis Episcopi titulum usurpet. Si igitur Bonifacius secundus, illius successor, non fuit Antichristus, certè ejus fuit præcursor, ipsius Gregorii judicio. Quod aut verum est, aut falsum. Si falsum, erravit igitur Pontifex. Ita corruit tota Papisticæ structuræ moles, quippe quæ unius Pontificis infallibilitate nititur. Si verum est, quid ampliùs quæris? Præcursor Antichristi agitur Spiritu Antichristi, & est Antichristus in *fieri* constitutus; Si Antichristi præcursor est, qui *Universalis* appellari desiderat, ergo Antichristus est, qui hunc titulum plenè possidet. Jam tu quære, quis primus inter Pontifices possederit plenè. Cur nos tibi nominemus?

Sectio III.

Illationes Becani considerantur.

I. Sic fuerunt tres quæstiunculæ, quibus nos nõdum confutatos esse, boni omnes intelligũt. Spe igitur Becan⁹ excidit sua, & in fumum abit omnis jactantia. Nisi fortè illationes præstent, quod denegabant homini quæstiunculæ. Res ipsa loquatur. Primò infert ex dictis, nostros pugnare cum Scriptura: Pugnare nego, cùm docent, Antichristum venisse, & Papam Romanum esse Antichristum. *Nam*, inquit, *si testimonia Scripturæ, quæ ipsi citant, probarent, Antichristum venisse, sine dubio probarent, venisse tempore Apostolorum. Tunc enim scriptum; Mysterium iam operatur iniquitatis.* Item. *Hic est Antichristus, qui iam in mundo est.* Item. *Nunc Antichristi multi facti sunt. At si hoc probant, cur adversarii non dicunt, venisse Apostolorum tempore, sed sexcentis & pluribus annis post? Hoc est Scripturam mendacii arguere.* Num 5.

II. Bc. Primò. Repugnat Scripturæ, quicunque tollit, quod illa ponit, vel ponit, quod illa tollit. Nostri nec ponunt, quod ista testimonia tollunt, nec tollunt, quod illa ponunt. Non igitur eo argumento convincuntur, repugnare Scripturæ. Patet. Apostolus Paulus dicit, mysterium iniquitatis jam peragitur; Johannes dicit, spiritum Antichristi in mũdo esse, & multos esse Antichristos. Num nostri quicquam illorum negant? Imò affirmant singula. Secundò. Illis testimoniis nostri minimè probant, Antichristũ magnum venisse, id est, regnare cœpisse; Imò illud de Antichristis multis in hac quæstione non urgent; Inutilis igitur est Becano argutiola.

III. Tertiò. Quæ nostri his testimoniis probanda suscipiunt, ea inde abundè probant, & quidem fuisse Apostolorum tempore. Unũ est, multos adversarios Christi in mundo esse. Alterum est, regni Antichristi semen, jam tum con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceptum, seu fundamentum occultè jactum esse. Hoc probat Paulus, cùm ait; *Mysterium iniquitatis iam peragitur*; cum quo minimè pugnat, quòd in lucem erupisse dicitur sexcentis annis post Apostolos. Ut enim alio tempore fœtus in utero concipitur, alio, id est, novem mensium spatio formatur, fovetur, alio tandem excluditur, sic Antichristus. Id igitur cùm dicunt nostri, non arguunt Scripturam mendacii, sed Jesuitam calumniæ & insulsæ sequelæ sic arguunt, ut manifestè convincant.

IV. Secundò. Infert, nostros Scripturam non intelligere. Non jactamus superbè intelligentiam. Ignorantiæ tamen, nisi meliora afferat testimonia, non convincimur. Argumentum illi hoc est, *quia Apostolus, quando ait*, mysterium jam peragitur iniquitatis, *non loquatur de Antichristo, sed de typo, seu figura Antichristi, nempe de Nerone, vel de aliquo alio.* Hoc dicit, ex contextu constare. Si probationem petas, duplicem promit. Primò, inquiens, quia *hæc duo opponuntur, mysterium iniquitatis & revelatio, seu apparitio Antichristi. Sicut enim revelationem, seu apparitionem Christi præcessit typus seu figura Christi, nempe Melchisedech, Salomo, Jonas, sic etiam revelationem & apparitionem Antichristi, quæ nondum facta est, præcessit typus & figura Antichristi, ut Antiochus, in veteri Testamento; Nero, Simon Magus & alii in novo.* Secundò, *quia cùm dixisset Apostolus*, mysterium jam operatur iniquitatis, *mox subdit*; Tantùm ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui: *quibus verbis apertè significat, eo tempore, quo mysterium iniquitatis operabatur, nondum fuisse revelatum Antichristum, id est, nondum venisse, aut apparuisse. Itaque non ipsum, sed Neronem, qui typus illius erat, fuisse tunc operatum.* Num. 6.

V. R. Primò. Concedo, non loqui de Antichristo illo magno plenè existente, seu regnante. Tum enim nondum erat formatus. Nondum existebat, qualis postea prodiit tempore suo, id est, sibi congruo ac à Deo disposito, ut loquitur Haymo. *Hoc* verò quid juvat adversarium? De conceptu, initiis Antichristi & fundamentis non loqui, inde non sequitur.

VI. Secundò. De Nerone, fateor, multi explicant, tanquam de typo: Verùm id non satis convenit textui. Nam 1. nihil occurrit in textu, quod typum arguat & non potiùs rem ipsam. 2. Vox ἐνέργειαν nō videtur convenire typo: ἐνέργεια enim est vis operandi, non significandi, & quæ nudè significantur futura, nec vel aliquâ sui parte, vel saltem in semine existunt, quomodo dicantur peragi? 3. Dicitur aliquid obstare, ut is retegatur in suo tempore. Jam tum igitur quædam initia erant, unde erat proditurus Antichristus, cujus emersioni obstabat aliquid. Non igitur nudus typus, sed aliquid notatur, quod ipsum tangit propiùs. 4. Apertior illa phrasis, v. 7. *Tantùm qui nunc obstat, obstabit, usquedum è medio sublatus fuerit.* Unum igitur erat, quod impediebat, quominùs erumperet. Quod non satis commodè de typo interpreteris. Quis enim dicat, illi unum tantùm obstare, quominùs retegeretur, quod nullâ sui parte, nec quidem in semine est, sed tantùm post multa secula venturum, typo præsignificatur?

VII. Denique Neroni non bene applicatur mysterium iniquitatis. Nam primò hoc occultè gerebatur; ideo dictum mysterium. At illius sævitia & tyrannis erat aperta. Deinde mysterium jam peragebatur, cùm Apostolus scriberet: Ideo Apostolus non ait, *peragetur*, sed *peragitur*; nec nudè ait, *peragitur*, sed, *jam peragitur*, ut declaret, Antichristianismi primordia duci cœpisse à Satana. At Nero nōdum rerum potiebatur. Epistola enim scripta sub Claudio, non sub Nerone, Baronio annotante. Lombardus, mysterium dici, contendit, *quia jam tunc diabolus occultè per Neronem & alios operabatur occidendo martyres, sicut tunc apertè operaturus est per Antichristum interficiendo Eliam & Henoch.* Non solidè. Nam, ut dixi, tum nondum operabatur Satanas per Neronem: Postea verò non occulta, sed aperta erat ejus operatio in Nerone, quippe qui apertè grassaretur in Christi martyres. Contrà Antichristianismum occultè moliebatur, donec palàm in lucem protraheretur.

VIII. Tertiò. Jesuita sibi non constat; Ait enim, loqui de Nerone, vel aliquo alio. Si de Nerone, vel aliquo alio, cur Neroni applicat. Si de aliquo alio loquitur, quis ille? Quartò. Neutra probatio est solida. Non prior, quæ sic erit in forma: *Si hæc duo opponuntur*, mysterium iniquitatis & revelatio, *seu*, apparitio Antichristi, *utique Apostolus his ipsis verbis*, mysterium iniquitatis jam peragitur, *non agit de Antichristo, sed eius typo, Nerone, vel aliquo alio. Prius verum.* E. Hinc sequitur, Apostolum non loqui de Antichristo formato & regnante. Non sequitur, non loqui de Antichristi conceptione, semine, fundamento jacto: Negatur igitur consequētia. Potest enim de unius ejusdemque subjecti diverso statu esse sermo in duabus phrasibus. In priore, de Antichristi occulto semine, fundamento & conceptu. In posteriore, de ejus regno. In semine, id est, primordiis, Apostoli tempore, latebat: Postea prodibat & retegebatur, cùm regnaret. Opponitur igitur non typus Antichristi Antichristo, sed Antichristi occulta conceptio nativitati ejusdem apertæ. Imò si rem rectè æstimes, non est hîc tam oppositio, quàm subordinatio. Sicut semen herbæ, flori fructus, conceptio nativitati, fundamentum ædificio in superficiē perducto subordinatur, sic occulta iniquitatis mysterii ἐνέργεια rebus luce retectis.

IX. Nec juvat adversarium Christi & Antichristi comparatio. Nimis enim iniqua. Probo. Melchisedech, Salomonem, Jonam, alios in veteri Testamento fuisse typos Christi, è novo Testamento constat clarissimè. Antichristi venturi typum exstare in novo Testamento, id verò minimè constat vel ullo Scripturæ indicio, vel alio solido argumento. De Antiocho non pugno, qui communiter habetur Antichristi typus. Id enim ad vetus Testamentum pertinet, de quo hîc non agitur. Imò si Antiochum Epiphanem videamus, nostræ sententiæ veritas magis clarescit. Etsi enim illum typum Antichristi fuisse, communior sit Christianorum sententia, nemo tamen inter omnes

fuit hactenus, qui diceret, jam tum peractum esse mysterium iniquitatis, tantum abest, ut quisquam dixerit, unum obstare, quominùs retegatur. Unde si non aliud esset in promptu, haud difficulter colligeres, Apostolo non de nudo typo sermonem esse, sed de negocio Antichristi, quamvis nondum florentis, vel etiam in herba, sed in femine existentis.

X. De Nerone satis jam dictum. Tantùm addo, si Epistola scripta Athenis, quò venit Apostolus, juxta Baronium, anno 52. Post eam demum quinque annis cœpit regnare Nero. Si Corinthi, quò eodem anno venit, juxta Baronium, idem est judicium. Deinde persecutio Neronis excitata est sub finem Imperii, id est, annis penè octodecim post scriptam Epistolam. Nero igitur hîc non notatur, ut typus Antichristi.

XI. Simon Magus additur disertè: Alii, suppresso nomine. Simon Magus non fuit typus Antichristi, quod constet. De Magno loquor, de quo nostra est disputatio. At alia ratione illum attinebat, nempe non tantùm ut præcursor, sed qui semina spargeret, unde natum est monstrum illud horribile. Sic & cæteri hæretici, qui omnes aliquid ad tantam molem contulerunt de suo, nempe hæreses, quas singuli comminiscebantur, quas aliquo modo hîc intelligi, non negaverim. At mysterium esse ipsas hæreses per se significatas, nunquam concedam. Illæ enim erant in se apertæ. Non igitur mysterium, quippe quod occultum. Ergo spectatur id, quod ex his hæresibus erat tandem emersurum. Ejus negocium jam tum agebatur; Seu spectantur hæreses, quatenus sunt fundamentum futuri ædificii? Nondum patebat, quòd illius essent fundamentum, seu monstri aliquando in lucem edendi semen.

XII. Quintò. Posterior probatio non est solida. Ex verbis enim illis concluditur, eo tempore nondum regnâsse Antichristum: Non concluditur, non aliquo modo fuisse. Imò aliquo modo fuisse, hinc intelligitur, quia unum tantùm obstabat, quo minùs retegeretur. Retegitur enim, cùm prodit ad regnũ. Nisi unũ illud obstitisset, jam tum erupisset. Existebat igitur aliquâ sui parte, id est, ratione fundamenti: Id enim partem esse ædificii, non negabunt, spero, Jesuitæ. Sicut domus exstrui incipit, cùm ejus jaciũtur prima fundamenta, etsi multis pòst annis demum ædificium perducatur in superficiem. Sic Antichristianismus, quo vix ulla major moles, cœpit, cùm ejus in imo adeoque occultè prima fundamenta ponerentur, quamvis multis pòst annis demum omnibus partibus sit absolutus. Non igitur hinc rectè concludit Jesuita, Neronem, tanquam typum Antichristi, jam esse operatum, sed potiùs Antichristianismi fundamenta tunc esse jacta, quæ quo minùs in superficiem perducerentur, unum impedierit.

XIII. Sic de verbis Pauli. Porrò contendit Jesuita, *nec reliqua duo testimonia Iohannis intelligi de Antichristo, sed de hæreticis illius temporis, qui fuerint præcursores Antichristi.* Atque hâc occasione duplicem nominis significatum explicandum suscipit. Primum *generatim de quocunque Christi adversario, quo sensu à Iohanne appelletur Antichristus*, 1. Joh. 2, 18. & cap. 4, 3.

Dein-

Deinde *specialim de præcipuo seu principali Christi hoste, qui in fine mundi venturus sit, quo sensu Apostolus hominem peccati appellet.* Sic num. 7. & 8.

XIV. Bk. Primò. Nos ipsi professi sumus, verba Johannis non describere magnum Antichristum, cùm multos Antichristos nominat. In altero dicto noto, verba non recitari, ut habet textus originalis. Sic enim recitantur, *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audivistis, quia venit, & tunc jam in mundo est.* At græca sic, καὶ πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ιησοῦν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἔστι· καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, ὃ ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη. Jam patet sensus Johannis, qui istam veritatem neget, esse Spiritum Antichristi, atque hunc Spiritum jam nunc esse in mundo, nempe in iis hæreticis, qui viam sternebant regno Antichristi.

XV. Secundò. Cæterùm docendi non eramus, nomen Antichristi generatim ac speciatim accipi in Scriptura; nostri jam pridem ipsi monuerunt, è quibus nos paulò antè protulimus. Si docere nos velit, intelligi unum quendam eximium hostem, qui paucis annis ante finem mũdi sit venturus, aliis opus erat argumentis. Apostolus enim sic describit, ut de uno homine commodè accipi non queat, ut patet à toto contextu. Tertiò. Hæretici, qui tempore Apostolorum surrexerunt, non fuerunt tantùm præcursores Antichristi regnantis, sed etiam pars totius regni, cujus fundamenta per hæreses sunt jacta.

XVI. Denique infert Becanus, *Adversarios non solùm à Scriptura, sed etiam inter se dissentire, quòd alii dicant, Antichristũ venisse anno Christi sexcentesimo, alii septingentesimo, alii alio tempore. Rursum alii contendant, Gregorium M. fuisse primũ Antichristum, alii negent. Et sic deinceps.* Num. 9. Bk. Primò. In duobus illis capitibus, nempe quòd Antichristus venerit, & Papa sit Antichristus, quæ per suas quæstiunculas confutanda susceperat Becanus, nos à Scriptura dissentire, jactavit, non probavit. Judicium æqui lectoris appello cum fiducia. Secundò. De tempore exorti Antichristi non uno modo omnes nostros loqui, concedo: Sed nego, id esse utile rebus Becani. Is negat, Antichristum venisse, & Papam Romanum esse Antichristum. Neutrum ex ista dissensione rectè concluditur. Perit igitur homini, quicquid laboris traducendæ dissensioni impendit. Hæc enim erit major; *Quem venisse alii dicunt sexcentesimo, alii septingentesimo, alii anno alio, is non venit.* Ridiculè! Prorsus ac si quis in meridie argueret: Solem dicunt alii exortum esse horâ sextâ, alii mediâ septimâ, alii mediâ octavâ. Ergo sol nondum est exortus. Stultè! annon vides, solem lucere medio horizonte? Contra alteram quæstionem hæc erit major. Si *alii dicunt, Antichristum venisse sexto, alii septimo, alii duodecimo seculo, Ergo Papa non est Antichristus.* Iterum ridiculè!

****
*****
*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sectio IV.

Prior Becani conclusio expenditur, An Antichristus propriè dictus & Apostolo descriptus nondum venerit, & confutatur primum argumentum.

I. BEcanus Papistarum sententiam duabus conclusionibus includit. Considerabimus utramque. Prior est, *Antichristum propriè dictum, qui ab Apostolo vocatur homo peccati, & filius perditionis, nondum venisse in hunc mundum.* Duobus argumentis probare conatur. Primum tale est; *Antichristus non veniet, nisi priùs eversum & desolatum sit Romanum Imperium. Atqui hoc nondum factum est. Ergo Antichristus nondum venit.* Num. 10.

II. Deminore, tanquam indubitata & extra controversiæ aleam collocata securus, vires omnes ad majorem comprobandam confert, certus, ex ea totam pendere victoriam. Clamat igitur, *eam passim asseri ab antiquis Patribus tam Græcis, quam Latinis, nominatim à Cyrillo Catech. 15. ubi dicat; Veniet prædictus Antichristus, cùm impleta fuerint tempora Romani Imperii. A Chrysostomo in 2. Thessal. 2. scribente, Quando è medio sublatum fuerit Romanum Imperium, tunc veniet Antichristus.* Addit, *similia habere Theophylactum, Oecumenium, Ambrosium ibidem, Lactantium lib. 7. cap. 11. Hieronymum quæst. 11. ad Algasiam & Tertullianum in Apologetico, cap. 32. ubi etiam scribat, fideles orare pro diuturnitate Romani Imperii, eo quòd intelligant, Romano Imperio eversò, imminere orbi extremam sub Antichristo calamitatem.* Num. 10.

III. Ne verò sola Patrum auctoritate niti videatur, jactat gloriabundus, *nec temere, nec sine fundamento hoc Patres dicere, Habere pro se apertæ Scripturæ testimonia, habere perpetuam ab Apostolorum temporibus traditionem.* Priusquàm autem probationi se accingat, in antecessum mõet, *aliud esse inclinationem, aliud desolationem seu eversionem Imperii.* Inclinationem factam esse variis temporibus. 1. Quando Roma capta est à Gothis. 2. Quando Imperium defecit in Occidente. 3. Quando Imperio per Carolum instaurato in Occidente, destructum est in Oriente per Turcas. Porrò desolationem seu eversionem tunc fore, quando Imperium dividetur ac distribuetur in decem Reges, amisso nomine ac dignitate Imperiali. Et tunc primùm venturum esse Antichristum. Num. 11.

IV. Dum homo inter inclinationem & eversionem distinguit, Bellarminum magistrum secutus, quærit rimam, quâ elabatur. Non elabitur. Esto. Inclinatio sit aliud, quàm eversio, nempe totalis; quæ conjuncta sit cum nominis Imperialis abolitione. An nullum regnum dicetur eversum & desolatum, nisi cujus nomen ipsum est deletum? Alia mens & quidem sanior multis sociis Jesuitæ, qui eversionem non præcisè ex nominis deletione definiunt. Inde agnoscunt interitum Imperii, quem ille inclinationem nominat.

V. Nobis nihil facit negocii, sive eversionem voces collapsionem majestatis, potentiæ, status, sive totalem deletionem cum nominis abolitione conjunctã.

Priori enim sensu laborat minor, posteriori major. Utrumque facilè demonstratur. Est autem hîc præmonendum, quòd sermo sit de Imperio Romano vel veteri, vel novo. Illud voco, quod fuit Apostoli Pauli & Patrum tempore, quos Becanus laudat. Hoc voco Romano-Germanicum, quod initium suum refert ad Carolum Magnum. Non indignabuntur Jesuitæ sic distinguenti. Nam Imperium Occidentale defecisse, & Orientale à Turca destructum esse, dicit ipse Jesuita. Hoc erat vetus; q; si defecit in Occidẽte, & quidẽ ita, ut tribus seculis ñ exstiterit Imperator, cui Occidens pareret, si destructum est in Oriente, utrâque igitur sui parte exstinctum. Novum nec destructum in Oriente, nec ita defecit in Occidente, ut non habeat Imperatorem. Differt igitur à veteri.

VI. Hoc præsupposito, repeto, quod semel dixi, vel minorem, vel majorem laborare. Si de veteri Romano Imperio, quod Apostolus & antiqui Patres viderunt, ejusque status, potentiæ, majestatis & terroris pristini collapsione, desolatione atque eversione loquamur, laborat minor. Sin autem vel de novi in Carolo resuscitati, vel veteris & novi omnimoda eversione, cum qua dignitatis & nominis Imperialis abolitio plenaria sit connexa, agas, ut Jesuita loqui amat, major gravissimè laborat, idque multis nominibus. Utrumque probo.

VII. Prius probo testibus & à reipsa. Testes produco Veteres & Papistas. *Veteribus* Hieronymus ante duodecim secula ad Ageruchiam scribebat, *qui tenebat, de medio fit, & non intelligimus, Antichristum appropinquare, quem Dominus Jesus conficiet spiritu oris sui.* Inde memorat clades in Septentrione & Occidente acceptas, quas accipit, tanquam ruinæ paulò post secutura præludia. Post illum Salvianus lib. 4. de Gubernat. Dei dicit, Romanam remp. vel jam mortuam esse, vel certè extremum spiritum agere. Andreas Cretensis in Apocal. *Vetus Romanam pridem Imperii majestatem amisit.* Procopius lib. 3. de bello Goth. *Totius Occidentis Barbari Imperio potiuntur: Romani verò cum Gothis, etsi paulò antè (per Belisarium) debellatis, bellum dum integrant, pecuniarum hominumque jacturâ ingenti factâ, & sine ullo eorum commodo, Italiam amisere.*

VIII. Papistæ idem affirmant, Niemensis lib. 3. cap. 41. de schis. *Roma jamdiu amisit Imperium.* Nauclerus Generat. 21. *Desidiâ, & ignaviâ Imperatoris Rom: hostes potentiores facti in Occidentis orbe Germanias cum insulis, Gallias, Hispaniasque, & bonam partem Italiæ, Pannoniasque & Mysiam abstulerant, & magnam partem Africæ. In Oriẽte verò Iberos, Armenios, Arabes & hinc Dardanos, & mediterraneæ Macedoniæ & Græciæ Cacannus Thrax Hunnorum Rex modò huc, modò illuc undique discurrebat; penè totam Assyriam Persæ occupaverant, Ægyptum Saraceni vastaverant; Proh dedecus! Nostræ vires adeò defecerant per luxum ac libidinem, ut Imperiũ Romanum* solo tantùm nomine *constaret.* Quid clarius dici possit? Addo tamen historicum celeberrimum, eumque Episcopum, Paulum Jovium, qui sic scribit in initio Historiæ, *Postquàm Cæsarum potentia fato cessit, quæ quondam sublatis undique Regibus cuncta uni parere coëgerat,*

gerat, cùm ferocissimi quique populi pristinæ libertatis memoriâ rebellârint, nobilissimum Imperium, alio atque alio Barbarorum impetu convulsum, atque dilaceratum, in minora regna & multorum ditionem abiisse, manifestum est. Jacobus Faber Stapulensis in 2. Thess. 2. *Ubi nunc, quæso, est Romana monarchia? Ubi qui in ea mundi regit habenas? Cùm & videamus Monarchiæ caput etiã ab ea deficere. Quã, obsecro, Roma suo Regi, suo Monarchæ præbet obedientiam? Et nescio, quibus temporibus potuit major defectio apparere?*

IX. Sed hi non erant Jesuitæ. Si ex illa gente possemus nominare testes, an acquiescent Jesuitæ? Dati jam pridem sunt à nostris. Do & ego. Do Salmeronem in 2. Thessal. 2. disp. 2. scribentem; *Imperium illud Romanum jamdiu eversum est, & in multa regna dissipatum, & quasi exstinctum. Nam qui nunc est & vocatur Imperator Romanus, tenuissima quædam umbra est Imperii antiqui, usque adeò, ut nec ipsam quidem urbem Romam, unde nominatur, possideat; & per multos annos defecerunt Imperatores Romani.* Justinianum in eundem locum; *Pridem Imperium Romanum in eas angustias redactum est, ut vix tenuem quandam umbram Imperii retineat.*

X. Addo, honoris causâ, istis omnibus magnum Annalium scriptorem Baronium, qui cùm expenderet, non tantùm Imperatores esse Græcos, sed nec consules Romanos, in hanc vocem erumpit; *occidentale Imperium penitùs collapsum est & devolutum ad Barbaros*, ad An. 476. num. 1. Item, *planè secũdùm illud vulgatũ, omne, q̃ oritur, occidit, Romanũ Imperium cœptum ab Augusto desinit ac deficit in Augusto*, ad Annum 475. num. 2. Idem dicit, *cessâsse penitùs occidentalis orbis Romanos Imperatores*, ad Annum 483. num. 7. Imò si Baronio Epistolam, ad Annum 567. num. 45. producenti credas, Gelasius Papa scribit, ob idololatriam hæc ipsa imperia defecisse. Rursum Baronius, ad Annum 567, num. 15. *Certè*, inquit, *finis quodammodo tunc dici potuit, advenisse Romani occidentalis Imperii, cùm Longobardi Italiam invadentes, rerum potiti sunt. Etenim post paucos Exarchos Constantinopoli ab Imperatoribus in Italiam missos, qui Ravennæ considere consuevere, iisdem diu prævalentibus Longobardis, Occidentis Imperium penitùs collapsum est.*

XI. Hi testes, credo, sufficiunt, præsertim cùm ipsis suffragentur rerum testimonia. Vide enim mihi Imperium Romãum vetus, quod tempore Apostoli florebat. Illius potentiam & majestatem concidisse, illius metum cessâsse, illud collapsum & sublatum esse, nimis patet. Nam primò numera provincias, quæ ad Orientem, Occidentem, Septentrionem & Meridiem in Romæ potestatem antè venerant & tum erant Romæ obnoxiæ. Num ulla adhuc illi subjacet, tanquam Imperiali sedi? Imò omnes se in libertatem asseruerunt, constitutâ propriâ Reipublicæ formâ, aut ab aliis sunt sub jugum missæ. Res omnibus nota. Negari nequit. Plurimæ provinciæ diversis temporibus in Romæ potestatem venerunt. Prima provinciarum facta est Sicilia, sub Marcello Cos. Sardiniam & Corsicam adjecit Metellus, si Rufo credas. Scipio Africanus, Carthagine deletâ, Africam; Marius, Rege capto, Numidiam, Cretam Metellus Proconsul, Creticus inde dictus, Achaiam L. Mummius Cos. Macedoniam Q. Flaminius, Philippo, iterum P. Æmilius Paulus, Perseo, & rursum Metellus, Pseudo Philippo oppresso, Romano Imperio adjunxit. Illyricum Manilius prætor, Armeniam & Thraciam Lucullus, Pontum Cn. Pompejus, Pamphyliam, Phrygiam & Icariam Servilius Proconsul, Asiam Attalus, Bithyniam Rex Nicomedes, Paphlagoniam Rex Philomenes testamento possidendam dedit. Galliam domuit Julius, Octavianus Augustus Hispaniâ, Galatiâ & Ægypto, Cappadociâ Tiberius Claudius Imperium auxit. Catonis ministerio Cyprus accessit. Alias provincias prætereo. Num illa hodie parent Romæ, tanquam Imperii capiti?

XII. Nos igitur sic arguimus: sublato è medio, quod tenet, revelabitur Antichristus. At illud est sublatum. Assumptum patet. Quid tenebat? Imperium Romanum in urbem & orbem, inquunt Papistæ. Bene est. Num nomen? Nego; sed majestas & metus potentiæ. At majestas atque potentia collapsa est, ejus metus cessavit. Probo à reipsa. Occidens & Oriens tenebatur metu Romani Imperii; uterque majestatem venerabatur. Uterque metu solutus conculcavit & protrivit majestatem. De Occidente clarum. Solos Gothos vide. Oppresserunt Imperium, quod defecit in Augustulo. Quàm multi se subduxerunt Orientis Imperio? Etiam Occidens neglexit, contempsit, deserit. Cedrenus in Leone Iconomacho sic scribit, *Romæ Gregorius, apostolicus vir, & in eadem sede sedens cum Petro Principe, quique ob suas lucubrationes Dialogus dictus est, is, inquam, sanctus vir ob Leonis scelera desivit, & pacto cum Francis icto, tributa denegavit, Anastasiumque & socios anathemate percussit.* Intelligit Gregorium tertium, quem ob εἰκονομαχίαν Imperatori negâsse tributa, constat. Scilicet Cedrenus εἰκονομαχίαν scelerum nomine traducit. Baronius lubens fatetur, quòd Gregorius tum Romanos, tum Italos à Leonis obedientia recedere penitùs fecerit. Et addit, *Tempus jam advenisse ratus, ut securis ad radicem moveretur arboris infelicis, apostolicâ auctoritate, succidite eam, clamat. Quo tonitru excitati fideles occidentales mox desciscunt penitùs à Leonis Imperio, Apostolico Pontifici inhærentes*, ad Annum 730. num. 4. 5. Sic evanuit metus totius Imperii veteris.

XIII. Secundò. Imperii Romani veteris stantis pars est Roma. Nemo negabit. Certè Apostolus non aliud noverat, quàm cujus illa pars esset, & quidem nobilissima. At moderni Imperii Roma non est pars; imò nullius Imperii pars. Non solùm amisit imperium in orbem, sed etiam amissa est ab Imperio, quod Romanum appellamus, idque tam verè, quàm Constantinopolis, quàm Venetiæ, quàm Belgium, quàm Africa, quàm Asia, quàm Ægyptus, quàm Syria, quàm Palæstina. Tertiò. Ne nomen quidem Imperii Romani mansit Romanis; translatum est ad Germanos, qui jam tot seculis rerum sunt potiti, at Romæ non imperant ipsi, sed Papa; ut vel hoc uno argumento agnoscas, Imperium Romanum vetus esse collapsum, exstinctum, adeoque non esse, ut tempus Antichristi apparituri de-

inceps exspectet Jesuita.

XIV. Dicit, *à Carolo Magno instauratum esse Imperium in Occidente.* R. Si instauratum à Carolo Magno, collapsum igitur fuerat antea, quod nobis in hoc negocii sufficit. Sublatus enim fuit metus potentiæ. Eo sublato, in lucem prodiit Antichristus, idque non uno momento, sed paulatim. Non enim intra paucos annos collapsionem secuta est instauratio. Collapsum in Augustulo. Sic suprà post alios Baronius, qui nobis est instar multorum. Id pertinet ad annum 475. Inde regnârunt in Italia Gothi, annis ferè sexaginta. Pòst sederunt quidem Orientalium Imperatorum Exarchi in Italia quindecim ordine sibi succedentes, quibus tribuuntur anni centum septuaginta quinque. Sed illi non Romæ, sed Ravennæ sederunt. Et sicut eorum initium in Longobardici regni, quod annos ducentos ac quatuor durâsse dicitur, initia incidit, ita hi illis ferè prævaluerunt, ut nihilominùs Occidentale Imperium collapsum fuisse verè dicatur ab Augustuli tempore usque ad Carolum Magnum, id est, annis præter propter trecentis viginti sex.

XV. Pòst instauratum esse, concedam, rebus nostris non nocet. Nam primò non erat qualiscunque collapsio, sed quâ Imperium exspiraverat, ut opus esset resuscitatione. Exspirâsse enim in Augustulo, in Carolo resuscitatum esse, scribit Bellarminus in Chronologia. Deinde dum collapsum esset Imperium, metus potentiæ erat sublatus. Ibi caput exserêdi occasionem commodam habuit Antichristus. Concedo igitur à Carolo utcunque instauratum esse: parebat enim illi & Roma & tota Italia. At rursum à Carolo M. ad omnes successores argumêtari, non magis solidũ, quàm si à Constantino M. ad Johannem Palæologum arguas, qui conciliabulo Ferrariensi intererat, tempore Eugenii Papæ. Maxima enim facta est mutatio. Qui antè tenebant totam Italiam, pòst exciderunt adeò, ut qui vellent pristinam majestatem tueri, conculcarentur Pontificis Romani pedibus. Fridericum Barbarossam nomino, qui expertus Venetiis in templo S. Marci ab Alexandro tertio. Res in vulgus notissima. Pontifices jactât, Imperatores jure precario à se Imperium obtinere. Quis metus Imperii Romani Orientem & Occidentem hodie teneat, est proh dolor, in omnium oculis. Annon multi, qui majestatem Imperii Romano-Germanici in Carolo inchoati olim proni venerabantur, nunc negligunt? an non aliqui velut pedibus conculcare satagunt?

XVI. Cæterùm de omnimoda desolatione & divisione præcisè in decem Reges conjuncta cum dignitatis & nominis Imperialis abolitiõe, ut nobis antea dictum est, major laborat. Inde negatur à me, non probatur à Becano solidè. Nam hoc nec habet ex auctoritatibus Patrum, quos nobis opposuit, nec à Scripturâ. Non ab illis; Illi enim ad unum omnes desolationem nominant, totalem desolationem non nominant. Nemo dicit, sublatum iri nomen Imperii Romani, ut nemo sit futurus, qui appelletur Romanus Imperator. Vide singulos. Cyrillus, si tamen est auctor libri citati, *Venturum esse Antichristum*, dicit, *cùm impleta fuerint tempora Imperii Romani.* Non dicit, *cùm nomen Imperii Romani penitùs deletum fuerit.* Nec sequitur, *Veniet Antichristus, cùm impleta fuerint tempora Imperii Romani; Ergo Imperium exscindetur radicitus, ipso deleto nomine, priusquàm veniat Antichristus.* Sic impleto tẽpore regni Judaici venturus erat Rex Babyloniæ: Non tamen ideo exscindendum erat regnum, priusquàm veniret Rex. Imò ipse erat deleturus. Impleto tempore regni Babylonici, Medi & Persæ venturi erant. Num ideo interiturum regnum, priusquàm venirent? Idem de Græca Monarchia dici potest. Par ratio dicti Cyrilli.

XVII. Cùm Chrysostomus Imperium Romanum ablatum iri dicit, ante adventum Antichristi, non loquitur de totali excidio, sed de ablatione terroris ac majestatis. Patet à verbis. Nam primò statim subjicit: *Donec enim Imperii illius timor fuerit, nemo Antichristo statim subdetur.* Timor cessare potest, quamvis non penitùs exstirpetur Imperium. Deinde ibidem tradit, regnum Romanorum ab Antichristo destructum iri, sicut Babylonicum à Persis, Persicum à Macedonibus, Macedonicum à Romanis. Nũ destrui potest ab Antichristo, cujus nomen deletum est ante ipsius adventum? Num Persæ Babylonicum, Macedones Persicum, Romani Macedonicum regnum destruxerunt, postquàm in rerum natura esse desiisset?

XVIII. Si Theophylactus, Oecumenius, & Ambrosius similia habent, nec nobis nocent, nec Jesuitam juvant magis quàm Chrysostomus & Cyrillus. Ita est. Habent similia. Theophylactus ipsa verba retinet, Ambrosius, aut potiùs quisquis Auctor commentarii, nominat defectum Imperii, non nominat deletionem nominis. An non defecit vetus Imperium? Becanus agnoscit, defecisse in Occidente, & destructum esse in Oriente. Quid amplius requiras?

XIX. Lactantius, fateor, nomen de terra sublatum iri censet. Intelligit autem per nomen non titulum, sed majestatem & auctoritatem. Patet à verbis. *Romanum*, inquit, *nomen, quo nunc regitur orbis, tolletur de terra, & Imperium in Asiam revertetur, ac rursus Oriens dominabitur, & Occidens serviet.* Num titulo regebatur orbis? Quis ignorat, Imperium in Asiam reversum esse, & Orientem latissimè dominari, adeò ut etiam magna Occidentis pars ei serviat? Suaretzius scribit, id Lactantium apertè dicere propter Imperium Antichristi, quasi agnoscat, Romanum Imperium nõ esse prorsus exstinguendum ante adventum Antichristi.

XX. Si Hieronymus aliter sentiret, non præjudicaret causæ nostræ. Cùm enim Jesuitæ eum explicantem templum Dei de Ecclesia non teneant, cur nos teneremus in diversum abeuntem? In epistola ad Algasiam non asserit majorem Jesuitæ. Patet. Loquitur de veteri Romano Imperio, quod universas gentes tenebat. Sic sunt verba. Illud destruẽdũ dicit: Nõ dicit, ipsum nomen imperiale abolẽdũ. Nec loquitur de instaurato Imperio, quod universas gentes non tenuit. Imò si credas Hieronymo in Dan. 11. brachia

pugnantis populi Romani expugnabuntur & conterentur ab Antichristo. Ergo Antichristus Imperium Romanum jam fractum impugnabit & ei prævalebit. Ita interpretatur Suaretzius. Ergo ante adventum Antichristi non totaliter peribit, amisso ipso nomine.

XXI. Denique Tertullianus non asserit majorem sensu Jesuitico. Non dicit, Imperium Romanum, ante adventum Christi, præcisè in decem Reges divisum iri: Non dicit, abolitum iri nomen Imperiale. Libro de Resurr. ait: *Donec de medio fiat. Quis, nisi Romanus status?* Audin' statum nominari, non nomen Imperiale? Lege Apologetici caput trigesimum secundum, quod Becanus citat, & nota exemplum fidei Jesuiticæ. Non nominat divisionem Imperii in decem Reges: Nō abolitionem nominis: Non Antichristum: Tantum abest, ut dicat, nomen Imperii Romani abolitum iri, priusquàm ille veniat. Verba: *Est & alia major necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, & omni statu Imperii, rebusque Romanis, quòd vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatum scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Quid? Tertullianus lib. ad Scapulam affirmat, Imperium Romanum staturum esse, quousque seculum stabit. Si ante adventum Antichristi putâsset penitùs exstirpandū, ipso etiam nomine deleto, quâ fronte diceret, tamdiu staturum esse, quousque seculum stabit? Nisi Antichristum exspectavit venturum, postquàm seculum stare desierit? Ex dictis spero, patet, Becanum majorem sui argumenti à laudatis Patribus non habere. Restat, an habeat à Scriptura.

XXII. Non habet à Scriptura sacra. Illa Imperii Romani totalem destructionem & divisionem inter decem Reges præcisè numeratos cum dignitatis & nominis Imperialis abolitione plenaria cōjunctam, nusquam signum constituit, quod adventum Antichristi sit antecessurum. Nusquam in veteri, nusquam in novo Testamento. Becanus dicit, Patres probare ex Daniele & Apocalypsi. Id totum, quod contendit, laudati Patres inde minimè probant. Quomodo probarent? Non asserunt. Nec ipse probat solidè.

XXIII. Probatio ex Daniele sic habet. Contendit, *capite secundo describi successionem quatuor præcipuorum regnorum usque ad finem mundi, per quandam statuam habentem caput aureum, pectus argenteum, ventrem aneum, & tibias ferreas.* Explicationem hanc esse: *Caput aureum significare regnum Chaldæorum; pectus argenteum, regnum Persarum; ventrem aneum, regnum Alexandri & Græcorum; tibias ferreas, regnum Romanorum. Porrò ex duabus tibiis ortos esse decem digitos, in quibus tota illa statua desierit, quia scilicet Romanum Imperium tandē in decem Reges dividendum & eo ipso desolandum sit seu evertendum.* Addit, *eadem regna*, Dan. 7. *designari per Leænam, Ursum, Pardum & aliam innominatam bestiam, habentem decem cornua in capite. Hanc bestiam significare Imperium Romanum, & decem cornua significare decem Reges, qui illud sint dividuri.* Num. 22. 23.

XXIV. Applicatio hæc, quantum regnum Chaldaicum, Persicum, & Alexandri spectat, bene habet. De reliquo, non est solida. Nam primò nominat decem digitos: hi innominati sunt Prophetæ. Is digitos nominat, decem digitos non nominat. Secundò. Jesuita tibias & digitos pro diversis regnis capit: Non sic Daniel. Ille tibias unà cum pedibus & digitis sumit pro uno eodemque regno, at partim robusto, partim debili. Quomodo duas tibias applicabit Romano Imperio? Referet ad divisionem in Orientale & Occidentale Imperium. Ita, scio, solent. At nescio, an satis quadret. Si enim duo illa Imperia sunt tibiæ; Ergo oportebat Romanum Imperium statim ab initio in duas dividi partes, quia venter desinit in duas tibias; Venter autem Græciæ tribuitur. Num in duas partes fuit divisum Romanum Imperium ab initio?

XXV. Tertiò. Tanquam certum præsupponit, describi à Daniele regna præcipua ad finem mundi futura. Et quidem per quartum intelligi Romanum. At hoc nondum est satis certum. A præstantissimis viris confutatum multis argumentis. Videri potest Junius in annotationibus, & Polanus in Danielem. Ego non ero prolixus in recensendo. *Unum* est. Christus veniet sub quarti regni finem. Num Christus venit sub finem Monarchiæ Romanæ? Imò; sed sub initium. *Secundum*. Quartum regnum, adveniente Christo, debuit esse deletum, v. 34. 35. Imperium Romanum, adveniente Christo, non est deletum. E. *Tertium*. Quatuor illa regna comminuta dicuntur à Lapide exciso sine manibus, quem Christum esse, constat inter Christianos. Monarchia Romana non est comminuta à Christo, sed potiùs confirmata. Nam trecentis post illum annis floruerunt Imperatores Ethnici, pòst Constantinus M. & alii Christiani post illum. *Quartum*. Regnum quartum in duas tibias desiit, id est, à duabus familiis debuit administrari. Falsum de Romano Imperio: verum de Seleucidarum & Lagidarúm regno. *Quintum*. Romano Imperio simpliciter, etiam ratione nominis, deleto, non crescet regnum Dei, quod quidem ex Scriptura constet. Et dicunt Jesuitæ, tum venturum esse Antichristum, idque mille trecentis triginta quinque diebus ante judicium extremum. At regno quarto deleto, crescet regnum Christi, v. 35.

XXVI. Non malè igitur Junius post Veteres, quos Theodoretus pietatis magistros nominat, in Dan. 7. aliique videntur de Seleucidarum & Lagidarum, seu Ptolemæorum regno interpretari, quippe cui omnia accommodari queunt. Describitur enim quinque adjūctis. Primò. Erit durū, v. 40. Ratio est, administrabitur asperè & cum sævitia. Sic fuit. Judæa ab illis Regibus per vices afflicta fuit gravissimè. Secūdò. Dividetur in duas tibias. Id factum. Regnârunt Seleucidæ, à Seleuco Nicanore orti, & Lagidæ, ex Ptolemæo Lagi filio. Tertiò. Instabile erit, v. 41. 42. Pedes erunt partim ferrei, partim testacei. Sic fuit. Vicerunt sæpe Judæos ab iisdem victi nonnunquam. Quartò. Coalescet per conjugia, v. 43. Sic factum. Federa inierunt eaque conjugiis firmârūt. Quintò. Infirma erūt federa ibi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ibidem. Sic evenit. Pax solida Seleucidis & Lagidis non fuit.

XXVIII. Si tamen ad Romanum Imperium omnino transferre velis, quid juvabit causam? Num mox talem destructionem inde concludes, ut ne nomen quidem supersit? Non sequitur. Vetus regnum Persicum, de quo Daniel, destructum est; hodie tamen utcunque instauratum, suos habet Reges. Ita non ideo vetus Romanum Imperium non est destructum, quia postea instauratum. Si duas tibias Danielis ei applices, ubi sunt? Nonne una fracta in Occidente per Gothos, altera in Oriente per Turcam? Nec desunt inter Papistas, qui divisionem factam agnoscant. Certè Franciscus Fevardentius Fr. ord. Minoritarum in Annot. ad Irenæi lib. 5. cap. 26 num. 1. agnoscit. Verba sunt; *Dissipationem unius Imperii Romani in decem regna, per decem articulos pedum statuæ, decemque cornua bestiæ significata, adventum Antichristi praventuram post Irenæum ex Daniele & Apocalypsi colligit Theodoretus; & ut Hieronymus fatetur, omnes Scriptores Ecclesiastici. Quæ sint autem illa, haud difficilè deprehendent, qui historias Romanorum à temporibus Arcadii, Honorii, & Theodosii, ad hanc usque ætatem percurrerint. Ab illis enim seculis comperient in Europa Hispanos, Gallos & Germanos, in Africa Carthaginenses, Numidas, Ægyptios: in Asia Syros, Armenos, aliosque multos, licet variis modis, Romani Imperii jugum excussisse.*

XXIX. Ad Imperium instauratum si pergas, illius diuturnitati nos quidem ex animo favemus, nec ullum habemus testimonium sive ab antiquitate, sive à Scriptura, quòd ante adventum Antichristi funditus delendum sit, nec tu facilè illi Danielis duas tibias accommodabis. Nõ enim vidit nunc unam, mox duas, & ex intervallo rursum unam. Non vidit unam tibiam fractam, alterâ salvâ, nec vidit subnasci novam tibiam; Sicut videmus, ordinem veterum Imperatorum in Occidente totaliter concidisse, & demum elapsis tribus seculis novũ emersisse. Interim si in instaurato Imperio hæreas, & divisionem petas, idem Fevardentius, apud Chamierum & Gerhardum, monstrat his verbis; *Etiam nunc in sola Europa conspicimus Poloniam, Sueciam, Norvegiam, Daciam, Britanniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Siciliam, Hungariam, decem clarissima & potentissima regna ab Imperii Romani obedientia ita se subduxisse, imò & illud attrivisse, ut vix quoddam illius inane supersit simulacrum.* Sic verba recitant, quæ fortasse tam malè habuerunt Papistas, ut delerent. In editione enim, qua ego utor, non lego. Interim subductio illa est in omnium oculis.

XXX. Non magis juvat Sophistam locus Danielis septimo. Nam primò supponit, per quartam bestiam Romanum Imperium notari. Quid si negem? Non probat. Viri eruditissimi negant. Rationes illis hæ sunt. 1. Romanum Imperium ante Christi adventum in carnem, cultum Dei Hierosolymis non impedivit. Regnum quartum Danielis impedivit, v. 25. 26. 27. Confer cap. 11. 2. Imperium Romanum ante Christi adventum non est deletum. At illud regnum quartum est deletum, v. 26. 27. 3. Imperatores Romani plures quàm decem dominium in terram

terram sanctam obtinuerunt. Quarti regni Reges tantùm decem dominati sunt Judæis, v. 18. & 24. A Junio sic numerantur; *Seleuc' Nicanor prim', Antiochus Soter secundus, Antiochus Theos tertius, Seleucus Callinicus quartus, hoc expulso, Ptolemæus Evergetes quintus, illo ejecto, Ptolemæus Ceraunus sextus, Antiochus Magnus, sive Hierax, id est, accipiter, pater Seleuci Philopatoris & Antiochi Epiphanis, septimus, Magno Antiocho ejecto & aliis rebus occupato, Ptolemæus Philopator octavus, Ptolemæo depulso per Antiochum Magnum & filios, Seleucus Philopator nonus, & Seleuco occiso, frater minor Antiochus Epiphanes decimus.* 4. Romani Imperii Rex decimus non depressit tres Reges ante se regnantes, quod constet, nec cogitavit mutare tempora & jus. Regni quarti Rex decimus depressit, v. 24. 25. Nempe Ptolemæum Philopatora, quem collatis cum patre & fratre viribus Syria depulit, deinde Seleucum fratrem suum majorem, qui Demetrium filium Romam mittebat, ut ipsum Epiphanem liberaret, denique ipsum Demetriũ obsidem, ad quem jus regni pertinebat. Idem Epiphanes tempora Sabbatorum, festorum & circumcisionis abolere conatus est.

XXXI. Secundò fingit, decem illos Reges, de quibus loquitur Daniel, eodem tempore regnaturos ante consummationem seculi & divisuros Imperium Romanum. Verùm opinio ista non satis certa & firma. Unde enim confirmatur? Daniel non dixit. Imò suspecta est falsitatis. 1. Quia hi decem Reges debuerunt ante erectionem regni Christi in Judæa dominari, Daniel 7. v. 18. 18. 2. Quia illorum regnum deletum esse debuit ante erectionem regni Christi, v. 11. & seqq.

XXXII. Tertiò. Præsupponit, eosdem Reges significari per decem cornua apud Danielem & in Apocalypsi. At non obscura est utriusque visionis dissimilitudo. Nam 1. apud Danielem inter decem cornua parvũ enatum est. De eo nihil Apocalypsis. 2. Daniel vidit, parvum cornu tria cornua convellere. Johannes non vidit. Ibi sic exponit Angelus, quòd cornu parvum sit Rex humili loco ortus, tres alios Reges oppressurus. Nihil ejusmodi Johannes vidit, audivitve. Quartò. Fingit gens Jesuitica, parvum cornu esse Antichristum in fine mundi futurum. Id falsum. Rationem si postulas, hãc do: Cornu parvum dominari debuit Judææ, antequàm Christus regnum suum in omnibus gentibus erigeret, v. 11. & seq. & v. 24. & seq. Idem cornu destrui debuit ante erectionem regni Christi, ibidem. Si tamen cornu parvo regnum post Christum exstiturum adumbretur, num ideo Antichristus ille Papistarum quadrimulus sub finem mundi venturus? Fevardentius interpretatur de Muhammede, in Annot. ad Iren. lib. 5. cap. 30.

XXXIII. Sic Becanus nihil obtinet à Daniele. Jam videamus Apocalypsin. Clamat, quòd *decem illi Reges Imperium Romanum divisuri, ac destructuri sint, colligi ex Apocalypsi cap. 17. ubi Johannes describat bestiam cum septem capitibus & decem cornibus, super quam sedebat mulier circumdata purpurâ & coccino, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immundicia fornicationis. Nam, Angelo interprete, mulierem esse urbem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bem magnam, quæ sedet super septem colles, id est, Romam. Decem cornua esse Reges, qui uno tempore simul regnabunt. Et hos odio persecuturos fornicariam & desolatam facturos illam, & nudam, & carnes ejus manducaturos & ipsam igne concrematuros. His, inquit, *verbis, apertè significat Angelus, Romanum Imperium per illos decem Reges, penitùs destructum, ac dissipatum iri.* Num. 24.

XXXIII. R. Primò. Accipio, per mulierem intelligi Romam. Alibi dicebatur Babylon, Apocal. 11,8. cap. 14,8. cap. 16, 16. Hîc clarissimè describitur. Illa enim habebat regnum super Reges terræ, tempore Johannis. Num Ethnica Roma? Id vellet Bellarminus lib. 2. de Pont. Rom. c. 2. Malè. Illa jam olim à Totilæ Gothi exercitu dirutis mœnibus in cineres redacta. Ergo Pontificia, id quod fatetur Ribera in Apocal. Illa sedet super septem montibus. Secundò. Concedo, decem illos Reges uno tempore simul esse regnaturos; Addo tamen, non sine aliquo tractu temporis.

XXXIV. Tertiò. In cæteris dissentio, idque non immeritò. Nam primò Becanus præcisè hæret numero Regum denario. Non probat. Non necessum est hærere, cùm, fatente Bellarmino, denarius, centenarius & quivis numerus perfectus in Scriptura indefinitè capi possit, l. 3. de Pontif. Rom. cap. 8. Si urgeat definitum numerum septem capitum, respondeo, ibi Angelum distinctè numerâsse, hîc non distinctè numerat. Secundò. Desolationem mulieris fornicariæ ad desolationem Romani Imperii transfert. Quo argumento? Imperium Romanum non est ista mulier meretrix, sed Roma. Non sequitur, delebitur Roma à decem Regibus. Ergo à decem Regibus destruetur & dividetur Imperium Romanum, abolito ejus nomine. Nam hodie Roma non est pars Imperii, nec fuit à multis annis. Si Imperium Romanum & quidem modernum est mulier, ubi bestia, cui insidet? Et quinam Reges illi decem? Tertiò. Fingit, mulierem exustum iri ante adventum Antichristi. Falsum. Non difficilis probatio. Præsuppono, mulierem fornicariam dici alibi Babylonem. Jam sic concludo: Babylon non exuretur ante Antichristi adventum à decem Regibus. Roma Pontificia est Babylon. Non ergo exuretur à decem Regibus ante Antichristi adventum. Assumptio negari non potest amplius à Papistis. Major firma. Nam primò Babylon propter scortationem exuretur. Non exuretur, prius quàm scortata fuerit cum Regibus terræ: Non punietur, prius quàm peccaverit. At Babylon demum post adventum Antichristi scortabatur cum Regibus terræ, quia bestia, quæ est Antichristus, & cujus cornua sunt Reges, cum meretrice scortantes, tergo suo gestat meretricem. Deinde Reges, qui tandem meretricem exurent, dederunt priùs vires & potestatem suam bestiæ, jam tum igitur existebat Antichristus, Apocal. 17, 13. 16.

XXXV. Jesuita dixerat, Patres passim asserere suam majorem & pro se habere aperta Scripturæ testimonia. Ostendi nec asserere, nec pro majore Jesuitæ habere aperta Scripturæ testimonia. Restat traditio. Illam Jesuita frustrà opponit. Nondum probavit. Non ignoro, Hieronymum

mum in Daniel. 7. scribere, *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum Romanorum destruendum est, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se dividant.* Legi. Quærit igitur Becanus quid clariùs dici possit? Num. 25.

XXXVII. R. Primò. Satis quidem clarè, nondum tamen causam obtinet. Nam primò suprà jactabat perpetuam ab Apostolorum temporibus traditionem, quam pro se habeant antiqui Patres tam latini quàm Græci. num. 11. Illam Hieronymus non nominat. Nominat omnes Scriptores Ecclesiasticos; Si omnes pro se habent traditionem perpetuam ab Apostolorum tempore, ergo ante omnes Scriptores fuit illa traditio. Id probet Becanus: Hieronymus non affirmat. Dicit, *omnes Scriptores tradidisse*, non dicit, *omnes accepisse perpetuam traditionem ab Apostolorum temporibus.* Secundò. Etsi omnes Scriptores Ecclesiastici tradidissent, non ideo verum. Augustinus ab omnibus Scripturarum tractatoribus ad ipsum Apostolum provocat, Epist. 19. Idem licet nobis in occasione. Si habeant pro se aperta Scripturæ testimonia, assentiri tenemur: Sin minùs, non tenemur, Illa jactabat Becanus; non fuerunt in illam sententiam aperta. Dicimus igitur cum Hieronymo in Matth. cap. 23. *Quicquid non habet auctoritatem de Scriptura, eâdem facilitate contemnitur, quâ approbatur.*

XXXVIII. Tertiò. Non habemus omnium Scriptorum Ecclesiasticorum traditionem, nedum perpetuam ab Apostolorum temporibus. Illi ipsi Patres, quos Becanus citavit, non dicunt, totalem Romani Imperii destructionem & divisionem in decem Reges præcisè numeratos cum nominis Imperialis abolitione conjunctam esse signum, quod adventum Antichristi præcedat. Imò nec Hieronymus affirmat, id omnes Scriptores Ecclesiasticos tradidisse. Lactantius, lib. 7. cap. 25. scribit, precandum esse Deum, ne tyrannus ille abominandus (Antichristus) veniat, qui lumen illud (Romam, id est, Interprete Suaretzio, Romanum Imperium) effodiat, cujus interitu mundus ipse lapsurus sit. Chrysostomus in 2. Thessal. 2. *Quemadmodum regna illa destructa sunt, quæ ante Romanum Imperium fuerunt, utpote regnum Babyloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis, ita & regnum Romanorum ab Antichristo.* Hi si veri, non omnes Ecclesiastici Scriptores tradiderunt, Romanum Imperium totaliter exstinguendum esse, ipso etiam nomine deleto ante adventum Antichristi.

XXXIX. Quartò. Aliqui eorum, qui tradiderunt divisionem Imperii in decem Reges, hærent, præciséne decem, an multi sint intelligendi? Hæret Augustinus, lib. 20. de civ. D. cap. 19. hæret Prosper, agnoscente & referente Suaretzio. Si erat perpetua ab Apostolorum tempore traditio, quam Becanus jactat, cur Augustinus hæret? cur suspiciones hominum vocat illud de Imperii eversione? Ludovicus Vives in notis, scribit, esse leves cõjecturulas. Nec sanè constat, omnes, qi tradunt, tradere, ut rem certam. Suaretzius fatetur, & addit, nec vim facere ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnam in numero denario, Idem disertè docet, an per decem illa regna omnino exstinguendum sit nomen & dignitas Imperii, aut Imperatoris, aut Regis Romanorum, hunc modum eversionis incertum esse. Si incertus, quomodo perpetua ab Apostolorum temporibus traditio? Similiter Alcasar in Comm. in Apocal. 11. scribit, *non esse opinionem adeò certam, ut Ribera contendat. Nam quamvis Hieronymus eam Ecclesiasticis Scriptoribus tribuat, non tamen velle, eam ab omnibus certam reputari, sed solùm, eam fuisse communem & vulgarem omnium opinionem.* Num vulgaris omnium opinio mox est perpetua ab Apostolorum temporibus traditio?

XL. Clamat Jesuita, constare ex Scriptura & traditione, tunc Romanum Imperium destruendum esse, cùm in decem Reges dividetur. *Imò* ex Scriptura non constat. Nec convincimur auctoritate jactatæ traditionis, quam etiam aliqui Papistæ jam completam agnoscunt. Frustrà igitur est, cùm è Scriptura demonstrare conatur, non antè venturum Antichristum. Audiamus tamen. Jactat, id apertè convinci ex Daniele cap. 7, 24. ubi sic legamus; *Cornua decem ipsius regni decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres humiliabit, & sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit, quòd possit mutare tempora & leges tradentur in manus ejus ad tempus & tempora & dimidium temporis.* Hîc dicit, *Danielem clarissimè loqui de Antichristo, quem prædicat venturum esse post decem illos Reges, qui Imperium Romanum inter se dividunt, & consequenter post Romani Imperii eversionem.* Num. 16. Bellarminus dixerat, Antichristum interfecturum esse tres Reges, nempe Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ, septem reliquos deditione subacturum esse, lib. 3. de Pont. R. c. 16.

XLI. Bz. Primò. Mireris, tum Apocalyptica, tum Prophetica Jesuitæ hîc esse aperta & clarissima, qui alibi accusat Scripturam obscuritatis tam graviter. Certè tam clara non sunt, ut opinatur Jesuita. Secundò. Multa præsupponit, quæ non sunt certa. Primum. Regnum quartum esse Romanum; nos aliud ostendimus. Secundum. Decem illos Reges uno tempore inter se divisuros esse regnum quartum. *Imò* potiùs erunt successivè. Tertium. Eosdem hîc intelligi Reges, qui in Apocalypsi. Non patet. Quartum. Hîc agi de Antichristo secundùm literam. Atqui agitur de Antiocho Epiphane, in quo ista omnia impleta. *Illum* Antichristi typum fuisse, non negaverim. Sed non opus est, ut quæcunque sunt typi, ea quoque in antitypo inveniantur omnia.

XLII. Tertiò. Glossa Papistarum de tribus Regibus ab Antichristo interficiendis manifestè aliena est à Scriptura. Nam 1. Daniel non dicit, *interficiet*, sed, *humiliabit*. 2. Non dicit, tres istos fore Reges Ægypti, Libyæ & Æthiopiæ, sed *dominabitur in recondita auri & argenti & in omnia desideratissima Ægypti, Libyes & Aethiopes comitabûtur gressus ejus*, Daniel. 11, 43. juxta Tremellium. Vulgata versio sic; *Dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti: Per Libyam quoque & Æthiopiam transibit.* Id impletum in Antiocho Epiphane.

Cùm

Cùm enim Ægyptum armis expugnâsset, Libyes & Æthiopes Ægypto vicini, qui antea Ptolemæi Philometoris partes secuti erant, Antiocho se conjunxerunt & ejus signa secuti sunt deinceps.

XLIII. Si omnino Danielem de Antichristo loqui, pertendas, eumque per cornu parvum intelligas, quid si Prophetiam impletam esse, asserat Papista? Asseruit, & quidē ante aliquot secula, magni nominis Episcopus Saltzburgensis, Eberhardus, in Episcoporum Concilio, apud Aventinum, lib. 7. pag. 547. his verbis: *Reges decem pariter existunt, qui orbem terræ Romanum quondam Imperium, non ad regendum, sed ad consumendum partiti sunt. Decem cornua, id quod D. Aurelio Augustino incredibile visum est, Turcæ, Græci, Ægyptii, Afri, Hispani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali, Romanas provincias possident, Romanosque in his excidere colonos. Cornuque parvulum sub his succrevit, & oculos habet, & os loquens grandia, tria potissimùm Siciliæ, Italiæ, Germaniæ regna in ordinem redigit, sibique servire cogit, insustentabili dominatione populum Christi sanctosque Dei vexat, divina, humana miscet, infanda, execrabilia molitur.* Quem notet, si non ex aliis circumstantiis, saltem ex eo clarescit, quòd paulò antè dixerat; *perditus homo ille, (quem Antichristum vocare solent.) in cujus fronte contumeliæ nomen scriptum est,* Deus sum, errare non possum, *in templo Dei sedet, longè latéque dominatur.* Quid multis? Tota oratio adversùs Romanos Flamines dicta. Quid exspectas ampliùs?

XLIV. Nondum quievit. Dicit, idem multos probabiliter confirmare ex verbis Apostoli, 2. Thessal. 2. *Nisi venerit discessio & revelatus fuerit homo peccati,* subaudi, *non veniet dies judicii.* Si tantùm probabiliter confirmant, non faciunt certam fidem. Ita paulatim cedit disputator, qui monet, hîc duo signa poni, quæ judicii diem sint antecessura, discessionem à Romano Imperio & Antichristi revelationem. Num. 17. Sint duo signa, Apostasia & revelatio Antichristi. Apostasiam hîc esse discessionem ab Imperio Romano, non concesserim, nisi probetur firmiter. Dicit primò, *ita explicare auctores magnos, Tertullianum lib. de resurrect. carnis cap. 24. Hieronymum quæst. 11. ad Algasiam. Theophylactum, Sedulium, Primasium, Strabonem & alios.* Secundò, *expositionem esse probabilem & posse confirmari ex ipso contextu.* Num. 18. 19.

XLV. Bz. Ad prius. Magni quidem isti sunt, fateor; sed primùm pauci. Deinde ne isti quidem omnes sic exponunt. Nemo ex omnibus de divisione Imperii præcisè in decem Reges. Tertiò æquè magni & plures de ipso Antichristo & fidei defectione accipiūt. Suaretzius tom. 2. in 3. p. Thom. q. 59. disp. 54. dicit, sic omnes Græcos & Augustinum interpretari. Theophylactus ipsum Antichristum interpretatur. *Non*, inquiens, *erit adventus Domini, nisi venerit discessio sive defectio, id est, Antichristus. Defectionem enim ipsum vocavit, cùm revera sit, quippe qui multos faciat deficere, etiam electos, si fieri possit.* Quem sensum plures tenent. Ex Chrysostomo Theophylactus hausit. Nec aliter Theodoretus; *Apostasiam*, inquiens, *ipsum vocavit Antichristum à reipsa ei nomine impositio: conatur enim à*

veritate abducere & efficere, ut deficiant. Oecumenius; Ἀποστασίαν αὐτὸν λέγει τὸν Ἀντίχριστον, ὡς ἀφιστᾶν μέλλοντα πολλοὺς ἀπὸ τῆς χριστοῦ, ἢ ἀποστασίαν αὐτὴν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀποχώρησιν. Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 19. *Quem refugam vocat; Utique à Domino Deo?* Hoc inter Papistas Glossa ordinaria repetit. At Lyra, *Salvo*, inquit, *meliore judicio, mihi videtur melius intelligendum de recessu à fide catholica.* Idque probat collatione alterius loci, 1. Timoth. 4, 1. Arias; *Discessio) doctrinarum, serpentinæ calliditatis ac proprietatis & veritatis atq; simplicitatis lucisque verbi Dei.* Eadem mens est Claudio Espensæo in 1. Tim. 4. Alcasari in Apoc. 14. Justiniano & Hugoni Cardinali in 2. Thess. 2.

XLVI. Ad posterius R. Esto Jesuitæ probabilis: Non ideo vera, nedum genuina. Quamvis nos minimè negamus, discessuros esse populos à Romano Imperio. Cur negaremus? Jam pridem discessisse à veteri Imperio, idque eversum esse, palàm est ab historia, & fassi sunt suprà multi Papistæ, quibus hîc addo Thomam Aquinatem. Is enim Gentes discessisse, in commentario in h. l. fatetur, nec mutationem Imperii negare potest. Ne tamen interitum concedere cogatur, ad novum commentum conversus prætendit, quòd temporale Imperium sit in spirituale mutatum, id est, quòd in locum Imperatorum successerint Pontifices. Id cum Bonifacii dicto pulchrè convenit, *Ego sum*, inquientis, *Imperator.* Qui si non est interitus Imperii Romani, quis esse possit? At ex sensu Jesuitæ intellecta expositio ne probabilis quidem est. Certè ex textu confirmari non potest, ꝙ vel ipse Becanus nobis probabit irrito suo cõatu.

XLVII. Ex textu vult confirmare. Quo argumento? Quia *Apostolus quædam fidei mysteria Thessalonicensibus præsens tradiderit, quorum unum fuerit, judicium non priùs venturum esse, quàm eversum esset Romanum Imperium, & Antichristus apparuisset. Illi autem, relictâ hâc traditione, nescio à quibus persuasi fuerint, diem judicii esse præforibus; unde revocet eos ab hoc errore, & hortetur eos, ut in ea traditione, quam coràm acceperãt, persistant deinceps.* Nũ. 19. Quod de divisione in decẽ Reges præcisè numeratos, & totali eversione Romani Imperii & nominis Imperialis, tanquã signo judicium anteceſſuro, Thessalonicenses instituerit, unde nobis probat Jesuita? Hoc non est in textu, ex quo confirmationem promittebat. Deinde docuerit illud Apostolus: Ad tenendum hortatus sit: Non sequitur, Ergo apostasia istam eversionem significat. Versu septimò de Imperio Romano loquitur, quòd obstet sc. suâ majestate ac terrore, ne retegatur Antichristus, donec de medio fiat. At quis hinc concludat, Ergo versu tertio ἀποστασία eversionem Romani Imperii totalem significat? consequẽtia nimis infirma.

XLVIII. Jesuita promisit confirmationem à textu. Non præstat. Recitat verba, & glossam suam repetit. Num. 20. Hoc nimis ineptum. Glossæ repetitio non est confirmatio. Cùm igitur Jesuita non possit suam glossam ex textu confirmare, nos non immeritò, illâ omissâ, de fide exponimus. Quam ἑρμηνείαν nõ tantùm admittit ipsa vox græca, imò suadet, quippe quæ passim defectionem fidei significat, ut Luc. 8, 13. Actor. 21, 21. 1. Tim. 4, 1. Hebr. 3, 12. sed & Apostolus, quasi erecto digito ostendit. In sequentibus enim satis clarè exponit, eum Antichristo tribuit omnem fraudẽ injustitiæ, in iis, qui pereunt, pro eo, quòd amorem veritatis nõ habuerunt, v. 10. Id enim, ut Theodoretus notat, Antichristus tentabit omni conatu, ut homines deficiant à fide & charitate. Adde quòd Apostolus dicit, Deum missurum esse efficaciam deceptionis, ut credant mendacio, ut damnẽtur omnes, qui non crediderunt veritati, v. 11. 12. Præterea huic loco optimè respondet alter 1. Timoth. 4, 1. ubi defectionem à fide intelligi, omnibus est apertum, dicente Apostolo, *Spiritus autem disertè dicit, fore, ut posterioribus temporibus desciscant quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis dæmoniorum.* Inde Lombardus in 1. Timoth. 4. hunc cum altero comparat scribens; *Quidam sc. notabiles; discedent à fide, unde suprà, nisi fiat discessio primùm.* Hanc nostram interpretationẽ alteri præferunt multi Papistæ. Lombardum, Lyram & Ariam audivimus. Addo Antonium Scaynum in Annot. 2. Thess. 2. dicentem: *Fortè aptiùs interpretaremur, intelligendo per apostasiam defectionem à fide & sejunctionem à colendo vero Deo. Quod etiam innuunt scholia Græcanica, & significavit Dominus, dum dixit in Evangelio: veruntamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terris?* Et alibi, *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

XLIX. Quid Sophista? Conscientia illi dictare videtur, nostram interpretationem non esse alienam. Nec enim audet falsitatis damnare, imò ne alienam quidem dicere, nec suam confidenter

tuetur. Illam *probabilem* esse, paulò antè dicebat: Jam dicit, *alios de discessione à Romano Imperio exponere, & fortasse rectiùs;* Num. 21. Cui respondere possem, illos fortasse non rectius exponere. Respondeo, non rectiùs exponere. Utri credendum? Mihi assistunt celebres Papistæ. Jam nominavi Scaynum. Suaretzius l. l. scribit, *Licet plerique Latini interpretẽtur de defectione Romani Imperii, propriùs tamen intelligitur de defectione à Christo.* Salmero in h. l. *Præsens locus congruentiùs de defectione fidei venit intelligẽdus.* Estius; *Rectiùs & Sacris Scripturis convenientiùs sentire videntur, qui apostasiam hãc interpretantur defectionem à fide catholica, eãque universalem.* Jam plusne Becano, quàm istis omnibus tribuemus, an omissis nominibus, causa cum causa, ratio cũ ratione certabit, ex Augustini consilio? Nobis non potest displicere, quos pridẽ non tam movent nomina etiam chara, quàm rerum momenta.

L. Cur igitur alii de discessione ab Imperio exponunt fortasse rectiùs? Duæ illi sunt rationes. Primò, quia *textus optimè cohæreat, si interpretemur de Imperio Romano, ut sit ostensum.* Secundò, quia cõstet, *Apostolum quasi de industria obscurissimè esse locutum, in illo capite, adeò ut Augustinus l. 20. de Civ. Dei c. 19. scribat, Ego prorsus, quid dixerit, me fateor ignorare. At nulla erat causa, cur obscuriùs loqueretur de defectione à fide, cùm Christus apertissimè de ea sit locutus. Erat autem causa, cur obscurè loqueretur de defectione ab Imperio Romano, quia cùm hanc Epistolam scriberet, si clarè scripsisset de eversione illius Imperii Romani, potuisset Neronem offendere,*

qui erat homo in novos Christianos crudelissimus. Num. 21.

LI. Neutra ratio est solida. Priori debebat concludere, suam interpretationē meliùs cohærere cum textu, quàm nostram. Non cōcludit. Nisi cōcludere voluit, dum superlativo utitur. At sic ego nego; nec ostensum est à Becano, qui nititur falsa hypothesi, à me detecta paulò antè, quòd scilicet de illa Imperii in decē præcisè Reges divisione, destructione totali & nominis Imperialis abolitione plenaria locutus sit Thessalonicensibus Apostolus. Certè Thomas rem altiùs expendens, intelligit, de totali eversione Romani Imperii temporalis non posse exponi, quin agnoscatur, signum revelādi Antichristi jam esse impletum. Sic enim in 2. Thess. 2. lect. 1. scribit; *Sed quomodo est hoc? quia jam diu gentes recesserunt à Romano Imperio, necdum venit Antichristus? Dicendum est, quòd nondum cessavit, sed est commutatum de temporali in spirituale: ut dicit Leo Papa in sermone de Apostolis. Et ideo dicendum est, quòd discessio à Romano Imperio debet intelligi non solùm à temporali, sed à spirituali, scilicet à fide catholica Romanæ Ecclesiæ.* Viden', quòd Thomas agnoscit, jam factam esse discessionem corporalem ab Imperio Romano, restare spiritualem? At illam factā esse, parati sumus ostendere. Nam intelligitur fides catholica Ecclesiæ Romanæ, quæ erat tempore Apostoli. Ab hac discessionem esse factam in Papatu, in singulis controversiis demonstratur. Si intelligat fidem Romanæ Ecclesiæ, qualis erat ipsius tempore, commentum est ridiculum. Eam enim fidem ignoravit Apostolus: ideo defectionem ab ea hîc non prædixit, tanquam signum venturi Antichristi.

LII. Altera ratio non est firmior. Nā primò constat quidem, Apostolum obscurissimè locutum esse in illo capite: at in toto capite, singulisque ejus versiculis, obscurissimè locutum esse, non constat, sed constat contrarium. Nam quæ de adventu ex efficacia Satanæ disserit, non sunt adeò obscura, v. 8. & seq. Non igitur sequitur, *In illo obscurissimè loquitur Apostolus: Ergo etiam versu secundo: Ergo non intelligitur defectio à fide.*

LIII. Secundò. Non erat, fateor, causa, cur de defectione à fide loqueretur obscuriùs: sed nego, locutum de ea esse obscurè. Chrysostomus in præfat. 2. Thess. 2. dicit, Apostolum hunc locum de adventu Christi dilucidiùs hîc tractare. Nec sanè illud usque adeò obscurum, *nisi venerit discessio*, quia illustratur à sequentibus, quòd amorem veritatis non acceperunt, v. 10. Item, quòd non crediderūt veritati. Ideo Lombardus in h. l. *Et nunc revelabitur)* sc. *jam revelatâ discessione à Deo vero, & refrigeratâ multorum charitate, ex abundantia iniquitatis, quasi paratâ sibi sede, revelabitur*, id est, *manifestabitur ille iniquus sc. Antichristus.*

LIV. Tertiò. De eversione Imperii Romani voluit dicere obscuriùs, & quidem, ut rectè annotant Veteres, ne sine causa inimicitias sibi conciliaret, & exacerbaret infideles adversùs Christianos. Quis verò inde cōcludat, *Ergo à nostrâ id est ista eversio?* Imò de eversione agit septimo versu & quidem obscurissimè. Duo signa adventus Christi ad judicium clarè satis

satis exprimit toto capite. Id quod revelationi Antichristi obstabat, non exprimit clarè, sed innuit obscuriùs, versu septimo. Hæc lubens confundit Sophista. Hieronymus quæst. 11. ad Algasiam ad versum septimum refert, quod dicit, *Nec vult apertè dicere, Romanum Imperium destruendum, quod ipsi, qui imperant, æternum putant.*

LV. Porrò Becanus in eō quoq; impingit, quòd pro certo sumit, Paulum tam obscurè scripsisse, quia si clarè scripsisset, potuisset Neronem offendere. Nero enim illo tempore nondum imperabat. Non erit prolixa contentio. Baronium testem laudo. Ille sic tom. 1. ad annum Christi 53. num. 1. *Anno Christi quinquagesimo tertio Coss. Claudio Augusto quintùm & Cornelio Scipione Orfito, cùm Paulus adhuc Corinthi ageret, (annum enim unum & menses sex illic transegisse, auctor est Lucas) scripsit secundam Epistolam ad Thessalonicenses.* Is erat annus Claudii undecimus, juxta Baronium, qui regnavit annos tredecim, menses octo, dies viginti, ut numerat Dio lib. 60. mortuus anno Christi 56. 3. Idus octobris, apud Baroniū ex Seneca, Tacito, Suetonio. Illi demum succesit Nero. Nec est, ut dicas, ante Imperium susceptum jam crudelitatem patrâsse. Nam sic erat ab initio moribus compositis, ut cujusvis nocentissimi hominis legibus condemnati supplicium exhorresceret, quod testatur ad ipsum scribens Seneca lib. 2. de Clem: unde factum, ut cùm, Claudio exstincto, edictū contra Judæos ederetur, Christianis etiam, qui ex Judæis crediderant, in urbem redeundi daretur facultas. Primam persecutionem Neroni adscriptam refert Baronius ad annum sexagesimum sextū. Minimum ergo inter eam & scriptionem Epistolæ intercesserunt anni tredecim. Non igitur obscurè scriptum, Neronianæ crudelitatis devitandæ gratiâ. Facilè sentit Becanus, hoc loco niti se firmiter non posse, quem alibi de apostasia fidei explicari posse, concedit. Ideo ad Danielem & Apocalypsin relabitur, unde apertè constet, Romanum Imperium penitùs destruendum & in decem Reges dividendum esse, priusquàm veniat Antichristus. Num. 23. At nec Daniel, nec Apocalypsis Jesuitæ favet, ut ostendimus hactenus: Non est cur repetamus.

Sectio V.

Argumentum secundum Becani examinatur.

I. SEcundum argumentum est ejusmodi. *Duo testes venturi sunt eodem tempore, quo Antichristus, & habebunt has qualitates. 1. Erunt amicti sacco & cilicio. 2. Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta. 3. Habebunt potestatem claudendi cœlum; ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem convertendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram omni plagâ, quotiescunque voluerint. 4. Quando absolverint testimonium suum (nempe post dies 1260.) Antichristus movebit contra eos bellum & vincet illos, & occidet. 5. Corpora eorum jacebunt Hierosolymis insepulta, per tres dies & dimidium. 6. Post tres dies revivíscent & spectante & tremēte populo adscēdent in cœlum. 7. Tunc erit magnus terræ motus, quo decima pars civitatis corruet, & septem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

septem millia hominum occidentur, ex Apoc.11,3.& seqq. At hi duo testes (quicunque tandem illi sint,) nondum venerunt. Ergo nec Antichristus venit. Num.24.

II. Respondeo. Negant aliqui etiam in Papatu & quidem magni nominis ac recentes auctores, testes illos demum venturos præcisè Antichristi tempore. Hîc nomino Ariam & Alcasarem. Nos distinguimus. Intelliguntur enim duo testes vel individuo, vel indefinitè, id est, pauci. Posteriori sensu vera quidem est major, sed non prodest adversario. Priori falsa. Ita est: Tempore Antichristi venire debent duo testes. Johannes enim primùm videt repurgationem Ecclesiæ sub Antichristo, & quidem primò in genere, v.1. deinde modum repurgationis duorum testium ministerio instituendæ. Venisse, multi Papistæ negant. Becanus negat, venisse, quicunq; tandem illi sint. Ita omnes socios audaciâ superat. Nec video, unde se defendat. Habet enim inter suos, si tamen inter suos numerat, qui testes nominant, quos venisse si neget, pari jure negaverit, Solé lucere in meridie. Lyra interpretatur Sylverium Papam, & Mennam ex Monacho factum Patriarcham Constantinopolitanum. Quorum ille à Justiniano in exilium pulsus, iste in carcerem conjectus, utercq; tamen contra hæresis Eutychianæ fautores prædicaverit. Arias Montanus interpretatur legem & Prophetiam, in Elucid.h.l. Alcasar in Apocal. Sapientiam & charitatem, quæ in primitivæ Ecclesiæ doctoribus contra Judæos refulserit. Si illi sunt duo testes, certè venerunt.

III. Becanus, cùm probare deberet majorem, dicit, duplicem de illis esse sententiam. Plerosque putare, fore Enoch & Eliam, nam de iis testari Scripturam, quòd sint venturi ante diem judicii, Malach.4,5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* & Eccles.44,16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut salutem det gentibus.* Et sic ferè sentire antiquos Patres. Num.25. R. Primò. Quæritur, an duo testes præcisè nominati, id est, duo individua venire debeant tempore Antichristi? Id non probat adversarius, Suam autem Sophisticam insigni exemplo produnt Papistæ. Probare enim jussi, hîc præcisè duos testes intelligi, afferunt, quòd Henoch & Elias sint venturi. Rursum jussi probare, Eliam & Henoch venturum, afferunt locum Apocalypseos. Becanus enim dicit, hoc loco niti Patres. Secundò. Quæritur, venerintne jam illi testes, quos intelligit Johannes, an non venerint, sed olim venturi exspectari debeant? Nec id probat. Tertiò. Quæritur, an illi testes, quicunque tandem sint, nondum venerint? Id asserit adversarius, non probat. Quæ enim consequentia, *Duplex est sententia, una, esse Eliam & Henoch, altera, esse Mosen & Eliam. Ergo venerunt, quicunque tandem illi sint?* Quid fiet de testibus Lyræ, Alcasaris, imò & Ariæ? Numerus sententiæ sive binarius, sive ternarius, sive quicunque alius, nihil probat; opus est argumentis, quibus clarescat sententiæ veritas.

IV. Secundò. Non tantùm duplex, sed multiplex est sententia. Alcasar studiosè

diosè conquirit, & in quatuor vias dispescit. Prima via interpretatur de duobus viris tempore Antichristi prædicaturis. Secunda, de Antichristi quidem tempore, sed non de duobus viris. Tertia, de viris duobus, sed non de tempore Antichristi. Quarta, nec de duobus viris, nec de Antichristi tempore. Rursus in varia quasi semitarum divortia dividuntur.

IV. In prima via sunt quidem duo divortia Becano annotata, aliis Enochum & Eliam, aliis Mosen & Eliam exspectantibus; sed non sola. Tertium accedit, in quo plurimi, teste Hilario, sunt opinati, Jeremiam cum Elia venturum esse. In secunda quidam Mosen, simul cum Enocho & Elia, venturum esse, contendunt. Blasius de Viega in Apocal.11. & Suaretzius tom.in 3.p. Thom.q.59. art.6. disp. 55. sect.3. nominat Arboreum, Catharinum, Joachimum, Abbatem, Gagnæum, Johannem Apostolum cum Elia & Enocho adfuturum, multis argumentis probare conatur Barradius tom.4. Concord. Evang.lib.9.cap.4. ac pro se laudat. Hippolytum, Damascenum Metaphrasten, Trapezuntium. In tertia, aliqui ad tempus primitivæ Ecclesiæ referunt, ac suspicantur, intelligi Christum & Johannem, ut Ubertinus de Casalis & Eitsingerus. Capensachius introducit duos Sacerdotes, Jesum & Ananum, quos occiderunt Idumæi. Aureolus, Antonin', Lyra, Ederus Lizacazus Sylverium Papam & Mennam interpretantur. Nec defuerunt, qui Franciscum & Dominicum nominarent. In quarta, aliqui ad omnia fidei Christianæ secula referunt. Ita Pannonius dicit, duos illos testes esse omnium temporum veritatis assertores duobus Testamentis subnixos. Arias Montanus de lege & Prophetis exponit. Alcasar, qui auctorum laudatorum dividias nobis memorat, ut antè dixi, intelligit de sapientia & charitate, quæ in primitivæ Ecclesiæ doctoribus contra Judæos refulserit.

V. Tertiò. Becanus ipse causam suam reddit suspectã. Cùm enim duas proponat, non dicit, utram sententiam amplectatur, id est, exspectetne Enochum & Eliam, an Mosen & Eliam, qua in re deserit vestigia sui magistri Bellarmini, eorum sensum, qui negent, Eliam & Enoch venturum, hæresin vel hæresi proximum errorem nominantis. Amplectatur verò, utram velit, nobis non tantùm probabile, sed etiam certum, utramque esse insignem fabulam. In refutatione Regis Angliæ, part.2.cap.4. priorem tuetur & quidem speciosо prætextu traditionis & Scripturæ. Hîc traditionem non nominat disertè, sed pro ea dicit, *sic ferè sentiunt antiqui Patres.* Contra Regem dicit, *Patres loqui de hac re tanquam certa & explorata.* Nec id audet hoc loco repetere. Nego igitur, vel è Scriptura constare, vel ex certa traditione.

VI. E Scriptura non constat. Becanus Malachiã & Ecclesiasticũ, seu Siracidem nominavit. Neuter opinionẽ tuetur. Nõ Malachia: Nã c.4,5. non loquitur de Elia Thesbite & Antichristo, sed de Christo & Johanne Baptista, qui erat futurus antecambulo Domini. De Antichristo non loqui, coguntur fateri Sophistæ. De altero duos testes laudo, Angelum & Christum. Angelus de Johanne dicit Zachariæ, Luc.1,17. *Nam ipse præcedet in conspectu ejus, cum spiritu & virtute Elie, ut con-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vertat corda Patrum in filios & rebelles ad prudentiam justorum. Ubi manifestè alludit ad verba Malachiæ, quod fatetur Jansenius in concord. Evangel. cap. 2. Christus Matth. 11,14. *Et si vultis, ille est Elias, qui venturus erat.* In cujus loci interpretatione Jansenius quidem tergiversatur, fatetur tamen, quòd Dominus Scripturam Malachiæ in Johanne impletam dicat. In concord. Evangel. cap. 47. Si adimpleta. Ergo de illo dicta. Quòd autem tum sit dictum de Johanne, tum de Thesbite, non probari potest ullo argumento. Quamvis id nobis non noceat, si vaticinium Prophetæ non in propria Eliæ persona, sed in eo, qui in spiritu & virtute Eliæ venturus erat, implendum fuisse, concedatur, id quod Jansenius concedit in comm. in Siracidem. Interim nos notemus articulum in sermone Christi, ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. Eo enim significat, esse illum ipsum, qui exspectetur ex Malachiæ prædictione.

VII. Addo clarissimum textum, Matt. 17, 10. 11. 12. *Tunc interrogaverunt eum discipuli sui, dicentes, quid igitur scribæ dicunt, oportere ut Elias primùm veniat? Jesus autem respondens dixit eis, Elias quidem veniet primùm, ut restituat omnia, sed dico vobis, Eliam venisse, quem non agnoverunt, sed fecerunt ei quæcunque voluerunt.* Hîc habes quæstionem discipulorum, & responsionem Christi. *Illa* concipiebatur ex mente scribarum. Judæi autem olim negabant, Christum esse Messiam, quia Elias nondum venisset, ut patet ex Hieronymo in cap. 4. Malach. & Justino Martyre in dial. cum Tryphone. Quin & adhuc hodie Judæi in solennibus precibus petunt adventum Eliæ. In *hac* duo sunt, approbatio Prophetiæ & ejusdem explicatio. Nihil clariùs dici poterat. Approbat Prophetiam, verè promitti Eliam. Explicat, dum jam impletam esse dicit.

VIII. Si excipias, Malachiam non nisi de secundo adventu Christi loqui, ego verò negem, unde probabis? Num inde, quòd nominetur *dies Domini magnus & horribilis, cùm primus adventus sit tempus acceptabile?* Atqui *Hannorah* (Græci hîc & Joel. 2, 11. verterunt ἐπιφανῆ, idque Spiritu Sancto approbante, Act. 2, 20.) non significat propriè horribilem, sed timendum, & timor non semper est à terrore, sed sæpè à reverentia. Sic locus, in quo Deus Jacobo apparuerat, dicitur *reverendus.* Vetus vertit, *terribilis.* Verbo hebræo non semper terrorem significari, patet à Ps. 130. *penes te est venia, ut timearis.* Est futurũ Niphal *tirrare.* Num penes Deum venia, ut terreamur? Imò ut credentes eum revereantur, impii terreantur. Nec vel primus adventus tantùm est tempus acceptabile, vel secundus tantùm dies horribilis, sed uterque piis acceptabilis, impiis horribilis. Secundus piis acceptabilis; debent enim capita attollere, Luc. 21. Primus impiis, suâ culpâ, terribilis. Christus enim incredulis est lapis offensionis, Luc. 2, 34. 1. Petr. 2, 7. 8. Nec frustrà dictum à Johanne, securim jam positam esse arbori ad radicem, Matth. 3, 10. Sed & hunc ipsum Prophetam, de cujus verbis agitur, in primo aliquem terrorẽ agnoscere, à verbis clarum capite tertio. Ait enim, *quis sustineat diem adventus ejus, aut quis consistat, cùm apparuerit? nam ipse quasi ignis conflatoris.* Arias Montanus Hieronymum secutus, in Malach. cap. 4. diem Domini piis & legitimè præparatis magnum, impiis verò & incredulis horribilem, atque adeò diem magnum & horribilem appellat diem non extremi judicii, sed adventum Messiæ, quemadmodum scribæ antiqui rectè interpretabantur, idque à Christo & probatum, & confirmatum est. Eadem mens est aliis celebribus Papistis, nominatim Burgensi, Vatablo, Joh. Fero in Matth. Sixto Senensi lib. 7. Biblioth. Alcasari in Apocal. qui omnes Malachiam de solo Johanne Baptista sub nomine Eliæ promisso interpretantur.

IX. Satis credo, patet, Malachiam nõ tueri opinionem Becani. Num fortasse Ecclesiasticus? Minimè. Primò enim liber non est canonicus. Deinde non est in græco, quod Becanus ex Latina vulgata versione recitat. Græcè enim sic lego; Ἐν ὠῇ ἐνηρέστησε κυρίῳ καὶ μετελέβη ὑπόδειγμα μετανοίας τοῖς γενεαῖς. Non dicam, hîc nullam esse Paradisi mentionem, quam infert Interpres Latinus. Illud dicam, primò non esse in textu, quòd sit daturus pœnitentiam, sed exemplum pœnitentiæ; quod esse potest, etsi non redeat in hunc mundum. Nempe ex ejus translatione, ad omnem posteritatem constare potuit, quàm curæ sint Deo homines pii. Sic nobiles Papistæ. Audi Pererium, lib. 7. in Genesin cap. 5. disput. de translatione Enoch, q. 1. ibi sic; *Græcè nec est illud* in Paradisum, & *pro illo*, ut det gentibus pœnitentiam, *sic est*, exemplum pœnitentiæ generationibus. *Ut hæc videatur esse lectionis græcæ sententia, Deum idcirco transtulisse Henoch virum sanctissimum, ut eo intelligeretur, viros innocentes & pios cordi & curæ esse Deo, & improbi tam mirabili exemplo permoverentur ad pœnitẽtiam agendam. Vel significatur, Henoch esse translatum, quia dum viveret, omnibus erat eximium pœnitentiæ exemplum, sc vitæ sanctitate & morum innocentiâ homines sui sæculi ad pœnitentiam scelerum, Deique cultum & obsequiũ provocans & incitans.* Similiter Jasenius in h. l. Alcasar in Apoc. 11. In exẽplũ resipiscẽtiæ Enoch trãslatus est, ut intelligeretur, viros innocentes & pios cordi & curæ esse Deo, & improbi tam mirabili exemplo permoverentur ad agendam pœnitentiam. Suaretzius clamat, *lectionem græcam non esse contrariam, & admittere sensum, quem latina versio præ se ferat.* Hoc si verum, latina versio non pertinebit ad præconium, sed tantùm ad exemplum. Non igitur rectè inde concluditur reditus in hunc mundum. Exemplum esse potest, etsi non revertatur.

X. Deinde pro eo, quòd in Græco legimus γενεαῖς, Interpres suppositi, *Gentibus*; at debebat, *generationibus.* Notatur enim longa generationum series. Quo sensu idem auctor cap. 39, 12. ait; Τὸ ὄνομα αὐτῶ ζήσεται εἰς γενεὰς γενεῶν. Ut sensus sit, exemplum Enochi futuræ post eum posteritati utile esse ad resipiscentiam. Jam patet, quàm hoc longè sit aliud ab eo, quod Papistæ jactant. Siracides exemplum dicit; isti prædicationem comminiscuntur; Ille non restringit ad breve tempus, multominùs ad Antichristi quadrimuli ætatem; isti ad ætatem Antichristi. Sic non γενεαῖς, sed γενεᾷ daret pœnitentiam. Denique ille de translato Enocho loquitur; isti de reducto à translatione.

Hæc non cohærent.

XI. At, *sic ferè sentiunt antiqui Patres*, inquit Becanus. Audio amabile Patrum nomen. Quæro, num omnes? Num tanquam de re certa & explorata? Et unde hauserint? In refutatione Regis Angliæ nominabat absolutè Patres: hîc dicit, *sic ferè antiqui Patres*. Jam non nego, multos ita sensisse; dico, non omnes sic sensisse. Cogitur fateri. Fatetur. At jactat, *qui secum sint, & plures esse & maiorem auctoritatem habere. Reliquos paucissimos esse*. Primò ita deserit vestigia Bellarmini nominantis consentientem Patrum sententiam, & Suaretzii appellantis communem ferè totius Ecclesiæ sententiam, non alios esse duos illos testes, quàm Eliam & Enoch. Nec fuit, nec nunc quidem est. Hilarius testis, varias vel de Enoch, vel de Jeremia plurimorum exstitisse opiniones. Deinde nobis sufficit, non omnes idem sensisse. Multorum consensus non est firmum argumentum in schola theologica, imò ne quidem omnium, si sit præter Scripturam.

XII. Tertiò. Unde majorem auctoritatem habent, quos laudat? A nominibusne an à Scriptura & rationũ pondere? Illud nimis alienum & iniquum in negocio fidei. Si hoc eligas, opus est probatione. Nominantur hi, Arethas, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Prosper, Isidorus. *Quanta fidei sit in multis* Tertullianus, vulgò notum. Incertum, an Ambrosius sit auctor in epistolas ad Corinthios, Hieronymus non definit. Augustinus lib. 20. de civ. Dei, cap. 19. magis dicit, quid vulgò fideles sentiant, quàm quid ipse. Hôc tamen omisso, quæro, unde hauserint? Hîc non plenè explicat. At in refutatione Regis gloriatur probare ex antiqua traditione & variis Scripturæ testimoniis. De testimoniis Scripturæ actum. Inde non habent. Malachia Eliam Prophetam, non Eliam Thesbiten nominabat. De Elia errandi occasionem præbuit sanctis Patribus & depravatio versionis græcæ, & versio, in qua Malachiæ quarto sic legebant, κὰι ἰδὺ ἐγὼ ἀποστελῶ ὑμῖν ἠλίαν τὸν θεσβίτην. Sic contextum recitat Theodoretus, in h. l. Sic Cyrillus lib. 1. in Joh. cap. 24. Sic Chrysostomus Hom. 58. in Math. Arethas in Apocal. Sic alii. Error manifestus, quẽ Hieronymus in sua versione correxit. Idem factum in Bibliis Complutensibus, quo nomine Ribera dicam illis scribit, & Sixtus V. in Bibliis Romæ excusis *Thesbiten* restitui jussit, annotante Leonhardo Coquæo in notis ad Augustini locum citatum. De Enocho fatetur Arethas, non exstare testimonium Scripturæ: Verba sic habent: *De Enoch testimonium nullum, quod attineat ejus præsentiam, habemus ex Scriptura*. Et tamen Becanus clamat, habere è variis Scripturæ testimoniis. Nempe ille meliùs noverat, quibus fundamentis niterentur Patres, quàm Patres ipsi.

XIII. Restat traditio. Illam probat verbis Arethæ. Aretham adire & audire, nobis non est molestum. Nobis non nocet; sed nocet adversario. Ex Aretha illa recitat; *Fertur ex traditione præconum Christi, quod invariabiliter in Ecclesia recipitur, ipsum quoque Enoch venturum cum Elia Thesbite. Venient enim ambo, ut protestentur iis, qui tunc erunt, ne fallacibus Antichristi signis fidem adhibeant*. Agnosco verba, audio traditionem nominari, illa nobis non præjudicat, dum destituitur Scripturæ auctoritate. At hæc verba immediatè præcesserat id, quod attuli de Enocho, quod cur truncetur à Becano, si quæras, fraudi scias esse deputandum. Factum enim, ne audiret lector ex Aretha, de Enochi reditu non exstare Scripturæ testimonium. Ita perit, quicquid de Enocho hactenus garriit, jactavit, Aretham & alios Patres habere de Enocho & Elia varia Scripturæ testimonia. Arethas dicit, non habere de Enocho. Ea fides, is est candor Jesuitarum.

XIV. Cæterùm traditionis ex Aretha, productæ primùm incerti sunt natales, nisi quòd, quantũ quidẽ Eliam concernit, ad Judæos referuntur ab Hieronymo dicente in Comment. Malach. 4. *Judæi & Judaizantes hæretici ante πλήρωμα suum, Eliam putant esse venturum, & restituturum omnia. Unde & Christo in Evangelio proponitur quæstio*, quid quòd Pharisæi dicunt, Elias venturus est? *Quibus ille respondit*; Elias quidem veniet, & si creditis, jam venit. *In Elia Johannem intelligens.*

XV. Deinde non invariabiliter susceptа est ab Ecclesia, multominùs à tota Ecclesia credita, ut interpretatur Bellarminus, & verba & sensum Arethæ corrumpens. Oppono Andream Cæsareensem, qui in Apocal. *Per hos*, inquit, *testes multi doctores intellexerunt Enochum & Eliam*. Si multi, non igitur omnes. Multi non quidem semper omnibus opponuntur; hîc tamen opponi, res ipsa ostendit. Hilarius Can. 20. in Matth. intelligit Mosen & Eliam. Becanus sententiam proponit, Hilarii nomine suppresso. Alii Elisæũ nominant: alii Jeremiam. Sic enim Hilarius: *Et hos quidem (Mosen & Eliam) eosdem Prophetas duos prævenientes adventum ejus intelligimus, quos Apocalypsis Johannis ab Antichristo perimendos esse, dicit, licet VARIÆ vel de Enoch, vel de Jeremia PLURIMORUM exstiterint opiniones, quòd alterum sicut Eliam mori oporteat.*

XVI. Victorinus in Apocal. 11. sic scribit; *Multi putant, eum Eliam esse, aut Helisæum, aut Moysen, sed utrique mortui sunt, Hieremia autem mors non invenitur, quia omnes veteres nostri tradiderunt, illum esse Hieremiam. Nam & ipsum verbũ, quod factum est ad eum, testificatur ei dicens*, priusquàm figurarem te in ventre, cognovi te, & priusquàm de vulva procederes, sanctificavi te: & Prophetam in gentibus posui te. *In gentibus autem Propheta non fuit. Et ideo verbum Dei, necesse habet, quod promisit, exhibere, ut in gentibus Propheta sit.* Explicatio Apocalypsis, in operibus Augustini, quæ Titonio tribuitur, vetus & novum Testamentum duos testes appellitat. Hippolytus libro de cõsummatione seculi, duobus tertium Johannem theologum addit. Scio, suppositititium esse librum. Hîc tamen allego, quia Papistis approbatur. Præterea Procopius Gazæus in Gen. tradit, Enoch & Eliam in corporibus glorioſis cum Christo regnare. Illi interdum Hieronymus & Epiphanius favere videntur Suaretzio. Si in glorioſis corporibus regnant, quomodo morituri? Quid nunc fiet Becano, ex Aretha traditionem invariabiliter re-

ceptam laudanti? Et quæso, si traditio invariabiliter in Ecclesia suscepta, ac in Scripturis fundata est, cur aliis non ita certa videtur? Cur Papistæ non omnes amplectantur, præsertim cùm præclarum quadrimuli Antichristi præsidium in ea invenisse sibi omnino videantur. Cur denique Maldonatus eam sententiam temeritatis & impudentiæ damnat, cum sociorum offensione?

XVII. Sic prior erat sententia. De altera multo breviùs. Dicit, alios Mosen & Eliam interpretari. Hoc duobus modis intelligi potest, nempe vel de lege & Prophetis, vel de persona Mosis & Eliæ. Prior explicatio est Hieronymi in Malachiam, & bene habet; non autem conducit causæ adversarii. *Nam & hodie Moses docet, & hodie Elias loquitur, & hodie in majore gloria Mosen videre possum*', inquit Ambrosius lib. 7. in Lucam. Altera est falsa, nec probari potest solidè. De Elia nihil dicam. Satis dictum. Moses jussus est montem Nebuntis conscendere, inde prospicere terram Cananæam, & mori in eo monte: Modus exprimitur his verbis, *quemadmodum mortuus est Aaron frater suus.* Causa redditur, quòd ad aquas contentionis in Kadesch non sanctificaverit Deum in medio filiorum Israëlis. Dictum factum. Ad mortem se paravit, benedixit populo, montem conscendit, mortuus ibi est, ex præstituto Jehovæ, qui sepelivit eum in eadem valle in terra Moabitarum, Deut. 32, 49. 50. 51. cap. 33. & c. 34, 5. 6. Quid clariùs dici possit? Num dices, statim resuscitatum esse ad mortalem vitam? Unde fidem facies? Si cum aliis tempore Christi in vitam revocatus est, illene solus in mortalem, cæteri omnes in immortalem revocati? Ille solus ex tanto seculorum intervallo bis mori debet? cùm constitutum sit hominibus, ut semel moriantur. Hebr. 9, 27.

XVIII. Becanus tres rationes recitat 1. *Quia illi locuti sunt cum Christo, in monte Thabor, cùm transfiguratus est.* 2. *Illi duo repræsentant legem & Prophetas. At lex & Prophetæ erunt gravissimi testes, ad redarguendum Antichristum.* 3. *Illis duobus optimè conveniunt, quæ ex Apocalypsi de duobus testib° allata sunt. Nã Moses habuit potestatẽ convertẽdi aquas in sanguinẽ & percutiendi terrã omni plagâ, Exod. 7. & seqq. Et Elias habuit potestatẽ claudendi cœlũ, ne pluat, 1. Reg. 17. & Iac. 5, 17. Auctorẽ laudat Maldonatum, in Math. c. 17.* Num. 26. R. Vide Sophistam! Ex Aretha persuadere nobis conabatur, quod de Enocho & Elia jactat, invariabiliter receptum esse in Ecclesia. Jam suadet, Mosen & Eliam esse illos duos testes. Quomodo Moses & Elias sint, si traditio est invariabiliter recepta, Enochum esse & Eliam? Si verò Elias & Moses sunt illi duo testes, ubi invariata traditio jactata ex Aretha?

XIX. Rationes nimis sunt leves. *Prima* non concludit. Appello lectoris conscientiam, etiam Jesuitæ, modò habeat. Quæ consequentiæ ratio: *Moses & Elias locuti sunt cum Christo in monte. Ergo sunt illi duo testes, quos Christus promittit in Apocalypsi. Ergo venient tempore Antichristi. Ergo occidentur. Ergo resurgent tertio die.* Itane Christiani nugentur? Si sic arguere licet, cur non concludimus, Christum ipsum cum Mose & Elia simul venturum esse? Simul enim erant in monte, & Petrus dicit, *faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, & Mosi unum, & Eliæ unum*, v. 4. Imò nec malè concludetur, Petrum & Johannem & Jacobum cum Elia & Mose affuturos. Nam & illi erant in monte. Certè Pseudo-Hippolytus Barradius & quivis alius æquè fortiter istâ ratione confirmare possit, Johannem Theologum cum illis venturum, quàm Maldonatus, vel quisquam alius, illos solos venturos.

XX. In *secunda* verum est, quòd lex & Prophetæ erant gravissimi testes adversùs Antichristum. At non ideo Moses & Elias in propria persona exspectari debent. Nec hinc solidè concluditur, nondùm venisse duos testes. Nimis enim apertum, quàm graviter officium lex & Prophetæ fecerint; sensit Antichristus. Ideo horribili exemplo violentas ipsis manus intulit Tridenti d. 8. Aprilis, anno 1546. adversùs fontes Scripturæ promulgatâ sententiâ. De personis hæc probanda venit major; *Qui repræsentant legem & Prophetas, illi sunt duo isti testes & venturi in propria persona, tempore Antichristi.* Nec *tertia* est firma. Nam dividit opera inter duos: Apocalypsis non dividit. Non enim dicit, unus habebit potestatem concludendi cœlum, alter convertendi aquam in sanguinem & percutiendi terram omni plagâ. Non sequitur. Ergo illi duo venient in propria persona. Sed, Ergo his phrasibus ad illorum actiones alluditur. Id quod verum & familiare Apocalypsi. Suaretzius l. l. disp. 55. sect. 3. sic respondet; *Illa verba Apocalypseos licet videantur alludere ad signa facta per Mosen in Ægypto: non tamen propterea indicant Mosen venturum, qui tunc illa signa patravit: sed solum significant, facilè post Christum similem potestatem suis præcursoribus tribuere.*

XXI. Dices, Quinam igitur tandem duo illi testes? Becanus respondet, *nostros, quia videant, utramque sententiam sibi repugnare, novam interpretationem comminisci. Et quidem alios generatim intelligere quoscunque ministros fideles, qui ab Antichristo, id est, Romano Pontifice hactenus persecutionem passi sunt, vel adhuc patiuntur. Alios speciatim designare vel Hussum, vel Lutherum, vel Calvinum, vel aliquem similem.* Addit, *eos valdè errare. Nam ea, quæ de duobus testibus à Iohanne prædicta sunt, nullo modo convenire Luthero, Calvino & similibus.* Nũ. 27.

XXII. In eo verum dicit, quòd nostri generatim de fidelibus ministris intelligant, qui ab Antichristo persecutionem hactenus sunt passi, vel adhuc patiuntur. De cætero errat & quidem valdè in explicatione tum causæ, tum sententiæ. *Causæ* quidem; Nostri enim non tam aliam interpretationem amplectuntur, quòd illud de Enocho & Elia, vel Mose & Elia ipsis repugnet, quàm quòd sit putida fabula à canonicis Scripturis alieniissima. *Sententiæ*; Nostri enim non interpretantur præcisè de Husso, vel Luthero, vel Calvino, sed hos sub genere comprehendunt. Atque hæc est communior sententia, quam meritò sequimur. Nulla enim causa nos cogit, ut de duobus individuis interpretemur, cogit potius, ut non interpretemur. Ne sive de Mose & Elia, sive Enocho & Elia interpretemur, facit, quòd Abraham respondet diviti epuloni,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni, non esse ex altera vita exspectandos, qui mundo prædicent, sed audiendos Mosen & Prophetas, Luc.16,31. Ne vel de illis, vel de duob' aliis individuis accipiamus, obstat revelatio Johanni facta. Cõtumeliæ tempus, hostium triumphus, ejusque causa repugnant, quæ legimus, Apocal.11.v.9.10. Cogita, cadavera eorum jacebunt in plateis magnæ civitatis dies tres & dimidium, ut conspiciantur ab omnibus ex tribub' & populis & linguis & gentibus. Ergo ex omnibus populis intra quatriduum convenient Hierosolymã ad hoc spectaculum? Porrò cogita hostium triumphum & lætitiam, v.10. *Et incolæ terræ gaudebunt super illis & lætabuntur & munera mittent alii aliis.* Quomodo intra triduum omnes gaudebũt & munera invicem mittent? Denique cogita triumphi causam: quòd hi Prophetæ cruciabunt terræ incolas. Cogita, inquam, quomodo duo totius terræ incolas intra quadraginta duos menses cruciare poterunt suo præconio? Interim quòd hîc duo promittuntur, non fit sine causa. Notatur, paucos fore, si cum locustis compares, quæ ex putei aperti fumo prodierunt: Deinde duo testes ad veritatis confirmationem juxta legem requirebantur. Denique alluditur ad Zerubabelem & Josuam. Gentes illos contemnebant, & ridebant consilium instaurandi templi, quod videbant suscipere. Sufficiebant tamen operi, per Dei gratiam. Ita Antichristi satellites ridebunt conatum testium. Hi tamen, per Dei gratiam, sufficient Ecclesiæ reformandæ, Hugo rationem secundam tangit, & plures addit, nempe duos dici, vel quòd de duobus sint prædicaturi, scilicet de Christi Deitate & humanitate, vel de Christo magnificiendo & Antichristo reprobando, vel præmia bonorum & pœnas malorum enunciaturi, vel quia de utroque Testamento accipient, quod prædicabunt. Ego rationibus, quas ex Bullingero, Pareo aliisque nostratibus attuli, acquiesco.

XXIII. Becanus contrà disputat, *quæ prædicta sunt, Luthero, Calvino* & similibus nullo modo convenire. *Vel enim*, inquit, *quæ prædicta sunt, debent intelligi secundum sensum literalem, seu historicum, vel secundum sensum mysticum, seu spiritualem. Si priori modo, certum est, Lutherum & Calvinum non posse designari per duos testes. Non enim fuerunt amicti sacco, nec prophetârunt 1260. diebus. Non clauserunt cœlum, ne plueret, nec converterunt aquam in sanguinem, nec percusserunt terram omni plagâ; quotiescunque voluerunt: non sunt interfecti ab Antichristo, nec post tres dies & medium in cœlum adscenderunt. Et sic deinceps. Si autem mysticè hæc omnia intelligenda sunt, ne sic quidem Calvino, aut Luthero accommodari possunt.* Num.28.29.

XXIV. Bc. Primò. Concedo, secundùm literam intellecta Luthero & Calvino accommodari non posse. At sic nec Mosi & Eliæ, nec Enocho & Eliæ applicari possunt. Probo. Neque enim isti magis quàm Lutherus & Calvinus, aut quicunque alii assertores cœlestis doctrinæ sunt secundùm literam oleæ, & candelabra; ne dicam de igne ex ore eorũ prodituro, qui an secundùm literam intelligendus sit, alii considerent. Ego non assequor. Sed cogito, quòd Hieronymus Marcellæ scribit Epist.148. *De Enoch & Elia, quos venturos Apocalypsis refert & morituros, non est istius temporis disputatio: cùm omnis ille liber aut spiritualiter intelligendus sit, ut nos existimamus: aut si carnalem interpretationem sequimur, Judaicis fabulis acquiescendum sit.* Secundò. Nota insignem fraudem Sophistæ. Disputat, hæc Calvino & Luthero accommodari non posse, idque probat. At nos Luthero & Calvino nõ accommodamus præcisè, quasi præcisè sint duo illi testes. Nos gẽeratim interpretamur de veritatis cõfessorib', q Antichristo opponũtur divinit'. Hãc sententiam non impugnat apertè, nisi fortè sub illa vocula, *similibus*, comprehensam velit. At non videmus, cur dicta non accommodari possint spiritualiter assertoribus veritatis contra Antichristum. Quòd enim ille contendit, non posse accommodari mysticè Luthero & Calvino, eo ipso pertinaciter tuetur fraudem suam, nos non lædit, è quibus nemo auditus est hactenus, qui diceret, hos duos testes esse Lutherum & Calvinum. Unde est ridicula & nugatoria tota Jesuitæ probatio, quam tamen videamus.

XXV. Primò, inquit, *quid mysticè intelligatur per saccum vel cilicium, quo amicti sunt duo testes? an pœnitentia, castigatio corporis, austeritas vitæ? At Lutherus & Calvinus nec ipsi corpus suum castigarunt, nec alios, ut castigarent, docuerunt. Nam Lutherus, violato castitatis voto, monialem sibi sociavit. Calvinus propter Sodomiam candenti ferro inustus est. Lutheri vox fuit, Si non vult uxor, veniat ancilla. Calvini, Lex Decalogi est impossibilis.* Num.29.

XXVI. Bc. Primò. Saccus olim erat lugentium: item Prophetarum: hodie, pauperum & neglectorum hominum. Hîc notat sortem testium contemptam coram mundo. Opponitur enim luxui & splendori Antichristi. Mulier fornicaria amicta est purpurâ & cocco & inaurata auro & lapidibus pretiosis & margaritis, Apoc.17,4. super capita locustarum, tanquam coronæ similes auro, cap.9,7. Et videas sub regno Antichristi prælatos pompaticos in amictu molli, Phrygionico, Dalmatico, undulato, byssino, deaurato. Agrippa de van.scient.cap.61. scribit, Romani Pontificis pompam & fastum nullum unquam Tyrannorum æquâsse. Erunt igitur testes in hoc mundo viles ac abjecti. Hoc certè in testibus verè impletum. Quid illis vilius esse possit & abjectius coram mundo? Solent nonnunquam ipsi Papistæ hinc argumentum petere, cùm ex usu est. Sic Bellarminus alicubi; *Patroni*, inquit, *nostræ sententiæ fuerunt, viri magni & clari, quos totus mundus sectatur. Beregarius fuit homo neglectus, habens sectatores pauperes quosdam scholares.* Neque, spero, negabit Becanus, Lutherum & Calvinum viles & contemptos fuisse, de quibus tamen nos non interpretamur præcisè. Certè pompa illis nulla fuit.

XXVII. Secundò. Si saccum ad pœnitentiam referre lubeat, notabitur argumentum Prophetiæ, quod docere debeant pœnitentiam. Annon docuerunt pœnitentiam? Etiam inter illos Lutherus & Calvinus? Videantur conciones. Imò adeò instituit huic doctrinæ Lutherus, ut totam vitam nostram esse pœnitentiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& novam vitam optimam pœnitentiam esse, doceret, quod ei per Papam non licebat impunè. Condemnabatur enim eo nomine à Leone. De Calvino Stapletonus in Antid. in Evãgel. quem librum adversùs Calvinum scripsit, in præfat. ad Lectorem: *Calvinum ita quoad literam interpres diligens, ita* MORALIS, *ita elegans, ita suavis, ut etiam ab ipsis orthodoxis* (sic Papistas nominat) *avidè interdum legatur.*

XXVIII. Tertiò. Vita Lutheri & Calvini non sine calumnia opponitur. Pœnitentiam, castigationem corporis, austeritatem vitæ Papisticam in illis non deprehenderis. Concedo. Sed illam legitimam esse pœnitentiam, nego constanter. Quod alibi disputatur. Nec illis placuit, quod austeræ vitæ velo tegitur in Papatu, ubi austerè vivere dicitur, si quis cœnobium ingrediatur, ejuratis nuptiis. Christus non ideo non erat præco pœnitentiæ, quòd Pharisæorum hypocrisin repelleret eoque nomine audiret homo edax & vini potor, Math. 11, 29. Lutherus, fateor, conjugem duxit. Ergone præco pœnitentiæ non fuit? Non castigavit suum corpus? non vixit austerè? Ergo Prophetæ veteris Testamenti nec fuerint præcones pœnitentiæ, nec castigaverint corpus suum, & austerè vixerint. Non Apostoli in novo, non veteres Episcopi, è quibus plurimos conjugatos fuisse, certum. Si adversarii testimonium in hac causa quicquam valet, audi Erasmum ad Thomam Cardinalem Eboracensem de Luthero scribentem, *Hominis vita magno omnium consensu probatur. Iam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes inveniant, quod calumnientur.*

XXIX. At *monialem duxit, violato castitatis voto.* Intelligo votum cœlibatus, quod differt à voto castitatis divinitus imperatæ & oppositæ scortationi. Hôc salvo, poterat Lutherus matrimonium contrahere cum moniali, nisi nuptiæ sint scortatio, & in matrimonio non sit castitas, contrà quàm olim Paphnutius pronunciabat, cœlibatus, seu monasticæ. Castitatis votum inconsideratè ac temerè positum. Citra peccatum igitur rescindere, & ad nuptias transire licebat. Res Luthero erat cum Leone X. qui non tantùm, teste Jovio lib. 4. in vita ejus, infamiam contraxit, quòd parùm honestè nonnullos ex cubicularijs adamare, & teneriùs ac liberè cum iis jocari videretur, sed etiam, auctore Guicciardino, lib. 13. lucrum, quod ex indulgentiis per Germaniam divenditis confecerat, dono dedisse pro nocte sorori Magdalenæ, quam in deliciis habebat. Austeriorem sc. illo vitam duxit, quàm Lutherus, qui, si non cõtradixisset Papæ, & mansisset in cœnobio, austerę vitæ laudẽ facilè retinuisset, cum Eremita Bocatii, si vel illi⁹ more carnis titillationes effurcillâsset, vel jucundos Juvẽti oculos ad mille trecenta basiâsset cum Catullo. Gerson testis *ἀυτόπτης* dicebat lib. de Eccles. defect. *Claustra monialium sunt prostibula meretricum.* Picus Mirandula in Orat. ad Leonem X. dicit, Virginum septa in meretricios fornices, & obscœna latibula conversa sunt. Nicolaus Clemanges idẽ lib. de corrupto Eccl. statu, c. 23. graviter inculcat, & affirmare non veretur, ꝙ idem hodie sit puellam velare, ꝙ publicè ad scortandũ exponere.

nere. Cõtrà Paul': *torus immaculat'*, Heb. 13. Num à pietate alienum, è fornice aliquã educere, vagis libidinibus infensam, ut deinceps citra famę labem honestè vivat? In Ecclesia Cicestrensi Cathedrali Johannes Hylle tredecim meretrices habuisse deprehensus est, sub Henrico octavo. Johannes Blanche Prior de Berdmonseu viginti meretrices habebat, referente Balæo. Hi, puto, meliores præcones pœnitentiæ fuerunt, quàm Lutherus & Calvinus.

XXX. De Calvino est putidissima calumnia à multis quidem Papistis sparsa, sed ab uno excucullato circumfortaneo Bolsero primùm orta, arrepta à cæteris, indigna à multis antehac judicata, quæ confutaretur, nuper tamen à viris clariss. D. Riveto in Præfat. Catholici orth. & Jesuita vapulante, D. Voëtio in desperata causa Papatus & Mart. Schoockio, in desperatissima causa Papatus, egregiè confutata est. Illi videantur. Papistæ doctrinam confutare non possunt; vellent ergo vitam suspectam reddere, inprimis verò vellent hanc notam eximio Dei servo Calvino, cujus nomine nos premunt, inurere, ne videatur melior Papis Romanis, à quibus ipsi Papistæ dici amant. Ex illorum ordine nominantur benè multi, qui licet ferro candenti non sint inusti, non tamen sine nota infamiæ hinc abierunt, testibus Papistis. Johannes XIII. vel, ut alii numerant, XII. Sergii tertii ex meretrice Marozia spurius, in adulterio confossus; Paulus IV. à Nicolao Quercæo in adulterio deprehensus in facie vulnus accepit. Johannes XXIV. aliis XXIII. à Concilio Constantiensi adulterii, incestus, sodomiæ, aliorumque scelerum accusatus & damnatus fuit à propriis Episcopis.

Notum epigramma Johannis Sapidi sepulchro Sixti IV. affixum:

Sixte, jaces tandem, deflent tua Busta Cynedi,
Scortaque, lenones, alea, vina, venus.

Notum illud Pontani in Lucretiam Alexandri VI. filiam:

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re,
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Nos non dicimus à nobis. Dixerunt Papistæ. Ex illis nostri repetunt. Immeritò illis Calvinus accensetur. Mendacium enim est, quod in eum jactatur.

XXXI. Quamvis maximè verum esset, quod illi jactant, non tamen ideo non esset inter veritatis præcones numerandus. Nisi Apostoli non castigârunt suum corpus, nec alios docuerunt, quia Matthæus fuit publicanus, Paulus verò blasphemus & persecutor Ecclesiæ. Hieronymus fatetur, se virginem non esse: Nec aliter Augustinus. An ideo non potuerunt castigare corpus? Si dicant, *tempora esse distinguenda*, agnosco, exemplo Apostoli, 1. Corinth. 6, 10. 11. & eandem æquitatem in hac causa desidero. Si factum esset, quod illi de Calvino mentiuntur, factum esset, dum Calvinus erat Papista & beneficiarius Ecclesiæ Noviodunensis, cui hominum generi hoc scelus non prorsus est insolitum. Quid hoc autem ad illius munus, quod ad Christum conversus suscepit? Probandum esset, tum com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

missum fuisse scelus, cùm esset testis doctrinæ. Manichæi erubuerunt Augustino Catholico concubinatum superioris temporis exprobrare. Nec poterant. Nã ut Hieronymus in Mar. 16. ait, *peccata præter ita non nocent, quando non placent.*

XXXII. Sed non est, ut eò progrediamur. Est enim, ut dixi, calumnia, quam Becanus in tract. de Eccles. non actis publicis, non testibus idoneis probat. Primus illi est Hieronymus Bolsecus, alter Stapletonus. Hi hostes Calvini, quos jura à dicendo testimonio submovent. Inprimis Bolsecum mihi vide, ex quo Stapletonus, Julius Brigetus, Edmundus Campianus, Laurentius Surius, Guilielmus Reginaldus, Leonhardus Lessius, Pet. Simon Tiletanus, Episcopus & omnium recensissimè Libertus Fromõdus cæterique omnes mendacium hauserunt. Cùm Genevæ in congregatione Pelagianismum incrustare conatus at à Calvino publicè confutatus & repressus esset, à magistratu, ut seditiosus 23. d. Decembris Anno 1550. urbe pulsus fuit. Inde Calvino hostis factus tam infensus, ut atrocissima quæque in eum fingeret, imprimis magnas divitias, easque malè partas traduceret, & valdè imperitum hominem fuisse, scriberet. Quantas divitias possederit, ab ejus testamento clarum. Si bibliotheca & omnia mobilia æstimantur, trecentorum coronatorum summam vix fecerunt. Quàm imperitus fuerit, orbis judicet, sunt commentarii in luce positi, illi testes sunto. Tali testi tutò credas in eo, quod nec ipse vidit, nec ex fide digno audivit, nec ullo testimonio certo confirmat, imò quod vivo nunquam exprobrare ausus est, cùm nihil omitteret, quod ad ejus famam lædendam spectaret. Si quid eam in rem habuisset, an nõ deformâsset vivũ? an nõ hostib⁹ revelâsset ipso superstite? An non illi, pronis auribus acceptâ indicinâ, inquisivisent diligentiùs? An non acta publicâssent à Noviodunẽsibus impetrata, à quibus cõstaret, quo anno, quo die, quo judice causa cognita, & sententia fuerit lata? Num res illa tam diu fuisset suppressa, cùm totam Galliam Papisticam in se Calvinus concitâsset? Nihil Sadoleto, nihil Sorboniſtis, nihil aliis innotuisset?

XXXIII. Testimonium, quod Bolsecus apud Bartelirium Genevensem quõdam Secretarium, ob flagitia à Calvino excommunicatum, se vidisse jactat, non purgat eum à calumnia. Quibus testibus vidit? Cujus jussu & quando petitum, atque datum? quâ auctoritate munitum? Qui legunt, quæ Becanus recitat, fraudem facilè agnoscunt. Dicit, *in vita periculum venisse, ut igni concremaretur, at Episcopi urbis commiseratione pœnam mortis in cauterium mutatam esse, quo probro confusus utrumq; beneficium Ecclesiasticum, quo fruebatur, in pastorem Noviodunensem transtulerit.* Judicene, an intercessore Episcopo moderatio facta? Est enim hoc crimen communis fori, teste Claro in Pract. crimin. quæst. 37 §. 5. Num ante sententiæ promulgationem, an postea? Quis credat, judicem ausum esse tam mitem sententiam ferre, contra jus civile, contra communem conclusionem Doctorum, contra consuetudinem passim receptam & praxin Parlamenti Parisiensis, quæ ex Socino Jun. Gomesio, Afflicto, Damhaudero & Paponio probat Clarus l. l. §. *Sodomia*, num. 4. pag. 78. Quis ille misericors Episcopus, qui sine rubore vel tam alienam sententiam pronunciaret, vel legitimæ intercederet? Num Sodomiæ convictus clericus Noviodun frui poterat, si vellet, beneficiis? Certè, quòd Sodomita perdat ipso jure dominium bonorum suorum, veriorem & magis communem sententiam appellat Clarus l. l. num. 6.

XXXIV. Vox Lutheri, *Si non vult uxor, veniat ancilla*, sexcenties à Papistis objecta est, sexcenties de ea responsum à nostris. Nec tamen pudet Becanum hîc reponere, idque non sine fraude. Divellit ab antecedentibus & consequentibus, atq; sic proponit, ac si esset vox imperãtis & ancillam vocantis ad coitum. Non ea mens Lutheri. De causis divortii disserit. Tres nominat. Prima illi est impotentia. Altera, adulterium. Tertia, si conjunx debitum conjugale deneget & viro cohabitare nolit. Non loquitur de qualicunque denegatione, sed pertinaci, cum viri periculo præsenti conjuncta. Ipse non vocat ancillam, uxore debitum denegante, sed consilium dat, quid minari debeat maritus uxori, quæ ipsum scortationis periculo mavult objicere, quàm debitum solvere. Minari debet dimissionem, & surrogationem alterius in ejus locum. Non suadet, ut minas exsequatur auctoritate privatâ, sed ut sæpiùs repetat interminationem, ut ad alios deferat, ut in Ecclesiæ cognitionem deducat, quæ pertinacem conjugem corripiat & officium facere compellat. Si illius sententiæ non acquiescat, non concedit, ut maritus mox misceatur cum ancilla, sed ut pertinacem Vasthi dimittat, & Estheram ducat, nempe conscià potestate civili & Ecclesiasticâ. Ait enim, **Laß dir eine Esther geben/ vnd die Vasthi fahren.** In casu adulterii requirit auctoritatem publicam, quanto magis in hoc? Denique hoc consilium dedit anno vigesimo secundo. Anno trigesimo, cùm de eadem re differit, non repetit, contentus duas divortii causas, adulterium & malitiosam desertionem nominâsse. An ex eo non esse poterat p̃co pœnitentiæ? Nũ indignus testiũ ordine?

XXXV. De Calvini voce ac sensu dicentis, legem decalogi in hac vita impleri non posse, videbimus, Deo volente, infrà controversiâ decimâ septimâ. Si idco movendus est testis dignitate, movendus quoque Paulus, movendus Petrus, quorum ille sententiam tuetur. Non aliud hîc addo, nisi quòd remotis testibus subtestis, de Lutheri & Calvini vita & utriusque temperantia, testes sunt audiendi, qui propiùs inspexerunt. De Luthero Philippus, *Erat*, inquit, *naturâ in corpore nec parvo, nec imbecilli, valdè modici cibi & potus; vidi continuis quatuor diebus, cùm quidem rectè valeret, prorsus nihil edentem, aut bibentem. Vidi sæpe aliàs multis diebus quotidie exiguo pane & halece contentum esse.* De Calvino Beza; *Erat victu sic temperato, ut à sordibus & ab omni luxu longissimè abesset: cibi paucissimi, ut qui multos annos semel quotidie cibum sumpserit.*

XXXVI. Secundò. Becanus postulat, ut nostri dicãt, q̃d mysticè sit claudere cælũ, ne pluat, *An sit idẽ efficere, q̃ efficere, ne gratia*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia Dei per modum pluviæ descendat è cœlo? At hoc efficere, inquit, *non est bonorum testium, qui conantur alios ad fidem Christi convertere. Nam ad hunc effectum maximè est opus divina gratia è cœlo destillante. An è contrario, est idem, quod efficere, ne vindicta Dei descendat è cœlo? At si hoc faciunt duo isti testes, de quibus loquitur Johannes in Apocalypsi, quomodo dicuntur ergo aquam in sanguinem convertere & percutere terram omni plagâ? Annon hæc vindicta de cœlo est?* Num.30.

XXXVII. ℟. Primò non immeritò quæras, cur Becanus id non det nobis negocii, qd mysticè sint duæ oleæ & duo candelabra? An fortè nihil habebat, quod speciosè opponeret? Fructum & efficaciam ministerii sensit Ecclesia. Gestare lucernam verbi Dei, quâ tenebræ Antichristianæ dispelluntur, nimis apertum. De Calvini scriptis Stapletonum audivimus paulò antè. De Luthero Erasmus Marino Caracciolo & Hieron. Alexandro Pontificis legatis eum adversùs Lutherum excitantibus Coloniæ respõdisse fertur, anno 1520, *Lutherus tãtus est, ut plus erudiar & proficiam ex lectione unius pagellæ Lutheranæ, quàm ex toto Thoma.* Vide secundum tomum Lutheri Lat. Gen. Fol.316. Secundò. Cur non quærit, quid mysticè sit ignis, qui ex ore testium sit proditurus? Nempe erat nobis ad manum Jeremia, qui verbum Dei appellat ignem, Jerem.5,14. *Ecce ego reddidi verba mea in ore tuo veluti ignem, populum autem hunc velut ligna, quæ ille consumat,* cap.23,29. *Annon ita verbum meum est, ut ignis?* Hic ignis est spiritus oris Christi, quo conficietur Antichristus, 2. Thessalon.2. Atque jam videt mundus, ignem verbi in abominationes, & impostura Antichristi detectas, in idololatriam & superstitiones, in mendacia palàm grassari.

XXXVIII. Tertiò. Sophista quæstione suâ cornutâ nos non lædit. Claudere cœlũ, ne pluat, nec est efficere, ne descẽdat gratia Dei, per modum pluviæ, nec est efficere, ne descendat vindicta: sed est efficere, ne gratia Dei veniat super pertinaces contemptores Evangeli, ne illi quicquam juventur. Vel, ut habet expositio Augustino tributa, Hom.5. *ne occulto, justo tamen Dei judicio super sterilem terram de Ecclesia benedictio descendat.* Jam aliud est, non descendere pluviam gratiæ & benedictionis, aliud, non descendere super hostes Evangelii. Apostoli sunt odor vitæ ad vitam, at non contemptoribus, sed credentibus. Impiis sunt odor mortis ad mortem, 2. Corinth.2,15.16. Sic cùm non luceret Sol Ægyptiis, lucebat omnibus Israëlitis in terra Gosen, Exod. 10,22.23. Sicut, viceversâ, cùm grandine Ægyptiorum terra percuteretur, non percutiebatur terra Gosen, Exod.9,25. 26. Tempore igitur testium non pluet super Antichristi servos. Non redibit ad eos fructus ex Evãgelii pdicatione, qui in suis meritis, in papalibus indulgentiis, in pœnalibus satisfactionibus salutem pergent quærere. Fient deteriores. Instas; *at hoc efficere, non est bonorum testium.* Efficere, ne prorsus descendat Dei gratia, non est bonorum testium, qui debent homines convertere: at impœnitentibus claudere cœlum, ne descendat pluvia gratiæ super contemptores obstinatos, à bonis testibus non est alienum. Nisi Apostoli non boni fuerunt testes, qui cœlum sic

sic clauserunt inobedientibus & Evangelium rejicientibus.

XXXIX. Quartò. Aquæ Glossæ ordinariæ dicuntur in sanguinem converti, cùm doctrinæ, quæ fidelibus sunt aquæ irrigantes, cedunt in peccatum, cùm vel auditæ negliguntur, vel contemnuntur. Lyræ, cùm doctrinæ hæreticæ falsitatis cõvincuntur. Aliis aquæ in sanguinẽ cõverti dicuntur, quando Dei beneficia propter ingratitudinem & contemptum convertuntur justo Dei judicio in horrenda supplicia. Id denunciâbunt testes. Ideo ipsi dicuntur conversuri aquam in sanguinem. Sic dicuntur percussuri terram omni plagâ, quia Deus illorum denunciationes ratas habebit & ad gemitus, quos edent, hostium impietatem & mundi proterviam plagis ulciscetur, id quod ipsi hostibus suis ex Dei verbo minabantur. An id in Lutheri & Calvini aliorumque pręconium nõ competit, qui hactenus Evangelium prædicârunt? An mundus plagas nondum sensit? Si ob contemptum Evangelii inflictas neges, nos cæcitatem præstare non magis possumus, quàm Moses Pharaonis duriciem, qui non ideo non affligebatur propter tyrannidem in populum Israëliticum, quòd obfirmaret animum & Mosis præconium contemneret.

XL. Tertiò urget, *quid mysticè sit, Antichristum contra duos testes bellum facere, eosdem bello vincere & occidere. An hoc intelligendum de bello, victoria & occisione spirituali, quæ non in corpore, sed in anima fit? Si ita sit,* dicit sequi, *Lutherum & Calvinum non in corpore, sed in anima victos esse ab Antichristo. Quod nescit, an simus cessuri?* Num.31. ℟. Hîc fingit ignorantiam ejus, quod tam benè novit, quàm, aliud esse, ludere, aliud, disputare. Satis manifestum, quòd bestia bellum gesserit virulentũ, & sub schemate spirituali. Oppugnavit testes theatricis declamationibus, Sophisticis disputationibus, amarulentis scriptionibus. Anathematis fulmẽ in eos vibravit, excommunicavit. Excõmunicati, nisi redire velint in gratiam cũ Ecclesia, delendi sunt. Prætexitur defensio antiquæ fidei, quæritur dominatus Oecumenicus, qui ubi spiritualibus armis obtineri non potest, carnalia expediuntur, trucidantur laqueo, ferro, igni, qui bestiam non adorant. Etsi verò bestia non tantùm carnalibus, sed & spiritualibus armis utatur, nec tamen ideo in anima vincet & occidet testes. Mysticè enim vinci & occidi potest, qui non occiditur in anima. Nempe bestia funestis Conciliorum decretis, bullis & anathematismis vincet. Non vincet causæ bonitate, nec Scripturis sacris, sed Conciliorum suorum auctoritate opprimet, bullarum fulmine percutiet, unde gladius, rota, aqua, ignis in eos grassabitur & è medio tollet. Bestia vincet, id est, occidet. Interim testes semper manẽt victores spiritualiter, 2. Corinth.4. Antoninus Imperator apud Eusebium lib.4. Histor. cap.13. Præfectis Asiaticis scribit, Christianos victores evadere, dum mori malunt pro sua religione, quàm Imperatorum edictis parere. Ideo prohibet, ne eos deinceps trahant ad supplicia. Ita promissi testes vincunt bestiam, cùm ab ea vincuntur vi externâ. D. Pareus ex Commentario Anonymi in Apocalypsin ante 260. annos

jam

Universidad de Deusto
Biblioteca

jam tum scripto refert hanc explicationē victoriæ & occisionis; *Vincet eos in reputatione amicorum suorum, & occidet eos, nōnullos corporaliter vel comburendo, vel gladiis jugulando, & aliis generibus mortis, nonnullos civiliter carceribus mancipando, & quos nec sic torquet, saltem sententiâ excommunicationis contra eos fulminando: ita quòd non nisi mortui quoad spiritualem vitam reputabuntur in Ecclesia.* Consule historiam, & videbis, sic factum à Romano Pontifice adversùs evangelii præcones & confessores, quos in Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Belgio vario suppliciorum genere è medio sustulit, ne dicam de cruentis bellis, quibus Evangelii causâ plerasque Europæ provincias implicavit.

XLI. Quartò, dicere nostros, jubet, quid mysticè sit, *corpora duorum testium, Lutheri & Calvini, per tres dies & dimidiū jacuisse Hierosolymis insepulta, ac postea resumpto spiritu revixisse, & in cœlum adscendisse? Quid item, magnum terræ motum factum esse, decimam partem civitatis corruisse, septem millia hominum occisa esse?* Num. 32. &. Ridiculum se præbet Jesuita. De Luthero & Calvino nos præcisè non accipere, jam diximus sæpiùs. Describitur contumelia testium occisorum, glorificatio, & eventa in hostibus. Ex præconcepta opinione ille quidem pronunciat, nostros explicare non posse. At possunt. Ad *contumeliam* pertinet, quòd cadavera jacere dicuntur insepulta, quæ est extremæ contumeliæ species, quâ omne contumeliæ genus notatur. Per cadavera autem non tantùm corpora, in quæ ista tyrannis secundùm literam sæpe est exercita, sed & nomina, scripta familiæ, fortunæ intelliguntur, quæ condemnantur. Secundùm literam impletum in Wiclefo, quo anno 1387. vita functo, ossa ejus post annos 28. jussu Constantiensis Concilii sunt effossa & igne cremata, ut cineres inhumati in plateis jacerent. Hussi & Hieronymi Pragensis cineres in Rhenum præterfluentem sunt abjecti. Spiritualiter impletum in illis & operis Evangelici sociis. Per tres dies & dimidium, significatur tempus certum quidem, & à Deo definitum, at breve, *post breve tempus*, inquit Rupertus, *quamvis multum videatur.*

XLII. Ad *glorificationem* pertinet resurrectio & adscensio in cœlum. Quòd reviviscunt, eo indicatur restauratio ministerii Ecclesiæ. Resurgent quidem testes secundùm literam in extremo die, quò Commentarius Augustino inscriptus refert: At hîc potiùs dicetur resurgere in discipulis & successoribus, quatenus Deus, his testibus à bestia oppressis, surrogat alios, sicut Elias quasi revixit in Johanne Baptista, qui veniebat in spiritu & veritate Eliæ, sic etiam testes resurgunt in successoribus. Wiclef. revixit in Husso, Hussus & Hieronymus Pragensis revixerunt in Luthero, Melanchthone, Zvinglio, Calvino, aliis doctoribus. Quò pertinet, quòd Hussus, cùm ad supplicium duceretur, hostibus suis dixit: *Centum revolutis annis, Deo & mihi respondebitis.* Idem dixit, nunc quidem illos anserem (Huss. Bohemis anser.) comburere, at ex cineribus suis exoriturum olorem, quem torrere non poterunt.

XLIII. Adscensio in cœlum non tantùm secundùm literam obtingit testibus, ratione

ratione animæ mox à morte, & ratione corporis in extremo die, sed etiam mysticè, quando Deus doctrinæ illorum è cœlo dat testimonium eamque exaltat, seu longè lateque propagat. Cujus rei memorabile exemplum contigit superiore seculo. Cùm enim Antichristus testes Christi persecutus esset horribiliter, & jam actum videretur de Evangelio, publicato libro Interimistico, ecce post pauculos annos reviviscunt testes, & adscendunt in cœlum, dum pax Religioni Evāgelicæ datur, sanctione ea de re pragmaticâ confectâ. In Anglia occisi Martyres sub Maria, revixerunt sub Elisabetha, & adscēderunt in cœlum, cùm Evangelii doctrina magis propagaretur, quàm antea. Idem factum in Gallia. Itemque in Belgio.

XLIV. Eventa in hostibus sunt varia; 1. Timor: sentient, se bellum cum Deo gerere. Metuent ergo suo regno, suis thesauris, suis præbendis, suis culinis; metuent Dei judicium, quod non effugient. 2. Stupor: obstupescent, testibus in gloriam vindicatis, quos paulò antè tractaverant contumeliosissimè. Id factum in Papatu. Obstupuerunt sanè Papistæ, cùm viderent tantum Evangelii progressum in Germania, Gallia, Anglia, Belgio. 3. Terræ motus significat concussionem regni Antichristiani prædicatione Evangelii faciendam, quâ vacillet nutetque, quod tamdiu visum erat immobile. Huc pertinent disputationes, animorum mutationes, concertationes de religione, item bella, tumultus post instauratum Evangelium exorti in Papatu. Senserunt, credo, Papistæ terræ motum in Bohemia, Germania, Anglia, Scotia, Belgio. 4. Decima pars urbis concidit. Urbs est Roma, tanquam caput regni Antichristiani; ejus pars decima est collapsa, papali jurisdictione, religione, tyrannide, annatis, censibus, vectigalibus passim diminutis, primùm in Germania, pòst in Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Gallia, Polonia, Hungaria, Bohemia. 5. Occisa septies mille nomina hominum, id est, plurimi indurati & excæcati æternùm perierunt. 6. Cæteri territi sunt & dederunt gloriam Deo cœli. Nempe multi agnoscentes Dei voluntatem in tuendo propagandoque Evangelio, ejusque judiciis perculsi non refragabuntur ampliùs veritati, sed eam amplectentur. Id partim factum & partim fiet ampliùs. Sic explicamus. Jam quidem Becanus ex dictis concludere vellet, Antichristum nondum venisse, quia nec Imperium Romanum eversum ac in decem Reges divisum, nec duo testes, de quibus Johannes loquitur, à Deo missi sint. Num. 33. At miser probando deficit. Ostendimus enim, Romanum Imperium, de quo Apostolus loquitur, eversum esse, quantum quidem ad hanc rem sufficit, idque tum testibus, tum à reipsa probavimus. Qui decem Regibus mordicus inhærent, cogitent illud Sancti Augustini lib. 20. de civ. Dei cap. 23. scribentis; *Vererime sanè fateor, ne in decem Regibus, quos tunquam decem homines videtur inventurus Antichristus, fortè fallamur, atque ita ille inopinatus adveniat, non existentibus tot Regibus in orbe Romano.* Testes verò quos Christus promisit, jam missos esse, similiter patet ex dictis. Deinceps agendum de secunda conclusione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sectio VI.

Examinatur secunda Becani conclusio, an Papa Romanus sit Antichristus & solvuntur ejus argumenta.

I. Secunda conclusio Becani hæc est. *Pontifex Romanus non est Antichristus.* Imò est, ut patebit infrà. Jam audiemus probationes Jesuitæ. Dupliciter probat ex dictis. Primò, *quia Antichristus nõdũ venit, nec venturus est, nisi eversoImperio Romano. At Pontifex pridem venit, florente Imperio Romano.* Secũdò. *Antichristus occidet duos illos prophetas, de quib⁹ agitur in Apocalypsi. Hoc Pontifex non fecit.* num. 34.

II. Ad prius respondeo. Quoties negat, Antichristum venisse, toties petit id, quod est in quæstione, similis ei, qui negat, se esse latronem, quia latro, quem quærunt, nondum venerit. De eversione Imperii dictum satis. Nobiles Papistæ de ea testimonium perhibuerunt, quibus historia & experientia fidem adjungit. Pontifices Romanos fuisse, florente Imperio Romano, nos minimè negamus, neque illis labem Antichristi adspergimus. Sequior ætas novam progeniem tulit, de qua Platina in Bonifacio VII. scribit, *Vide, quæso, quantum degenerave rint hi Pontifices à majoribus suis, qui hanc Rempublicam Christianam tam amplam, tam magnificam suo sanguine nobis reliquerunt.* Antichristum non quærimus, in Linis, Clementibus, Euaristis, Telesphoris, Anicetis, cæterisque Sanctis majoribus, qui veritatem Evangelicam, quam hodie tuemur, suo sanguine obsignârunt, sed in progenie degeneri, quæ, omisso cœlestis veritatis studio, regnum seu potestatem supremam Oecumenicam, spiritualem simul & temporalem in Ecclesiã & orbem universum prætendit, & sibi arrogavit. Illa, florente Imperio Romano, quod Apostolus vidit, non emersit. Emersit, Imperio variè attrito, graviter labefactato, miserè convulso.

III. Ad *posterius* &. Missos jam esse, patet à dictis. An illos Pontifex non occidit? Quo auctore igitur tantum sanguinis profusum est, Evangelii causâ, per Europam? Quo auctore exhumatum cadaver Wiclefi? Quo auctore Johannes Hussus & Hieronymus Pragensis exusti Constantiæ? Savanarola crematus Florentiæ? suscepta laniena Parisiensis & per universam Galliam grassata anno quingentesimo septuagesimo secundo, quâ intra paucos dies, plus quàm triginta millia periisse dicuntur? Quis auctor persecutionis Marianæ in Anglia? Papa. Quis Belgicæ? de qua Dux Albanus jactare solebat, paucis annis à se octodecim millia manu carnificis esse perempta. Si dicas, Papam non esse, quis æquo ferat animo? Quis inquisitionis Hispanicæ auctor est, si non Papa? Atqui isti erant testes Christi, quibus tot locis vis facta. Nec obstat, quòd hæreseos fuerunt accusati & damnati à Papa; Antichristus enim non profitebitur, illos esse Christi testes, sed tanquam deploratos hæreticos tollet è medio. Aliis ergo opus est argumentis, ad tuendum Papam Romanum. Tria subjicit.

IV. Primum. *Antichristus non regnabit nisi tres annos cum dimidio. At Pontifex regnavit jam multis seculis. Ergo Pontifex non est Antichristus. Major colligitur è Scriptura, quæ variis modis illum annorum numerum expressit. Primò sub hac forma,* per tempus & tempora & dimidium temporis, Dan. 7,25. cap. 12,7. Apocal. 12,14. *Secundò sub hac:* Mensibus quadraginta duobus, Apocal. 11,2. & Apocal. 13,5. *Tertiò sub hac:* Diebus mille ducentis sexaginta, Apocal. 11,3. Vide August. l. 20. de civitate Dei, cap. 23. Num. 35.

V. Resp. Primò. Agnosco, Pontificem Romanum multis seculis regnâsse. Hoc verò dum Becanus contendit, non tuetur Pontificem, sed prodit. Dicito enim, si multis seculis regnavit, quo cœpit & qua potestate? Eodemne tempore potestate spirituali & temporali regnare cœpit? Multi numerantur Pontifices, quis omnium primus regnavit? Bellarminus suo tempore scribebat, regnâsse mille quingentis annis. Num potestate temporali. Falsissimum. Nec audebat affirmare. Dicebat, regnâsse spiritualiter. Et hoc falsum, sive præcisè, sive cum latitudine quadã numeres annos, ut regni initium arcessas à Petro. Ille Romanus Episcopus non magis fuit, quàm Paulus. Ille acceperat potestatẽ spiritualẽ, sed cõmunem cũ cæteris Apostolis, ñ singularẽ; ministerialem, ñ regiam: Potestatem regnandi sive spiritualẽ, sive temporalẽ nõ acceperat. A quo enim? & ubi? Num Lucæ vigesimo secundo capite? Non exercuisse temporalem, omnibus notum. Nõ magis spiritualem regiam. Vox Pauli & Petri una erat, mens una eademque. *Non quòd dominemur fidei vestræ.* 2. Corinth. 1, 24. Post Apostolos novimus Linos, Clementes, Anacletos, Euaristos, Telesphoros, Hyginos, Anicetos, multosque alios Sanctos Episcopos usque ad ætatem Cõstantini. Nullos novimus, qui regnârint sive spirituali, sive temporali potestate. De hac res notissima. Illam nemo hactenus probavit. Nemo illorum sibi regnum asseruit, nemo Patrum illis tribuit. Rexerunt Ecclesiam Romanam eâdem potestate, quâ Polycarpus Smyrnensem, quâ Dionysius Corinthiacam, quâ Narcissus Hierosolymitanam, denique quâ cæteri Episcopi suas Ecclesias. Post ætatem Constantini plus quidẽ illis concessum, plus sibi paulatim sumpserunt; Nondum tamen quarto, quinto & sexto seculo sibi regnum arrogârunt Oecumenicum, sive spirituale, sive temporale. Certè non habuerunt; Ne quidem Oecumenici Pontifices fuerunt, ut suprà disputatum est.

VI. Dicito igitur nobis Jesuita, quis omnium primus cœperit regnare potestate spirituali & temporali? Quemcunque dixerit, in eo tenemus invasorem potestatis alienæ, tenemus Antichristum. Potestas regnandi est penes Christum. Ille Rex Ecclesiæ. Regnum ejus nõ est de hoc mundo. Ipse dixit, Joh. 18,36. Temporalis potestas est penes Reges aliosque magistratus civiles. Quo jure Papa habet eã sive in universum, sive in Christianũ orbẽ, sive directè, sive indirectè? Aliter n. Canonistæ, aliter Theologi pronũciant. Si jure divino, producãtur authenticæ tabulæ, quibus res tanta confirmetur. Potestas spiritualis ministerialis, quam Christus Petro cæterisque Apostolis dedit, in tabulas sacras relata

est. Non dubium, quin similiter temporalis relata sit, si data. Quis credat, fideles Spiritus Sancti Amanuenses fuisse suppressuros tãtæ potestatis indicium, si unquam Petro, vel Episcopis Romanis à Christo esset data? Expediantur igitur tabulæ, legatur inde Christi institutio.

VII. Si jus humanum prætẽdas, facilè acquiesco, modò primò probetur solidè, deinde cõstet, nõ pugnare cũ jure divino. Si n. cum hoc pugnet, Papam nõ tuebitur, sed nos in ipso tenebim⁹ Antichristũ. Pugnat sanè. Facilis probatio. Apostolus omnem animam subjicit potestatibus supereminentibus, Roman. 13,1. Cùm omnem dicit, nullam excipit. Loquitur autem de secularibus magistratibus, quos vocat τὰς ἐξουσίας, καὶ τὰς ἀρχὰς, quod nusquam de verbi ministris dictum invenias. Adde quòd gladium illis tribuit. Si nullam animam excipit, ergo & Papam subjicit magistratui, nisi inter homines non venit numerandus. Qui subjectus est, jure divino, magistratui, quomodo in universum orbem, aut saltem Christianum ejusque Reges omnes habeat summam potestatem secularem? Et quæso, quod tandem jus nobis nominatur? Successionisne hæreditariæ? an electionis? Illud non potest allegari. Quis enim illum potestatis illius sive in totum, sive in Christianum orbem hæredem instituit? Quis unquam habuit, qui institueret? Si illud, quis elegit? Populine Dominis subjecti? an Domini? Omnesne, an aliqui? Si omnes, edantur instrumenta. Si aliqui, quomodo in universum, aut etiam Christianum orbem potestatem contulerunt. Inscíisne reliquis & invitis? an conscíis & volentibus? Quis illis eligendi & tantam potestatem in Papam transferendi auctoritatem dederat? Instrumenta producantur: Inde veritas patebit. Notum est, cùm Pontifices usurparẽt, Imperatores & Reges contradixisse.

VIII. Restat igitur jus belli. Illud Victor in Victum prætendit. Num Papa omnes terræ Dominos vicit? Num omnes Christianos? Præterea piæ mentes cogitabunt, quomodo jus belli prætendat, qui jus bellandi non habet. Non autem constat à Scriptura, personas Ecclesiasticas habere. Nisi fortasse in illis numerari dedignatur, qui amat audire caput Ecclesiæ. Si nec belli, nec successionis hæreditariæ, nec electionis jure habet, quo igitur? Donationis? Monstretur instrumentum authenticum. Si nec illud demonstrari potest, repeto, quod semel dixi; Dicat Jesuita, quis, quo seculo Pontifex Romanus regnare cœperit? Quemcunque nominaverit, in eo tenemus Antichristum. Baronius nominat Gregorium VII. qui in Romano Concilio utramque potestatem sedi Romanæ publico decreto vindicavit. In illo nos tenemus Antichristum. Si aliquorum Antecessorum eundem fuisse sensum, probes, de illis idẽ esto judicium. Solẽt urgere Papicolæ, ut declaremus, quis inter omnes Papas primus fuerit Antichristus. Non est, ut nos declaremus. Ipsi declarent, quis inter omnes cœperit regnare spirituali & temporali potestate. In eo tenebimus Antichristum.

IX. Secundò propositio major est falsa. Non solidè probatur è Scriptura, pugnat

pugnat cum Scriptura, imò seipsam evertit. Non *probatur è Scriptura.* Tres formas exprimendi temporis proponit. Nulla evincit. Non prima. Nam loci Danielis non pertinent ad Antichristum, quippe de quo ibi non agitur. Apocal. 12, 14. tempus Ecclesiæ exulantis in deserto describitur: Præcisè de tribus annis cum dimidio exponi debere, non inde patet. Nam non est in duali numero καιρὼ, sed in plurali καιροὺς; sicut in Daniele non est *Movadáim*, sed *Movadim*. Probandum est & hoc & reliquis locis præcisè designari tres annos cum dimidio. Non probatur è Scriptura.

X. Cum *Scriptura pugnat*; Nam illa testatur, diem, mensem & annum extremi judicii esse ab hominum sensu absconditum, soli Deo cognitum, Matth. 24,36. Marc. 13,32. & affuturum Dominum, cùm homines omnium minimè putabunt, 1. Thessal. 5,2. At istâ opinione positâ palàm constabit dies extremi judicii. Nam ab Antichristi exortu restabunt anni tres cum dimidio, ab ejus interitu dies quadraginta quinque. Sic Bellarminus lib. 3. de Pont. Rom. cap. 17. scribit, post Antichristi mortem non futuros nisi XLV. dies usque ad extremum judicium.

XI. *Evertit seipsam.* Compara regni Antichristi exortum, progressum, res gestas cum tempore. Ortus ejus debet esse humilis. Debet à gente Judaica per totum orbem dispersa agnosci pro Messia: sedere in Hierosolymitano templo; tres reges Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ trucidare, septem alios subjugare; Romam à decem Regibus exustam instaurare, ibi sedere Monarcha: toto orbe Ecclesiam persequi, totius orbis Imperium suum facere. Sub ejus Imperio cessabit religionis publicum exercitium toto orbe, quacunque patet. Ergo in Europa, Asia, Africa, America, novis insulis, quæ tota superficies, ex nonnullorum supputatione, est centies, quadragies, octies millies, millies, quadringenties quinquagies mille nongentorum novem Italicorum milliarium. Quod si partiaris in singulos dies triennii & semestris, quot erunt Antichristo quotidie milliaria in potestatem redigenda? Porrò Antichristus mensem integrum post testium cædem regnare debet, juxta Bellarminum & socios. Quomodo igitur præcisè tres annos cum dimidio regnabit? Testes enim duo ex illorum sententia præcisè tres annos cum dimidio prophetabunt. Iidem dicunt, sacrificium præcisè tres annos cum dimidio cessare debere. Ergone statim primo die imperabit omissionem sacrificii? & obtinebit? priusquàm Imperium orbis tenet, & jam illis locis, ubi rerum nõdum potitur? Num uno momento omnia subjugabit? Asystata. Inde Alcasar Hispanus in Apocal. pag. 567. negat, tres annos cum dimidio, & quadraginta duos menses in proprio sensu accipi debere, *Etenim*, inquiens, *accipere hos numeros dierum, mensium aut annorum, ut sonant, id quidem nequaq; stylo ænigmatico quadrat.* Ribera quoq; commentum illud deserit.

XII. Secundum. *Antichristus à Judæis pro Messia recipietur. At Pontifex Romanus non recipitur ab illis pro Messia. Ergo non est Antichristus. Major passim habetur, tanquam certa, apud antiquos Patres*

Irenæum, Cyrillum, Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Prosperum & alios. Et probans ex duobus Scripturæ locis: primò ex illo, Johan. 5,43. Ego veni in nomine meo, & non recipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. *Quis est ille* alius, *qui in nomine suo venturus est, nisi Antichristus? Hunc ergo recipient Judæi. Secundo ex illo,* 2. Thess. 2,10. Eo quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. *Qui sunt illi, qui veritatem, id est, Christum non receperunt? Judæi. Quomodo propter peccatum punit illos Deus? Mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio, id est, Antichristo, quem pro Messia recipient.* Sic Becanus totidem verbis. num. 36.

XIII. &. Primò. Major non est vera. Christus enim nusquam dixit, nusquam Apostoli, nusquam Prophetæ. Nec quidem est probabilis. Imò probabile, non esse recipiendum à Judæis pro Messia. Nam Antichristus, si Papistis credas, idola colet & abolebit ritus Judaicos, quorum neutrum persuaderi Judæis potuit hactenus, & an deinceps persuadendi spes sit, nimis dubium. Deinde dicitur Antichristus nasciturus ex tribu Dan; quomodo ergo illum recipient Judæi, qui Messiam exspectant è tribu Juda nasciturum? Dicunt istius opinionis patroni, *Antichristum circumcisum iri, & observaturum ceremonias Judaicas.* At unde id constat? Adde, quòd Apostolus Judæorum conversionem prædicit Romanorum undecimo. Cum eo non benè cohæret, quòd dicitur Antichristus à Judæis recipiendus pro Messia.

XIV. Secundò. Apud Patres, fateor, passim habetur major: Verùm non ideo certa. Jure hîc repetas, quòd de divisione Imperii in decem Reges dicebat Ludovicus Vives, *hæc sunt leves conjecturulæ.* Facilis fuit lapsus, cùm longè abesset impletio. *Omnis enim Prophetia, priusquàm habeat effectum, ænigmata sunt hominibus. Cùm autem venerit tempus & evenerit, quæ prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam & certam expositionem,* inquit Irenæus l. 4, c. 43. Condonabimus igitur præstantissimis illis viris à complemento longè positis, errorem, non admittemus, tanquam fidei regulam. Verbum scriptum habemus: quicquid ab eo non habemus, de eo fides certa esse nequit. Nec injuriam facimus Patribus eo, quòd non suscipimus, tanquam certum, aut etiam repudiamus, quod illi sunt opinati, cùm nostra probamus ex Scriptura. Augustinus prævit, Ep. 19. Quid? ipsi Papistæ & quidem in hac causa idem faciunt. Hippolytus in orat. de consummatione seculi asserit, Antichristum fore diabolum. Theodoretus incarnatum diabolum fore retur. Non recipiunt Papistæ, sed in occasione refutant. Porrò Patres docuerunt, Antichristum nasciturum ex tribu Dan. Hippolytus in orat. Irenæus l. 5. Ambrosius libro de benedictionibus Patriarcharum, c. 7. Augustinus q. 22. in Josuam. Prosper. parte 4. de promissio: & prædictionibus Dei. Theodoretus q. 109. in Gen. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 10. Beda, Rupertus Aretha, Richardus, Anshelmus. Hos omnes Patrum titulo laudat Bellarminus. Franciscus Suaretz addit Damascenum & Eucherium. Sanderus demonst. 8. hanc opinionem, tanquam certam, tuetur. Scioppius pro indubitata ponit. Bellarminus valdè probabilem agnoscit, non agnoscit certam, l. 3. de Pont. Rom. cap. 12. idque, quia nulla earum Scripturarum convincat. Franciscus Suaretz tom. 2. in 3. p. Thom. quæst. 59 art. 60. disput. 54. sect. 2. *Hæc,* inquit, *omnia incerta sunt, cùm neque ex Scriptura, neque ab alia divina revelatione nobis tradita sufficienter colligantur.* Becanus laudat septem Patres nominatim, Bellarminus laudat duodecim & tamen eos deserit; Cur igitur nos non deseramus, salvâ cujusque auctoritate, quæ illi debetur?

XV. Tertiò. Videndum ergo de Scriptura. Hinc si probetur major, benè habebit: Sin minùs, causa nobis justa est, eam repellendi. Duo textus citantur, unus ex Evangelio, alter ex epistola Paulina. Neutro probatur. Non *ex Evangelio*: Becanus nihil aliud subjicit, quàm illud, *Quis est ille alius, qui in nomine suo venturus est, quàm Antichristus?* Egregiè! Ipsi Papistæ respondent, quamvis non omnes eodem modo. Quidam dicunt, generaliter posse accipi. Sic Maldonatus, Salmero. Alii non sic tantùm exponunt, sed etiam impletum dicunt, ut Pererius & Jansenius. Aliqui in specie, in quibus impletum sit, memorant. Sic Jansenius duos, quorum utrique nomen erat Ben-Chuziba, nominat, secutus Nicolaum Lyram, qui dicit, tum cœpisse hoc impleri. Toletus in h. l. generaliter exponit. Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 36. *Istud,* inquit, *frequenter impletum est. Nam non multò post Christum fuit apud Judæos Ægyptius quidam Magus, quem vocârunt Ben-Chuziba, qui triginta millia hominum sibi congregârat, Christum se esse, mentitus, de quo Josephus l. 2. de bello Juda. cap. 12. Fuit postea & alter Ben-Chuziba, sub Hadriano Imp. qui innumerabilem turbam seduxit, ut ipsi Judæi scribunt.* Maldonatus in h. l. *Quod autem dicit,* si quis, *non est dubitantis, sed generaliter potius affirmantis, quasi dicat, quisquis alius nomine suo veniet, eum recipietis, adeò perversi estis judicii.* Salmero tom. 7. tract. 13. *Etsi hoc verbum de Antichristo accipi soleat, potest tamen intelligi, de quocunque suo nomine Messiæ dignitatem usurpante.* Pererius, *Ita planè illis contigit, ut à Domino prædictum illis fuerat. Nam qui verum Christum accipere noluerunt, plures postea Pseudochristos ingenti cum ipsorum exitio receperunt.* Quid hominum testimonia laudo? Christus Matth. 24, 5. hanc expositionem luculenter confirmat, cùm multos Pseudochristos & Pseudoprophetas venturos esse, prædicit.

XVI. Bellarminus affert ratiunculas, cur de uno & quidem Antichristo sit accipiendum. Sed nullius eæ sunt momenti. Dicit, *Christum sibi opponere alium hominem, hoc est, personam personæ, ut pateat ab illis: Ego, alius, in nomine meo, in nomine suo, me, illum.* At oppositio illa non evincit, uni unam personam opponi præcisè. Habes similem oppositionem inter Petrum & alium, Johan. 21, 18. inter Paulum & alium, 1. Corinth. 3, 10. Philip. 3, 4. Præterea notum est, particulâ ἄλλος non semper singularem personam designari, Johan. 4, 37. 38. 1. Corinth. 12, 8. 9. 10. Imò ἄλλος non notat certam personam, nisi vel addatur articulus, ut sit Matth. 5, 39. ῥάπτον

Universidad de Deusto
Biblioteca

ερ ἑτον ἑαυτῷ καὶ τὴν ἀλήθ. Johan. 20. v. 4. ὁ ἀλλος μαθητὴς; vel addatur descriptio, quod fit, Matth. 4,21. Johan. 19,32. cap. 20,3. vel & articulus addatur & descriptio, ut Joh. 20,8. Aliàs norunt Grammatici, quòd ἕτερος de duobus, ἄλλος de pluribus dicatur.

XVII. Si dicas, *omnes Prophetas falsos venisse in nomine alterius, solum Antichristum venturum suo nomine*, Ego primùm quæro, undé illud probes? Deinde contendo, quòd venire dicantur nomine alterius, vel rei veritate, vel professione externâ, quamvis falsâ. Si illo modo intelligas, nego, ullos falsos Prophetas venire nomine alterius, id est, Dei. Sin isto; Jam non omnis, qui dicit, se venire in nomine Dei, is venit in nomine Dei. Confer Jeremiam: apud eum Deus sic, *Falsi Prophetæ vaticinantes in nomine meo: non misi eos.* Addo: Aut Antichristus non erit Propheta falsus, aut veniet nomine alterius. Bellarminus enim dicit, omnes Pseudoprophetas venire nomine alterius. Tenendum igitur, quid sit venire sub nomine, id est, venire non habentem mandatum à Deo, sed in omnibus quærentem suam gloriam. Sic Jansenius. Hoc verè Pseudoprophetis omnibus commune. *Aliquis veniet nomine suo*, inquit Arias, *qui nec salutem, nec spiritum vobis afferat, sed suas res agat, non missus à Deo, sed consilio proprio.* Inquis; *At multi Pseudoprophetæ venerunt ante Christum, multi venturi postea. Dixisset ergo Christus, multi veniunt, si de illis esset locutus.* Hæc est sapientia Bellarmini, quæ si ad regulam syllogisticam revoces, non erit sapientia, sed stultitia manifesta. Jam antè probatum, *alium* dici indefinitè.

XVIII. Quartò. Sed nec ex Epistola Pauli secunda ad Thessalonicenses major probatur à Becano; Imò verba Pauli torquentur violentiùs. Quærit, quinam veritatem, id est, Christum non receperint? Respondet, *Judæos.* Illorum multi, fateor, non receperunt. At non respondet ad quæstionem ex mente Apostoli. Ille latiùs extendit. Non receperunt ii, qui pereunt. Sic enim verba cohærent versu decimo, *Et cum omni fraude injustitiæ in iis, qui pereunt, pro eo, quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent,* Thomas lect. secunda in h.l. interpretatur præscitos ad perditionem. Num soli Judæi ad perditionem præsciti? Lombardus, *in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, qui miris blanditiis, & omnibus aliis modis seducet eos, qui perditioni dediti sunt.* Jam cogita, num peribunt soli Judæi? Imò generaliter ἀπολλύμενοι dicuntur, qui non servantur; opponuntur enim generatim σῳζόμενοι & ἀπολλύμενοι, 1. Corinth. 1,8. 2. Corinth. 2,15. Num Judæi soli repulerunt veritatem? Imò aliqui Judæi receperunt, nempe vocati secundùm propositum, quibus Christus est Dei sapientia, 1. Corinth. 1,24. aliqui Judæi non repulerunt. Generatim ergo potiùs hîc loquitur, sive sint Judæi, sive Gentiles. Alibi vocat filios τῆς ἀπειθείας, in quibus agit spiritus impurus, Eph. 2,2. c. 5,6.

XIX. At dices, Apostolus ait, *non receperunt*, non ait, *non recipient*. Nihil prohibet, quominùs intelligam, qui non receperunt, id est, receperint, quando prædicata illis fuerit veritas. Pertinet enim

ad efficacem adventum Antichristi. Qui illo tempore non recepit veritatem, ille seducetur. Arias celebris Papista non restringit ad solos Judæos: sed sic interpretatur; *Eo quòd charitatem veritatis non receperunt) causa cæcitatis tam Iudæorũ, quàm cæterorum, qui in hanc fraudem sibi ipsis adornatam, insulsi fuerint, est in illis repudiatio, in his cõtemptio simplicitatis evangelii.* Jam quomodo probatur, credere mendacio, esse Antichristum recipere pro Messia. Ergo aut soli Judæi credent mendacio, aut Gentiles quoque Antichristum pro Messia recipient. At hi non exspectant Messiam. Lombardus sic, *ut credant mendacio, eo quòd Antichristus sit Deus.* Num hoc Judæi credent? Imò illi Messiam suum nõ habebunt pro Deo.

XX. Tertium. *Antichristus faciet ignem de cœlo descendere, juxta illud*, Apocal. 13, 13. *Editque signa magna, ut etiam ignem faciat cœlo descendere in terram, in conspectu hominum. At Pontifex non facit ignem cœlo descendere. Ergo non est Antichristus.* Num. 37. R. Sunt quatuor termini in argumento. Major accipitur impropriè, minor propriè. In majori ponitur species magni signi, pro toto genere. At negatâ specie, non negatur genus. Est similis phrasis, Matth. 17,20. *Si habueritis fidem, quantum granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit.* Ut igitur non sequitur, Apostolos non habuisse fidem, quantum est granum sinapis, quia non transtulerunt montes, sic minùs rectè concludas, Papam non esse Antichristum, quia ignem propriè dictũ nõ deducat cœlo. Innuitur, editurum esse magna signa. Quemadmodum proverbialis Judæorum locutio habet; *Si quis ignem de cœlo descendere faciat, & legem neget, maledictio sit*, id est, Si quis magna miracula edat, & falsum doceat, anathema sit.

XXI. Povelus lib. 1. de Antichr. cap. 26. §. 11. & Balduinus in disp. de Antichr. cap. 6. §. 32. interpretantur verba Johannis de igne excommunicationis, ut hic sit sensus; Antichristus faciet ignem de cœlo descendere, id est, excommunicabit homines. Hîc Becanus, instar Stentoris, exclamat, *ô divinos interpretes!* Balduini disputationem non habeo; si pari fide illam tractat, quâ Povelum, fide certè pessimâ tractat. Responsum enim Poveli truncat. Duo responderat. primò, nõ intelligi ignem propriè dictum, sed ignis effectum, vindictam, id est, ignem mysticum. Deinde si vel maximè ignis propriè dictus intelligatur, non tamen ideo Papam non esse Antichristum. posterius membrum planè omittit Sophista. prius non erat cur tam superbè rideret; confutaret potiùs solidè. Non erat, cur rideret: Povelus non primus interpretatur mysticè. Ante illum Ansbertus: *Bestia*, inquiens, *cum duobus cornibus ignem de cœlo descendere faciet in terram, quia prædicatores Antichristi, falsâ imitatione Ecclesiæ, per impositionem manus, dare se suis Spiritum Sanctum sequacibus singunt.* Id quod sanè implet papa egregiè. Becanus cogitare debebat de suis. Nicolaus Lyra metaphoricè interpretatur ignem: quem si non magnificiat, quòd Jesuita non fuerit, ex gente Jesuitarum nomino Alcasarem, qui in Apoc. p. 701. scribit, literalem sensum stylo ænigmatico minimè congruere.

XXII. Jam si mysticè intelligitur ignis, num adeò absurdum sit, de excommunicationis igne, seu fulmine interpretari? Atqui Gregorius VII. in epistola ad Germanos Henricum IV. Imperatorem, excommunicationis anathemate percussum, *fulmine* afflatum pronunciavit. Et in excommunicatione faces, seu cereos ardentes è sublimi ejaculatur Pontifex, ut vel inde intelligas, hunc esse illum, qui ignem cœlitus descendere faciat. Præterea testantur historiæ, quàm perculsi fuerint olim maximi Reges, Principes, populi, sub isto fulmine quàm trepidârint, quàm horruerint. Henricus ille quartus Carioni majestatis Imperii vindex acerrimus & postremus, qui sexagies bis acie dimicavit, à Gregorio VII. afflatus fulmine, venit properè Canossum & depositò regali ornamento, nudis pedibus oppido appropinquans suppliciter intromitti petebat. Denegatum ingressum æquè tulit, quamvis aspera esset hyems & gelu cuncta rigescerent. Cùm in suburbio triduo commoratus, continuò veniam petiisset, rogatu tandem Mathildis & Comitis Sabaudiæ absolvebatur. Fridericus Barbarossa accurrebat Venetias, & collum calcandum submittebat Alexandro tertio. Johannes Rex Angliæ Innocentii III. fulmine tam graviter percellebatur, ut Angliæ & Hiberniæ regna cum omni jure in ejus manũ resignaret, remissionis peccatorum consequendæ causâ, ex Matthæo Paris annotante P. Molinæo. Similiter Guilielmus Rex Siciliæ, ut ab excommunicationis vinculis liberetur, cedit suo jure, Adriano III. homagium præstat & regnum feudi titulo ab eo accipit. Cùm Veneti, ob impugnatam Ferrariam, anathematis fulmine percussi mitterent Franciscum Dandalum, postea Ducem creatum, qui apud Clementem V. in Gallia deprecaretur, hic serò admissus, injectâ in collum catenâ ferreâ, tamdiu instar canis ad mensam Pontificis abjectus jacuit, donec inclementi illius Clementis irâ expugnatâ, veniam patriæ obtineret. Sabell. Enn. 9. lib. 7. Denique Henricus II. Angliæ Rex fulminis metu in regnum reversus, corpus nudum ex Alexandri III. decreto flagellis cędendum præbet multis monachis, quorum alii ternas, alii quinas plagas ipsi infligunt.

XXIII. Becanus tria objicit. Primò, *hoc modo licere similia loca Scripturæ interpretari, ut v.g. 2. Reg. 1, 10. Elias dixit quinquagenario,* Si homo Dei sum, descẽdat ignis de cœlo & devoret te & quinquaginta tuos, *id est, Si homo Dei sum, veniat excommunicatio Pontificia & percellat vos. Similiter* Luc. 9, 54. Vis dicamus, ut ignis descendat de cœlo & consumat illos? *id est, Domine, vis dicamus, ut excommunicentur hi? Inepta sunt hæc,* inquit Becanus, num. 38. Imò ineptissima, inquã ego, & omnino digna, quæ proferrentur à Jesuita. Cui hominum generi quid facias? Nisi enim textus Apocalypticos secundùm literam interpretemur, mox ineptiarum nos damnant, objicientes loca, tanquam similia, quæ sunt longè dissimilima. In tribus illis textibus, fateor, mentio fit ignis è cœlo descendentis. At non ideò de uno eodemque necessariò intelligitur. Circumstantiæ omnes ostẽdunt, Eliam & discipulos loqui de igne corporali. Insulsa ergo mentio excommunicationis. Hîc circumstantiæ non tam apertè repugnant.

XXIV. Secundò dicit, *circumstantias loci apocalyptici istam expositionem non admittere. Cum enim dicit Johannes,* Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere, *apertè significare, fore miraculum Antichristi, quando faciet ignẽ de cœlo descendere. Imò tale miraculum, quo seducat homines, ut credant, opus esse divinitatis. At quæso, quod aut quale miraculum est excommunicare hominem? Nullum penitus.* num. 39. R. Ut in specie de igne interpretemur, non est opus. Sufficit, intelligi miraculum, quo hominum sensus percellantur. At magnis miraculis Papatum coruscare, Jesuitæ gloriantur. Excommunicatio, fateor, Papalis non est miraculum propriè, magnum tamen prodigium, quo mirè terrefactos esse, superiorum seculorum exempla testantur. Imò inde agnitus Papa Deus in terra. Sic cum aliqui Canonistæ appellitant. Cæterùm Sophista meminerit, Antichristi miracula fore mendacia. Videbuntur signa divinitatis, sed non erunt. Sic Papa videtur Deus, cùm Imperatores & Reges excommunicat: non est.

XXV. Tertiò dicit, *cùm Johannes addit,* ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram, in conspectu hominum, *omnino eum excludere ignem excommunicationis.* Cur verò? *Is enim,* inquit, *non rectè dicitur de cœlo descendere in terram in conspectu hominum, sed potiùs de cœlo in homines ad terrorem aliorum.* nũ. 40. Subtiliter! Quasi verò Elias non devocârit. Num illi volitabant in aëre, sub lunæ hemisphærio, cùm in radice montis stabant coram Propheta? Certè hanc subtilitatem ignoravit Ecclesiastici interpres vetus, alioqui non redditurus, *& dejecit à se ignem terræ,* Eccles. 48. Si in terram dejecit, & tamen super homines, quid nugatur Becanus? Non enim minùs in terra erant, quos Papale fulmen afflavit, quàm quinquagenarius cum suis militibus.

XXVI. Becanus cùm aliud non potest, miratur, nostros ignem excommunicationis tribuere Antichristo. Ne frustrà mirari dicatur, duas affert causas. Una est, *quia hic ignis descendit de cœlo, quod non aliter potest intelligi, quàm quia potestas excommunicandi datur à Deo.* Altera, *Apostolus Paulus hac potestate usus est. An ergo putant Evangelici, vel Paulum fecisse idem miraculum, quod Antichristo tribuitur? Vel Antichristus habet à Deo potestatem excommunicandi Christianos, quia Apostolus habuit?* num. 41. Ad *prius* R. Omninò aliter potest intelligi, quia usurpabit potestatem, tanquam cœlitus datam. Sanè primò descenderat è cœlo. Data enim potestas excommunicandi Apostolis. At Papa postea usurpavit. Sicut omnis potestas politica est à Deo: neque tamen tyrannica potestas est legitima.

XXVII. Ad *posterius* R. Aliter Paulus, aliter Papa potestatem exercet. Sicut clavem abyssi habet Christus, Apoc. 11, 18. c. 20, 1. habet etiam stella magna è cœlo cadens, Apoc. 9, 1. Christus verè, & jure divinitatis ac officii mediatorii; Antichristus prævaricatione, & fraude, tanquam locustarum Rex, vicarius Christi mentitus, primus Episcopus Romanus à

Christo acceperat clavem regni cœlorum: at contrà Satanas dedit Papæ clavem abyssi, quâ clavem Christi transfixit. Ideo duæ claves decussatæ in insignibus Pontificis videntur. Sicut ad legitimum Imperatorem se habet tyrannus, sic Papa se habet ad Paulum Apostolum. Tyranni potestas non est legitima, sic nec Papæ.

XXVIII. Dixi paulò antè, ut maximè verba apocalyptica explicentur, de igne propriè dicto, non ideo tamen Papam non esse Antichristum. Jam repeto. Constat enim ex historiis, quid hâc parte factum sit. Zacharias Papa, cùm mense Junio Ravennam proficisceretur, interdiu nube protectus fuit contra ardorem Solis, at noctu præcedebant igneæ acies in nubibus. Magdeburgenses cent. 8. cap. 13. referunt ex Radulphi Polychron: lib. 5. cap. 26. Eugenius III. legatos Armenos, si fides Baronio ad Ann. 1145. num. 24. narranti habenda est, missæ secretæ adhibuit Viterbii & diligenter, quæ fiebant, observare jussit. Quod dum facerent, unus ex eis Pontificali dignitate præditus, videt splendido fulgore Solis radium super caput ejus coruscare, & in ipso duas columbas adscendentes & descendentes. Cumque diligentiùs hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret, deificum hoc esse cognoscens, ad obedientiam Romanæ sedis ampliùs accensus est. In Barēsiurbe, Innocentio secundo agente missam, præsente Lothario Imp. aurea corona visa est, cui candens insidebat columba, subcorona fumigans thuribulum dependebat ac juxtà duæ ardentes faces. Magdeburgenses cent. 12. c. 13. ex Chronico Saxon. referunt. Denique vide ignem Lauretanum. Notum omnibus, quantis viribus Papa Mariæ Lauretanæ cultum roboret, confirmet, omnibus commendet, laudatis eam in rem plurimis miraculis. In his nominatur ignis cœlo delapsus. Horatius Tursellinus Jesuita in historia Lauretana, lib. 1. c. 15. sic refert; *Visa non semel est per noctem subita de cœlo effundi flamma, quæ primò velut pluribus sparsa locis coruscabat, deinde uno quasi facto agmine, ad Deiparæ cellam tendens omnia circùm cœlesti luce complebat. Visum etiam sæpe crebris luminibus collucere tectum, summâ cum admiratione, lætitiâque intuentium. Angelorum manum ad cœlestis reginæ domum excubantium videre te, crederes.* Num adhuc tergiversabuntur Papistæ?

Sectio VII.

Probatur, quòd Papa sit Antichristus, eique applicatur prima & secunda nota.

I. Nostra argumenta sequuntur, quibus probamus, Papam Romanum esse Antichristum. Becanus dicit, omnia ferè ad hunc syllogismum revocari posse; Cuicunque conveniunt omnes notæ Antichristi, quæ in Scripturis fundatæ sunt, is sine dubio est Antichristus. At Pontifici Romano conveniunt omnes ejusmodi notæ. Ergo Pontifex Romanus est Antichristus. Verum est, omnia nostra argumenta hoc uno syllogismo comprehendi. Cur enim pluribus agamus, quod fieri potest per pauciora? Imò monemus ipsi, conclusionem nos minimè

mè inferre ex notis separatis, sed omnibus conjunctis, quod ut omnibus fiat tãto manifestius, omnes uno complectimur syllogismo. Major non negatur ab Adversariis. In minoris probatione cardo causæ versatur. Becanus sic format: Notæ Antichristi sunt hæ: 1. Deficere à vera fide, 2. Thessal. 2, 3. 2. Sedere in templo Dei, ib. 3. Ostendere se tanquam Deum, ib. 4. Extollere se super quicquid dicitur Deus aut numen, ib. 5. Negare Christum, 1. Johan. 2, 22. 6. Facere falsa miracula, 2. Thessal. 2, 9. 7. Imprimere subditis characterem, Apocal. 13, 16. At hæ conveniunt Romano Pontifici. Ergo Romanus Pontifex est Antichristus. Sophista notas ponit & omittit pro lubitu. Quas ponit, eas agnoscimus, quas omittit, nos aliunde supplemus. Percurramus singulas, quas illi introducere visum fuit.

II. Prima est, *Deficere à fide.* Hæc competit exactè Pontifici Romano. In plurimis enim à fide defecit, idque vera fidei fundamenta convellendo, falsa ponendo, novum cultum introducendo, hæreses veteres interpolando, denique nova dogmata cudendo. Vera fidei fundamenta convellit; dum Scripturæ perfectionem & auctoritatem normalem seu directivam plenariam, itemque originalis textus ἀυθεντίαν negat. Falsa ponit; dum Scripturas apocryphas pro canonicis obtrudit, traditiones non scriptas scripto Dei verbo adæquat, Ecclesiæ auctoritatem Scripturæ anteponit, à præsentis Ecclesiæ, id est, sua auctoritate certitudinem totius fidei seu omnium dogmatum firmitatem suspendit, & sibi absolutum, summum & infallibile de omnibus controversiis fidei judicium arrogat. Novum introducit cultum, nempe Angelorum, hominum defunctorum, reliquiarum & imaginum.

III. Hæreses veteres interpolat multis. Aliquot hîc recensebo, exempli gratiâ. Valentiniani, quoties ex Scripturis arguebantur, in accusationem vertebantur ipsarum Scripturarum, quasi nõ possit ab iis inveniri veritas, qui nesciunt traditionem, teste Irenæo lib. 3. de hæres. c. 2. Sic quoque Papistæ. Pelagiani, referente Augustino, docebant, hominem hîc perfectè posse implere legem. Non aliter Papa, & socii. Osseniani, apud Epiphaniũ hæres. 19. docebant, per creaturas jurare. Idem docet Papa. Idem apud eundem preces fundebant in lingua incognita, nec volebant à populo intelligi. Similiter cum suis Papa docet laicos, in incognita lingua precari. Priscillianistæ docebant perjuria, & habebant in suis dogmatibus hæc verba, *Jura, perjura, secretum prodere noli*, apud Augustinum lib. de hæres. ad Quod vult Deus. Sic Innocentius III. Aurelienſi Episcopo respondet, non juramenta, sed perjuria potiùs esse dicenda, quæ contra utilitatem ecclesiasticam attententur. Unde capituli inscriptio sic habet, *Juramentum contra utilitatem ecclesiasticam non tenet*, C. *Sicut nostris*. tit. 4. de jurejurando 2. Decret. Simoniani apud Epiphanium, animabus post mortem tribuebant certas purgationes. Tribuunt quoque Papistæ. Armeni & Jacobitæ faciebant sibi imagines Patris & Spiritus Sancti, apud Nicephorum lib. 18. cap. 53. Is improbat. Papa Romanus

Universidad de Deusto
Biblioteca

non improbat, sed fovet. Sectæ Carpocratis traditur fuisse socia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu & Pauli & Pythagoræ, eas adorando in cēsumque ponendo, referente Augustino Hæres. 7. Papa cultum imaginum Jesu & Pauli suum fecit & defendit. Angelici in Angelorum cultū fuerunt inclinati, teste Augustino. Concilium Laodicenum errorem damnavit; Papa interpolavit. Collyridiani Mariam virginem adorabant, eo nomine reprehensi tum ab aliis, tum ab Epiphanio, Nomen Papa damnat, errorem tenet.

IV. Denique nova dogmata cudit, Nominare solent hîc nostri Purgatorium, invocationem Sanctorum, transsubstantiationem, communionem sub una specie, sacrificium missæ externum reale pro vivis ac mortuis tum expiatorium, tum impetratorium, missas privatas, & quæ jam suprà in occasione nominavimus, œcumenicum pontificatum, conjunctionem potestatis spiritualis ac temporalis, potestatem Reges deponendi, aliaque Hildebrandinæ theologiæ capita.

V. Becanus excipit, *Quid si dicat, nos defecisse à fide, quia negamus purgatorium, & reliqua jam enumerata, plures Patres ipsi adhæsuros, quam nobis, ut in progressu simus visuri.* num. 43. Rr. Quin dicat, nos quidem prohibere non possumus. Quin verè dicat, prohibet ipsa veritas. Defectionem in quibusdam probavimus suprà, in reliquis probabimus, Deo propitio, infrà luculenter, ubi constabit, vanam esse gloriationem de solido Patrum consensu. Hîc solùm aliquot exempla affero ex confessione Papistarum.

VI. De Purgatorio, Episcopus Rossensis art. 18. contra Lutherum, *Legat*, inquit, *Græcorum Patrum Commentarios, qui velit, &* NULLAM, *quemadmodum opinor, aut rarissimam purgatorii mentionem inveniet: sed neque latini simul omnes veritatem conceperunt, neque tam necessaria fuit primitiæ Ecclesiæ purgatorii fides, atque nunc est, ex qua pendet omnis indulgentiarum existimatio. His enim, si nullum fuerit purgatorium, nihil indigebimus. Contemplantes igitur, purgatorium aliquandiu incognitum fuisse, deinde quibusdam pedetentim, partim ex revelationibus, partim ex Scripturis creditum fuisse, & tam* SERO *cognitum & receptum Ecclesiæ universæ.*

VII. De transsubstantiatione, Erasmus in annot. novi test. *Transsubstantiationem Ecclesia sero definivit*; *Nempe in Concilio Lateranensi.* Joh. Scotus 4. s. d. 11. q. 3. referente Bellarmino l. 3. de Euch. c. 23. dicit, ante Concilium Lateranense non fuisse dogma fidei transsubstantiationem. Georgius Cassander in consult. *Transsubstantiatio tum nomine, tum effectu nova est.*

VIII. De communione sub una specie, idem Cassander art. 22. *Satis constat, occidentalem seu Romanam Ecclesiam mille à Christo annis in solenni & ordinaria hujus sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ membris exhibuisse, id quod ex innumeris Veterum tam Græcorum, quam Latinorum testimoniis manifestum est*; infrà. *Quare haut temere est, quod optimi quique, etiam Catholicæ professionis, in divinorum & ecclesiasticorum*

corum Scriptorum lectione versati & his, quas suprà diximus, rationibus incitati, summo desiderio potiundi calicis incenduntur, omnibusque modis contendunt, ut hoc sacramentum Domini juxta veterem & MULTIS SECULIS PERPETUATAM *universalis Ecclesiæ consuetudinem in usum reducatur.*

IX. De Missis privatis, idem Cassander art. 24. *Quod de privatis missis conqueruntur Protestātes, non absque ratione, ubi privatarum nomine eas intelligimus, ubi solus sacerdos confecta sacramenta participat, nec ulla sit mysteriorum distributio. Quæ aptiore vocabulo solitariæ missæ vocantur, quæ veteribus quoque cùm in Monasteriis quibusdam inolevissent, improbatæ fuisse videntur, ut patet ex canone quodam Concilii Nannetensis, in quo Sacerdos solus missam celebrare vetatur. Absurdum enim est, ut solus sacerdos dicat,* Dominus vobiscum, *aut,* Gratias agamus Deo, *aut,* Sursum corda, *cùm nemo sit, q. respondeat, aut in canone,* Et omnium circumstantium, *cùm nemo adsit, aut invitet ad orationem, cùm dicit,* Oremus, *cùm nullus sit, qui secum oret.* Agnoscit Concilium Moguntinum Caroli III. tempore, canone 43. *Nullus,* inquiens, *presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet,* Dominus vobiscum, *vel sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cùm alius nemo cum eo sit?* Addo, absurdum esse, ut dicat, *Accipite, edite & bibite ex hoc omnes,* cùm nemo adsit, qui accipere aut bibere possit. Innocentius tertius lib. 2. de mysterio missæ, cap. 25. Illud sacrificuli, *orate pro me fratres,* ad Angelos adstantes referendum esse, putat. Num fortè & illis dicitur in missa, *Accipite & edite, item bibite ex eo omnes?* Nempe cum institutione Christi prorsus pugnare missam privatam & Veteribus improbari benè agnovit Cassander. Molliùs tamen voluit loqui. Ideo dicit, *videri improbari.* Hâc vice pluribus recitandis supersedeo. In singulis controversiis res fiet clarior.

X. Secunda nota est, *sedere in templo Dei.* Hanc notam Pontifici competere, quis neget? Hîc verò nota, quid sit *templum Dei,* quid *sedere in eo.* Templum Dei dicimus esse Ecclesiam. Sic loquimur cum Apostolo, Eph. 2, 21. *In quo totum ædificiū congruenter coagmentatum crescit, ut sit templum sanctum Domino,* 1. Corinth. 3, 16. 17. *An nescitis, vos esse templum Dei? nam templum Dei sanctum est, quod vos estis.* Eodem sensu dicitur domus Dei, 1. Timoth. 3, 15. Sedere est dominari, ut Thomas explicat, vel primam sedem arripere, ut exponit Theodoretus; Ut omninò sensus sit, Antichristum in Ecclesia Dei dominaturum esse, ut se Christianum profiteatur, & sub Christianismi prætextu in Christianos dominatum exerceat. Hoc certè non convenit Turcæ. Non enim vult dici Christianus, non est intra Ecclesiam, sed extra, ut Nero, aliique tyranni, qui Ecclesiam sic persequebantur, ut intra Ecclesiam non essent. At Pontifex intra Ecclesiam dominatur, jactat se caput Ecclesiæ, universalem Episcopum, summum judicem omnium controversiarum, cui teneatur subesse omnis creatura; Quòd ipsius sententia à nullo retractari debeat, & ipse solus omnium retractare possit; Quòd à nemine

ne judicari debeat; Quòd ipsius solius nomen in Ecclesiis recitetur. Imò jactat se Ecclesiæ sponsum. Res clara. Probatione non eget. Non tantùm se Christianum profitetur, sed ferè solus cum suis Christiani titulum vult tueri. Et nullus est Ecclesiæ titulus, quem sibi & suis non arroget.

XI. Becanus excipit, *nostros hìc peccare tripliciter*. Primò, *contra seipsos, quia si Pontifex sedet in Ecclesia Christi, fatert debeant, se non esse in Ecclesia Christi, cùm non sint in illa Ecclesia, in qua Pontifex sedet.* Secundò, *contra rem ipsam, quia ex eo præcisè, quòd sedet in Ecclesia Christi, non rectè inferatur, illum esse Antichristum. Aliâs pari ratione Petrus & proximi ejus successores fuissent Antichristi, quia sederunt in Ecclesia Christi.* Tertiò, *contra mentem Apostoli, quia*, inquit, *supponunt, illum per templum Dei intellexisse Ecclesiam Christi, cùm plerique Patres aliter sentiant, nempe intelligant templum Hierosolymitanum. Nam sicut Antichristus Hierosolymæ interfecturus est duos Prophetas (ut habetur Apocal. 11,8.9.) sic etiam ibi sessurus est in templo, & à Iudæis adorabitur. Nec obstat, quòd templum illud jam pridem destructum sit. Nam suo tempore restaurabitur, non quidem ad cultum Dei, cui olim destinatum erat, sed ad abominationem, & impietatem, ut colligunt Patres ex illo Dan. c. 9,27. Erit in templo abominatio desolationis usque ad consummationem & finem.* Num. 44.

XII. Resp. Prima exceptio est nugatoria. Primò enim notum est, etsi una sit vera Christi Ecclesia, tamen etiam falsas quasdam dici Ecclesias Christianas, non quòd tales sint, rei veritate, sed quòd tales se gerant externâ professione, quia Christi nomen profitentur, quamvis reverà impugnent. Sic de Angelo Ecclesiæ Sardensis audiebat Johannes, quòd diceretur vivere, cùm esset mortuus, Apocal. 3,1. Sic hæreticorum Ecclesiæ appellantur Christianæ propter confessionem nominis Christi, quæ non est in Turcarum & Judæorum cœtibus. Etsi igitur non sumus in Ecclesia Papistica, quæ est sedes Antichristi & Christi nomen cum aliquibus veris dogmatibus, externâ professione adhuc retinet, non tamen ideo non sumus in vera Christi Ecclesia. Longiùs patet Ecclesia Christi, quàm papatus; Extra papatum semper fuerunt Ecclesiæ Christi. Etsi igitur in ea parte non sumus, quam Papa suâ tyrannide premit, non tamen ideo non sumus in Ecclesia Christi.

XIII. Deinde committitur elenchus compositionis & divisionis. Conjuncto sensu accipitur, quod debebat diviso accipi. Ecclesia est sedes Antichristi, nempe quæ erat paulò antè vera Christi Ecclesia, nunc est sedes Antichristi. Similis ergo est locutio, quales illæ, surdus audit, cæcus videt, muti loquuntur. Quò pertinet illud Jesaiæ, *Quomodo fuit meretrix civitas fidelis?* Nempe non eodem tempore, sed diverso. Fevardentius in notis ad Irenæi lib. 5. c. 30. dicit, Muhammedem nunc sedere in templo Dei, quando insignes Ecclesias Africæ, Syriæ, Arabiæ, Armeniæ, Persidis, Asiæ, Thraciæ, Achaiæ, Macedoniæ &c. Christi fide & cultu privatas & spoliatas, perdita illius secta occupat. Hîc nominat Ecclesias Dei, quæ olim fuerunt, nō quæ sunt post defectionem.

nem. Sic Romana Ecclesia erat olim vera Christi Ecclesia, cùm ejus doctrinam teneret, & tum non erat sedes Antichristi. At postea à Christi doctrina defecit, & sedes Antichristi facta est. Ubi tamen tenendum, non omnem speciem Ecclesiæ Christianæ ibi periisse, quia singulari Dei beneficio retinetur baptismus, quoad substantiam, itemque symbolum Apostolorum & oratio dominica, saltem quoad verba. Unde non dubium, quin sub visibili Antichristiana multitudine passim lateant multi fideles, qui gemant super abominatione, nobis spiritu conjuncti, & veræ Ecclesiæ catholicæ membra.

XIV. Secunda est inutilis Jesuitæ. Vel enim consideratur locus, seu sedes, id est, Ecclesia, vel sessio, id est, dominium. Si *locus* consideretur, fatemur, ex eo solo non concludi, Papam esse Antichristum. Alioqui primi Episcopi fuissent Antichristi, quos sanctos Martyres fuisse, novimus. Nec nos sic disputamus. Conjungimus enim omnes notas & diserte monuimus in ipso disputationis ingressu, nos non ex singulis notis concludere, sed uno argumento, quod omnes comprehendat. Sin *sessionem* conjungas eâque modum dominii describi, dicas, certè hâc notâ Antichristus agnoscitur, & Romanus Pontifex Antichristus esse deprehenditur. Imperium enim & ipse sibi arrogat in Ecclesiam Dei; & illi tribuunt assentatores, è quibus Maximus Corvinus Episcopus Iserniensis in concilio Lateranensi sess. 12. præsente Leone X. Pontificatum appellat absolutè imperium & sacrum imperium, & Bartholo dictum, quòd Papa possit citare quemcunque & in quocunque loco existentem, quia ubique sit Dominus; totum enim orbem futurum sub imperio & dominatu Papæ. Antonius de Rosellis & Marcus Mantua eo mysticè designatum dicunt, quòd solus Petrus sit super mare ad Christum venire jussus. Vide Append. Catal. test veritat. col. 2081. & 2083. Nec tamen vel Petrus, vel proximi ejus successores ideo fuerunt Antichristi. Etsi enim fuerunt in Ecclesia, non tamen regnârunt, sed servierunt, juxta illud Apostoli 2. Corinth. 1,24. *Non quòd dominemur vestræ fidei, sed quòd adminstri simus gaudii vestri.* Tantum abest, ut œcumenicum dominatum in universam Ecclesiā sibi arrogârint. Sed non est, ut de hoc laboremus; locus enim istâ phrasi notatur. Aut igitur Jesuitæ negent, Papam sedere in Ecclesia Dei, aut fateantur, hanc notam ei competere, quod nobis hoc loco sufficit. Non quòd ex solo loco agnoscatur, sed quòd si absque loco esset, non agnosceretur. Sicut Christus ex solo nativitatis loco non agnoscebatur Messias, nec tamen agnosci potuisset, si non fuisset natus Bethlehemi.

XV. In tertia multa sunt errata. Primò contra mentem Apostoli dicimur templum interpretari de Ecclesia Christi. Non convincimur. Ostendatur ullum verbum in toto contextu, cui repugnet, quòd in Ecclesia Christi sessurus dicitur Antichristus. Num repugnat vox? Sic quidem Bellarminus; at nimis ineptè. Quid enim ad nos, quòd ab initio structuræ publicæ, in quibus Christiani conveniebant non appellabantur templa in

Universidad de Deusto
Biblioteca

novo Testamento? Non enim de illis agitur, sed de credentium cœtu. Num ullæ circumstantiæ repugnant?

XVI. Secundò. Contra mentem Apostoli nos venire, malè concluditur à plerorumque Patrum aliter sentientium auctoritate. E textu eramus convincendi, plerorumque Patrum auctoritas non convincit, nisi contra Jacobi sensum nititur, qui negat, Antichristum ex tribu Dan nasciturum esse. Plerique enim Patres affirmant. Bellarminus enumerat. Atqui Cajetanus opinionem in dubium vocat, Tostatus incertam, Oleaster fabulosam pronunciat, apud Pererium. Infeliciter igitur nobis Patres opponuntur in hac causa, præsertim cùm non unum sentiant, ne nunc dicam, facilè errare potuisse, cùm ab eventu & rerum complemento abessent longiùs. Augustinus l. 20. de C.D. c. 19. incertum esse, dicit, quodnã templum hîc intelligatur. Et notat, dici, *sedere in templum Dei*, quod sic nonnulli exponant, quòd in templo sedeat, quasi ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia, sicut dicimus, sedet in amicum, id est, velut amicus. Nobiscum sentiunt aliqui. Theodoretus in h.l. *Dei autem templum appellavit Ecclesias, in quibus primam sedem arripiet, seipsum Deum conans ostendere.* Et tamen audet Bellarminus ei contrariam opinionem affingere. Oecumenius: εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, ἤ τὸν ἐν ἱλὴμ λέγει, ἀλλ' εἰς τὰς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ. Theophylactus, *Non in templo specialiter, quod est Hierosolymis, sed in Ecclesiis simpliciter & omni divino templo.* Commentarius Ambrosio inscriptus, *ut in domo Domini, in sede sedeat Christi.* Hieronymus ep. 151. ad Algasiam quæst. 11. sic habet; *In templo Dei*, vel *Hierosolymis, ut quidam putant*, vel *in Ecclesia, ut verius arbitramur.* Primasius: *ut in templo Dei sedeat, ostendens se, quòd ipse sit Deus, id est, quòd ipse sit Ecclesia, quale est, si diceret, in templum Dei sedeat, ostendens, quòd ipse sit templum Dei.* Anshelmus de mentibus Christianorum accipit, quas sit seductur°. Bellarm. l. 3. de Pont. Rõ. c. 13. fatetur, Chrysostomum, in h.l. de Ecclesiis Christianorum interpretari. Suaretz fatetur, quòd aliqui Patres opinionem de Hierosolymitano templo rejiciant, tom. 2. in 3. p. Thom. disp. 54. sect. 5.

XVII. Inde nonnulli inter Papistas agnoscũt, sensum verum esse, quem tuemur. Lombardus, *ut sedeat in templo Dei, id est, in Ecclesia.* Repetit quoque causam, quæ est Anshelmi. Thomas Aquinas, desertâ Papistarum glosâ, sic exponit, *in templo Dei, id est, in Ecclesia, quia multi de Ecclesia eum recipient, vel secundùm August. in templo Dei sedeat, id est, principetur & dominetur, tanquam ipse cum suis sit templum Dei.* Suaretz lib. 1. de Antichristo cap. 15. *Hic sensus, quod per templum Dei intelligatur Ecclesia, errorem non continet, sed potiùs probabilis est. Hieronymus enim, ep. 151. ad Algas. q. 11. sensum illum cæteris præfert, illumque sequitur Hugo Eterianus lib. de regressu animæ, cap. 23.* Similiter Estius vocat probabilem.

XVIII. Tertiò. De templo Hierosolymitano malè exponitur. Nam Scriptura Antichristo non assignat duas sedes, sed unicam, eamque in urbe septicolli, & imperium habente super Gentes terræ, Apoc. 17, 9. 18. quorum neutrum ad Hierosolymam ullo prætextu trahi posset. Nec enim illa super septem montes posita, nec regnum habuit unquam in Gentes. Utrumque de Roma verum. Præterea vel de veteri vel de novo intelligendum esset. Non de veteri potest intelligi; Nam illius destructionem totalem prædixit Christus, eamque cum prædictione de consummatione seculi conjunxit Matth 24. Non de novo; Nam instauratio nusquam promittitur, nisi novas Scripturas producant Papistæ, in quibus legatur prædictio. Certè in veteribus non legitur. Et quæso, Judæine instaurabunt, an Christiani, an Antichrist° ejusq; ministri? Christiani non tentabunt. Si Judæi vel Antichristus, instaurabit non in templum veri Dei, sed in templum Antichristi, quod Suaretzius l.l. asserit, quomodo Apostolus appellat templum Dei? Estius in h.l. scribit; *Si Antichristus sibi tanquam Deo construet templum, illud Apostolus templum nihilo magis, quàm templum Iovis aut Dianæ eo nomine dignaretur.*

XIX. Quartò. Quòd Antichristus duos testes in terrena Hierosolymitana urbe sit occisurus, non magis verum est, quàm præcisè duos individuo testes fore. Non enim dubium, quin una eademque urbs intelligatur, in qua occidentur testes, & in cujus plateis jacebunt eorum cadavera. Urbem illam magnam esse terrenam Hierosolymam secundùm literam, non patet è textu, at aliunde patet, non esse. Esse terrenam Hierosolymam, non patet à textu. Quo enim argumento? Quin potiùs sicut spiritualiter est Sodoma & Ægyptus, sic spiritualiter Hierosolymæ comparatur. Nempe ut Hierosolyma terrena crucifixit Christum corporaliter, sic urbs magna spritualiter, sc. in membris. Imò, quantum in ipsa est, etiam corporaliter. Dicunt enim Papistæ, se quotidie Christum offerre. At sacrificium non est sine destructione. Roma igitur dicitur Sodoma, propter fœditatem sodomiticarum libidinum; Ægyptus, propter horribilem idolomaniam; Hierosolyma, propter crudelitatem.

XX. Jam aliunde patet, non esse Hierosolymam terrenam. Nam primò Angelus interpretatur mulierem urbem illam magnam, quæ habet imperium super Reges terræ, Apoc. 17, 18. Hierosolyma nunquam habuit, ut dixi; at habuit Roma. Inde illa vulgata, quòd *Romani rerum domini*, dicebantur; *Roma mundi caput; Mundi compendium; Arx nationum & Regum.* Martialis inde canit;

Terrarum dea Gentiumq́, Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Frontinus *Reginam & Dominam orbis*, apud Lipsium, & Hieronymus lib. 2. adverſ. Jovinian. *urbem potentem & urbem Dominam* appellitat. Deinde Hierosolyma variè quidem appellata est, nempe urbs sancta, Matth. 4, 5. civitas Dei, Psalm. 46, 5. magni Regis, Matth. 5, 53. thronus Dei, Jerem. 3, 17. munitio Jerem. 10, 17. mater, cap. 15, 8. perfectio pulchritudinis, Psalm. 50, 2. At nunquam, quod sciam, dicta est absolutè vel urbs, vel urbs magna. Utrumque elogium Romæ fuit proprium; Nec malè, sive ambitum, sive ædificiorum structuram, sive hominum multitudinem spectes. Ex qua postrema causa Aristides eam dicebat esse velut quoddam commune totius

Universidad de Deusto
Biblioteca

terræ oppidum. Athenæus orbis compendium & epitomen. De ædificiorum structura Plinius, si quis tectorum altitudinem addat, dignam profectò æstimationem concipiat, fateaturque, nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. Hinc aliis dicta *mundi miraculum*. Propertius sic canit;

Omnia Romanæ cedant miracula terræ:
Natura hîc posuit, quicquid ubiq; fuit.

Plinius l. 36. c. 15. mirabilia ædificiorum expositurus præfatur, *Ad urbis nostræ miracula transire cõveniat, nongentorumq; annorum dociles scrutari vires, & sic quoque terrarum orbem victum ostendere: quod accidisse toties penè, quot referentur miracula, apparebit. Vniversitate verò acervatâ & in quendam cumulum conjectâ, non alia magnitudo exsurget, quàm si mundus alius quidam in uno loco narretur.* Vide, si placet, Lipsium lib. 1. de magnitudine Romana.

XXI. Denique Becanus dicit, *suo tempore templum Hierosolymitanum instauratum iri.* Non probat. Quod enim pro instauratione producitur locus Danielis, nimis alienum est, & commentum Rabinicũ. R. Schelomo dicit, desolationem duraturam usq; ad finem belli Gog & Magog, quibus devictis sit restaurandum. Sic & alii Judæi, ut annotat Lyra in comment. in h. l. At de eo nullum in universa Scriptura verbum, litera nulla. Sensus verborum est, desolationem, tanquã perpetuo stillicidio, incubituram esse urbi & templo, donec non derelinquatur lapis super lapidem, ut Christus loquitur, Matth. 24. 2. Marc. 13. 2. Luc. 21. 6. Quod etiam ex latino textu patet, quem non recitavit Becanus, ut sonat. Sic enim habet: *Et erit in templo abominatio desolationis & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Si desolatio usque ad finem perseverabit, quomodo templum instaurabitur? Theodoretus, *Ne existimarent Judæi, sacrum templum pristinum decorem & gloriam recuperaturum, necessariò subjecit, & usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem; usque ad finem enim seculi, inquit, consummatio desolationis manebit, nullâ factâ mutatione.* Ideo Lyra in glossa ad verbum *consummationem*, & *finem*, addit, *seculi*. At Patres inde colligũt. Num omnes? Falsum. Si aliqui, videndũ, quàm solidè colligant. Nulla illis litera favet. Inde nec Becanus, nec Bellarminus monstrare conatur, quomodo è textu colligatur. Imò hic incertus fluctuat: An non reædificandum, nisi in fine mundi, voluerit dicere Daniel, an in æternum non reædificandum perfectè, sed tamen inchoandam reædificationem. Similiter fluctuat Suaretzius, & in distinctione materialis & formalis præsidium quærit; quòd non propriè instaurandũ, sed utrũque reædificandum sit materialiter, non autem formaliter, quia non in templum Dei, sed in sedem Antichristi sit instaurandum. Quasi verò non æternam desolationem materialis templi Daniel prædixerit.

****
*****
*

SECT.

SECTIO VIII.

Tertia & quarta nota Antichristi applicatur Papæ.

I. TErtia nota. *Antichristus ostendet se, tanquam Deum.* Id facit Papa. De vocabuli sono non tã accipi debet, quàm de reipsa. Hoc notabat Chrysostomus Homil. 8. in 2. Thessal. 2. *Non dixit, dicens, se esse Deum, sed ostentare tentans.* Nolumus igitur hærere vocabuli sono, quamvis fortasse non deessent eam in rem testimonia. Quid enim est, quòd Nicolaus Papa C. *Satis evidenter.* Distinct. 96. gloriatur, Pontificem à Constantino Deum appellatum esse? In quem locum Augustinus Steuchus, Papæ Bibliothecarius l. de Dona: Constantini sic commentatur; *Audis, summum Pontificem à Constantino Deum appellatum & habitum pro Deo. Hoc videlicet factum est, cùm illum præclaro illo edicto decoravit, adoravit uti Deum, uti Christi & Petri successorem, divinos ei honores, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est.* Felinus dicit, quòd sit causa causarum & Dominus Dominantium. Et apud Canonistas, nihil ferè usitatius est, quàm Papam esse Deum in terris.

II. Si excipias, *non dici essentiâ Deum, sed imitatione, seu participatione,* frustrà eris. Num enim Judæi Herodi acclamantes dicebant, eum essentiâ Deum esse? Et tamen Deus superbiam horribili exemplo ultus est. Magistratus, fateor, imitatione dii dicuntur; at ii multi. Papa non fert honoris socios; nec aliis Episcopis titulum permittunt Papistæ. Est igitur Deus per usurpationem, per blasphemiam. Ut verò maximè nomen seu vocem nec jactâsset, nec admisisset, ea tamen fecit & permisit fieri, imò gaudet, quæ vocis defectum abundè supplent.

III. Raphaël Eglinus Iconius dixerat, Papam ostendere se Deum, quia se gerat caput visibile totius Ecclesiæ, nempe solitarium, oecumenicum, cujus legibus universa Ecclesia sit obnoxia. Becanus clamat, *hanc non esse explicationem, sed depravationem Scripturæ. Nam aliud esse, ostendere se, tanquam Deum, cùm non sit Deus; aliud verò, exhibere se pro visibili capite Ecclesiæ, cùm reverâ sit caput. Illud prius convenire Antichristo, posterius Petro & successoribus ejus convenire.* Num. 45. Frustrà tegere conatur Papæ turpitudinem, quam D. Eglinus retexit. Papam enim non esse caput Ecclesiæ, nos demonstravimus suo loco. Imò nec Petrus quidem fuit, nec se unquam gessit caput oecumenicum, solitarium. Tantum abest, ut sint, qui se jactant ejus successores. In eo igitur se Antichristum declarat Papa. Quam in rem alia quoque argumenta nobis succurrunt, sive Papistas audias, sive Papas, sive in rem præsentem venias.

IV. Si Papistas audias, quid non tribuunt Papæ suo? Summam potestatem ei tribuunt dicentes, quòd nemo ei debeat dicere, quid facis, etsi innumerabiles populos unà secum in infernum præcipitet, Cap. *Si Papa.* Dist. 40. Tribuunt unum tribunal Deo ac Papæ, unum idemque consistorium, apud Bozium de jur. nat. & div. Eccles. libert. & potest. lib. 3. c.

3.cap.4.& Bertachinum in repertorio in dict.*Papa*. Tribuunt Papæ alia multa, quæ sunt Dei,& infinitam potentiam arguunt,idque ipso non improbante, sed potiùs approbante. Improbâsse enim, nullo constat indicio. Dicunt, quòd *potestas ejus sit absoluta*; quòd *de injustitia possit iustitiam facere*; quòd *possit rerum naturam immutare,substantialia unius rei applicando alii.* Vide sis prolixum horum & aliorum indicem in appendice Catal. test.verit.col. 2079.2080.

V. Ibidem col.2085. producuntur verba Roderici Zamorensis in speculo humanæ vitæ,lib.2.cap.1.scribentis; *Tanta est sublimitas Papæ, tanta præeminentia, tantaque immensitas,ut nullus mortalium nedum comprehendere,aut satis exprimere, sed ne cogitare quidem possit.* Alibi memorantur verba Alexandri Carerii Patavini lib.1. de potest. Pontif. cap.9. dicentis; *Error est,non credere,Pontificem supra spiritualia & temporalia universalem habere primatum, in quem quandoque multi labuntur dictæ potestatis ignorantiâ, quæ cùm sit infinita, eo quòd magnus Dominus & magna virtus ejus, & magnitudinis eius non est finis,omnis creatus intellectus in eius perscrutatione invenitur deficere.* Ego hîc addo,quod fortasse levius videbitur,non tamen est negligendum.Adorationem ei tribuunt. Blondus lib.3. instauratæ Romæ: *Dictatorem,*inquit, *nunc perpetuum, non Cæsaris, sed piscatoris Petri successorem, & Imperatoris prædicti vicarium, Pontificem summum Principes orbis adorant & colunt.* Qua in re Gentiles Imperatores imitatur, Caligulam & Diocletianum, qui & adorationem & osculum pedum admiserunt. Ille,teste Seneca,lib.2. de beneficiis cap.12. iste, Pomponio Læto teste.

VI. Si dicas, Papam adorari non aliter, quàm olim quivis Episcopus, ego quæro, quis adoraverit olim Episcopos? Num Papa, ut alii Episcopi, admittit adorationem? At nemini Episcoporum adorationis honor est præstitus, postquàm Papa se gessit Oecumenicum, & fatentur Papistæ lubentes, aliam esse adorationem.Nam Augustinus Triumphus de potest.eccles.quæst.9.contendit,Papæ eundem honorem exhibendum cum Sanctis,imò majorem, quàm Angelis. Antoninus in Summa par.3.tit.22.cap.5. *Non minor honor debetur Papæ, quàm Angelis,unde Papa recipit adorationem, prostrationes & oscula pedum,quod non permisit Angelus à Iohanne Evangelista sibi fieri.* Nescio, an hunc sint Episcopis communem facturi.Florentini legati (apud Antoninum par.3.tit.23.c.17.) dicunt, Florentinam Ecclesiam Papæ de exaltatione gratulari & sanctitatem hyperduliâ adorare. Is Mariæ honor esse solet inter Papistas.In Lateranensi Concilio sub Leone X. sess.9. Puccius in Pontifice impletum dicebat illud psalmi, *Adorabunt eum omnes Reges terræ,& omnes Gentes servient ei.*

VII. Jam si Papam audire velis, sic Paulus secundus apud Platinam pronunciat: *Ita nos ad judites revocas,ac si nescires, omnia jura in scrinio pectoris nostri collocata esse.Sic stat sententia,loco cedant omnes, eant quò volunt,nihil eos moror, Pontifex sum, mihique licet pro arbitrio animi mei aliorum facta & rescindere & approbare.* Bo-

nifacius Octavus; *subesse,*inquit,*Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & declaramus, omnino esse de necessitate salutis,* C.Unam sanctam.Extravagan.De *maioritate & obedientia.*Innocentius c.6. *Solicitæ.*De *maior.& obedient.* jactat, se regna transferre, & quem velit,extollere & deprimere posse. Daniel soli Deo tribuit, c.4, 14.22,29.

VIII. In rem præsentem si venias, videbis,Papam illam potestatem usurpare & adorationis honorem admittere. De Carolo Rege Galliæ Jovius; *Adoravit Pontificem proiectus,omnisque demum turba Procerum & Pontificum.* De Carolo quinto l.27.*Ille pie inflexo genu, prius exosculato pede,Pontificem adoravit.*Baronius memorat, cùm Alexander tertius oppidum Montispessulanum ingrederetur, Saracenorum Principem cum suis accessisse,& deosculatis pedibus ejus, fixisse genua coram eo, & eum, tanquam pium Christianorum Deum, adorâsse:Videntes autem valdè miratos esse, & ad invicē dixisse illud Propheticũ;*Et adorabunt eũ omnes Reges terræ,omnes gentes serviēt ei.* ad Ann.1162.n.3.Christophorus Marcellus in Concilio Lateranensi, sess. 4, ita compellat Julium II.Ann.1513. *Tu Pastor, tu medicus,tu gubernator,tu cultor, tu denique, alter Deus in terris.* Ejusdem Concilii Patres sic: *Tu es omnia & supra omnia, omnis potestas tibi data in cœlo & in terra.* Cùm Sixtus IV. urbem primùm ingrederetur, populus in inscription[illegible]riumphalis ei gratulabatur his verbis;

Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et meritò in terris diceris esse Deus.

IX. Quarta est, *extollere se supra quicquid dicitur Deus aut numen.*Non est sensus, quòd Antichristus apertis verbis sit dicturus,se majorem esse Deo creatore cœli & terræ.Quos enim tum sibi devinciret discipulos? quomodo esset deceptio? Verus ille Deus non *omnis,*sed *unus* Deus appellatur, 1.Corinth.8,5.6. Dii nuncupativi dicuntur *omnes dii*, Psal.97, 7.Per omne quod dicitur, omnis magistratus intelligitur; Per σέβασμα etiam summus magistratus, ut Imperator,qui σεβαστὸς dicitur, Act.25,21.25.& quicquid colitur.

X. D.Eglinus accipit de omni ordine ecclesiastico & politico, in Elencho gemino de Antichristo. Povelus lib. 1.de Antichristo cap.3.& 17. interpretatur de omni eo,quod uspiam Deus in Scriptura appellatur, idque & illi probant convenire Papæ,& aliâs patet tum in genere, tum in specie. In genere; Quid enim aliud sibi volunt illa δόγματα: quòd *Papæ potestas sit absoluta,& eam habeat, ut vult,* sicut Franciscus de Ripa respondit: quòd *Papa contra jus & supra ius omnia possit,* ut Philippus Decius cõsuluit & placuit reliquis: quòd *Papæ nullus sit par,nisi Deus.* Sic Augustinus Berojus, in catalogo testium veritatis,col.2083.In specie;De ordine ecclesiastico res aperta.Præfert se omnibus Episcopis, nec nudè se præfert, sed jura omnium inferiorum Ecclesiarum occupavit, ita ut prælati inferiores nihil sint. Sunt verba Francisci Zabarelli Cardinalis Florentini,in catalogo testium veritatis,col.1865.Præfert se Conciliis generalibus,quibus olim erat obnoxius. Nec obscurius est de ordine

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne politico. Extollit enim se supra omnem magistratum politicum, adeoque ipsos Reges & Imperatores. Probatione non est opus. Papistæ fatentur. Imò gloriantur eo nomine.

XI. Becanus dicit, *illam explicationem Eglini falsam esse; alioqui dicendum, Mosen se extulisse supra omnem Deum, quia fuerit supra ordinem ecclesiasticum & politicum postquàm Aaronem consecravit.* Num. 46. Egregiè! Primò. Quis docuit Becanum, Papam cum Mose comparare? Hunc Deus præfecit; seipsum ñ extulit. Papa seipsum extulit; Deus eũ non præfecit. Dictũ Mosi à Deo, *Tu eris Aaroni in Deũ*; ubi hoc dictũ Papæ? Secundò. Falsum, ex eo quòd aliquis esse dicitur supra omnem ordinem, eum se extulisse. Etsi ergo Moses fuit supra ordinem utrumque, non tamen se extulit. Extolli enim est efferre se, ut rectè Lombardus tradit, vel præter jus & fas citra Dei vocationem gradum eum sibi arrogare, qui ipsi jure divino non debetur. Id feciſſe Papam, nimis verum, nimis apertum.

XII. Jam de Poveli expositione non est major difficultas. Non dico, quòd sub omni quod dicitur Deus, hîc verus ille Deus ex mente Apostoli comprehendatur. Dico, quòd Poveli expositio Papæ competat. Deus enim dicitur opinativè, participativè, naturaliter. Opinativè Deus est diabolus; participatione sunt Angeli boni & magistratus; naturaliter, unus ille verus Deus creator cœli & terræ. Diabolus Deus hujus mundi. Etsi verò is est Papatus auctor primarius, Papa tamen quasi vasallus in feudi dominum potestatem sibi arrogat. Jactat enim in diabolos concessam sibi potestatem, quibus non minùs imperet, quàm Angelis bonis. Participativè dicuntur dii Angeli & magistratus. Quòd Papa auctoritate & potestate major sit Angelo, dixit Antoninus Florentinus. Quòd se supra Angelos efferat, testis ipse Clemens VI. in Bulla indulgẽtiarum in Jubilæo edita, quippe in qua Angelis præcipit, ut eorum animas, qui in itinere Jubilæi causâ suscepto moriuntur, à purgatorio in absolutam paradisi gloriam introducant.

XIII. Quòd se supra magistratum & quidem summum, id est, Imperatorem efferat, patet à conditionis veteris & præsentis collatione. Olim erat subditus Imperatori Romano. De hoc dictum alibi. Jam nihil repeto, nisi quòd electio Pontificis citra confirmationem Imperatoriam erat irrita. Sic Platina in Pelagio secundo, qui Gregorium mittit ad Imperatorem, ut se excuset, quòd propter obsessam urbem non exspectaverit decretum Imperatoris. *Nihil enim*, inquit, *tum à clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi eius electionem Imperator approbâsset.* In Severino primo; cùm eum ab exarcho Italiæ Isaacio confirmatum esse, dixisset, subjicit, *Vana enim tunc habebatur cleri & populi electio, nisi id Imperatores, aut eorum exarchi confirmâssent.* In Benedicto secundo; *Ad hunc Constantinus Imperator, Justiniani secundi pater, hominis sanctitate permotus sanctionem misit, ut deinceps, quem clerus & populus exercitusque Romanus in Pontificem elegisset, eundem statim Christi vicarium esse, omnes crederent, nullâ aut Constantinopolitani Principis, aut Italiæ Exarchi exspectata auctoritate, ut*

antea fieri consueverat. Id enim ratum erat in creando Pontifice, quod Princeps confirmâsset, vel qui ejus vices in Italia gerebat.

XIV. Nihilominùs etiam postea Germani Imperatores jus confirmandi exercuerunt, imò & fidelitatis sacramentum ab Episcopis Romanis acceperunt. De confirmatione patet. Otto primus urbem, religione jurisjurandi oblatâ, coëgit renovare promissionem renunciati jam olim juris in electione Pontificis, sc. sese nullum posthac Pontificem creaturos sine consensu Imperatoris, referente Carione in Chronico. Idem movit loco Johannem XII. & surrogavit Leonem Octavum. Otto tertius Pontifici Johanni XVII. successorem decernit Gregorium V. & Johannem XVIII. à Crescentio intrusum loco movet, Gregoriumque restituit. Henricus tertius, cùm tria portenta contentione ambitiosâ turbâssent Romam, depulsis his omnibus, alium suo judicio constituit, renovatâ veteri lege de Pontificum electione. Ita obtinebat, donec excussis Henricis, suffectus Lotharius postulatis Pontificis assentiretur. Sic ex aliis Carion in Ottone tertio. Urspergensis dicit, *Henricum tres Papas non digne cõstitutos synodaliter deposuisse.* Platina dicit, *tria teterrima monstra abdicare magistratu coëgisse.* Habemus subjectionem, de qua suprà vide plura.

XV. Jam vide, quomodo se extulerit. Omni arte in id incubuit Pontifex, ut non solùm in Reges & Principes, sed & in ipsum Imperatorem imperium capesseret. De Regibus clarum. Eos deponendi, & regna ad alios transferendi potestatem tandem sibi vindicavit & exercuit variis modis. Notum & sæpius allegatum Gregorii VII. decretum. Huc Concilii Lateranensis sub Innocentio III. anno 1215. habiti capitulum tertium pertinet; *si dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut extunc ipse vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, sine ulla contradictione possideant.* Bellarminus in Barclajum, cap. 7. *Papæ consueverunt subditos eorum à iuramento fidelitatis absolvere, & auctoritate regia, si opus est, privare.* Antonius Santarelli Jesuita tractatu de hæresi, & schismate, citante Molinæo, *Papa potest Reges movere & mortis pœna punire.* Exempla sunt in historiis passim obvia. Zacharias Childericum Galliæ Regem regno privat & Pipinum jubet surrogari. Innocentius III. Johannem Angliæ Regem anno 1212. deponit, ac regnum Philippo Augusto Galliæ Regi occupandum offert, quâ ratione Johannes paterno regno se abdicare & feudi titulo à Papa accipere compellitur. Urbanus IV. regnum Siciliæ, quod Manfredus tenebat, Carolo Comiti Provinciæ Regis Franciæ fratri, confert isti eripiendum. Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum, quòd jus investituræ sibi vendicaret, excommunicat & regnũ Alberto Austriaco câ lege donat, ut propriis sumptibus occupet. Julius secundus Johanni Albretano Navarræ Regi publico decreto eripit regnum, & Ferdinando Castiliæ Regi addicit anno 1511. Idem Ludovico XII. infensus Galliam di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ripiendum omnibus prostituit. Sixtus V. Henricum III. excommunicat, paulò pòst magno scelere trucidatum. Pius V. & Gregorius XIII. proscribunt Elisabetham Angliæ Reginam, qui cum nihil effecissent, Sixtus V. publico diplomate iterum proscribit, omnem regiam dignitatem, titulos & jura adimit, Angliam & Hiberniam Philippo Hispano, tanquam Romanæ sedis beneficiario, attribuit, omnibus admonitis, juvent Hispani classem, ut dignum supplicium de Regina proscripta sumatur. Denique, ut alia prætream, idem Sixtus anno 1585. Henricum Navarræum jure Navarræi regni, at Condæum principali dignitate excidisse, adeoque Galliæ regni legitimum hæredem regno indignum publicè declarat.

XVI. Jam de Imperatore ut dicam, primùm Papa in id vires suas contulit, ut illius auctoritas cessaret in confirmatione. Obtinuit, quamvis non uno anno, nõ uno seculo. Non satis. Præfert se Imperatori, idque longissimè. Innocentius clamat, tantum esse inter Papam & Imperatorem discrimen, quantum inter Solem & Lunam, C. *Solicita*. Contendit, Imperium esse sedis Romanæ feudum. Inde illatum est juramentum Ottonis juri canonico, C. *Tibi domino*. Dist. 63. ubi Glossator Imperium feudum appellat. Hoc palàm est, quòd statuit, sine confirmatione papali neminem esse Imperatorem, quam pro suo lubitu præstat & denegat. Inde Ferdinandum primum confirmare nolebat Paulus quartus. Imò Pius secundus à Moguntino Episcopo sub juramento postulare ausus est, ne nisi consulto & consentiente Pontifice, ad electionem Imperatoris electores convocaret, referente Carione in Ottone tertio.

XVII. Nondum satis. Si contingat, ut Imperator adeat Pontificem, hîc mihi videas elationis argumenta. Imperator cogitur illum adorare flexo genu, pedes osculari, pransuro aquam ministrare lavandis manibus, primum ferculum inferre mensæ, acceptum à ministro extra aulæ vestibulum, potum præbere, idque de geniculis, quod Otthonem Urbano præstitisse, narrat Theodoricus Niemensis lib. 1. cap. 7. Debet equum conscendenti & descendenti stapedem tenere & accepto freno, equum per aliquot passus ducere: si sella vehi velit, sellam cum Pontifice portare. Sic habent libri ceremoniarum. Quid? tam curiosè majestatis suæ rationem habuerunt Pontifices, ut cùm Fridericus Barbarossa Alexandro equum conscènsuro sinistrum stapedem tenuisset, eo nomine acriter reprehensus fuerit; Debebat enim dextrum tenuisse, quod, ut bestiæ iram sedaret, postridiè fecit.

XVIII. Nondum finis elationis Papalis. Gregorius VII. anno 1076. in Romano Concilio decernit, quòd Papa possit Imperatores deponere. Dictum factum. Victoriosissimum Imperatorem Henricum IV. anathematis fulmine percussum novo exemplo deponit; & Rodolpho Suevo auream coronam mittit, cum hac inscriptione; *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.* Quod tamen utrique malè cedit. Imperator enim Romam venit cum exercitu & deponit Gregorium rebellem, qui sibi metuens, clàm

clàm fugit Salernum, ubi præ dolore infelicem animam exhalat. Rodolphus in prælio occumbit, amissâ dextrâ, quæ cùm exspiraturo allata esset, adstantes Episcopos sic affatur; *Hæc dextra est, quâ Imperatori promissam fidem confirmavi. Hæc violata à me, vobis impulsoribus, fidei argumentum, & nefariæ perfidiæ vestræ testis est, de qua vobis rationes erunt reddendæ Deo.* Hoc exemplum terrere debebat Pontifices. Non terruit. Urbanus enim II. in eundem Henricum concitat Conradum filiũ natu majorẽ. Hôc immaturâ morte perempto, in eundem Paschalis II. qui teste Aventino, primus in diplomatibus & epistolis annos Imperatoris omisit, suæ potestatis numerum adscripsit; armat alterum filium Henricum V. nec contentus, patrem à filio exui Imperio, mortuo sepulturam denegat, nec quiescit, priusquàm à Leodiensibus, violato sepulchro, effossum intelligat. De Innocentio III. ait Polonus, *Hic coronavit Ottonem IV. & deposuit.* Innocentius IV. in Lugdunensi Concilio, anno 1245 Fridericum II. excommunicat, & Imperio privat, idque Roberto Ludovici IX. fratri eâ conditione offert, ut suis sumptibus occupet, quã ille meliora consilia amplexus acceptare noluit. Sic Papa facit Augustos Imperatores vasallos, lecticarios, servos, mulliones, dextrarios & pincernas suos. Jam elatio nemini obscura esse potest. Qui enim olim erat minor, postea superiores pedibus conculcavit.

XIX. Restat, an se extulerit supra Deum, qui est conditor cœli & terræ. Verbo apertè non extulit: at si facto se extulisse, dicas, fortè non multum aberraveris. Povelus probat tribus argumentis. Becanus duo supprimit, contentus unum arrodere. Effert ergo se supra Deum, primò, quia sua scripta & decreta præfert verbo & Scripturæ ipsius æterni Dei. Hoc patet cùm ex eo, quia jactat, quòd Ecclesiæ suæ & sua major sit, quàm Scripturæ auctoritas; tum ex eo, quòd contendunt canonistæ, Papam contra vetus & novum Testamentum dispensare posse. Secundò. Quia Papa non solùm verbis gloriatur, se posse mutare sacramentorum formam, sed & ipso facto palàm id fecit & tentavit, vide Concil. Tridentinum sess. 21. cap. 2. & Constantiense in causa calicis. Tertiò. Quia sua præcepta Dei præceptis antefert. Becanus non nisi primæ rationis alteram partem attingit; Sic autem attingit, ut tota responsio sit, *constare meris mendaciis.* Num. 46. Compendiosissima disputãdi ratio! cur non etiam de cæteris rationibus idem pronunciat? Legerat enim. An nimis apertæ? Suspicabuntur multi. Et sanè res ipsa clamat. De auctoritate Scripturæ contendunt acerbè. Mutatio sacramentorum est in omnium oculis. De præceptis, quis ignoret? Si die Veneris carnibus vescaris, gravior dictatur mulcta, quàm si aliud flagitium commiseris. Vide taxam pœnitentiariam. Fornicanti imperatur pœnitentia decem dierum in pane & aqua: At non observanti jejunium pœnitentia viginti dierum; imò quadragintæ dierum, si quis jejunium quatuor temporum violet, apud Burchardum, lib. 19. Decret. cap. 5. fol. 192. 194. Deus ciborum usum liberum esse, voluit: Papa infert discrimen. Deus conjugium omni ordini

concedit: Papa non concedit, legem cœlibatus strictiùs vult fervari, quàm conjugii. Inde dogma, minùs peccare clericum, si scorta domi alat, quàm si ducat uxorem.

XX. Num falsum, quod de dispensatione dictum Povelo? Sic Becanus. Non falsum. Probatur disertis sententiis & factis. Sententiæ paucæ sufficiant. Petrus de monte in Monarchia: *Papa tollit jus divinum dispensando contra Evangelium. Papa dispensat contra vetus Testamentum.* Idem habet Bertachinus in repertorio in voce *Papa*. Panormitanus in ca. fin. de divor. Bellarminus contendit, jure divino non licere fideli cum infideli matrimonium contrahere: & tamen disputat, Papam posse in hoc casu dispensare. Jam de re ipsa. Bonifacius non solùm contra Apostolum, sed etiam contra Evãgelium dispensavit. Nam Ladislao Regi Siciliæ, seu Neapolis, indulsit, quòd ipse abdicatâ à se legitimâ uxore, jam multis annis cum eo commorante, aliam superinduxit uxorem. Sic Gobelinus persona Cosmodronii ætate sextâ cap. 82. Martinus quintus, habitâ cum suis doctoribus & Theologis consultatione, cum alio dispensavit, ut sororem suam germanam impunè in uxorem haberet. Sic Antoninus in Summa part. 3. tit. 1. c. 1. Alexander sextus dispensavit, ut filia Lucretia experiretur tertium maritum, primis duobus superexstantibus. Alia exempla alibi proponuntur.

* * * * *
* * * *

SECTIO IX.

Quinta & sexta nota Antichristi applicatur Papæ & vindicatur.

I. QUinta. *Negare Christum*, 1. Johan. 2, 22. Negatur Christus duobus modis, nempe occultè, id est, facto, & apertè, id est, facto & verbo simul. Antichristus non negabit, quoad vocis sonum, Jesum Nazarenum esse Christum. Bestia enim habet duo cornua similia agno; sed negabit reipsâ. Id facit Papa, dum corrumpit horribiliter doctrinam de Christo mediatore ejusque officium invadit nefandis exemplis.

II. Becanus excipit, *nondum esse probatum, quòd Pontifex corrumpat doctrinam de Christo Mediatore, se faciliùs probaturum, quòd nos id faciamus, quippe qui doceamus, Christum esse mediatorem secundùm utramque naturam, qui sit error manifestus, ut palàm sit futurum infrà suo loco.* Num. 47. Imò Sole clariùs demonstratus est error multiplex, ut fruſtrà sit impudens negator. Nostram de Christo mediatore doctrinam non esse errorem manifestum, sed veritatem solidam, & demonstratum est sæpiùs à theologis, & infrà, Deo volente, videbimus. Hîc brevissimè notabo. Papa turbat & invadit primò officium Christi propheticum. Cùm enim solus Christus sit fundamentum, ex Apostoli doctrina, 1. Corinth. 3. Papicolæ docent, idq; duce suo approbante, quòd Papa sit fundamentum fidei. Papa amat in nonnullis magis audiri, quàm Deum in Scriptura loquentem. Verba sunt, cap. 6. *Si*

Si Papa. Dist. 40. *Reverà tantâ reverentiâ apicem præfatæ apostolicæ sedis omnes suspiciunt, ut nonnullam sanctorum canonum disciplinam & antiquam Christianæ religionis institutionem magis ab ore præcessoris ejus, quàm à sacris paginis & paternis traditionibus expetant.* Hoc Papæ placet, aut displicet. Si placet, habemus, quod volumus, & placere, nimis apertum. Si displiceret, jam pridem prohibuisset. Non prohibuit. Denique, ne plura nunc tangam, sibi soli sumit jus interpretandi Scripturam authenticè & definiendi. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres & coëpiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse*, inquit Innocentius papa cap. 12. *Quoties*, caus. 24. q. 1.

III. Secundò turbat officium sacerdotale: Cùm enim quotidie Christum in missâ offerre suos, jactat, reipsâ abnegat unicam oblationem in cruce factam: Imperfecta enim erit. Repetitio enim est imperfectionis nota, teste Apostolo, in Epistola ad Hebræos. Deinde multos mediatores adjungit Christo. Hoc est Christum negare. Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, 1. Timoth. 2, 5. Plures qui dat, negat unum. Huc pertinet, quòd Paulus Jovius in Philippo III. testis est, *A Panormitanis ad Martinum IV. Oratores missos viros sanctos, qui ad pedes ejus strati, velut pro ara hostiaque Christum agnum Dei salutantes illa etiam ex altaris mysteriis verba efferentur, qui tollis peccata mundi, miserere nostri. Qui tollis peccata mundi, miserere nostri. Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.*

IV. Tertiò. Regium, cùm seipsum nominat sponsum Ecclesiæ: *Nos justitiam nostram & Ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere, qui alios in sua justitia confovemus* &c. inquit Bonifacius Octavus, C. *Quoniam* 6. Decret. de *immunitate Eccles.* Idem appellat se caput Ecclesiæ. Ille si sponsus & caput, utique Christus non erit; Solus esse vult, aut non esse, ne Ecclesia sit biceps & adultera. Nisi fortè nec adultera est, quæ duos eodem tempore habet maritos, nec corpus biceps, quod habet duo capita. Et quæso, quid reliquum est Christo, si Deus omnia subjecit pedibus Papæ, juxta illud propheticum: *Omnia subjecisti sub pedibus eius*, quod somniavit Barbaria. In catal. test. veritat. col. 2083. Quid, inquam, Christo reliquum, nisi fortasse nomen? Si tamen nomen. Nam Claudius Seisselius adversùs Waldenses anno Dom. 1520. fol. 36. (citante D. Gerhardo) scribit; *Papa, quantiscunque culpis alioquin sit irretitus, Angelus Dei est, & eo amplius, Apostolorum successor, & Christi vicarius; dicam amplius, imò & Christus.*

V. Sexta. *Antichristus faciet falsa miracula*, 2. Thessal. 2, 9. ubi legimus, ejus adventum futurum esse ex efficacia Satanæ, & facturum signa & prodigia mendacia. Erit ergo Satanas non tantùm auctor, sed & συνεργὸς operum Antichristi. Mendacia dicuntur, vel quòd in se sint falsa, vel quòd serviant mendacio incrustando, apud Augustinum l. 19. de Civ. Dei, cap. 20. Hâc notâ pontifex Romanus agnoscitur Antichristus. Nulla enim unquam religio fuit, quæ tanto numero objecerit miracula. Eò quippe processum

est, ut miracula notam Ecclesiæ constituant, atque eo nomine suam commendent omnibus. Et testantur controversiæ, Papistas ad suorum dogmatum confirmationem adferre miracula. Si neges invocationem Sanctorum, objiciunt miracula, quo unico argumento contentus est Becanus. Si cultum imaginum & reliquiarum Sanctorum, si transsubstantiationem, si vota monastica neges, provocant ad miracula.

VI. Pro invocatione Sanctorum est, quòd Donatus, Epiri Episcopus, occidit draconem exspuens in ore ejus, tantæ magnitudinis, ut octo boum juga ad locum incendii vix potuerint trahere. Cõburi enim debuit, ne putrefactus inficeret aërem. Polonus memorat ad annum 400. Cùm Bernhardo caput Cæsarii Martyris Romæ offerretur, ut inde sumeret, quod vellet, socii dentem, quem elegerat, extrahere non possunt. Fractis enim eorum duobus vel tribus cultris, stat immobilis. Monet ille, orandum esse, haberi non posse, nisi Martyr concedat. Oreant; accedunt postea & incredibili facilitate tulit duobus digitis, quod antea non poterant ferreis instrumentis, apud Baronium tom. 12. ad annum Chr. 1138. num. 7.

VII. In Anglia de clericorum cœlibatu quærebatur. Clerici ducebant conjuges; Dunstanus Episcopus prohibebat. Cogitur synodus. In medio disputationis conflictu imago dominica in Ecclesia locuta clericos omnes & eorum fautores reddidit confusos & elingues, apud Baronium tom. 10. ad annum Christi 975. num. 12.

VIII. Pro transsubstantiatione Antonius de Padua pugnavit: neganti cuidam eam probavit teste jumento famelico, cui cùm objectum esset hinc hordeum, inde hostia consecrata, Antonius ait: *in virtute & nomine creatoris tui, quẽ in manibus licet indignus veraciter teneo, tibi dico, animal, & præcipio, ut confestim venias humiliter modo tuo & ei reverentiam exhibeas.* Dictum factum, venit, caput inclinat, flectit genua, neglecto hordeo. Bellarminus recenset, lib. 3. de Euchar. c. 8.

IX. Ad commendandum cultum reliquiarum miracula à Papistis jactata, quis enumeret? Abbas quidam in Legenda aurea, c. 153. ab Abbatissa Coloniæ impetrat corpus unius ex undecim mille virginibus, pollicit' inclusurum in aurea capsa. Negligit. Inde anno vertente, dum canuntur matutinæ, adstantibus videntibus omnibus, corpus virginis surgit è capsa lignea, descendit ex altari, coram eo inclinatur, penetratoq; choro redit Coloniam ad suas. In Gallia in villa Gesedis per pilos barbæ S. Petri Apostoli, intra quatuor annos, ampliùs quàm centum & septuaginta claudi, cæci & contracti sunt restituti, dæmoniaci autem, quotquot illuc venerunt, liberati, Baronius refert, ad annum 922. num. 3. Comes quidam Ottonis Imperatoris à diabolo arripitur, jussu Imperatoris ad Johannem Papam adducitur, ut catena S. Petri collo ejus circumdetur: circumdatur, & abscedit spumans diabolus, apud Baronium, ad ann. 969. num. 15. Mitra Hildebrandi, dicti Gregorii septimi, splenecticum sanat, apud eundem, tom. 11. ad annum 1085. num.

num. 13. Archipræsul Senonensis, Leothericus, invenit virgæ Mosaicæ particulam, si credas Baronio, anno Christi millesimo octavo. Si neges, convinceris miraculis. Ad eam enim non tantùm Galli, sed etiam Judæi confluxerunt numero plurimi atque sanitatem recuperârunt. Sic idem Auctor ad annum laudatum, numero primo.

X. Ut Sanctorum festa à Papistis instituta devotè celebremus, impellere nos conantur miraculorum narratione. Rodulphus Novionensis Episcopus indixerat S. Kunegundis virginis festum celebrandum, quod cùm in villa Sasnulphi contemnentes messores frumenta secarent, spicæ, quas Rotgildis puella colligebat, sanguinè madere deprehenduntur atque in presbyteri, de miraculo dubitantis, præsentia stillant sanguinem, apud Baronium, ad annum Chr. 954. num. 6. Rursum cum juxta Danubium rusticus natalem S. Vdalrici diem fœnum rastellis in cumulum congregando profanâsset, postridie id avecturus interiùs in favillas immutatum reperit, unde timore perculsus deinceps festum devotè celebravit, apud eundem, ad annum 993. num. 7.

XI. Vis plura, eaque non in specie certo articulo confirmando adhibita? En tibi egregia! Paulus Monachus Britannus ab Abbate segetum custodiæ præfectus, cùm graculorum agmen eò delapsum depasceret, agmini præcepit in nomine Domini, ne avolarent: & non secus ac quadrupedes ante se ad Abbatem egit. Quo admirante, quid hoc sibi vellet, respõdet, se vastatores segetis adducere, ut punirentur pro merito. At ille dimisit liberos. Marulus lib. 5. cap. 3. Benno, Osnabrugensis Episcopus, gliribus interdixit sua diœcesi, quò intra trecentos annos non rediisse feruntur. Leo IV. oratione Saracenorum naves submersit, incendium ignis, quod diu per Saxonum & Longobardorum domos vagatum erat, exstinguit signo crucis, & oratione elicit Basiliscum, qui halitu suo multos occideret. Maurus Rom. D. Benedicti discipulus super aquas ambulat; apud Vincentium lib. 21. cap. 68. Jodocus Monachus exarido loco terram baculo percutiens, aquam elicuit, cùm Haymo dux in venatione sitiret. D. Benedictus solo intuitu rusticum à Gallo Ariano vinctum solvit, apud Gregorium Turonensem, l. 2. cap. 31. Genovepha, virgo Parisiensis cadum vino exhaustum crucis signo replevit aliquoties, referente Bonfinio lib. 5. Dec. 1. Dunstanus, Cantuariensis Episcopus, Ecclesiam dedicaturus, cùm ad Orientem eam non spectare animadverteret, humeros parieti admovit, & ad Orientem conversa est. Testis Vincentius lib. 24.

XII. Ejusdem notæ possunt exempla legi alibi plura. Ego nihil addo, nisi quòd impostura sæpè sint detectæ, id quod aliquando ipsi fatentur Papistæ. Lyra in historia draconis; *Decepti erant à sacerdotibus, colentibus illum draconem, propter quæstum temporalem, quem inde reportabant. Et similiter aliquando in Ecclesia maxima fit deceptio populi in miraculis fictis à sacerdotibus vel eis adhærentibus propter lucrum temporale.* Cornelius Agrippa de van. scient. c. 97. *Cæteri divorum construunt*

Universidad de Deusto
Biblioteca

unt historias piè nonnihil admentientes, supponunt reliquias, fabricant miracula confingunt que terribiles fabulas. Post motam controversiam ad Imp. Ferdinandum scribit Cassander, confidentiam in sola Sanctorum intercessione ac patrocinio, quantum fieri potuerit, confirmatã esse, commentis miraculorum. Exempla fortè malles, quàm confessionem. Do ex plurimis unum atque alterum. Superiori seculo detecta est fraus Dominicanorum Bernensium, qui ad confirmandum suum elogium de conceptione virginis Mariæ in peccato originali, in statuam B. Mariæ artificiosè factam sese abdebant, & fingebant, eam lacrymari, gemere, responsa dare populo. Fraude cognitâ, combusti Bernæ, Anno 1509. Similem ludum de Franciscanis memorat Sleidanus lib. 9. com. ad ann. 1534. In Anglia imago gratiæ miris artibus erat parata, ut aliquis concavitatem occupans, singulas idoli partes, labia, manus movere posset. Destructa tandem est operâ Cronvvelli Baronis, & monstrata populo instrumẽta, apud Foxum in Martyrologio.

XIII. Parochus propè Lutetiam imaginem Virginis à pictore empram erexit, & duo foramina ad oculos imaginis perforavit, iisque vitis lacrymantis ramos tam artificiosè inseruit, ut imago videretur lacrymari. Res mira! Magnus fit inde concursus, magnus inde quæstus. Tandem fraus detegitur, cùm famâ rei concitatus pictor, à quo emerat, cum uxore prodiret, & suam imaginem, qua pro signo domus diu usus fuerat, agnosceret. Res ad Senatum defertur: Impostor capite damnatur, tabula confringitur. Vide Antimachiavellum lib. 2. de rel. theor. 2. pag. 266. Adhuc hodie Lubecæ in cathedralis templi summo altari conspicitur Mariæ simulacrum disco rotabili impositum, quod à tergo sic trahi potest, ut supplicantes modò aversetur, modò eosdem respiciat, addito gratiæ signo, cymbali tinnitu. Annon olim à Sacerdotibus tractum ad decipiendam miseram plebem? Quis alius usus?

XIV. Joh. Wunschelburgensis, libro de signis & miraculis falsis, refert de imagine Christi sudante, de rubigine in manubrio crystallino pro' sanguine Christi Cracoviæ adorata. De resina ex lignea imagine defluente pro sanguine Christi habita. Itemque sacerdotem Bohemicum suo sanguine tinxisse hostiam, & ementitũ esse Christi sanguinem. Suerini in Mechelburgensi ducatu olim colebatur sanguis Christi, qui postea reclusus, & ab aurifabris diligenter inspectus draconis sanguis deprehensus est. Nam eo illi in exprimendis insignibus annularibus utuntur, & inde ejus gnari sunt. In catal. test. verit. lib. 19, col. 1933. Huc pertinent cancri cum cereolis ardentibus à sacrificulo in cœmeterium sub noctem immissi. Isto enim spectaculo attonitis mox persuadebat, animas defunctorum apparere, & velle missis liberari à cruciatu purgatorii. Fraudem dies tandem detexit. Nam cùm neglexisset suos cancros colligere, inciderunt cum cereolis exstinctis in manus hominum. Sic Erasmus in epistolis.

XV. Jactant imprimis Papistæ Rauretana miracula: sed nostri jam pridem evicerunt, mendacia esse, quia ad falsum cultum destinantur. Becanus excipit, *Põtificem non facere miracula Lauretana, sed Deum.* Num. 48. Quo argumento constat? Nullum nominat, ac ne quidem potest. Nos igitur in cultum defigimus oculos, qui cùm nullum in Scriptura habeat mandatum, nullam promissionem, nullam adversùs contemptores comminationem, nullum laudatum exemplum, imò in Apostolica Antiquitate nullum vestigium, cùm sit idololatricus, miracula meritò sunt suspecta. Regula enim olim populo commendata divinitus, Deuter. 13. adhuc vera est & firma. Si tamen Lauretana miracula ad Deum referre omnino pergant Papistæ, unde nobis fidem facient?

XVI. Jactant domum Mariæ, in qua Christum conceperit, Nazarethâ in Dalmatiam, è Dalmatia in sylvam Lauretanam, hinc in collem duorum fratrum, tandem in agrum Picenum & Rocinerensem transportatam esse. Si transportata, quo argumento constat, esse ab Angelis transportatam? An mali non poterant? Certè Medea diabolicis artibus effecit, ut Diana aliaque idola à draconibus vecta in aëre per multas orbis partes, etiam ex Hyperboreis volâsse viderentur, apud Natalem Comitem lib. 6. cap. 7. Unde constat, esse veram Mariæ domum, in qua Christum concepit? Si dicas, Mariam ipsam indicâsse, quo argumento constat, fuisse veram matrẽ Domini, ñ spectrum diabolicum sub ejus forma? Ipse Pontifex non potest certò affirmare, rem ita se habere. Inde Julius II. in bulla, quam Tursellinus recitat, non aliud fundamẽtum ponit, quàm quòd ita piè credatur & fama sit. Quàm firmum fundamentum credulitas & fama? Jactant, veniente Deiparæ domicilio in Lauretanam sylvam, arbores obvias, velut venerabundas se inclinâsse. Quàm verè, non quæro. Quòd Deo efficiente & cultum approbante se inclinârint, unde constet, id verò non immeritò quæro. Cacodæmon jam olim vim suam in Gentilismo in eo rerum genere exseruit satis apertè. Thepetion enim Gymnosophistarum dux senior, referente Joh. Wolfio lect. memorab. cent. 1. præcepit ulmo, ut Apollonium Tyanæum salutaret: illa salutavit distinctâ quidem voce, sed tenui & fœminea. Num fortè arborum inclinatio vim satanicam superat in Italia?

XVII. *At reperta fuit S. Virginis domus stare sine ullo fulcro, fundamentove, imò pro fulcimentis substrata rejicere.* Audio. Quis nos docet, divinâ virtute substitisse in aëre sine fulcris? Num cacodæmon in suspenso ferre nequeat? Si tamen verum, quod narratur. Id enim nunc non discutiam. Notum, quòd Muhammedis tumbam in sublimi aëre ferri memorant. Fiat illud magnetis beneficio. Diabolus vim illius facilè supplet. Jactant illi ignem de cœlo ædiculæ Marianæ sæpiùs superinfusam. Etiam Vesta in virginis suæ gratiam ignem inter Gentiles olim excitavit, apud Zvingerum in theatro pag. 1350. *E velo Damasceno Alphonsus Sancius in honorem Mariæ Lauretanæ vestem sacram conficere parabat, cùm vesti materia non sufficeret, ad justam mensuram in ædibus sartoris excrevisse dicitur.* Non exagitabo fabulam. Esto. Num auctore Deo, aut etiam Maria excrevit? Num vires dæmo-

nis excedit opus? Magdalena Cruzia sæpe comam ad talos usque repente enatam producebat, quæ sensim evanesceret. Tandem, ope Satanæ effecisse, deprehensum. Hoc qui poterat, cur illud non posset? Non igitur Becano nudè affirmanti tam facilè credimus, Lauretana miracula Deum facere. Opus est argumentis, quibus tutò acquiescat conscientia.

XVIII. Ille contrà contendit, *debere nos demonstrare, Pontificem ea miracula facere, quæ Scriptura dicat, facturum esse Antichristum, cujusmodi sint hæc duo, ignem de cœlo deducere: Et efficere, ut imago bestiæ loquatur*, Apoc. 13. 13. *Neutrum fecisse Pontificem.* Num. 48. R. De igne actum nuper. Non repeto, nisi quòd ignem è cœlo super domum Lauretanam effusum esse, Tursellinus scribit, & multis locis in historia sua Lauretana repetit. Neque enim semel, sed sæpius cõtigisse, memorat, ut deinceps non habeant Papistæ, quod hâc parte ampliùs desiderent. Hoc enim inter miracula numerant, quibus cultum Lauretanum stabilire conantur. Si vis, adde, quod Sigebertus memorat. Ursinarius tempore Dagoberti, Regis Francorum, in Flandria prædicans, in oppido Maldenburgo templum in honorem S. Petri, revelatione monitus, exstruxit & dedicavit: cujus campanarium nocte natalis Domini 1081. vi ventorum ita suo loco evulsum, & in aëre inversum pependit, ut jamjam casurum existimaretur. Cùm autem populus conferret consilia de fulcris subjiciendis & in locum suum mole reponenda, pridie Calendas Januarii, circa medium noctis, lux ignea ædem intus & foris complevit, cãpanarium erectum, & firmissimè ad priorem locum rediit, & campanæ à nemine tactæ insonuerunt. Hunc ignem non dicent Papistæ fuisse infernalem, neque dabunt, è terra prodiisse. Restat, cœlo deductum fuisse. A Deo deductum esse, non constat. Petri honor falsò prætenditur; Papæ res agitur.

XIX. Circa annum 849. Vulstranns in Anglia occisus dicitur. De *cujus sanctitate cœlestia non defuere miracula indices. Nam de loco, ubi innocenter occisus est, columna lucis usque ad cœlum porrecta omnibus loci illius incolis, per dies triginta stabat conspicua*, inquit Baronius ad illum annum num. 19. ex Matthæo Westmonasterienſi. Idem ad annum 845. num. 20. refert, quòd super æde, in qua corpus S. Dionysii jacebat, divinus ignis resplenduerit. Item, quòd monachis tam immensus claritatis splendor super eam Ecclesiæ partem, quâ ejusdem sanctissimi viri corpus positum erat, visus sit, ut claritate diei æquaretur, eademque Ecclesia velut igne suppositò videretur cremari. Hi postea, si narranti credas, cognoverunt visionem angelicam divinâ virtute meriti sancti paratam, qui sua migratura ossa, piosque cineres talis sibi claritatis concessâ gratiâ invisere curavisset. Baronius in margine addit: *Lux cælitus illustrat Ecclesiam.*

XX. Idem ad annum 828. ex Einhardo Caroli M. Secretario refert, cuidam cæco Alberico, postquàm virtute reliquiarum S. Marcellini visum recuperâsset, Gabrielem Archangelum apparuisse, & nonnulla capitula ad Ludovicum Imperat.

perat. deferenda revelâsse. Regerenti, quòd nemo esset apparitionem angelicam creditũrus, dixisse, Albericum facturum signum, quo omnes fidem adhibere compellantur. Quodnam illud? Duos cereos novos acciperet, qui nondum fuissent accensi, & stans coram altari, diceret, ut in hoc credant, ab angelo Dei esse mandata, quæ diceret, si hi cerei in manibus ipsius sine adhibitione ignis visibilis fuerint videntibus illis illuminati. Dictum factum. Contigisse enim mirabilem illam & inusitatam cereorum accensionem, quam per merita beatorum Martyrum fieri debere, ipse eos, qui illuminavit Angelus prænunciaverat. Ita sc. reliquiarum Româ in Galliam adductarum virtus erat comprobanda. Jam eant Papistæ, & quærant de igne cælitùs deducto. Num fortè exspectant, ut Papâ sacrificante, fulmen in aram delapsum sacrificium comburat perpetretque, quod P. Æmilio sacrificante Amphipoli Macedonum contigisse, Plutarchus refert?

XXI. Quod bestia effectura dicitur, ut imago bestiæ loquatur, id multi interpretantur de instauratione veteris Romani Imperii. Id quasi demortuum in Italia, ac quodammodo instauratum à Pontifice, cùm Stephani II. & Leonis III. studio regnum Occidentis cum Imperatoris nomine in Carolum M. transferretur. Jactant enim Pontifices Romani, occidentales Imperatores à se habere, quod sint. Adrianus IV. apud Aventinum; *Romanum*, inquit, *imperium à Græcis translatum est ad Alemannos, ut Rex Teutonicorum non antè quàm ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante consecrationem Rex, pòst Imperator. Unde igitur habet Imperium, nisi à nobis? Ex electione Principum suorum habet nomen Regis, ex cõsecratione nostra habet nomẽ Imperatoris, & Augusti & Cæsaris: Ergo per nos imperat.*

XXII. Alii de idolomania exponunt ut intelligantur per enallagen numeri imagines bestiæ, id est, cultus bestiæ, idque bestiæ jussu & auctoritate destinatæ. An non Papa dixit, docuit, suasit, præcepit incolis terræ, ut faciant imagines bestiæ? ut adorent? annon viventium motus illis tribuit? Quid tritius, quàm quòd imagines à supplicib⁹ vultum averterint, vel ad eos converterint, quòd lacrymas fuderint? Imò in Legendis Sanctorum memorant, locutas esse. Bernhardus de Parentinis in Lilio Missæ de Thoma Aquinate memorat, quòd rogatu Magistrorum Parisiensium expositionem Missæ conscripserit, & libellum Crucifixo in altari præsentaverit, orans ferventissimè, si vera de ipso scripsisset, sibi ipse ostendere dignaretur, cui Crucifixus respondit, *Bene de me scripsisti, Thoma.* Baronius, ad annum 897. num. 3. refert, quòd Romæ imagines Ecclesiæ S. Petri cadaver Formosi, quod Piscatores ex Tiberi extraxerant, in loculo positum venerabiliter salutaverint. Idem scribit ad annum 975. num. 12. Cùm in Vintonienſi synodo, inter clericos uxoratos & monachos, excitatam controversiam Dunstanus pro monachis contra clericos decidisset, & pro clericis Rex intercessisset, ut hâc vice illis parceret, tunc subitò crucifixi Dei imaginem in edito affixam audientibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

cunctis dixisse, NON FIET. NON FIET. JUDICASTIS BENE. MUTARETIS NON BENE. Scilicet illa clariùs loquebatur, quàm Junonis simulacrum, quod cùm urbe Vejorum captâ, Camillus Romam deportaturus deam precaretur, ut studium amplecteretur, submissâ voce, se velle, respondebat, apud Plutarchum in Camillo.

SECTIO X.

Nota septima Antichristi applicatur Papæ Romano & vindicatur.

I. SEptima nota; Antichristus imprimet suis characterem, Apocal. 13, 16. 17. Sed & facit, ut omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi & servi accipiant characterem in manu sua, aut in frõtibus suis; Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum bestiæ ejus. At Papa Romanus cogit omnes citra discrimen ætatis, conditionis & status accipere characterem in manu sua dextra, aut frontibus. Omnibus imprimit charagma suæ professionis & ad obedientiam obligat: Aliter non licet emere & vendere. Sic imitatur Christum, qui suos signat, Apocal. 7. Character bestiæ est professio cultus Antichristiani, sicut character Christi erat professio Christiani cultus.

II. Becanus excipit, *nostros dissentire in explicando charactere.* Num. 49. Mirum, noluisse objicere, quòd ignorent characterem. Sic enim Bellarminus. Cogitabat fortè, sibi & suis eandem ignorantiam exprobrari posse, si à diversitate interpretationum illa colligatur. Imò Fr. Suaretz in 3. part. Thom. q. 58. art. 1. disp. 54. sect. 6. docet, qui character ille sit futurus, incertum esse. At sive dissensiones, sive ignorationem exprobret, non sic tuetur suum Pontificem. Nam primò diversæ explicationes non tollunt rei certitudinem. In Prophetiis aliqua occurrunt, quæ, quamvis completa, vix clarè & uno modo intelliguntur ab omnibus, cùm tamen res sit certa inter omnes. Exemplo sint septimanæ septuaginta Danielis. Quàm variæ de iis sunt Christianorum opiniones! Vix ullum reperias tot seculis, cujus calculo omnes acquiescant. Num ideo negares, impletas esse, & pertinuisse ad primum Christi adventum? Is error esset intolerabilis in Ecclesia Christiana. Nam in Christo apparent evidentissimè reliquæ circumstantiæ, quas prædixerunt Prophetæ, ut de eo dubitare propter obscuritatem septimanarum Christiano minimè liceat. Sic utut variè explicetur Antichristi character propter obscuritatem, quia tamen in Pontifice Romano reliquæ notæ concurrunt tantâ evidentiâ; frustrà Sophistæ præsidium quærunt in varia characteris explicatione. Non enim ex charactere solo Antichristus agnosci debet, sed ex notis omnibus conjunctis.

III. Secundò. Omnes explicationes nostrorum in idem recidunt, nempe quòd professionis & obedientiæ signum suis sit impressurus Antichristus. Id facturum esse Antichristum, id facere Papam, omnes nostri dicunt magno consensu. Unus est character obligatio ad fidem & obedientiam Antichristi: Quod non obstat, quominùs diversa signa esse possint.

IV. Tertiò sophista nostrorum sententias corrumpit, ut fingat speciosiùs dissensiones, ubi nullæ sunt; fortasse deceptus à Bellarmino, ex quo transscribere contentus, Auctores non ubique ipse inspicit. Ostendo perspicuè. Bullingero tribuit, quòd *characterem interpretetur unctionem chrismatis, quo in Papatu frons signatur eorum, qui confirmantur.* Bibliandro, quòd *reddat professionem fidei Romanæ.* At hanc quoque disertè nominabat Bullingerus, & quidem primo loco. Chytræo tribuit, quòd addat tria, 1. *juramentum fidelitatis,* 2. *unctionem sacer dotalem, quæ in vertice & manu accipitur,* 3. *procubitum ad statuas & panem consecratum.* Cur tria dicitur addere? Bullingerus enim juramentum fidelitatis disertis verbis expresserat & votorum nuncupationem. Quæ Chytræus affert, à prioribus non differunt; pertinent quippe ad confessionem fidei Romanæ, quam Bibliander nominaverat, & communi signo illustraverat Bullingerus. Illis proprium addere, non est alienum. Omnia benè conveniunt.

V. Patet à verbis. Bibliander in Chronologia tab. X. ex Bonifacii VI I. rescripto hunc characterem hominis Christiani apud Papistas esse, colligit, ut profiteatur se subjectum & addictum esse Romano Papæ. Bullingerus concione 60. in Apocal. *Aretas,* inquit, *Primasius, denique Interpretes concorditer omnes characterem exponunt confessionem oris, operationemque boni operis.* Infrà: *Si quis hodie baptizatus sit, & participet de cœna Domini, invocet Deum Patrem oratione Dominicâ, fidemque suam profiteatur per sinceram confessionem Symboli Apostolici; adde & bona opera esse fateatur, quæ ex fide fiunt secundùm normam Decalogi, & clarus præterea sit bonis operib⁹, an is habebitur ꝓ orthodoxo ꝓ catholico & verè Christiano homine? Olim quidem omnes illum amplexi fuissent pro fratre. Quid autem hodie fit in Papatu? Nihil videberis hisce omnibus confessus esse veræ fidei, nisi disertè profitearis, te credere secundùm fidem & traditionem Ecclesiæ Romanæ, ac illa te pro bonis agnoscere operibus, quæ approbavit Romana Ecclesia. Accedit his etiam aliud. Disertè contestantur omnes Papistæ, nisi quis chrismate per manum Episcopi in fronte notetur, Christianum non esse; utcunque baptizatus sit & credat in Christum Jesum. Legatur Summa, quam vocant, Angelica, in titulo Confirmationis. Est ergo hæc consignatio religionis Papisticæ. Imprimit & aliâ ratione notam Papa dextræ hominum per votorum nuncupationem & juramentorum persolutionem. Qui enim vovent in religionis, ut vocant, ingressu, veluti stipulatione factâ, Romano Papæ & sedi Romanæ sese obstringunt. Juramentis quoque elevatione manus dextræ præstandis obstringit & obnoxios sibi reddit Papa Antichristus Imperatores, Reges, Archiepiscopos, Episcopos, Doctores, Scholas, & omnes ordines.* Jam patet, Bullingerum non interpretari characterem tantùm de chrismate.

VI. Ab eo non diffidere Chytræum, patet ab ejus verbis. Sic igitur ille: *Varia genera sunt characterem, quibus omnes bestiæ illius complices suam fidem & obedien-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dientiam ac conjunctionem cum bestia declarant. Alii manu dextrâ juramentum fidelitatis & obedientiæ Romano Antichristo præstare solent. Ut ipse Imperator, Archiepiscopi &c. Alii in vertice & manibus dextris uncti & consecrati characterem indelebilem, ut ipsi Papistæ vocant, & jus sacerdotii Antichristiani accipiunt. Alii omnes in toto Papatu chrismate in fronte signantur. Alii palàm & liberè Pontificiam religionem profitentur. Alii missis funebribus intersunt. Alii ad statuas aut panem consecratum procumbunt.

VII. Jam videamus, quàm facilè repellat Becanus. Character, inquit, tres conditiones habere debet: 1. Ut sit communis omnibus, pusillis & magnis, divitibus & pauperibus, liberis & servis. 2. Ut indifferenter possit imprimi. 3. Ut nemo nisi habens characterem possit emere & vendere, Apocal. 13, 16. cap. 14, 9. At istæ conditiones non conveniunt unctioni chrismatis, nec unctioni sacerdotali, nec professioni fidei Romanæ, nec juramento fidelitatis, nec inflexioni corporis ad statuas, ut per se patet. Num. 50.

VIII. Bellarminus addiderat, unum characterem futurum esse, non multos. Hæc illi prima conditio. Becanus omittit: supponit tamen eodem errore, majori confidentiâ. Sentiebat, se probare non posse. Mavult igitur tanquam indubitatum supponere. At nihil est in toto contextu Apocalyptico, quòd cogat nos unicum signum intelligere. Nollem urgere, quòd Montanus & Aretha in plurali numero legant χαράγματα; idque quia in codicibus cōstanter legitur singularis, quo sæpè non unum, sed plura significari, quis tam hospes est in Scriptura, ut non intelligat? At illud benè notant nostri, quòd legant ἵνα δώσῃ αὐτοῖς χάραγμα; similiter cap. 14, 9. χάραγμα. Sic indefinitè, non autem definitè unus character innuitur. Cui non obstat, quòd versu decimo septimo dicitur τὸ χάραγμα. Illud enim fit, quia antè erat nominatum. Sic Matth. 22. ὁ βασιλεὺς appellatur, qui paulò antè βασιλεὺς indefinitè. Sic Reges suum habent characterem in suis, nec tamen unum eundemque in omnibus ordinibus, sed pro ordinum ratione diversum.

IX. Cæterùm de singulis conditionibus respondeo. De prima omnibus citra ætatis, fortunæ & conditionis discrimen, characterem dari, dicit Apocalypsis: Quòd omnibus eodem prorsus modo detur, & non alii aliis arctiùs obligentur, non dicit. Est communis omnibus character, papistica perfidia, seu Papisticæ perfidiæ [cur enim fidem nominem?] professio. Et scire cupiam, quinam mercatores Pontificis esse possint, qui professionem illam nunquam præstiterint, ac ne viderint quidem, vel audiverint? Num enim Papista esse potest, qui non profitetur, se fidem Ecclesiæ Papisticæ sequi? Per professionem enim hîc non intelligunt nostri solennem quendam actum, qui certis ceremoniis fiat, quo solent Apostatæ in perfidiam papalem adigi, sed generatim accipiunt pro eo, quod est profiteri se addictum Papæ doctrinæ.

X. Unctio chrismatis omnibus communis. Si quibus non datur, id fit casu; non ideo non est commune signum. Sicut non ideo non est baptismus communis omnibus, quia aliqui infantes sine baptismo defunguntur vita. Et Bellarminus ex Cyrillo vult obtinere l. 2. de sacr. confirm. cap. 8. non esse dignos nomine Christiani, qui non sunt uncti chrismate. Catechismus Romanus, par. 2. cap. 3. q. 13. dicit, à nemine prætermitti debere; ad omnes fideles æquè pertinere. Nec refert, quòd hodie non administratur omnibus statim à baptismo, sed exspectatur annus ætatis septimus, ibidem q. 14. Unctio sacerdotalis non est, fateor, omnibus communis, nec juramentum fidelitatis. Ideo est character specialis. Differentiam ipse textus innuit phrasi alternativâ, ut mox audiemus. Est igitur illorum, qui arctiùs devinciuntur Antichristo, quales sunt tum omnes clerici, Episcopi, sacerdotes, monachi, religiosi, tum Imperatores, Reges, alii feudatarii, quos sibi peculiariter obstringit Pontifex. Inflexionem ad statuas omnibus Papistis esse communem, tam apertum, ut negari nequeat. Eam si quis omittat, mox suspectus est, imò in Hispania & Italia inquisitioni obnoxius. In Galliâ verò, auctore Cardinale Lotharingo, statuæ in viis publicis fuerunt erectæ, ut ex honore illis habito & negato Papistæ & Hugonotti agnoscerentur. Ideo Sophista non attigit.

XI. De secunda Rr. Hîc probandum fuerit priùs, frontem & manum dextram propriè secundùm literam accipi. Id nisi præstet Sophista, frustrà erit. Si conari velit, ante omnia fuerit probandum, charagma aliquod visibile fronti, vel dextræ inustum iri. Unde probabit? Thomas Aquinas dicit p. 3. q. 63. art. 5. ad 5. characterem bestiæ esse professionem illiciti cultus. Lyra, determinatum vivendi modum intelligit. In dextra manu haberé dicit per operationem, in fronte per apertam confessionem. Haymo, *Quid autem per dextram manum reproborum intelligitur, nisi operatio illorum? Et quid per frontem, nisi fides exprimitur? Habent ergo characterem in dextra manu & in frontibus suis, quia ubi debuerunt habere pura opera virtutum & fidei, ibi inveniuntur maculâ criminis deturpati. In manu habent Judæi ejus characterem, quia opera diaboli faciunt, in fronte, quia in eum credunt.* Hugo Cardinalis; Habere characterem, *id est, signum & imitationem bestiæ.* In dextra manu, *id est, in potioribus operibus, de hoc ut manifestè videantur servi Antichristi.* Aut in frontibus suis, *ubi maximè est locus apparentiæ, ut sic & verbo & opere confiteantur Antichristum.* Applicatio facilis. Omnes Papistæ fatentur verbis, se esse Papistas, & reipsâ exercent omnes opera superstitionis Papisticæ. Sic characterem omnes promiscuè habent in fronte & dextra.

XII. Jam patet, quanti momenti sit exceptio clamantis, *unctionem chrismatis, juramentum, professionem & inflexionem ad statuas non esse istarum partium, non ergo esse characterem.* Num. 52. Quis enim præter Jesuitam postulat ipsos locos, quibus imprimitur, nativâ seu propriâ significatione sumi, cùm characterem per translationem dici, audiat? In eadem Apocalypsi cap. 7, 3. Electi signantur in fronte. Num Jesuita in ista parte vultus signum impressum putabit? Idem de Hierosolymitanis legimus, Ezech. 9, 9. Quis verò tantum sibi permittat, ut atramen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mento illos in capitis parte anteriore signatos esse, audeat jactare? Fronte igitur signatur audax & aperta professio, manu strenua operatio.

XIII. Nec obstat, quòd chrisma nõ indifferenter datur in dextra, vel fronte, sed in fronte. Satis est, chrismate obligari homines non solùm ad professionem Papismi, sed etiam ut ejus faciant opera. De unctione sacerdotali hîc nihil movere ausus est. Signatur enim vertex & dextra. Ubi non citra Dei singularem providentiam factum putabimus, quòd ipsi jactant, tum sibi specialiter unctione sacerdotali, tum omnibus communiter chrismate indelebilem characterem imprimi, ut quinam essent illi characterem bestiæ gerentes, agnoscerem⁹ tanto apertiùs. De inflexione coram statuis, non opus est, ut multis dicam. Nonne enim profitentur hâc ratione suum cultum, & opere exercent? Habemus frontem & manum.

XIV. Jam de tertia R. Emptione & venditione notatur commercium inter homines. Illa interdicitur omnibus, qui characterem Papisticum non suscipiunt. Qui bestiam non agnoscunt, iis tanquam hæreticis aqua & igni interdici, & historiæ testantur, & res ipsa clamat hodie. Ab honoribus, dignitatibus, officiis, senatibus, communitatibus, privilegiis, fructibus denique communibus arcentur, imò exiliis, tormentis & suppliciis horrendis adjudicantur edicto Pontificis. Præter quotidianam experientiam, habemus interpretem Alexandrum III. qui in concilio Lateranensi anno 1180. cap. 27. adversus Waldenses, quos alii Catharos, alii Patarenos, alii aliis nominibus appellant, decernit, *eos & defensores eorũ & receptores anathemati subiacere*: & sub anathemate prohibet, *ne quis eos in domib⁹, vel in terra sua tenere vel fovere, vel negociationem cum eis exercere præsumat*. tom. 4. Concil. pag. 108.

XV. Habemus interpretem Innocentium III. in concilio Lateranensi Anno 1215. habito. Ibi enim decernit, cap. 3. *seculares non minùs quàm spirituales potestates, quibuscunque fungantur officiis, iuramento obligari debere ad universos hæreticos, ab Ecclesia denotatos, ex ditionis suæ terris bonâ fide omnibus viribus exterminandos. Si temporalis Dominus requisitus ab Ecclesia neglexerit, excommunicandum declarat, & si intra annum non satisfaciat, privandum ditione, absolutis ab eius fidelitate vasallis, & terrâ catholicis ad occupandum concessâ. Receptores, defensores & fautores hæreticorum sic anathemate percutiendos* pronunciat, *ut si excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum, ipso iure sit infamis, nec ad publica officia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur, sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque negocio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si fortè iudex exstiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, eius instrumenta confecta per ipsum nullius penitùs sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur. Et in similibus*, inquit, *idem præcipimus observari. Si vero*

vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur, ut in quo maior est culpa, gravior exerceatur vindicta. Adjicit insuper, *Episcopum in annua visitatione honestos aliquos viros, vel, si expedire videatur, totã vicinian iuramento obstringere debere ad prodendos eos, qui à communi conversatione (Papistarum) fidelium vitâ & moribus dissident*, l. l. pag. 213, 214.

XVI. Habemus interpretem, Martinum V. Papam, qui in bulla subjecta concilio Constantiensi sic scribit, *Nihilominùs omnes Christiani & catholicæ fidei professores, Imperatores, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Cõites, Barones, milites, plãtos, rectores, cõsules, pcõsules, scabinos, cõmunitates & universitates regnorũ, provinciarum, villarum, terrarum, aliorumq; locorum homines iuxta iuris formam & exigentiam auctoritate apostolicâ exhortando moneatis & requiratis, ut de regnis, provinciis supradictis, omnes & singulos hæreticos huiusmodi tanquam oves morbidas gregem Domini inficientes expellant, donec & quousque à nobis seu vobis, vel aliis iudicibus ecclesiasticis, vel inquisitoribus prædicare, domicilia tenere, larem fovere, contractus inire, negociationes & mercantias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittant.* tom. 4. concil. p. 397. Habemus denique interpretem Gregorium IV. qui Alexandri II. decretum juri canonico inseruit, C. *Sicut ait.* 5. Decr. tit. 7. de *Hæreticis.* Habemus quatuor Pontifices. Illis vel consentiunt cæteri, vel dissentiunt. Si dissentiunt, alterutra pars erraverit oportet. Ita tota moles Ecclesiæ Papisticæ corruit; quippe quæ nititur infallibilitate Pontificis. Si consentiunt, cur alium interpretem postulemus? Habemus reum confitentem.

XVII. Becanus excipit, *multos Romæ in conspectu Pontificis emere & vendere, non modò Iudæos, sed etiam Christianos, qui sacramentum confirmationis nunquam susceperint: multos esse mercatores Pontificios, qui professionem illam nunquam præstiterint, imò nec viderint, nec audiverint. Idem esse de iuramento fidelitatis. Unctionem sacerdotalem nullo modo ad emptionem & venditionem esse necessariam.* Num. 51. Ubi inflexio coram statuis? Num licet subditis impunè per Papam emere & vendere, qui non inflectunt corpus coram statuis? Non licere, novit. Ideo præterit silentio. Imò sic protrahebantur in lucem Hugonotti, quos malè vocant, in Gallia ex cõsilio Cardinalis Lotharingi. Quod affert de Judæis Romæ ementibus & vendentibus, alienum est. Agitur enim non de externis, sed de Christianis. Antichristus non hostis Judæorum prædicitur futurus, sed Christianorum. Inde Johannes Altenstaig in dictionario in voce *Antichristi*, persecutionem ad Ecclesiam refert, ex Oswaldo; & omnes disputant, persecuturum Ecclesiam, ad quam Judæos non pertinere, certum. Quamvis nec Judæis licet patrimonium Romæ acquirere, sed tantùm quædam mobilia. De Christianis non constat. Aliud in jure canonico & quidem sub ementito Petri nomine. C. *Si inimicus.* caus. 11. q. 3. decernitur. Nempe quibus Papa est inimicus, his vel loqui debere, ac illis communicare neminem debere. Sic enim rubricam format Gratianus, c. 1. *Si inimicus.* Dist. 93. & caus. 11. quæst. 3.

XVIII. Imprimis aliud decrevit Martinus V. Papa in bulla concilio Constantiensi subjecta, ubi omnes Romanæ sedi addictos Archiepiscopos & Episcopos obstringit, ut omnes Christianæ ac catholicæ fidei professores, Imperatorem, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, milites, potestates, Rectores, consules, proconsules, scabinos, communitates, & universitates regnorum, provinciarum &c. juxta juris formâ & exigentiam auctoritate apostolicâ exhortando moneant, & requirant, ut omnes fidem & communionem Ecclesiæ Romanæ non tenentes, tanquam oves morbidas, gregem Domini inficientes, expellant, nec eosdem in suis districtibus prædicare, domicilia tenere, larem fovere, cõtractus inire, negociationes & mercantias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittant.

XIX. Porrò quî mercatores dici possint Pontificii, qui professionem non præstiterint, nec audiverint, ego nescio, nisi vel sint Judæi, vel Turci, vel alii Gentiles. Hæreticis enim an utatur Pontifex, nobis non constat. Si Papistæ, quoad doctrinam, quomodo professionem non præstiterunt?

XX. De unctione sacerdotali res facilis. Sine ea non permittitur nundinatio spiritualis, id est, missarum, indulgentiarum, absolutionum, dispensationum, præbendarum merces distrahere, vendere, emere, percipere, non licet nisi Episcopis, sacerdotibus, diaconis, monachis, & id genus aliis negociatoribus spiritualibus, de quibus rectè dixeris ex Petro, *Per avaritiam fictis sermonibus negotiabuntur de vobis*, 2. Pet. 2, 3. Concludo cum Becano: Piget in re tam manifesta diutius hærere. Ille vellet, nos alibi quærere Antichristum, quia Pontifex certè non sit. Cur alibi quæramus? Tenemus certè in Pontifice Romano.

Sectio XI.

Epilogismus totius controversiæ.

I. ERamus recto gradu ad sequentem controversiam progressuri, sed Becanus manum injicit. Dixerat, *Pontificem certè non esse Antichristum.* Tantùm non juraverat. Subolet homini, parùm se promovere sine argumentis. Fortasse etiam mentem tenebat solicitudo, an causa satis speciosè sit acta, & omnia satis firmiter hæreant lectori. Ideo priusquàm ad Sanctorum invocationem pergat, omnium animis imprimẽda censet, esse censet duo argumenta non vulgaria. Non tamen nova. Ex dictis dicit, se colligere, eaque efficacissima pro Pontifice. Si ex dictis, utique non magna erit efficacia. Exigua enim fuit dictorum. Audiamus tamen. Sic arguit. *Ille non est Antichristus, cui non conveniunt notæ Antichristi. At Pontifici non conveniunt notæ Antichristi. Ergo Pontifex non est Antichristus.* Minorem probat, quia *notæ Antichristi præter alias sint hæ tres*; 1. *Regnare tres annos cum dimidio.* 2. *Interficere duos Prophetas Hierosolymis.* 3. *Omnibus subditis imprimere characterem in dextra manu, vel in fronte. At hæ notæ non conveniunt Pontifici.* Num. 52.

II. Sanè ille per nos non esto Antichristus, cui non conveniunt notæ Antichristi; nempe veræ, quas sacra Scriptura ei tribuit. Non mox non est Antichristus, cui non conveniunt notæ vel per errorem conceptæ, vel in fraudem fictæ. Minor est falsissima. Pontifici conveniunt Antichristi notæ veræ: Probavimus paulò antè. Fictæ non conveniant. Quid ad nos? An ideo non sit Antichristus? Ineptum. Becanus tres notas hîc repetit. Tertia vera, & Pontifici Romano competit. Audivimus characteris explicationem à Thoma, Hugone, Lyra. Num ullos habet Pontifex subditos, quibus characterem istum non imprimat? Duæ priores notæ sunt nothæ, non genuinæ. Primam volebat à Daniele & Johanne obtinere. Non obtinuit. Daniel nihil propriè de Antichristo prædixit; Nusquam dixit, Antichristum præcisè tres annos & dimidium regnaturum. Nec Johanni dictum. Si tu velis præcisè numerare, etiam sacrificium præcisè annos tres cum dimidio cessabit. Id enim Papistæ ad Antichristi tempus referunt. Ergone primo regni momento faciet cessare? An uno momento totum orbem in potestatem rediget, cui reliquæ Monarchiæ tantum temporis impenderunt?

III. Est quidem, fateor, plurimorum opinio; Sed rerum ab Antichristo gerendarum consideratio eam manifestæ falsitatis arguit. Nec desunt inter Papistas, qui agnoscant. Alcasar in Apocal. 13. *Quemadmodum*, inquit, *dimidia hora*, c. 8. *& quinque menses*, c. 9. *non sunt in proprio sensu desumpti, sed mysticè; ita etiam convenienter ad Apocalypseos contextum accipiendi sunt hi quadraginta duo menses, in sensu mystico, non proprio. Etenim accipere hos numeros dierum, mensium & annorum, ut sonant, id quidem nequaquam stylo ænigmatico quadrat.* Hentenius in præfat. in Comm. Arethæ fatetur, quòd *impossibile sit, Antichristum tam parvo tempore tam multa regna & provincias obtinere.* Suaretz tom. 2. in 3. p. Thom. q. 59. art. 6. disp. 54. sect. 5. scribit; *quamvis tempus Antichristi post comparatam Monarchiam, quod erit propriè tempus persecutionis Ecclesiæ, futurum sit breve, tamen tempus bellorum eius non constat futurum adeo breve.* Si non futurum tam breve, quis annis communibus tribus & dimidio ausit definire? An fortè tempore belli non regnabit? Rex non erit, nisi universali Monarchiâ comparatâ stabilitâque?

IV. Acosta lib. 2. de temp. novissima c. 8. confitetur, *neminem hominum certò scire præcisam regnaturi Antichristi durationem, ac proinde tres illos annos cum dimidio nihil nisi regni ejus extremitatem, summitatem aut fastigium significare.* Si nihil nisi extremitatẽ & fastigium regni, tres anni cum dimidio significant, utique non cõtinebunt totius regni initia, progressum, fastigium, & finem, si quidem communes annos interpreteris. Si nemo hominum certò scit præcisam regnaturi Antichristi durationem, quomodo tu tam angustis terminis concludas? Acostæ suffragatur Scriptura. Becano non solùm Scriptura, sed etiam humilis ortus, progressus & res, quas quadrimulus ille Antichristus, si Papistis credas, gerere debet, evidenter repugnant. Rectiùs itaque facturi sumus, si tempus regnaturi Antichristi Deo per-

mittamus, & reliquis notis contenti cogitemus seculò, *Non est vestrum, nôsse tempora & opportunitates, quas Pater in sua ipsius auctoritate posuit*, Act. 1,7. Ubi prophetia impleta fuerit, patebit tempus.

V. Si cum Becano præciso regni termino inhæreas, nec velis Antichristũ agnoscere, cujus regnum non præcisè duret tres vulgares annos & dimidium, nunquam Antichristum quadrimulum, quem Papistæ exspectant, convinces, quòd sit Antichristus. Etsi alias notas ei applices, quas Papistæ comminiscuntur, frustrà eris, nisi convincas, tantùm tres annos & dimidium regnâsse. Quando convinces? Temporéne currente, an elapso? Currente non potes: Si enim adhuc currit, nondum regnavit annos tres & dimidium. Non igitur Antichristus inde agnosci potest. Dicendum enim erit; *Tu regnabis annos tres & dimidium.* Hîc ille regeret, unde tibi constet? Deinde allegabit tempus bellorum: Ego, inquiens, jam tot annos bella gessi; Tot Reges subegi. Supergressus sum vestrum terminum. Non bellum gessi, ut privatus. Rex bellum gessi. Si elapso tempore velis convincere, frustrà eris. Non erit superstes. Nisi regno exutus privatam vitam aget, ut cõvincatur ante mortem, aut demum post mortem erit convincendus: Si tamen hîc moriturus. Papistæ enim dissentiunt. Thomas putat, à Michaële occisum iri in monte Oliveti; Alii, vivum abjectum iri in gehennam; Alii, in ipso descensu trucidatum iri. Quo casu in inferno convincendus esset. Quis Jesuitarum illam provinciam susciperet?

VI. Jam alteram notam non veriorem esse, suprà probavi. Ibi vide. Becanus per duos Prophetas intelligit Enoch & Eliam, per Hierosolymam urbẽ Judææ. Neutrum habet à Scriptura. Neutrum probare potuit. Nominantur duo Prophetæ; Quòd sint futuri duo tantùm individua, non lego. Nec Enoch & Elias, nec Elias & Moses nominantur. Non dicuntur interficiendi, non corpora eorum abjicienda in plateis Hierosolymæ magis, quàm Sodomæ, vel in Ægypto. Cadavera eorum jacebunt in plateis urbis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, Ægyptus & Hierosolyma. Sicut Sodoma & Ægyptus, sic urbs, ubi Dominus crucifixus est. Si hi tituli non competunt magnæ urbi Papatus, æquo animo feremus, quòd in Judæam nos remittunt, ad quærendam sedem Antichristi.

VII. De Sodoma testis Mantuanus, qui vidit; Ille sic canit:

I pudor in villas, si non patiantur easdem
Et villæ vomicas: Roma est jam tota lupanar.

Item valedicens Romæ:

Roma vale, vidi, satis est vidisse; revertar,
Cùm leno, meretrix, scurra, Cinædus ero.

Cui congruit, quod alius de Roma quærenti respondit;

Roma quid est? Amor est, quem dat præposterus ordo.
Roma mares: noli dicere plura; scio.

VIII. De Ægypto iterum Mantuanus testis in hunc modum canens;

Fama est, Ægyptum coluisse animalia quædam,

Et pro numinibus multas habuisse ferarum.
Illa superstitio minor est, quàm nostra, ferarum
Hic aras habet omne genus; contraria certè
Naturæ res atque Deo, qui dicitur olim
Præposuisse hominem cunctis animantibus unum.

IX. De Hierosolyma Petrarcha in epistolis testis his verbis: *Vides, populum non modò Christi adversarium, sed quod est gravius, sub Christi vexillo rebellantem Christo militantem Satanæ & Christi sanguine tumidum atque lasciviente & dicentem*: Labia nostra à nobis sunt: quis noster Dominus est? *Populum duricordem & impium, superbum, famelicum, sitientem, hianti rostro, acutis dentibus, procurvis unguibus, pedibus lubricis, pectore saxeo, corde chalybeo, plumbea voluntate, voce mellisluâ; Populum, cui non modò proprièconvenire dixeris evangelicum illud atque propheticum*; Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Sed etiam illud Judæ Iscarioti, qui Dominum suum prodens & exosculans dixit*: Ave Rabbi. *Et Judæorum, qui indutum purpura, coronatum spinis, percutientes & conspuentes illusione amarissimâ, flexis poplitibus adorabant & salutabant*; Ave Rex Judæorum, *quem neque ut Deum, neque ut Regem divinis aut humanis honoribus, sed ut reum mortis ac blasphemum contumeliis dignum atque suppliciis in humano judicio destinarant. Quidenim? quid, oro, aliud assiduè geritur, hos inter Christi hostes & nostri temporis Pharisæos? Nonne etenim Christum ipsum, cujus nomen die ac nocte laudibus attollunt, quem purpura atque auro vestiunt, quem gemmis onerant, quem salutant & adorant cernui, eundem in terræ emunt, vendunt, nundinantur, eundem quasi velatis oculis non visurum, & impiarum opum vepribus coronant, & impurissimi oris sputis inquinant, & vipereis sibilis infectantur, & venenatorum actuum cuspide feriunt, & quantum in iis est illusum, nudum, inopem,* FLAGELLATUM *iterum atque iterum in calvariam trahunt ac nefandis assensibus* CRUCI RURSUS FIGUNT. *Et ô pudor! ô dolor! ô indignitas! Talium hodie, ut dicitur, ROMA est.*

X. Hæc Plessæus, hæc Pareus, aliique pridem objecerunt; & adhuc nos remittant Jesuitæ in Judæam? Romæ invenimus Hierosolymam, ubi Dominus est crucifixus: Non est, cur eam in rem repetamus, quod Baronius ex Actis Petri & Egesippo, ad annum 69. refert, quòd videlicet Christus Petro è carcere Romano fugienti occurrerit in porta, & quærenti, *quò veniat*, responderit, *venio iterum crucifigi*: id quod Petrus ad crucem suam pertinere, intellexerit, cùm Christus in sua carne non posset iterum crucifigi; *Crucifigendum igitur in servulo.* Qui volunt, possunt hoc argumento uti. Aut enim Christus Petro id responsum dedit, aut non dedit. Si non dedit, cur dedisse, affirmat Baronius? Si dedit, Romæ igitur Dominus crucifixus est. Nos nec illud repetemus, nec quod Origenes apud Baronium memorat, Christum Paulo Romæ obvium factum dixisse, *Debeo denuo crucifigi.* Non opus est. Habemus recentiorem testem Petrarcham.

XI. Si his omnibus neglectis, argumẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum Becani pro Pontifice efficacissimum esse adhuc contendas, voco te in rem præsentem. Prome, unde quadrimulum Antichristum, ad quem Jesuita nos amãdare vellet, convincas, quòd sit Antichristus. Agendum erit aut ex notis Papisticis, aut ex nostris. Si ex Papisticis, quas potissimùm deliges? Num eversionem Imperii Romani? Dicet, ante multa sæcula destructum esse, eaque in re audenter provocabit ad Baronii plurimorumque aliorum Papistarum testimonium. Si totalem destructionem & nominis Imperialis abolitionem urgeas, Suaretzius intercedet, incertum hunc modum esse, declarando. Num ortum ex tribu Dan oppones? Primò quid, si neget, ex illa tribu se natum esse? quo teste probabis? Num ita distinctæ sunt adhuc tribus Judæorum, ut constare possit, ex qua quisque ortum ducat? Deinde esto; probes, natum esse ex tribu Dan, quid si neget, hanc esse Antichristi notam? Quid si Abulensem testem laudet, qui in dubium vocat? Quid si Oleastrum, qui asserit, hoc esse fabulosum? Num Jacobi vaticinium, an Ecclesiæ traditionem oppones? Quid verò, si Jacobi vaticiniũ ad literam de Samsone loquatur? Ita Lyra, ita Bellarminus. Si tu ad Ecclesiæ traditionem confugias, nescio, an ea tutum receptum tibi sit præbitura. Arma, quibus impostorem expugnes, non præbebit. Quinimo si te observet Alcasar, dicet, *nullo modo sibi traditionem Ecclesiæ videri, sed solùm aliquorum Doctorum opinionem.* Nec solus dicet. Distolmeierus illi assistet ac pronunciabit, *nunquam ab Ecclesia catholica certò definitum esse.* Num cum utroq; congredieris, inspiciente vestro Antichristo? Ille ridebit Cadmeam pugnam, tu vix palmam referes. Esto autem; referas. Parùm promovebis, nisi aliæ notæ concurrant. Hæc enim esset communis, cùm multi sint orti ex tribu Dan, qui infamiam Antichristi non contraxerunt.

XII. Quas igitur superaddes, ut impostorem omnibus probes? Num characterem? An durationem regni? An cædem duorum prophetarum Hierosolymæ factam? Durationem gratis allegabis, ut paulò antè ostendi. Si enim nondum complevit regnando tres annos cũ dimidio, quomodo hinc convinces, Antichristum esse? Si complevit, quo statu & ubi convinces? Num completo regni tempore hîc deget, ut eum possis seductis detegere? An eo ipso momento, quo annos tres cum dimidio complebit, in monte oliveti in præsentia Michaelis confundes? An in via, dum ad infernum proficiscetur? An demum in inferno? Ne indigneris. Ante finem regni nõ poteris impostorem convincere ex durationeregni. Ideo cogitandum de tempore sequente.

XIII. Si in charactere spem ponas victoriæ, probè dispiciendum est, quibus sociis rem aggrediaris. Illos nactus ex quo tandem charactere illum mundo agnoscendum manifestabis? Num eum convinces, quòd literis nomen Antichristi omnium frontibus inscripserit? Is enim erit character, si aliquibus credas, apud Bellarminum? An demonstrabis, græcam literá X cui P. sit insertum, id est, initiales literas Christi omnium suorum fronti, vel dextræ inscripsisse? Eum enim cha-

characterem Ansbertus sibi revelatum esse dicit, apud Cornelium à Lapide. Applaudent fortè aliqui. Quid verò, si hæc verba, *Nego baptismum*, vel, *Nego Iesum*, characterem fore, Pererius dicat, tu a. in omnium dextra vel frontibus non invenias? Uter alteri cedet? Si neuter cedat, quis erit judex? Papane, an Concilium? Hoc congregari vix poterit propter persecutionem. Ille ubi feret sententiam? Interim Antichristo vestro suavem risum movebit pugna, qui non parùm augebitur, si Ribera vobis omnibus contradicat & contẽdat, characterẽ fore formam draconis. Eam enim si non in omnium dextra vel fronte impressit, non deprehendetur Antichristus. Certè nõ poteritis impostorem convincere, priusquàm consentiatis. Si quidem ex charactere vestro velitis convincere.

XIV. Restat cædes duorum testium. Hinc vix poteris causam contra impostorem obtinere. Dic cum Becano, ipsum occisurum esse Enoch & Eliam Hierosolymæ. Ridebit. Unde enim probabis? Si tu ad Apocalypsin, ille ad socios fidei tuæ provocabit. Num ex eo, quod nondum factum est, possit agnosci Antichristus? Omnes ore uno respondebunt, non posse. Ergo convincendus erit, ipsum occidisse Enoch & Eliam Hierosolymæ. Negantem quomodo convinces? Dicet, non constare, quòd debeant occidi ab Antichristo: Illos fuisse planos, qui mentiti sint nomen Enoch & Eliæ. Ad socios vestros iterum provocabit. Hîc Pannonius dicet, testes Apocalypticos esse omnium temporum veritatis assertores; Arias dicet, esse legem & prophetiam. Alcasar, non ad Antichristi, sed ad primitivæ Ecclesiæ tempus pertinere. Hîc plaudet impostor; hinc se tuebitur. Si tu contendas, duos numero testes fore, ingens quidem plausus à tuis audietur tibi adstipulantibus. At non terrebitur adversarius. Audiet enim varios susurros variorum non de grege virorum, inter quos Eithingerus cum suis dicet, testes Apocalypticos Christum esse & Johannem, Caponsachius, Ananum & Jesum Sacerdotes; Lyra, Antoninus, Lazarazus, alii Sylverium Papam & Mennam Patriarcham nominabunt. Alii de Francisco & Dominico nonnihil mussitabunt. Susurri desinent in pugnam, quam quadrimulus ille vester Antichristus spectabit lætus, & clamabit, *Agite, boni viri, hanc liteminter vos cernite per ocium, interim agnoscitis, planos fuisse duos illos, quos occidi; non fuisse Enoch & Eliam, quorum nomina mentiebantur.*

XV. Si istâ factione omisâ, contendas, duos testes ad tempus Antichristi pertinere, verus quidem eris, sed si Enoch & Eliæ porrò inhæreas, parùm proficies. Jansenio Moses & Elia notari videntur. Maldonato certum est. Imò opinionem de Enoch & Elia temeritatis & impudẽtiæ damnat. Alii sermonem de Jeremia inferent nixi Hilario. Concludet vester Antagonista, se non esse Antichristum, quòd nec Mosen, nec Jeremiam occiderit. Planum fuisse, qui mentitus fuerit nomen Enochi, proinde dignum morte. Enoch enim non rediturum, judice Maldonato.

XVI. Dum in hunc modum se tuebitur, opportunè superveniet Barradius, & multis argumentis probabit, Johannem Evan-

Evangelistam cum Enoch & Elia venturum & pugnaturum esse cum Antichristo. Hîc ille, quem velles convincere, quòd sit Antichristus, exultabit atque assâ voce clamabit; Audin' Becane? Perges porrò mihi molestus esse de cæde duorum virorum? Plani fuerunt. Non fuerunt veri Prophetæ. Enoch & Elias non venient sine Johanne Evangelista. Tres duces venient, unus ex lege naturæ, alter ex lege Mosaica, tertius ex lege Christi. Ubi Johannes Evangelista visus? Non vidi, non occidi eum. Duo isti plani fuerunt, quos occidi. Veri Prophetæ non venient absque Johanne. Dixit Barradius. Ille vester socius. Cum illo transigite, & exspectate Antichristum, qui Johannem occidat cum vero Enoch & Elia. Ego certè non sum.

XVII. Jam sentis, spero, quisquis es bonæ mentis Papista, quantum valeant notæ vestræ tantopere nobis à Becano commendatæ. Restant nostræ. Ex his agnoscendus est Antichristus, aut nunquâ certò agnoscetur. Eas verò si expendamus, non est, ut ad extremum mundi triennium rejici nos patiamur. Manifestè patent in Pontifice Romano. Si non deficit à vera fide, si non sedet in templo Dei, si non ostendit, se tanquam Deum, si non effert se supra quicquid dicitur Deus, aut numen, si non impressit characterem suis subditis, si non falsis miraculis rem egit, non esto Antichristus, exspectetur alius. Si hæc omnia in illo deprehendimus, cur alium quæramus? Constat, nos in ipso Antichristum tenere.

XVIII. Sic fuit prius argumentum, quod Becanus ex dictis malè colligebat, Alterum ita est: *Ecclesia catholica, quæ toto orbe dispersa est, non potest errare in fide (ut probatum est cap. 3.) At Ecclesia Catholica, quæ toto orbe dispersa est, negat, Pontificem esse Antichristum, & agnoscit illum pro suo capite ac Pastore. Ergo revera non est Antichristus, sed caput & pastor Ecclesiæ catholicæ.* Num. 53.

XIX. Per Catholicam Ecclesiam intelligit Romanam, seu Pontificiam. Sic enim capite tertio num. 3. habet quinta conclusio; *Ecclesia Romana, seu Pontificia est vera Christi Ecclesia, de quâ hactenus dictum est.* Sed verba erant. Non probavit, esse. Nos probavimus, non esse. Ille jactabat, errare non posse: Nos probavimus, posse; imò errâsse. Vide suprà controv. 3. sect. 9. & 10. Neget igitur pontificia Ecclesia, Papam esse Antichristum, agnoscat suum caput & Pastorem. Non ideo non est Antichristus: non ideo totius Ecclesiæ caput & Pastor. Major falsa est de Ecclesia Papistica, quæ particularis est, non tota Ecclesia. Si major intelligatur de unius temporis Ecclesia catholica, nos ostendimus, quo sensu errare possit, & non possit, suprà l. 1. sect. 7. & 8. Ille non probavit, Ecclesiam visibilem unius temporis nullo modo errare posse. Nos probavimus, eò rem redire posse, ut aliquando nusquam appareat integer cœtus, qui publicâ ordinarii ministerii voce præviâ incorruptam veritatem citra omnem errorem profiteatur. Etsi igitur aliquando tota Ecclesia visibilis Papam suum caput agnovisset, non ideo mox esset. Sed eò nos progredi, non est necesse. Nec omnium temporum, nec unius temporis Ecclesia universa unquam vel negavit, Pontificem

tificem esse Antichristum, vel agnovit illum pro capite & pastore suo, nempe Oecumenico, solitario. Quando, ubi, quibus testibus, illud negavit, hoc affirmavit? Semper fuerunt Ecclesiæ extra Papatum, quæ Papam non agnoverunt suum caput. Adhuc sunt, q̃ non agnoscunt. Vide suprà controversiam quartam. Ibi res acta est.

XX. Hinc facilè patet, quid sentiendum sit de Becani illatione, quâ suam de Antichristo disputationem claudit. Non muto verbum, ne vim argumenti videamur declinare. *Hinc*, inquit, *ulteriùs infero, adversarios non habere legitimam causam suæ defectionis ab Ecclesia & Pontifice. Quinpotius eo ipso, quòd defecerint ab Ecclesia & Pontifice, à fide defeciisse & hæreticos esse factos. Accipiant ergo hunc syllogismum. Omnes hæretici sunt præcursores Antichristi. Adversarii nostri sunt hæretici. Ergo sunt præcursores Antichristi.* Num. 54. Qualis sit illatio, ex dictis patet. Falsa est, nisi ex falso verũ rectè inferatur. Concluserat, Papam esse caput & pastorem Ecclesiæ catholicæ. Id falsum. Etsi igitur à Pontifice defecimus, non ideo sumus hæretici. Conjungit Ecclesiam cum Pontifice, quasi nemo ab hoc deficere possit, quin ab illa deficiat. Verum sit, cùm per Ecclesiam intelligit Pontificiam: non verum, cùm intelligitur catholica. Nos ab Ecclesia catholica non defecimus: nulla causa nobis erat deficiendi. Perseveramus in ejus communione, per Dei gratiam in eadem morituri. Non aliam tenemus doctrinam, quàm quæ Prophetarum & Apostolorum scriptis continetur. Hinc certi sumus, nos ab Ecclesia catholica non defeciisse. Defectio à quovis Romano Pontifice non magis est certum argumentum hæreseos, quàm defectio à quovis Hierosolymitano, Alexandrino, vel Antiocheno Pontifice.

XXI. A Romano Pontifice & Ecclesia Papistica à discedendi causæ nobis fuerunt justissimæ. Alibi recitantur à nostris & asseruntur. Quin & redduntur à me in singulis controversiis, quas tractamus. Pontifex defecit à Christi doctrina in Scriptura canonica nobis tradita, falsos cultus & doctrinas dæmoniorum tuetur, dominatum œcumenicum sibi contra voluntatem Servatoris arrogat, effert se supra quicquid dicitur Deus & numen. Regnum ipsius penè totum mercatura mera est & nundinatio: venduntur claves & sacra cuncta; nec venduntur tantùm, sed & emuntur priùs, ut non gratis accepta, sed empta vendantur. Nõ fert à se dissentientes; Ferro & igni grassatur in confessores veritatis. Pridem ebrius est Sanctorum sanguine. Et ab illo non discederemus? Communionem Simoniacorum vetant canones, omne illorum ministerium condemnantes. Si Papatus non est plenus Simoniacorum, non deprecamur culpam secessionis. Præterea Papa excommunicat nos, non recepturus nisi in sua verba jurantes. Nõ possumus, nisi Christum ejuremus. Interim manemus spiritu conjuncti cum Ecclesia sub Papæ tyrannide gemente, eique eandem libertatẽ precamur à Deo, in quam nos sumus asserti.

XXII. Inde ridiculum se præbet, dum Antichristi præcursores nos facere conatur syllogismo. Utraque præmissarum est falsa. Sint omnes hæretici præcurso-

res Antichristi. Quid ad nos ? In minore cardorei versatur. Probandum, nos esse. Non probatur. Cur sumus? Num quia ab Ecclesia catholica defecimus? Non defecimus , sed ejus causam tuemur adversùs hostes apertos & opertos. An quia recessimus à Pontifice & Ecclesia Pontificia? Ridiculum. Ita recessimus à defectione & rediimus ad unitatem capitis Christi & veræ Ecclesiæ catholicæ. Jam addo, quamvis major nos minimè lædat, falsam tamen esse. Omnes hæretici, quos sancti Patres veteris Ecclesiæ viderunt, fuerunt præcursores Antichristi. Quòd omnes hæretici quocunq; tempore exstituri, sint ejus præcursores, nec habemus à Scriptura sacra, nec ab Ecclesiæ definitione. Nulline hæretici sub Antichristo emergent ? Ipse hæreticus est. Aut igitur non omnes erunt præcursores, aut ipse Antichristus erit præcursor Antichristi; quia hæretic⁹.

XXIII. Jam in mentem mihi venit Gregorii Magni sententia supra nobis recitata. Ad Mauritium Imp. scribebat; *Ego confidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Nõ dices, errâsse. In periculum enim adducere totam causam, quippe suspensam à Pontificis infallibilitate. Assumo: Bonifacius III. secundus à Gregorio Pontifex se universalem Sacerdotem vocavit. *Ἀναντίῤῥητον.* Ergo Bonifacius III. in elatione sua Antichristum præcurrit. Si præcursor Antichristi, jam ante mille annos, & quod excurrit, sedit Romæ, impudentes profectò Jesuitæ, qui Hierosolymam nos remittunt, ut ibi quæramus Antichristum. Cur Antichristum non ferat sedes, quæ præcursorem ejus tulit? Num tanto ex intervallo præcursorem suum sequetur & sedem tantâ locorum intercapedine dissitam tenebit? Atqui Gregorius, quem Calvinus sanctum virum, Bibliander ultimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum vocat, monebat , omnia prædicta jam fieri, Antichristum, Regem illum superbiæ propè esse , jam Ecclesiæ fores pulsare & illi paratos esse humeros Sacerdotum, lib. 4. Epist. 18. Ingentia prodigia monelam confirmare videbantur. Tritones in Nilo apparebant, animantia formæ humanæ usque ad umbilicum , quæ portendebant, novos quosdam architectos similes Jamni & Jambri sub specie humanitatis & religionis , tyrannidem plusquàm Pharaonicam in orbem Christianum invecturos esse. Tiberis muros urbis transscendebat, cũ magna serpentũ multitudine, draco miræ magnitudinis per urbem in mare descendebat , teste Mariano Scoto. Diluvium serpentes ad littora Italiæ projiciebat, multosque homines & pecudes perdebat. Mox fœtor cadaverum diram pestem excitabat, quâ in urbe intra unius horæ spacium sub publicis precibus octoginta millia hominum exstinguebantur, referente Naucl ero. Angelus stricto gladio supra molem Adriani visus Gregorio dicitur. Sequebantur locustarum agmina quinque, innumerabilis multitudinis: quæ monere videbantur, instare jam Regem locustarum, & diras scorpiolocustas, quæ homines crucient sex mensibus.

XXIV. Verum nos nihil istorum nunc con-

considerabimus. Hoc dicam. Si Bonifacii tertii successores regnum, cujus initium quoddam ille fecit sub Phoca, deinceps moliri non perrexerunt, si non fundârũt sub Francis Regibus ac nonnihil provexerunt, si non amplificârunt sub Henricis & Fridericis, si sub Regib⁹ sequentibus ñ confirmârunt, si se non extulerunt supra omnes Reges & Imperatores; Si Bonifacius VIII. in primo Jubilæo in illo frequẽtissimo orbis concursu, non velut novus Aristobulus, aut alter Julius Cæsar, in ornatu Pontificio & Imperatorio sese ostentans, utrumque gladium sibi arrogavit; Si non adhuc hodie successores regnant ; Si non summam & Oecumenicam sacerdotalem ac regiam potestatem sibi arrogant; Si nono, decimo, undecimo, duodecimo & decimo tertio seculo ñ fuerũt, qui Antichristum jam venisse, in medio Papatu dicerent; Si nominatim Gregorii VII. tempore, plerique omnes boni, aperti, simplices, justi tum Imperium Antichristi cœpisse, non dixerunt, teste Papistâ; Si denique præter notas à nobis suprà suo loco indicatas, assertas & num. 17. repetitas, alia, quæ Paulus & Johannes Antichristo tribuunt, non competunt Romano Pontifici, agnoscimus, falsum esse Gregorium, dum Regem superbiæ propè abesse, & humeros sacerdotum ei paratos dixit, agnoscemus, falsos esse omnes, qui Romæ Antichristum quærunt; neque feremus ægrè, quòd in Judæam remittimur, ad quærendum ibi Antichristum. Sin autem, cur alibi quæramus?

XXV. Paulus Antichristo tribuit omnem fraudem iniustitię, nominat impium illum & hominem peccati. Johannes videt mulierem amictam purpurâ & cocco, & inauratam auro & margaritis; Videt ebriam sanguine Sanctorum & sanguine martyrum Jesu. Ita fallaciæ, scelera, luxus & crudelitas Antichristi notantur. Tu jam vide Papatum. Annon omnia plena fraudum? Suprà controversiâ tertiâ sect. 10. errores circa cultum Sanctorum & reliquiarum memorabam. Jam fraudes nomino. Merâ enim fraude ad cultum proponuntur Sancti, qui nunquã exstiterunt, & falsæ reliquiæ. Fraudes miraculorum agnoscebantur suprà à Lyra, Agrippa, Cassandro, & detectæ sunt multis locis. Adde fraudes revelationum, & apparitionum , quibus invocationem Sanctorum , reliquiarum & imaginum cultum, purgatorium & transsubstantiationem conantur probare.

XXVI. Nec quidem hîc sibi temperârunt à ridiculis. Tanta fuit efficacia Satanæ hominum mentes excæcantis. Mortonus in dissertatione contra Bellarminum , aliique pridem exempla memorârunt, & recentissimè Schookius Fromondo nonnulla objecit. Huc imprimis pertinent octo bidentes S. Aidi, quas octo lupis famelicis dedit, & paulò pòst ex eorum ventribus oratione suâ integras recepit. Huc pertinet vacca S. Bernaci, quæ à furibus mactata, dissecta & in lebetem imposita , ad vocem ejus auditam, mugitum è lebete edidit, apud Johannem in Sanctis Britannicis. Huc pertinent femoralia Thomæ Cantuarienſis, quæ cùm ipse non commodè reficere posset, eo nomine mœstus sedens in choro, virgo Maria de manibus ejus accepta confestim re-

repara vit. In speculo exemplorum. Huc pertinent pisces fratris Antonii, qui ad concionem ejus audiendam omnes caput è mari levârunt, & grandiores quidem in locis profundioribus, minores verò in vadosis constiterunt &, concione finitâ, mirabilem harmoniam ediderunt. Huc pertinent Franciscí aves, quæ concionantem audiverunt; huc luscíniæ totum diem cum eo cantantes; huc ovis balare & ante altare B. Mariæ genua flectere docta; huc indomitus asinus ad Sancti vocem dicentis, *Subsiste, frater asine, & permitte me populo concionari*, subsistens & caput inter genua occultans. Denique huc pertinet cicada, octiduum cum eo in templo B. Mariæ hærens ad ejus nutum in caput volans, nec, nisi veniâ impetratâ, discedens. Videatur liber Conformitatum.

XXVII. Ad fraudẽ injustitiæ quoq; referimus jure meritoq;, quòd primis Episcopis Romanis affictæ sunt Epistolæ, quòd Græcis & Latinis Patrib⁹ adulterini fœtus suppositi, & genuina Veterum scripta variè falsata sunt. Post Erasmum nostri demonstrârunt, nominatim Foxus, Perkinsus, Scultetus, Rivetus, Chamierus, Cappellus. De fraudibus sophismatum nihil nunc dicam. Testes earum sunt omnes controversiæ.

XXVIII. Luxus curiæ Romanæ negari nequit. Num usquam alibi major? Vincit omnes Sardanapalos & Heliogabalos. Bernhardus Eugenio exprobrat, non Petro, sed Constantino succedere in eo, quòd gemmis ornatus, tectus auro, albo equo vectus, stipatus milite & circũstrepentibus septus ministris procedat. Platina in Gregorio IV. Ludovici Imp. constitutione de Ecclesiasticorum vestitu laudatâ, scribit, *Indiget nunc, Ludovice, Ecclesia tuis sanctissimis institutis, tua censura, adeò in omnem luxum & libidinem sese effundit ecclesiasticus ordo, coccinatos & trabeatos nunc inspiceres non homines, quod leve fortasse videretur, sed equos & jumenta, præcedente, dum incedunt, magno adolescentum & altero presbyterorum agmine subsequente, non in asinis, ut Christus nostræ dogmatis auctor, & unicum in terris bene vivendi exemplar, sed in equis præferocibus & phaleratis, ac si ex hoste devicto triumphum ducerent. De argenteis vasis, & egregia eorum supellectile, deque cibariis non attinet dicere, cùm & Sicula dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretii dici possint.* Testis sit carbunculus Clementis V. quem Lugduni, equo deturbatus amisisse fertur. Testis Pauli II. regnũ, de quo idẽ Platina scribit; *De apparatu Pontificio nõ est cur ambigas, omnes majores ab hoc uno superatos, regno præsertim, sive mitram appellari velis, in quam multas opes contulit, coëmptis undique magnis pretiis adamantibus, sapphiris, smaragdis, chrysolithis, jaspidibus, unionibus & quicquid gemmarum in pretio est, quibus ornatus tanquam alter Aaron in publicum formâ humanâ augustiore prodibat. Inspicè ab omnibus tum volebat & admirari.* Non tango luxum in ornatu templario, in fabricis, in aliis operibus. Unus Sixtus V. quantam auri vim profudit? In unum aquæ ductum à nomine suo dictum Felicem ducenta & septuaginta ducatorum millia, in unius obelisci Vaticani translationem, de qua Paulus II. Julius II. Paulus III. & Pius IV. cogitaverant, octoginta millia aureorum, ut aliqui prodiderunt, impendit.

XXIX. De sceleribus Pontificum verba multa facere superforaneum duco. Notæ sunt historiæ. Nostri sæpe exscripserunt, nominatim R. Barns, Magdeburgenses, Plessæus, Chamierus & novissimè Cappellus. Testes non nostri, sed ipsi Papistæ. Audivimus suprà querelas Baronii de monstris, quæ nono & decimo seculo sedem tenuerunt. Non constitit malum intra hos terminos. Longiùs grassatum est. Quot numerantur Necromantæ usque ad Gregorium VII. cujus sanctitatem Baronius quidem miris laudibus extollit, sed, si Bennoni Cardinali, ejus intimo, credendum est, non immeritò vir eruditus scribit, nisi talpis cæciores simus, nos visuros esse, in Gregorio diabolum potentiùs regnâsse, quàm vel Romæ in Romulo, in Tarquinio Superbo, in Julio Cæsare, Claudio, Caligula, Nerone, Domitiano, Diocletiano, vel in Ægypto, Babylone, Persis, Scythis, Turcis, Tartaris, Saracẽis. Illi⁹ vestigia successores pleriq; fortiter presserũt, imprimis in negocio investiturarum contra Imperatores perficiendo, non sine summa impietate. Nec istâ causâ confectâ, pristinam sanctitatem sedi redditam esse, vel Petrarcha, *stupra, raptus, incestus, adulteria Pontificalis lasciviæ ludos* vocans, vel illi si non credas, Pontifices ipsi, nominatim Clemens V. Benedictus XII. Bonifacius IX. Johannes XXIV. Sixtus IV. Alexander VI. Julius II. Leo X. testentur. Quæ causa Ludovicum XII. Galliæ Regem fortasse movit, ut synodo Lugduni indictâ Julium in jus vocaret, & rursum Pisis Concilium indiceret, quo in caput & membra inquireretur; neque hoc solùm, sed & nummum cuderet, qui titulos Regis Franciæ regnique Neap. cum effigie sua ex una parte, & insignia Franciæ exaltera, teste Thuano, referebat, cum hoc elogio, PERDAM BABYLONIS NOMEN. Num veteris? Imò novæ, in qua regnabat Julius. De qua suo tempore Petrarcha scribebat; *Hic quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile usquam est, aut fingitur, aspicias. Non tam civitas, quàm larvarum & lemurum domus est, & ut breviter dicam, scelerum atque dedecorum omnium sentina atque ille viventium infernus; tanto ante Davidico ore notatus, quàm fundatus aut cognitus.* Ep. 18. inter eas, quæ vocantur sine titulo.

XXX. Restat crudelitas, quam ipse coccineus habitus notat, secundùm Arethan. Ut habitus ille penè eximi⁹ est aulæ Pontificiæ, ita vix aliud regnum magis purpurat sanguine Sanctorum. Pontifex multo sanguine regnum sibi paravit. De illo non loquor, sed de sanguine Sanctorum, quem religionis causâ fusum hausit, regno jam confirmato. Seculo duodecimo Waldenses publicè taxabant errores & abusus Papisticos. Innocentius III. in illos Philippum Galliæ Regem concitat, qui ingentem multitudinem ferro delet. Bellarminus gloriatur, uno die cæsa esse centum millia Albigensium. Sic Waldenses vocabant in Occitania. Reliquiæ dispersæ variis locis persecutionem passæ sunt.

XXXI. Cùm clarior lux veritatis Lutheri, Zuinglii, Oecolampadii, Buceri, Me-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Melanchthonis, Calvini aliorumque ministerio exoriretur, quid non tentabat Romana sedes? Quodnam mortis genus dices, quo non sævitum sit in fideles? Qui laquei, qui gladii, qui ignes suffecerunt Sanctorum cruciatibus in Germania, Anglia, Belgio, Italia, Hispania? Verè vir magnus scribit, *christianitatem nihil aliud esse visam, quàm universalem carnificinam.* Quædam exempla leguntur in Martyrologio, quod pater meus D. Paulus Crocius, ὁ μακαρίτης, in nostram linguam transtulit, itemque apud Foxum, Pantaleonem. In una Gallia intra mensem triginta millia minimùm occisa sunt. Quo tempore Lutetia sanguineos torrentes vidit in Sequanam dimanantes, spectaculo tam jucundo, ut indicto Jubilæo publicæ Deo actæ sint gratiæ pro re ex voto tam feliciter gesta. Vide comment. de Statu Relig. & Reip. in Regno Galliæ par. 4. Non continuit se lætitia intra Lutetiam. Nuncio Romam allato mox decretum fit, ut rectà Pontifex cum Cardinalibus ad B. Marci concedat, & D.O.M. pro tanto beneficio sedi Romanæ orbique Christiano collato ritu solenni gratias agat; item ut die Lunæ proximâ Sacrum solenne in Minervæ æde celebretur, eique Pontifex & Cardinales intersint. Inde Jubilæum toto Christiano orbe publicetur, ut agantur Deo gratiæ ob deletos in Gallia veritatis & Ecclesiæ hostes. Sub vesperam in Adriani mole in publicæ lætitiæ signum disposita tormenta, ac passim per vias accensi ignes, nihilque eorum intermissum, quæ in cunctis ac maximis quibusque pro Ecclesia R. victoriis fieri solent. Sunt verba Thuani lib. 52. Histor. Nihil addo memor instituti. Dices, *non fuisse Sanctos*, sed *hæreticos*. Credam, si probaveris, defecisse à doctrina in scripturis Prophetics & Apostolicis comprehensa. Donec probes, dicam, meretricem ebriam esse sanguine Sanctorum.

XXXII. Ita invenimus in Pontifice, quæ Antichristo Scriptura tribuit, nec video, quid desiderare possis, nisi fortè nomen. Si dicas, *de nomine Antichristi nondum constare, tantum abesse, ut vel illud, vel numerus nominis ejus possit Pontifici applicari*, ego cogito, quòd Johanni dictum sit, *hîc sapientia est!* Etsi igitur non satis clarè de eo nobis constaret, non tamen inde se nobis purgaret Pontifex, cùm reliqua ei prorsus competant. Verùm nec hîc habes, quod magnopere desideres. Jam olim Irenæo valdè verisimile erat, nomẽ Antichristi fore λατεῖνος, lib. 5. c. 30. Etsi variæ sunt variorum conjecturæ, ego tamen in eo lubens acquiesco. Illud habet numerum bestiæ, à Johanne expressum, ut ad oculum patet;

30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 200.

Λ A T E I N O Σ. *(666)*

Illud est nomen hominis; Appellabatur eo socer Æneæ, anno Mundi 2735. à quo postea Latini, & regnum per Romulum circa an. M. 3198. inchoatum: seculo decimo quinto eo insignitum invenio Episcopum Trojanum, si vera est subscriptio concilii Florentini, ubi sic lego: *Ego Latinus de Vrsinis, Archiepiscopus Trojanus me subscripsi.* tom. 4. Concil. pag. 894. Illud Pontifici optimè convenit. Ille Latinorum regnum & regni sedem Romam tenet. Ille omnia sacra vult peragi

agi latinè, alio sermone peragere nefas ei est. Aliqui annotât Vitalianum anno 666. præcepisse sacra peragi latinè. Certum plurium testimonio, quòd cantum ordinaverit additis organis. Præterea Pontifex suam Ecclesiam vocat Latinam & Pontificios Latinos, ut tum alibi tum in Concilio Florentino videre est, ubi conjunctionem Græcæ Ecclesiæ cum Latina molitus est Eugenius, præsente Johanne Palæologo. Ibi semper Pontificii nomine Latinorum à Græcis distinguuntur. Nec hoc solùm, sed & sola versio Bibliorum vulgata latina Pontifici est authentica, textus originalis non est. Esto igitur Latinus Pontifex: Imò esto Antichristus: Nam & nomen & reliqua ei competunt, quæ Antichristo Scriptura tribuit.

Non est, ut alium quæramus
Hierosolymæ.

INDEX
DICTORUM, QUÆ HOC PRIMO tomo explicantur.

Numerus paginam, literæ a. & b. columnam notant.

Ex Genesi.

Cap. 1. & 2. Deus creavit cœlum & terram sex diebus & septimo die quievit, 94 b
15, 13. Filii Israël in Ægypto fuerunt annis quadringentis, 97 a
32, 30. Deum vidi hisce oculis in os, & erepta est anima mea, 100 b
48, 16. Invocetur nomen meum super pueros & nomen patrum meorum, 139 b

Ex Exodo.

C. 13, 8. Et annunciabis filio tuo die illo, dicendo, propter hoc fecit ista Jehova mihi, cùm exirem ex Ægypto, ut sit tibi in signum ad manum tuam, 170 a
20, 5. Ego sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartã generationem, 101 a
22. Honora patrem & matrem tuam, 101 b
33, 20. Nõ videbit me homo & vivet, 100 b

E Deuteronomio.

C. 4, 2. Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neq; detrahito de eo, ut servetis præcepta Jehovæ Dei vestri, quæ ego præcipio vobis, 224 a
6, 13. Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis, 103 a
12, 32. Unamquamq; rem, quam ego præcipio, eã observantes facite, ne addito ei, neque detrahito ex ea, 224 a
17, 8. Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinẽ & sanguinem, causam & causam, leprã & lepram, & judicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq; ad sacerdotes, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

654.a. & 671 a. & 740
25,4. Non alligabis os bovi triturāti, 49 a
30,11. Nam præceptū hoc, quod ego præcipio tibi hodie, occultum non est à te, neque longinquum. Non est in cœlis, ut dicas, &c. 62 b

Ex libro Iudicum.

C.6,13 Ubi sunt mirabilia ejus, quæ enarrabant nobis patres nostri, dicendo, Nonne fecit, ut ex Ægypto ascenderemus, Jehova? 170 b

Ex 1. Samuelis.

C.15,11 Pœnitet me, quod constituerim Saul regem, 103 b & 155 a

Ex 1. Regum.

c.8.9 In arca non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moses in Horeb, 97 b

Ex 2. Regum.

C.1,10 Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos, 818 b

Ex libro Iobi.

C.19,21 Miseremini mei amici mei, 139 b

Ex Psalmis.

1,5 Non resurgent impii in judicio, 104 b
19,6 In sole posuit tabernaculum suum, 269 b
9. præceptum Jehovæ purum, illustrans oculos, 63 b
44,2,3 Auribus nostris audivimus, majores nostri narraverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis, manus tua gentes disperdidit, & plantâsti eos, afflixisti populos & expulisti eos, 170 b
62,12 Semel locutus est Deus, 100 a
78,5. Et suscitavit testimonium in Jacob, & legem posuit in Israël, quæ præcepit patribus, &c. 170 b
116. 11 Omnis homo mendax, 105 a
119,105 Lucerna pedi meo verbum tuum est & lux itineri, 63 b
130 Aditus verborum tuorum illuminat, prudentiâ instruit simplices, ib.

Ex Proverb.

C.6,6 Vade ad formicam, ô piger, & disce sapientiam, quæ parat in æstate cibum suum & congregat in messe, quod cōedat, 105 b
22,28 Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, 106 a
26,4 Ne respondeas stulto juxta stultitiā suam, ne efficiaris ei similis, 107 a

Ex Eccles.

C. 4,10 Ille è vinculis prodit ad regnandum, 155 b

Ex Cantico.

C.6,3. Sponsa est ut castrorū acies ordinata, 442 b

Ex Esaia.

C.1,2. Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me, 349 a
8,20. Ad legem & testimonium, 727 b
34,4. Noli timere, quia non confunderis, nec erubescas, 313 a
10. Montes commovebuntur & colles cōtremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ nō movebitur, ib. b
11. Ecce ego sternam per orbem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam jaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, 314 a
17. Omne vos, quod fictum est, contra te non dirigetur, & omnem linguā resistentem tibi, in judicio condemnabis, 315 b
41,23. Bene aut malè, si potestis, facite, 139 b
57,2. Speculatores illius cæci, quotquot sunt, non agnoscunt, quotquot sunt, canes sunt muti, non possunt latrare, 678 a
60,11. Nam apertas tenebunt portas tuas jugiter interdiu & noctu: non occludentur, ut introducant ad te copias gentium, etiam regibus earum adductis, nam gens ipsa & regnum, quæ non servient tibi, peribunt, & hæ gentes penitùs desolabuntur, 297 b
61,10. Induit me vestimentis salutis, & indumēto justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratumque corona & quasi sponsam ornatam monilibus suis, 116 b

Ex Ieremia.

C.6,13. A minimo eorum usque ad maximum eorum, quisquis est, deditus est quæstui, etiam tum Propheta, tum sacerdos, quisquis est, agit falsò, 680 b
26,6.11. Omninò moriturus es: Crimen capitale est in viro isto, nam prophetavit contra civitatem hanc, 682 b

Ex Ezechiele.

C.18,20. Filius non portabit iniquitatem patris, 101 a
20,18. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, 106 a & 628 b

Ex Daniele.

C.9,27. Deficiet hostia & sacrificium, 342 b

Ex Hosea.

C.2,19. Sponsabo te mihi in seculum, 288 b

Ex Iona.

C.3,4. Adhuc 40 dies & Ninive subvertetur, 107 a
4,11. Ego parcam Ninive civitati magnæ, ib.

Ex Haggæo.

C.2,12. Interroga jam sacerdotes de lege, 740

Ex Malachia.

C.2,7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, 669 b & 740
4,5. Ecce, ego mittam vobis Eliam &c. 793 b

E Sapientia.

C.1,13. Deus mortem non fecit, 96 b
11,25. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, 94 b

Ex Ecclesiastico seu Siracide.

C.10,15. Initium omnis peccati est superbia, 95 b
11,14. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt, 96 b
12,4 Benefac humili & non dederis impio, prohibe panes illi dari, 95 b
18,1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul, 94 b
24,28. Qui edunt me, adhuc esurient, & bibunt me, adhuc sitient, 96 b
44,16. Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut salutem det gentibus, 792 b & 795 a

Ex Matthæo.

C.5,15 Non potest civitas abscondi supra mon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui sunt in domo, 269 b & 270 b
5,34. Non iurate omnino, 103 a
6,9. Pater noster, qui es in cœlis, 115 a
34. Nolite soliciti esse incrastinum, 105 b
7,6. Nolite sanctum dare canibus, 131 a
10,5. In viam gentium ne abieritis & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed ite ad oves, quæ perierunt, domus Israël, 108 b
10,8 Gratis accepistis, gratis date, 107 b
10. Nihil tuleritis in via, non peram, neq; calceamenta, neque virgam, 98 a
13,36 & 16,11 Discipuli non intelligebant, 57 a
15,36.9. Quare vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram, &c. 248 a
16,18 Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferni non prævalebunt adversùs eam, 304 a & 503 b
17,1. Post dies sex assumpsit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem, 38 b
20,11. 12. Tunc interrogaverunt eum discipuli sui dicentes, quid igitur scribæ dicunt, oportere, ut Elias primùm veniat, &c. 794 a
18,15 Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum, inter te & ipsum solũ, 108 a
19,17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, 140 a
26,31 Omnes vos patiemini scandalum, 109 a
28,19. Euntes in mundum universum docete omnes gentes, 317 a
20. Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, 116 b

Ex Marco.

C.6,8 Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm, 98 a
10,18 Nemo bonus nisi unus Deus, 108 b
16,2 Venit ad monumentum, orto jam sole, 99 a
15, Prædicate evangelium omni creaturæ, 108 b

Ex Luca.

C.6,30 Petenti te tribue, 95 b
45 Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, 108 b
9,28 Factum est autem posè hæc verba fere dies octo & assumpsit Petrum, 98 b
54. Vis, dicamus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos, 318 b
10,7. Dignus est operarius mercede suâ, 107 b
11,41. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, 112 b
12,42. Quisnam est fidus dispensator ac prudens &c. 446 b
14,26 Qui non odit patrem suum & matrem, non potest esse meus discipulus, 101 b
18,34 Non intelligebant, 57 a
22,25.26 Reges gentium dominantur eis, & qui potestatẽ habent in eas, benefici vocantur, vos autem non ita, 460 a
28. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, 109 a
38. Ecce duo gladii hîc, 156 a
24,27 Et exorsus à Mose & Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso scripta erant, 55 b

Ex Iohanne.

C.3,5 Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu

Spiritu S. non potest introire in regnũ Dei, 640 a
4,13 Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, 96 b
5,17. Pater meus adhuc operatur & ego operor, 624 b.
5,39. Scrutamini Scripturas, nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, 250 b & 124 a
31. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum, 109 a
34. Ego testimonium ab homine non accipio, 109 b
43. Ego veni in nomine Patris mei, non recipitis me: si venerit alius nomine suo, illum recipietis, 815
55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, 110 a
63. Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam, ib & 628 b
8,14. Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium, 109 a
41,44. Vos facitis opera patris vestri, &c. 628 a
9,39. Ad judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant, 88 b 89 a
10,30 Ego & Pater unum sumus, 627 a
14,28 Pater major me, ib. b
15. Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis, 110 a
15,27. Et vos testimonium perhibebitis de me, 109 b
16,12 Adhuc multa habeo vobis dicere, 110 a
20,1. Maria Magdalena venit ad monumentũ cùm adhuc tenebræ essent, 99 a
17. Ascendo ad Patrem meum, 115 b
31. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus, 250 b
21. Pasce oves meas &c. 470 b

Ex Actis.

C.2,27. Non derelinques cadaver meum in sepulchro, 142 b
7,51. Vos semper Spiritui sancto obnitemini, sicut Patres vestri, 107 a
8,3. Eunuchus ait, Quomodo possum intelligere, si non aliquis ostenderit mihi? 56 b
9,9. Saul, Saul, quid me persequeris, 116 b
17,11. Quotidie scrutantes Scripturam, an hæc ita se haberent, 735 b

Ex epistola ad Romanos.

C.2,25 Circumcisio quidem prodest, si legem observes, 110 b
3,28 Arbitramur, justificari hominem sine operibus, ib.
9,13. Jacob dilexi, Esau autem odio habui, 94 b
19. Voluntati ejus quis resistet? 107 a
11,29. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, 103 b
34. Quis cognovit mentem Domini? 112 a
12,5. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, 450 b
13,1. Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto, 812 a
16,17 Rogo vos fratres, ut observetis, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis, 755 b

Ex 1. ad Corinthios.

C.1,10. Obsecro vos fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata,755 b
23. Nos prædicamus Christum crucifixũ, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam,83 a
2,10. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei,627 b
16. Nos autem sensum Christi habemus, 112 a
7,12. Reliquis autem ego dico &c. 231 b
10,1. Nolim autem, vos ignorare fratres, patres nostros omnes sub illa nube fuisse, & omnes per mare trãsivisse &c. 44 b
11. Hæc autem omnia illis contingebant in figuram,436 a
33. Sine offensione estote, sicut & ego per omnia omnibus placeo,112 b
12,21. Nõ potest ocul⁹ dicere manui, operâ tuâ ñ indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii,128 b
13,3. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodest, 112 b
14 Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma,86 b
14,34. Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, si quid autem volunt loqui, domi suos viros interrogent,129 a

Ex 2. ad Corinthios.

C.3,6 Litera occidit,624 b
14. Itaq; occalluerunt mentes illorũ,71 a
4,14. Quod si tectum est evangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est; in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, i.e. infidelibus, ne irradiet eos lumen Evangelii, gloriæ Christi, qui est imago Dei,80 a
5,21. Fecit, ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset,89 a
11,2. Præparavi vos, quos uni viro, ut virginem puram sistam nempe Christo, 289 a

Ex epistola ad Galatas.

C.1,8.9. Sed etiamsi nos aut angelus è cœlo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto &c.233 b
10. An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem,112 b
2,11. Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in os ei restiti,511 b
3,17. Lex à pactione antè confirmata annos quadringentos & triginta cœpit, 97 a
4,12. Scriptũ est, Abraham habuisse duos filios &c.48 a
26. Sublimis illa Hierusalẽ libera est,116 a
5,2. Si circumcidamini, Christus vobis nil proderit,110 b

Ex Epistola ad Ephesios.

C.1,20.21.22.23. Quam (efficacitatem roboris ipsius) exeruit in Christo, cùm suscitaret eum ex mortuis & collocavit ad dextram suam in cœlis longè supra omne imperium & potestatem &c. 451 a
4,15. Qui est caput Christus,455 a
5,23.24. Vir caput est mulieris,453 a
26,27. Ut eam sanctificaret &c.116 b
6,3. Servate unitatem Spiritus in vinculo pacis: Unũ corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, Unus Dominus, una fides, unum baptisma,755 b

Ex

Ex epistola ad Colossenses.

C.1,15.16.17. Qui est imago Dei inconspicui, primogenitus omnis creaturæ &c.115 b
2,8. Videte, ne quis vos deprædetur per inanem philosophiam & inanem deceptionem secũdùm traditionem hominum,248 b

Ex 2. ad Thessal.

C.2,3. Non adveniet dies Christi, quin venerit defectio priùs, & retectus fuerit homo ille sceleratus, filius, inquam, ille perditionis,341 b
7. Mysterium iniquitatis jam peragitur, 770 a
10. Eo quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent,816 b
15. Itaque fratres state & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolã nostrã, 175 b & 247 b

Ex 1. ad Timotheum.

C.2,11. Mulier in silentio discat cum omni subjectione, docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio,129 a
5,20. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant,108 a
6,10. Radix omnium malorum est cupiditas,95 b

Ex 2. ad Timotheum.

C.2. Nemo militans implicatur negotiis vitæ,718 a
3,16. Tota Scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem & institutionem, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus,239 b 242

Ex epistola ad Hebræos.

C.1,1. Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, 100 a
1,6. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes angeli,116 a
4,3. Juravi in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam,48 b
6,4. Fieri non potest, ut qui semel fuerint illustrati, gustaverintq; donum cœleste &c.121 b
9,4. In arca erat urna habens manna & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabula testamenti,97 b. ℣.17. Testamentum non est validum, dum vivit, qui testatus est, prol.22 a
12,22. Accessistis ad montẽ Dei, & civitatẽ Dei, Hierusalem cœlestem &c.116 a
13,4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus; fornicatores enim & adulteros judicabit Deus,144 b
9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci,755 b

Ex 1. Epistola Petri.

C.1,18. Ut qui sciatis, vos non caducis rebus, argento vel auro fuisse redemptos ex vana vestra conversatione & Patrum traditionibus accepta,248 b
2,5 veluti vivi lapides ædificemini domus spiritualis,262 a
3,20.21. Cui nunc respondens exemplar baptismi &c.45 b

Ex 2. Epistola Petri.

C.1,19. Habemus firmissimum sermonẽ propheticum, cui rectè facitis, quòd attendatis veluti lucernæ splendenti in ob-

obscuro loco, usque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris, 69 a

2,3. In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perniciem, 53 b

Ex epistola Iacobi.

C. 2,20. Fides sine operibus mortua est, 119 b

Ex Apocalypsi.

C. 9,1. Et quintus Angelus clamavit, & vidi, stellam de cœlo cecidisse in terram, cui data est clavis putei abyssi; aperuit igitur puteum abyssi & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aër à fumo putei, 343 b

12,6. Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta, 343 b

13,13. Editque signa magna, ut etiam ignẽ faciat descendere in terram in conspectu hominum, 817 a

14,5. In ore eorum non est inventum mẽdacium, 105 a

22,18.19. Contestor unicuique audienti verba prophetiæ hujus libri, si quis adjecerit ad hæc, imponet ei plagas Deꝰ, scriptas in libro isto, & si quis abstulerit verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partẽ ejus ex libro vitæ, 237 a

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Numerus paginam, litera columnam indicat.

A.

Aaron num fuerit vituli conflati author, 676 a quo sensu dicatur nudâsse populum, ib. b

Ab errore simplici ad infidelitatem N.V.C. 422 b

Additiones Danielis de Susanna & Bele non sunt canonicæ & cur, 18 b

Additiones Esther non sunt canonicæ & cur, 19 b

Ἅδης quid sit, 144 a

Adventus Christi uterque & acceptabilis & horribilis, & quomodo, 794 b

Adultera etiam interdum legitimos filios parit, 398 b

S. Aidi bidentes octo, 859 b

Albanus dux quot sustulerit reformatos in Belgio, 810 b

Ἀλλὰ non semper notat singularem & certam personam, 815 b

Allegoriæ non tantùm sunt in V.T. sed & in N. 47 a. non nimium iis indulgendum 51 a. tria circa eas observanda, ib.

AN 151 ad SOLUM N.V.C. 323 b

Analogia judicis controversiarum civilium & Theologicarum, quousq; procedat

Angeli in pristino statu, 437

Animæ variæ significationes, 142 b

Antichristi nomẽ duobus modis in Scriptura capitur, 765 b. num venerit, & quando, ib. quis primus, 768 b. num detur ejus typus in N.T. 771 b. nondũ venisse, probare nititur Becanus, 774 a. num tres reges ab eo interficiendi, 786 b. num regnaturus sit non nisi tres annos cum dimidio, 810 b. num sit recipiendus ab omnibus Judæis, 814 a quo sensu facturus sit ignem de cœlo descendere, 817 a. ejus notæ, 821 a. non potest agnosci è notis Papisticis, 851 & sq. potest agnosci ex nostris notis, 856 a. ejus nomen est λατεῖνος, 862 b

Antiochus communiter habetur Antichristi typus, 771 b

Ἀντιφάναι plus est quàm reprehendere, 512 b

Antonii auditores pisces, 860 a

Apocryphi libri cur non possint haberi pro canonicis, 15 b

Ἀποστασία quid sit Apostolo, 788 b

Apostoli cur comparentur sali, luci, civitati supra montem positæ & lucernæ, 271. non appellârunt Ecclesiam Catholicam, 283 a. omnes sunt Christi vicarii, 477 b. non sunt Petri subditi, 489 a. plures uno sunt summi, 515 b

Apostolica authoritas quid sit Theodoreto, 577 a

Apostolicæ sedes plures erant, 578 a & 593 b.

Appellare ad Episcopum Rom. olim jure non licebat, omnibus ab eo licebat, 606.

A rep. civili ad Ecclesiæ statum argumentari non licet, 710 b

Ariani non admittebant dogmata, nisi ipsas etiam voces in Scriptura legerent, 210 b. negant Deitatem Christi, 627 a

Arianismus totum orbem invasit, 345

Arias Montanus Papistarum facilè doctissimus, 467 a

Arnoldistæ quales, 370 a

Ascanius Cardinalis symbolum Apostolicum avem docuit pronunciare, 42 b

Assistentia divina qualis fuerit sacerdotibus V.T. 670 a

Athanasius num appellaverit ad Pontificem Romanum, 540 b

Augustinus non eodem semper sensu libros Canonicos nominat, 6 b ejus sententia de authoritate Ecclesiæ, 322 b & sq. aliquot ejus errores indicantur, 326. Ecclesiæ judicium in omnibus sequendum, assingitur ei à Becano, 327 b

B.

Baptismum iterandum non esse, 187 b. nõ est traditio Apostolica, sicut nec baptismi formula, 189. an ista formula necessariò pronuncianda, & annon alia quoque, 639 b

Becanus induit personam Thalmudici Judæi, 224 b. variis calumniis premit Evangelicos, 763 a. quo consilio scripserit suum Manuale, prol. 5 a. Manualis ipsius distributio, prol. 31. & sq. quæ ipsi videantur præcipuæ controversiæ, unde reliquarum decisio pẽdeat, prol. 35 & sq.

Benedictio aquæ non est ritus Apostolicus, 204 b

S. Bernaci vacca, 859 b

Biblia S. operâ carnificis Lucernensis exusta, C. 24 b

Cadavera jacere insepulta, notat omne

contumeliæ genus, 808 a
Caiphas Pontifex erravit, 685 a. ejus prophetia erat extraordinaria, 689 b
Calvinus & Lutherus nõ sunt spurii, 398 b. num sint duo isti testes Apocalyptici, 799 b & 800 b.
Calvinus interpres laudatur ab ipsis Papistis, 802 a. fuit Papista & beneficiarius Ecclesiæ Noviodunensis, 803 b. cãdenti ferro propter sodomiam esse inustum, calumniantur Papistæ & refutantur, ib. & sq.
Calvinistæ ex divino V.T. canone nullos libros expunxerunt, 3 b
Cananæa terra num fuerit tota hæreditas Judæis promissa, an verò pars tantùm, prol. 15 a
Canon quid, & quotin hac materia significet, 2 a. est vel divinus vel Ecclesiasticus, ib. b. Canonici libri quinam, ib.
Canon Ecclesiasticus & Papisticus quid differant, 4 a
Canonis Papistici testis idoneus nominari non potest intra primos quadringẽtos à Christo annos, 4 b
Caput Ecclesiæ Christus est, 428 b. caput Ecclesiæ quid notet Pontificiis, ib. est ipsis triplex, ib. præter Christum in his terris unum visibile ac œcumenicũ caput esse debere, probat Becanus & refutatur, 435 & sq.
Capitis nomen variè accipitur, 478 b
Cardinalis quid olim notârit, & quid hodie, 600 b
Carolus Imperator absolvit Protestantes ab hæresi Donatistarum, 320 a
Causæ, cur multi non convertantur ad fidem, prol. 6. & sq.
Ceremoniæ Ecclesiæ sunt vel scriptæ, vel traditæ, & hæ vel universales, vel particulares, 327
Ceremoniæ V.T. quo sensu dicantur infirma & egena elementa, 339 b. quamdiu fuerint licitæ post Christi mortẽ, 431 b
Character bestiæ quid, 844 & sq.
Character Christi quid
Chrismatis observatio annua nõ est traditio Apostolica, 198 a
Christus fundavit in hac vita Ecclesiam, 429 a. est caput Ecclesiæ visibile & invisibile, 433. regit Ecclesiam interiùs & exteriùs, ib. nullo sensu potest dici primum caput visibile, 438 b. non habet successorem, 441 a. nõ gessit se Principem civilem, ib. ejus præsentia corporalis non requiritur ad gubernandam Ecclesiam, 443 a. non instituit subalternum Ecclesiæ regimen monarchicum, 449 a. ejus comparatio cum V. sacerdotibus, 457. ñ habet sacerdotes propriè dictos, 458 a. duobus modis ædificat super petram exteriùs & interiùs, 305 a. semper habet sponsam, 398 a. non meruit propriè exaltationem, 464 b. secundùm divinam naturam exaltatus, quo sensu dicatur, ib. Ecclesiam suam per Spiritum S. etiam externè administrat, 465 a. omnibus Apostolis æquè curam Ecclesiæ commendavit, 505 a
Christus in Scriptura loquens judex controversiarum, 638. qualem conditionem ferat, Matth. 19, 17 prol. 16 a. num corpus & sanguinem suum in cœna nobis reliquerit per modum hæreditatis, prol. 18 a
Christiani orthodoxi nihil credunt, quod non habetur in Scriptura, 219 b. eorum actiones quædam sunt communes, quædam speciales, 128 a. funditus esse extirpatos, olim putatum, 344 b
Chrysostomus num appellaverit ad Pontificem Romanum, 541 b
Circumcisio à Samaritanis administrata habebatur à Judæis rata, 187 b
Citatio nuda libri non facit eum canonicum, 118 b
Claritas & obscuritas duplex, interna & externa, 63 b
Claritas verborum & sensus unde pendeat, 634 a
Claustra Monialium sunt prostibula meretricum, 802 b
Cohen quid notet, 440 b
Commentarii in Scripturam non sunt testes ejus obscuritatis, sed nostræ ruditatis, 58. cur scribantur, ib. b
Codex sacer est thesaurus Ecclesiæ, 150 a
Concilii Tridentini nulla adversùs nos authoritas, 5 a
Concilium generale primum quando celebratum, 532 b
Concilium generale dicitur duobus modis, 534 a. à quibus instituebatur, 604 & 605. celebratur absque Pontifice, 609
Concilium Sardicense quale, ib. quid Episcopo Romano permittat, 537 a
Concilia quædam recensentur, quæ errârunt, 714 b. & 743 b. etiam à Pontifice approbata posse errare, probatur, 719 b
Conciliorum confirmatio duplex erat, 710 b. an sint quasi cor Ecclesiæ, 753 a. num sint supra Pontificem Rom. 755 a
Concilium Judæorum minus num constitutum ex consilio Jethro, 660 a
Concubina quæ dicatur, 719 a
Confessio Papistica est durum onus, prol. 24 & sq.
Confessio fit Deo, Ecclesiæ, pastori, proximo, ib. & sq.
Confirmatio quid notet, 493 b
Confusionis ab Ecclesia remotio non infert ei infallibilitatem in dogmatibus, 313 a
Consuetudo unde vim suam habeat, 721 a. quatenus sit optima legum interpres 723 b
Contradictiones veræ in divina Scriptura nullæ, 93. contradictionum apparẽtium conciliatio, 94 & sq.
Controversia est vel juris vel facti, 643 b. controversiæ 12. quas Becanus à Conciliis decisas profert, examinãtur, 694 & seq controversia de paschatis celebratione, non est de fide, 696 a. non est decisa à Victore Papa, ib. b
Corpus & sanguis in S. cœna non hæreditas est, sed legatum testamẽtarium, prol. 18 b
Corporibus defunctorum honor habetur postremus propter spem resurrectionis, 143 b
Correctio est vel justitiæ, vel charitatis, 515 b
Credit nemo, quod simpliciter ignorat, 82 b. & 84 a

D.

Damnatus nõ semper scit, se esse damnatum, 620 a
Daniel nihil propriè de Antichristo prædixit, 851 a
Decisio quarundam litium particularium in V. T. fuit infallibilis, 674 b

Defectionis Ecclesiæ initium occultum, 413 a. ejus causa efficiens princeps & instrumenta. ib. b. locus & tempus, 414 a. etiam ante Lutherum & Calvinum est deprehensa, 415 extra & in Papatu, 416
Descensus ad inferos quid notet, 637 a
Desponsio Christi cum Ecclesia non est adæquata causa perpetuæ ejus virginitatis, 289 a. non est facta cum Ecclesia, quâ visibilis, sed quâ Ecclesia, 301 b
Deus dicitur opinativè, participativè & naturaliter, 832 a. generat filios nõ solùm per baptismum, sed & per verbum 290 b. etiam in Ecclesia adultera, 275.
Deuteronomii liber an fuerit præcipuus inter libros V. T. 173 a
Dici dominici celebratio unde, 653 b
Dissidium in versionibus Evangelicorum minùs periculosum, 39 a
Diversus tradendi modus non infert rei traditæ diversitatem, 225 a
Doctores Ecclesiæ quatuor quinam dicantur, 50 b
Doctores Ecclesiæ cur sint dati, 123 a
Dogmata extra Scripturam tradita octo narrat Becanus, 183 b
Donum interpretationis & miraculorum non semper cohærent, 148 a. donum miraculorum non semper viget in Ecclesia, 148 b. est etiã in Ecclesia falsa, ib.
Donum linguarum non est perpetuum in Ecclesia, 149 a
Dubii in religione quinam, prol. 3 a. quomodo cum iis agendum, prol 5 a

E.

Ecclesiæ vox ambigua, 295 b
Ecclesia est visibilis, 259 visibilitas ejus explicatur, 261. probatur, 262. aliter à nobis, aliter à Pontificiis definitur, 265 b & 267. variis rebus comparatur, 268 b aliquando potest consistere sine ministerio puro, 275. alia ejus est ratio ac Reip. Venetæ & Viennæ civitatis, ib. quo sensu dicatur Una 278. Sancta 279. Catholica 281. Apostolica, 283 b Sponsa Christi, 287 b. Domus Dei, 289 b. Columna & firmamentum veritatis, 291 a. & 307 b. Ecclesia visibilis tota quo sensu possit errare & deficere, 298 & 300 a. & 328 & 350. Ecclesiam non posse errare Papistis idem est ac Papam non posse errare, 299 b. totam Ecclesiam visibilem ab anno quingentesimo usque ad tempora Lutheri in errore perstitisse, falsò nobis affingit Becanus 299 b. ejus authoritas quanta, 321. comparatur lunæ, 347 & sq. an manserit sine interruptione, 355 a. non manet perpetuò virgo, 403 b. totam errare posse duobus modis potest intelligi, 422 a. etiam in errante Ecclesia homines servantur, 311 b. inhæret Petræ interiùs & exteriùs, 305 a. ejus communio est vel interior vel exterior, & hæc vel totalis, vel particularis, 279 & sq. ejus splendor est vel interior, vel exterior; ille perpetuus, hic non item, 315 a. ejus ædificatio non est à Christo in diebus carnis absoluta, 432 a. ejus monarcha est solus Christus, 437 b. subalternum monarcham non admittit, 439 a. ad ejus unitatem servandam non est opus uno visibili Oecumenico, 443 b. unum tantùm habet pastorem, 445 b. num sit biceps, 452 dominationem in ea esse, noluit Christus, 460 a. est mater, quæ potiùs castigat, quàm propriè punit, 584 b. suas etiam partes habet in judicandis controversiis, 617 b. non est summus & absolutus judex, 742 b eius sententia non est regula fidei, ib. errare potest & erravit in conciliis, 743 b. num omnia ejus membra habeant assistentiam Spiritus S. ut errare nequeant, 750 a. Ecclesiam errare idem est Becano ac Christum & Apostolos mentiri, 714 a. dicitur visibilis & invisibilis diverso respectu, 419 b. Ecclesiæ & Reip. discrepantia, 729 b eius Doctores & Imperatores recensentur, 358 b & 359 a. eius locum & personas nominare non semper necessarium, 359 b. ubi fuerit ante Zuinglium, demonstratur, 362 b. duobus aliquando constitisse viris, affingit nobis Becanus, 369 ad eam nõ est necessaria personalis successio, prol. 38 a
Ecclesia Catholica perpetuam habet Spiritus S. assistentiam, 740 b. ab eius privilegio ad particulares Ecclesias N. V. C. 314 b. nunquã toto orbe periit, sed etiam in mediis Papatus tenebris fuit salva, 320 b
Ecclesia Hierosolymitana omnium Ecclesiarum mater, 560 a
Ecclesiæ multæ ante Lutherum R. Pontificem non agnoverunt, 357
Ecclesiæ V. T. æquè promissa est firmitas, ac Ecclesiæ N. T. 330. sic fuit ancilla, ut tamen etiam fuerit uxor, 330 b. non est tota & totaliter repudiata, 331 a quodam etiam sensu erat Catholica, 332 b multoties aliquò usque defecit, 333 & sq. non est abrogata, nec per mortem Christi repudiata, 355 b
Editio Scripturæ authentica quænam, 20 & 21.
Editio V. T. Hebræa & N. T. græca non est corrupta, 22 b
Enochus an librum scripserit, incertum 118. a
Episcopi vox latiùs & strictiùs accipitur 520 b
Episcopi omnes sunt obnoxii iudicio Ecclesiæ 443 b cura rei familiaris ipsis est permissa 718 a
Episcopi quidam Romani fuerunt hæretici 380. malis artibus invaserunt sedem, ib. & sq. cur primam sedem tenuerint in Imperio 519 b Episcopum Rom. Antichristũ esse, multi Episcopi dixerunt 764 a
Episcopus Constantinopolitanus aliquando inter Patriarchas non numerabatur, 571. a. exæquatus est Episcopo Romano 602 b
Errandi occasio ex Scripturæ lectione in lingua cognita est per accidens 32 b.
Erubescentia alia est modestiæ, alia divinæ ultionis 313 a
Esras an primùm Scripturam in formam voluminis redegerit 172 a
Evangelium cur dicatur Spiritus 624 b
Evangelico-Catholici habẽt veram Scripturam, 134 & sq. & verum eius sensum 145 b. sintnè in Ecclesia Catholica, 146 b. num hæreant solùm in angulo Europæ, ib. triplex eos à Papatu discedere coëgit necessitas, 148 a. non reiiciunt canonem Catholicorum, nec novum fingunt, 150 b. non dissentiunt circa traditiones, 216 toto cœlo distãt à Donatistis, 143 a. quatenus idem sentiant cum Waldensibus, 371 b. & 422. causæ, cur controversiæ inter eos non finiantur, 633 a. non constituunt traditionem Judæorum judicem controversiarum, 645 a. non sunt infesti Christi &

sti & Apostolorum traditionibus,646 a. non defecerunt à fide Catholica, 763 a. quàm variè eos criminentur Papistæ, prol.12 b & sq.
Eucharistiam à jejunis sumendam, non est ritus Apostolicus,201 a. Eucharistię fines, 649 b
Eugenii missificantis duæ columbæ,820 a
Eutyches negat duas in Christo naturas, 213 b
Excommunicatio Papalis an sit miraculum, 819 a
Exorcismus non est ritus Apostolicus, 196 b
Expresè in Scripturis aliquid haberi dicitur duobus modis, 174 b
Extra Ecclesiam visibilem est salus, 291 b
Externa conjunctio cum Ecclesia visibili necessariâ quidem, at non simpliciter, 294 a

F.

Federis immobilitas non arguit infallibilitatem Ecclesiæ, 314 a
Fides Reformatorum an sit nova, 356 à
Fidei securitas non pendet ab Ecclesiæ infallibilitate, 426 b
Fidei dogmata omnia cõtinentur in Scriptura,160 a id probatur, 224 & sq.
Filius Dei est à solo Patre,186 a. nec factus,nec creatus,ib. sed genitus, ib. b
Flavianus num appellaverit ad Pontificẽ R. 543 a
Fœmellarum remedium in V.T. 167 a
Franciscani Monachi Bernæ combusti, 840. a
Franciſci aves, 860. a
Fridericus Barbarossa conculcatus pedibus R. Pontificis, 778 b & 818 a
Frigidi in religione quinam, prol. 1. a. quomodo cum iis agendum, prol. 4 b

G.

Gelasii canon, 6
Georgius Cappadox fictitius, 385 b
Græca lingua olim omnibus gentibus communis, 50 a
Gregorii I. sententia de titulo Oecumenici,455. argumenta contra Oecumenicum, 588. & sq.
Gregorius VII. Henricum IV. Imp. excommunicatum, fulmine afflatũ pronunciat,818. a. decernit, quòd Papa possit Imperatores deponere, 834 b
Gretseri blasphemia in Spiritum S. 619 a
Guilielmus rex Siciliæ excommunicatur à Pontifice, 818 a

H.

Hamorah quid significet, 794 b
Hebræi habuerunt quoque spirituales promissiones,prol.16 a non fuerunt figura Christianorum, prol. 21. a
Hæreses damnantur absque Pontifice Romano, 609
Hæresis Macedoniana, 463 a
Hæretici quoque ad traditionem provocant, 212 & 215
Hæretici sunt declarati absque Pontifice Romano,695 a. num omnes sint Antichristi præcursores, 858 a
Heli fuit judex & summus sacerdos,671 a
Henricus II. Angliæ rex à Monachis cæditur flagellis, 818 b. & 834 b
Henricus IV. Imperator excommunicatus à Pontifice, 818 a
Heterodoxi diversimodè sunt dispositi, prol.1. adeoque diversimodè cum iis agendum, prol.3 b
Hierarchiæ Ecclesiasticæ Apostolicæ gradus, 459
Hieronymus Pragensis exustus Constantiæ, 810 b
Hierusalem non notat quatuor sensus Scripturæ, 49
Hierusalem quæ sursum,non notat tantùm Ecclesiam triumphantem, sed & militantem, 50 a
Hierosolymæ elogia, 827 b
Hierosolymitanum templum non est sedes Antichristi,827 a. num sit instaurandum, 828 a
Hippolytus supposititi' statuit,Antichristum fore Diabolum, 814 b
Hispanorum sævitia in Indos, 433 a
Holam quid notet, 694 a
Hussus martyr, 808 b. & 810 b

I.

Jesuitæ sunt nimis impudentes assentatores,760 a. diffidunt suæ causæ, ib.
Imagines nũ adorentur à Pontificiis,385 a
Imperium Rom. est vel vetus vel novum, 775 a. illius potẽtia valde collapsa, 776 b. à Carolo M. instauratum est in Occidente,778 a. non est mulier meretrix, sed Roma,784 b an & quo sensu desierit, probatur testibus & à reipsa,775 & seqq. qualis ejus desolatio prædicta, 779 & sq.
Imperatores convocârunt concilia œcumenica, 604 à Papa depositi sunt, 834 b
Imperatori subditus fuit Episcopus Romanus in temporalibus & Ecclesiasticis,614 & sq. quibus ceremoniis ipsi adeundus Pontifex, 834 b
Implicari negotiis vitæ quid, 718 a
Ingressus in Ecclesiam interior semper est necessarius, exterior non item, 298 a
Interpretatio dogmatum non continet nova dogmata, 168 b
Interpretationis donum necessarium est in Ecclesia, 682 a
Interpretatio Scripturæ authentica quid notet,139 a. & an eam habeant Evangelico-Catholici, ib.
Interpretandi donum est vel extraordinarium, vel ordinarium,145 b utrumq; ñ est nisi in Ecclesia Catholica, ib. & sq.
Joabus reprehenditur, 513 a
Johannes Reinholdus omnis eruditionis promus condus, 5 b
Johannes rex Angliæ excommunicatur à Pontifice, 818 a
Johanna VIII. in sedem Romanam irrepsit,729 a. peperit, prol.39 a
Josua & Caleb cur ingressi terram promissam, prol.15 b
Judæi sintne magis usi traditione, quàm Scriptura, 169
Judicis vocabulum accipitur proprie & impropriè, 617 b
Judex in controversiis de fide decidendis quinam, ib. est τῶν καθ' ὅλα & τῶν καθ' ἕκαστα, 721 a. Judex fallibilis etiam rectã fert sententiam,672 b. Judex ministerialis in negotiis fidei admittitur tum publicus tum privatus, 739 b. Judicis cõtroversiarum summi requisita, 742 & sq. Judices V.T. quales, 657 b
Judicium Scripturæ simpliciter sequendum, Ecclesiæ non item, 353 a
Judicium supremum Hierosolymitanũ, 658 a
Judicium iniquum cur Deus interdum permittat, 675 b
Juramenta concessa & prohibita, 103

K.

Jusepini quales, 370 a
Κατακρίνειν quid notet, 460 b

L.

Latina lingua quàm latè pateat, 31 a

Levitæ nomophylaces, 173 a
Lex cur dicatur litera occidés, 624 b. Lex V.T. non erat quadruplex, sed triplex, 657 a. Lex scripta num possit esse judex 722 a. Legi morali Christus nihil superaddidit, 430 b. Legis non tantùm autographum, sed & apographum erat authenticum, 666 b
Libri divini ambiguè dicuntur, 10 a
Liber Tobiæ nõ est canonicus & cur, 16 a
Liber Judith nõ est canonicus & cur, 16 b
Liber Baruch ñ est canonicus & cur, 17 a
Liber Sapientiæ ñ est canonicus & cur, ib.
Liber Ecclesiasticus non est canonicus & cur, ib. b
Libri Maccabæorum non sunt canonici & cur, ib.
Libri recensentur, quos periisse autumat Becanus, 318 & sq.
Librorum corruptio, 361
Libros Tobiæ, Judith, &c. non esse canonicos, num possit è Scriptura probari, 644 a
Limbus est commentum humanum, 638
Lingua vulgaris non præjudicat unitati Ecclesiæ, 31 b. num singulis annis magna ex parte mutetur, 32 b
Lotio pedum à Christo præcepta, quid notet, 641 b. & 650 a
Ludovicus IV. Imp. Papam Johannem XXII. vocat Antichristum, 765 a
Lutheri vox: *Si non vult uxor, veniat ancilla* explicatur, 805 a
Luxus Romanæ Curiæ, 860 a

M.

Macedoniani non admittebant hanc locutionem, *Gloria Patri & Filio cum Spiritu S.* 212 b. negant Deitatem Spiritus S. 627 b
Majores nostri ante Zvinglium non omnes perierunt, 312
Manichæi pugnam inter V. & N.T. comminiscuntur, 628 a
Marcus suum Evangelium non scripsit latinè, 29 b
Mariæ domus num sit ab angelis transportata, 841
Matrimonium non faciunt tabulæ, sed consensus, 718 b
Matthæus suum Evangelium non scripsit hebraicè, 27 & sq.
Mendax quomodo omnis homo, 105 a
Minister legitimè vocatus falsa, non vocatus vera potest proponere, prol. 37 a
Ministerium mensarum quodnam, 718 b
Miracula Papistica, 838 & sq.
Miracula quædam infidelium recensentur, 408 a
Miraculorum donum non est in Ecclesia perpetuum, 405
Mittitur aliquis vel ex imperio, vel ex cõsensu, 509 a
Mitti regem à subditis, absurdè fingit Becanus, ib. b
Mixtura aquæ & vini in Eucharistia, 199 b
Mors non cum qualicunque Dei visione coniuncta, 100 b
Moses non fuit summus Pontifex, 438 b. & 440 a, quatenus administravit Politiam Judæorum Ecclesiasticam, 441 b eius authoritas fuit extraordinaria, 661 a
Muhammedis tumba in sublimi aëre ferri memoratur, 841 b
Multi sub Papatu gemuerunt, 364. & Papistarum errores fundamentales in agone mortis abjecerunt, 365 b
Mundi anni quot lucusq; fluxerint, cõtro-

trovertitur, 766 a
Μυστήριον non notat sacramentum, 647 a
Mysterium iniquitatis quando cœperit 770 a. num fuerit Nero, ib.

N.

Nativitatis Christi annus, mensis, dies est controversus, 766
Nemo sibi ipsi dat privilegia, 582 a
Neminem esse Christi filium, nisi qui Ecclesiam matrem agnoscat, quomodo intelligendum, 297 a
Ninevitæ quomodo fuerint in Ecclesia, 332 b
Non omne id, sine quo fides nostra vana est, mox est fidei principium, 181 a
Non omne id, quod hæretici tenent, rejiciendum, nec omne tenẽdum, quod rejiciunt hæretici, 209 a
Non omnia humana præcepta sunt irrita & contemnenda, 230 a
Non quicquid hominem movet ad credendum Evangelio, majorem habet authoritatem, quàm Evangelium, 323 a
Non quodvis religionis dissidium tollit unitatem Ecclesiæ, 394 b
Non omnes sunt spurii, qui nascuntur ex adultera, 426 b
Non quicunque sibi conscius est peccati mortalis, est in peccato mortuus, 650 b
Non damnamus omnes ceremonias, quæ in Scriptura mandatum non habent, 652 a
Non omnis à Concilio condemnatus est hæreticus, 713 a
Non omne argumẽtum est regula, 733 b
Non omne, quod est insallibile, est regula fidei, 740
Non omne, quod est in typo, necessariò etiam est in antitypo, 786 b
Non omnibus Pontificibus Romanis labem Antichristi aspergimus, 810 a
Norma, quæ imitanda proponitur, non semper est perfecta, 303 b. non de se præcisè requirit perspicuitatem, sed certitudinem, 634 b. etiam id ex ea judicatur, cujus in ea non sit expressa mentio, 643 a

O.

Obscura possunt perspicuè tradi, 85 b
Odit Deus creaturas, quatenus sunt peccatores, 95 a
Omne est vel genericum, vel integrum, 244 a
Onus spectat vel conscientiam, vel res externas, 675 a. quodnam & quando ferendum, ib.
Optatus Milevitanus Scripturam quærit judicem, 709. 610
Oratio pro defunctis in Missa non est ritus Apostolicus, 202 a, nec orare Orientem versùs, 203 b
Orbis universus Patribus notat orbem Imperii Romani, 548 a
Ordo docentium & discentium propter obscuritatem Scripturæ in Ecclesia nõ est institutus, 123 a
Origenes nimium indulsit allegoriis, 51 a primus ferè fuit commentator inter Christianos, 59 b

P.

Pædobaptismus non est ἄγραφος, 186 b
Papæ nomen multis olim erat commune, 528 b 530
Papa Romanus potest errare, 352 b. contradixerunt ei multi, 368. an sit Oecumenicus, 519 b & sq. ejus tituli, 528. privilegia prætensa, 532 & sq. num ad illũ solum provocandum, 533. num ab eo

appellâ eliceat, 537 a. num omnes Christiani exortis dissensionibus in fide ei debeant adhærere, 548 & sq. nihil grave in Ecclesia universali, nisi ipso priùs consulto ac consentiente, possit definiri, 565 & sq. an omnium Ecclesiarum cura penès ipsum, 571 b & 580 b. ejus curam Becanus malè cum regia confert, 582 b. num possit sancire leges, quæ universam Ecclesiam obligent, 582 & sq. non est Ecclesiæ prælatus, neque extraordinarius neque ordinarius, 585 b. ordinatio ejus est humana, 595 a. num imitetur Petrum, 596 a. habuit olim æquales potestate, 601 b. appellationem ad eum improbârunt Veteres, 606 b. illo inconsulto & invito, multa gravia sunt tractata, q̃ vide, 609 & sq. licet ab eo dissentire, salvâ unitate, 612 a. ab eo non accipit leges universa Ecclesia, ib. b. potest ab aliis judicari, 613 a. olim fuit subditus Imperatori in temporalibus & Ecclesiasticis, 614. 832. absque ejus declaratione multi hæretici sunt habiti, 695 a. controversiæ possunt decidi sine ejus approbatione, ib. b. non esse summum controversiarum judicem, probatur, 745 a. quidam recensentur, qui errârunt, ib. b. & 749. quidam sibi non constiterunt, 746 a. non est infallibilis, 747 a. est Antichristus habitus etiam ante Calvini & Lutheri tempora, 763 b. & sq. ejus fastus quantus, 801 b. non esse Antichristum, Becanus nititur probare, 810 & sq. variarum persecutionum auctor, 830 b. multis seculis regnavit, 817 a. num habeat temporalem potestatem, ib. b. est subjectus magistratui, 812 a. fecit ignem de cœlo descendere, 820. probatur, esse Antichristum, ib. & sq. fundamenta fidei convellit, 821 a. hæreses veteres interpolat, ib. b. nova dogmata cudit, 812 a. sedet in templo Dei, 823 b. ostentat se tanquam Deum, 829. quàm multa ei tribuant Papistæ, ib. b. quam adorationem ei tribuant, 830. extollit se supra quicquid Deus dicitur aut numen, 831 b. nõ solùm in reges & principes, sed & in ipsum Imperatorem imperium captat, 833 a. imò supra ipsum Deum se extollit, 835. quomodo neget Christum, 836 b. turbat officium prophetieum Christi, ib. sacerdotale, 837 a. regium, ib. b. facit falsa miracula, ib. quomodo faciat, ut imago bestiæ loquatur, 843 a. quomodo suis imprimat characterem, 844 a. eorum scelera, 861 a. crudelitas, ib. b. quidam fuerunt hæretici, prol. 38 b. quidam intrusi, prol. 39 a

Papatus Oecumenicus argumentis nostris evertitur, 587 b

Papistæ non sequuntur unam versionem Scripturæ, 35 b. ipsorum Ecclesia non est Catholica, 148 a. non habent veram Scripturam, 151 b. nec authenticam versionẽ, 151 b. nec veram ubique interpretationem, 155. 156. Vetant suos ex Scriptura nobiscum disputare, 158. traditionibus humanis tribuunt meritum justificationis & remissionem peccatorum, 221. jactant, esse Apostolicas, 223. in una Maria aliquando Ecclesiam constitisse, quidam ajunt, 369 a. jactant miracula sua in Japonia, 406 b. non possunt esse securi, nisi nostris principiis assentiantur, 411 b. qualem Monarcham Ecclesiæ præesse velint, 437 a. de judice controversiarum non sequũtur Christum, sed Judæos, 734 & sq. miracula afferunt ad suorum dogmatum probationem, 838. pluris faciunt traditiones hominum, quàm verbum Dei, prol. 7 b. corrumpunt Dei verbum, prol. 8. a. fidem quomodo negligant, ib. hominem mereri posse peccatorem R. P. fingunt, ib. b. quo sensu non minùs sanctos quàm Christum colant, ib. sanctos pro diis habent, prol. 9 a. quo pacto parum de Christo cogitare dicantur, ib. confidunt suis & sanctorum meritis, ib. b num in consecratione utantur magicis incantationibus, prol. 10 a. docent, Papam posse dispensare contra V. & N. T. prol. 11 a. variè criminantur Evangelico-Catholicos, prol. 12 b. & sq.

Papisticæ doctrinæ pugna cum Paulina & Petrina, 378 & sq.

Papisticus cultus est similis ethnico, 392 b

Parentes quatenus odio habendi, 101 b

Parisiensis laniena quot reformatos sustulerit, 810 b

Pascere quid, 473 b

Passionis Christi tempus non idem ab omnibus agnoscitur, 755 a

Pastores num possint errare, 352 a

Patres provocant ad Scripturas, non ad traditiones, 211

Patris vox quomodo in oratione Dominica accipiatur, 115 a

Patriarcharum ordo, 602 a

Pauli prærogativæ quindecim, 502 b. Paulus non fuit Petro inferior, 516 a. sed ei par honore, 518 b. multas controversias decidit, inconsulto Apostolorum collegio, 693 b. cur de Antichristo obscurè scripserit, 791 a

Peccatum sæpe notat victimam pro peccato, 90

Pelagius negabat originale peccatum & Abelem peccâsse, 214 b

Pertinaces in religione falsa quinã, prol. 1 a. quomodo cum eis agendum, prol. 3 b

Petrus non confirmavit quatuor evangelia, 29 b. num fuerit ætate senior quàm alii, 466 b. num fuerit vocatus ante omnes Apostolos, 467 b. num reliquos Apostolos charitate anteceluerit, 468 a. num fuerit Christi Vicarius, 470 & sq. nõ pavit omnes oves Christi, 471 a. varii tituli à patribus ipsi traditi explicantur, 477 & sq. num nomen ipsius mutatum fuerit, 487 a. cur inter Apostolos primo loco ponatur, 488 ib. sæpe locutus est nomine omnium Apostolorum, 490 a. num ei soli sit facta prima revelatio divinitatis Christi, ib. num ei soli inter Apostolos promissa sit stabilitas fidei & cathedræ, 491 a. cur pro eo solo tributum solverit Christus, 494 b. cur Christus post resurrectionem ei soli primò apparuerit, 495 b. num convocaverit suâ authoritate Apostolos, 496 a. num primus promulgaverit Judæis Evangelium post acceptum Spiritum S. ib. b. num primum miraculum apud Judæos fecerit, 497 a. num primus prædicaverit gentibus Evangelium, 498 b. num primus in Concilio Hierosolymitano sententiam dixerit, 500 b. non fuisse Pontificem Oecumenicum, demonstratur, 503. b. nunquam exercuit Oecumenicam jurisdictionem Ecclesiasticam, 506 b. num fuerit Romanus Episcopus, 521. idque annis viginti quinque, ib. an ei Linus primus successerit, 523 a. an sedem Oecumenici Pontificis Romæ erexerit, ib. b. num Pontifices Romani in Oecumenico Pontificatu illi successerint, 524 b. num ei sit commissa cura totius Ecclesiæ, 592 b

Piccardi quinam, 372 b

Plebejis non permittunt Evangelico-Catholici publicum munus interpretãdi Scripturam, 123
Pœnitentiæ propriè dictæ natura, 104 a
Pœnitere Dei quid sit, 103 b
Politia fit alia specie dupliciter, 449 b
Pontifex V.T. num fuerit summus controversiarum fidei judex, 654 a. & quidem infallibilis, 671 a & 675 b. quatenus ejus sententiæ acquiescendum, 673 b. ejus judiciaria potestas num habuerit partes, 687 a
Præcepta quãdo non sint ad literam servanda, 96 a
Prælati Ecclesiæ habent potestatem regendi Ecclesiam, 583 a. etiamque coercèndi & puniendi, & quo sensu, 584 num habeant potestatem condendi novas leges, & quousque obligent, 585 a. nusquam vocantur ἐξυπάρχοντες & ἀρχηγοί, 812 a
Prærogativæ vox variè capitur, 486 a
Præsidere in controversiis non est idem quod judicem agere, 663 b
Probatio est vel qualiscunque vel infallibilis, 10 b
Probatio varia esse potest, at definitio ex uno petitur fonte, 327 a
Prodigia ingentia adventum Antichristi Romæ antecedebant, 858 b

Q.

Quæstionem de judice controversiarum Becanus inter præcipuas numerat, 617 a. status ejus formatur, ib. b

R.

Reformata Ecclesia an sit vera Christi Ecclesia, 394 & sq. num sit Calvini noverca, 399 b. quatenus errare possit, 410 b.
Reformationis prædictio, 365 a
Regeneratio una, sicut una generatio carnalis, 187 b
Reges à Pontifice depositi recensentur, 833 b
Regimen Christi monarchicum durat omni tempore, 526 a. nec subalternum mutatum quoad formam, ib.
Regni terreni & cœlestis differẽtia, 445 a
Regnorum quatuor apud Danielem explicatio, 780 b
Regula ista: *Nemo potest errare in religione, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit*, quatenus vera, 325
Religionis dissidium quotuplex, 394 b
Reliquiæ Papistarum, 385 b
Ritus Apostolicos confingit Becanus, 195 b
Roma non est pars Imperii moderni, 777 b. dicitur Sodoma, Ægyptus & Hierosolyma, & quo sensu, 827 b & 852 b. ejus elogia, 827 b. quo sensu Dominus ibi dicatur crucifixus, 853 b
Romana Ecclesia Pontificiis dicitur duplici sensu, 353. num moderna sit vera Christi Ecclesia, ib. & sq. num illa sola hucusque perseveraverit, 356 a. multæ in ea sunt dissensiones, 373 & sq. non est sancta, neque quoad instituta, 375. neque quoad doctrinam, 376. non est Apostolica, 377 b. non retinuit absque interruptione legitimam successionẽ, 380 a. est schismatica, 385 b. non est sponsa Christi, 386 b. errores ejus recensentur, 387 & sq. aliquot seculis ante Lutherum deprehensa est meretrix, 395 b. tempore Lutheri esse à Christo repudiatam, nos non docemus, 596 a. defecit ab ea doctrina, quæ fuit tempore Augustini & aliorum Patrum, 401 b. num in ea vigeat donum miraculorum, 405 b. sensim defecit, 413 a. an ad eam olim omnes fines terræ respexerint, 558 b. & sq. an ab ea omnes Ecclesiæ Christianæ originem habeant, 560 a. quo sensu dicatur templum Dei, 824 b. non omnem Ecclesiæ Christianæ speciem perdidit, 825 a
Romana sedes cur habere dicatur omnium Ecclesiarum principatum, 546 b. in ordine ei primus locus conceditur, at non oecumenicus dominatus, 571. b. num habeat privilegium convocandi generalem synodum, 592 b. num absque ejus confirmatione synodus possit esse rata, ib. A Phoca habet, quòd dicitur caput Ecclesiæ, 595 b
Romano Episcopo inscio creati sunt Episcopi & fundati episcopatus, 610. invito eo sunt quidam functi episcopatu, nec restituti, quos volebat, 611. dicebatur aliorum frater, collega, & coëpiscopus, 603. sic erat in Patriarcharum ordine, ut haberet æquales potestate, 601 & sq. Vide etiam Papa.

S.

Sabbati Judaici abolitio, 653 a
Sabelliani unam divinam personam statuunt, 627 a
Saccus cujus rei signum olim fuerit, & cujus nunc sit, 801 b
Sacerdotii principatus variè potest accipi, 531 a
Sacramentorum numerus binarius habetur ex Scriptura, 189 b
Sancti recẽsentur, tum ficti, tum veri, qui colunturà Pontificiis, 388 b. & 393
Sapientes hujus mundi ex obscuritate laudem quærunt, 84 b
Satanas non tantùm est auctor, sed & ὑπουργὸς operum Antichristi, 837
Savanarola crematus Florentiæ, 810 b
Scheol quid, 144 a
Scriptura canonica quænam, 2 & 3 a. est regula totalis & unica, 618 a. quàm multa circa eam sint controversa inter nos & Papistas, 1. b. comparatur à Papistis naso cereo & plumbeæ regulæ, 53 a. intelligitur sine commentario, 59 a. ejus perspicuitas probatur & vindicatur, 62 & sq. lectio ejus omnibus promiscuè commendatur, 124. etiam laicis est fructuosa, 127. est traditio, 181 b. unde constet, eam esse verbum Dei, 182 a. sine traditionibus humanis non esse perfectam, statuunt Papistæ, 218. continere omnia ad salutem necessaria, probatur, 224. 251 & sq. major ejus est authoritas quàm Ecclesiæ, 353 a. impropriè vocatur judex, 618 a. non esse judicem controversiarum, probare vult Becanus sex argumentis, quæ refutantur, 619 & sq. decidere debet cõtroversias juris, non verò semper facti, 643 b. quomodo ad eam solam recurrendum, 731 a
Scripturæ facilitas ejus auctoritatem minimè labefactat, 130 a. 132 b. nec arrogantiam gignit, 132 b
Scripturæ interpretatio privata cujusvis est Christiani, 126 b
Scripturæ sensus literalis & mysticus quis, 43. literalis est vel simplex, vel compositus, 44 a. plures literales sensus in eadem sententia non reperiuntur, ib. sensus literalis unus probatur, 52 a. mysticus dividitur à Papistis in allegoricum,

cum, anagogicum & tropologicum, 45 b allegoricus quid, 47 a. anagogicus quid, 48 a. moralis quid, 49 a. Scripturæ sensus quatenus sit obscurus, 52 b. obscuritatis duplicē causam notat Becanus, 85, triplicem obscuritatē jactat, 90 b. causas, cur Deus obscurum esse voluerit, notat, 122 & sq. veras vide, 133. non est separatus à Scriptura, 183 a. potest haberi ex ipsa Scriptura sine Apostolica traditione, 218 b
Scripturæ versio, vide Versio.
Sedere in templo Dei quid sit, 823 b
Serveti & Socinianorum commentum, fideles V.T. meris tēporalibus promissis saginatos fuisse, refellitur, prol. 20.
Signum crucis non est ritus Apostolicus, 203 a
Similitudo Mariæ cum Ecclesia habet etiam dissimilitudinem, 404 a
Sitis quid significet, 96 b
Sixti & Clementis Paparum bellum circa versionem Bibliorum latinam, 154
Solicitudo quænam prohibita, 105 b
Speronistæ quales, 370 a
Spiritum S. à Filio procedere, probari potest è Scriptura, 185 b. & 186 b. & 193 b. nec factus nec creatus est, sed procedens, ib. nō est propriè Vicarius Christi in regimine Ecclesiæ, 462 a. ejus assistēdi modus duplex, 741 a. ex ejus assistentia perpetua nō concluditur absoluta infallibilitas, ib.
Successio est episcoporum & doctrinæ, 28. successio episcoporum ab Apostolis malè numeratur inter Ecclesiæ notas, 286. quibus tollatur modis, prol. 38 b & sq.
Successio Pontificiæ Ecclesiæ est interrupta, 380 & sq.
Successio est vel temporis, vel officii, 520
Superiores corrigi possunt ab inferioribus, 515 a
Symbolū Apostolicum quomodo habeatur in Scriptura, 184 a. an isto ordine sit digestum ab ipsis Apostolis, 185 a. quo sensu dicatur Apostolicum, ib.
Synagoga num defecerit, 337 & sq.

T.

Tertullianus qualis, 202 b
Testamenti vox ambigua, prol. 14. b.
Testamenti V. & N. differentia & convenientia, prol. 16. num Vetus sit Novo imperfectius, prol. 17 a. Vetus secundū aliquid sui est umbra novi, prol. 20 a. habuit etiā spirituales promissiões, ib.
Testes duo Apocalyptici quinam, 792 a. variæ de iis sententiæ recensentur, ib. b. & sq. sententia orthodoxa exponitur, 799 b. sunt amicti saccis, 801 b. quomodo claudant cœlum, ne pluvia descendat, 806 b. quomodo aquam convertant in sanguinem & terram percutiant omni plaga, 807 a. quomodo vincantur ab Antichristo, ib. b. quo sensu corpora eorum insepulta jaceant, 808 a. reviviscunt & in cœlum adscendunt, ib. b
Testimonium de seipso in divino judicio valet, 619 b
Thaboritæ quinam, 732 b
Theodoretus num appellaverit Pontificem Romanum, 544 b. statuit, Antichristum fore incarnatum Diabolum, 814 b
Theophylactus quo anno floruerit, variant authores, 766 a
Thomæ Cantuariensis semoralia, 859 b
Tigurinam Bibliorum versionem Gallē & Hispani Papistæ in usum suum recudē-

RERUM AC VERBORUM,

cuderunt, 151 a
Timor non semper est à terrore sed sæpe à reverentia, 794 b
Tituli varii Petro & Paulo tribuuntur, 519 a
Traditionis vox ambigua, 159 b
Traditiones Pharisaicas undecim notat Becanus, 160 b. his Papisticæ sunt simillimæ, 162 a
Traditiones Mosaicas tres numerat Becanus, 165 b
Traditiones aliæ sunt cum Scriptura, aliæ præter Scripturam, 189 a
Traditionum Apostolicarum dignoscēdarum via ostenditur à Papistis, 196 a
Traditiones Ecclesiasticæ quatenus servandæ, 207
Tribunal Judæorum triplex, 659 a
Trinam mersionem in baptismo esse ritum Apostolicum, non constat, 197 b
Tyrannis Pontificia in causa vulgaris translationis Bibliorum exercita, 23 b

V.

Venire sub nomine quid, 816 a
Verba cœnæ, *comedite, bibite*, sunt præceptiva, 641 a
Versio Scripturæ vernacula licita & necessaria, 23 a. quod demonstratur, 24 b
nulla est authentica, 38 b. differt ab editione Scripturæ, 135 a
Versiones Bibliorum in omnes ferme linguas vernaculas, 5
Versiones V.T. complures, 35 a
Versiones N.T. Augustini tempore innumeræ, 35 b
Versiones Munsteri, Tigurina, Tremellii & Junii quando editæ, 41 a
Versio vulgata non est authentica, 34 b. author ejus incertus, ib. non est ab omnibus Christianis recepta, 35 a. qualis ea sit, 37 a. non repudiatur ab Evangelicis, ib. cur non sit authentica, 152 a
Via, quâ tutò inveniatur inter tot cœtus diversum sentientes Ecclesia Apostolica, 284 b
Vicarius regni non est caput regni, 452 b
Vicarius ratione officii minor est eo, cujus est vicarius, at non semper naturâ, 463 a
Virginitas Mariæ in partu est dogma fidei, sed non post partum, 190
Virtutes Theologicæ non sunt tres tantùm, 46 b
Vita æterna num etiā sit data ante Christi mortem, prol. 23 a
Umbra & res adumbrata non omni ex parte conveniunt, 436 b
Unitatem Ecclesiæ non impedit quædam opinionum & rituum diversitas, ib.
Unitas fidei suos habet gradus, 278 b
Vox Christi sola nobis sit servitus & necessitas, 201 b
Urias summus sacerdos erravit, 677 a
Utile est vel totale, vel partiale, 204 b

W.

Waldenses unde dicti, quales fuerint, & quàm latè fuerint dispersi, 370. eorum dogmata, 372
Wiclefus Martyr, 808 b & 810 b

Z.

Zachariam Papam igneæ acies dicuntur noctu antecessisse, 820 a
Zamotensis Papalis immensitatis præco, 830 a
Zelosi in religione quinam, prol. 2 a. quomodo cum iis agendum, prol. 4. b
Zonaræ judicium de canone Sardicensi, 535 b
Zosimus Papa Romanus criminis falsi convictus, 533 b

Se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sequentes mendæ sic corrigantur à Lectore benevolo.

Numerus prior paginam, posterior lineam, litera columnam notat.

PAg.9.b.lin.29. pro antiquior leg.recentior 21.a.29.& 30.l. Sunia 31.a.10.l.Richeomus 13. l. Bulengerus 51 a 34.l.48.b 37.l.considerate 52 a.37.l.par.1.39.l.Gãdav.54.b.38.l.tradãt 55. a.11.l.ex rerum 58.a.11.l.Didacus 63 a.37.pro Davidis l.Mosis 89.a.26.l.discendum 90.b. 25.l.vino pro viro 102.a.27.l.pradura 29.l.oret 107.b.1.l.conspectum 129.b.28.l. Blesilla 138.a.8. proNec l.Nos 142.a.12.l.infarciunt 146.a.34.dele non quidem 156.b.21.l.nulla 164.a.3.l.pœnitentiariam.26.l.aliquid eorum 166.b.3.l.Christus 167.a.4.l.nam essent 30.l.postea 187.b.29.l. Cresconi.31.l.Est 191.b.24.l.His 215.a 32.l. adscribebat 220.b.2.l.cã 21.l.dicã,235. b.33.l.paulũ 241 a.1.l.ἀυτάρκης 241.a.1.l.ἀὐξων 273.b.18.l.8.pro 4.282.b.22.l.Catholica igitur ratione loci dicitur tum 305.b.34.dele de 312.b.9.l.Periissent 329.a.27.l.μοχολατρείαν 332.b.13.l.fuerunt 333. a.25.l.duravit 349.a.17.l.Ecclesia 357.a.25.l.1076.365.b.24.l.Primas 370.b.2.pro nam l.novo 375.b.26.l.sanctitatis 381.a.4.l.vẽditare 5.l.multis pauca b.35.l.cõclamatur 400.a 9.l. Carnotẽsis 404.a.8.pro ac l.ne 405 a.16.l.vectus 406.a.1.l.tũ confessio Papistarum tũ experientia 409 b.1.l. Causathan 17.& 18.lunã 412.a.34.l.queram 437.b.5.l.Sanderus 439.a.2.pro Hoc l. Nes 450 a. 26. pro seipsum l. ipsum 457 b.33.l.Ecclesia 460.a.4.l.enim hìc 468.a.6.dele opponit 9.l enim opponit 469 b 7.l.Romam 474 a.22.pro ut l.& b.8.l.ἀγνοῦντες 15.l.nondum 476.a.10.p quã l.quod 477.b.20.l.undecimi 479.a.1 l.Hom.487.b.22.l.16.17.490.a.12.l.nominatim 443 a 22.l.Quid? 499.b.27.pro 28.l.27.500.a.14.l.quia perambulat b.28.l.Bellarminus.Videbat 501 b.21.l.sericis 502.a 15.l. conscientia 503.a.15.l.in Hierusalẽ 22.l.monente 505.a.18.l.illuminati 509 b.8.l.mirer,512.a.39.p55.l.51.517.a.6.l.parẽ sortitus 518.b.23.l.Nec Paul' inferior l.3.lib.1. 527.b.22 l æqualia 530.b.32.l.Isychium 534.a.18.dele totius 535.b.19.pro Constãtinopolitanum l.Chalcedonense.545.a 26.l audiuntur 549.a.8.l.intra 556.b.9.pro at l.ac 572.a.36.pro sunt l. sint 584.a.34.pro duo l.tria 618.b.5.l.Positâ distinctione,629.b.10.l.sape 656.a.15.pro hìc l.hinc 658.b.10.l.Massecah 664.b.29.pro accidentis l.consequentis 670.b.31.l.illam 671.a.14 l.Deut. 17.678.b.19.l. temporis 695.a.32. sic distin. tales, si 696.b.30.l. Asiani 710.b.33.l.erat 715.b.23. l.Nescit 718.b.13.l.Illi 17.l.Num 719.a.1.l.Covarruvia 37.l.Num 722.b.25.l.rideat 729.a.7. l.ligare 732.a.10 l.ex rũ 733.a.18.l.decidendis 737.b.10.l Si 739.b.13.l.donũ 740 a.2.l.1. Quatenus 36.l.Hoc 745.b.18.l.Martinus Polonus 37.l.Arianis 749.a.25.l.& operibus 750.b.6.l. visa 760.b.21.l Georgium 764.a.32.l. Vndecimi 775.b.5.l.secutura 780.a.23.l.verba sunt;29. l.commeatu 777.a.10 sic distin.Proconsul.Asiam 18.l.Illa 784.b.24.l.scortabitur 793.a.21.l. Ioachimum Abbatem,31.l.Caponsachius 34.l.Lizarazus 794.b.21.l tiffare 797.b.26.l.Ticonio 798.a.5.l. amplectuneur 28.l. tuus 799.a.13.l. erunt 802.b.10. sic distin. pronunciabat. Cœlibatus,seu monastica castitatis 22.l.dedit 803.a.15.l.circũforaneo 16.l. Bolseco 706.a.30.l. Jen.808.b.21.l.dicuntur 24.sic dist.alios.Sicut 813.b.25 l.etiã 816.b.30.l. non Iudei repulerũt 817.a.8 l.impulsi 822.b.9.l.primitiva 837.b.18.l. Barbatia 838.a.26.l.orant 839.b.6.l.submerguit 11.l.occiderat.840.b 37.l.Lauretana 841.a.21.l.Recinetensem 843.b.10.l.cultui 845 b.38.l.charakterũ 849 a.26.post verbũ inquisitoribus,adde fidem & communionẽ Rom. Ecclesiæ tenentibus,aliud recipiant in mandatis; nec eosdẽ in suis districtibus 850.b.21.l. imprimenda esse,censet.854.a.37.l.Distelmeierus 855.a.1.l.Ansbertus b.8.l. Eitsingerus 856.a.29.l. defecit 959.a.29.l.agnoscem'.In proleg.6.a.15.l pracludere 8.a.3.l.defuere 25 b.37.l.c.37.26.b 19.l.eculeo 29.a.2.pro ipsis l.istis 31.b.2.l.Casuistarum 39.b.39.dele an ibid.l.correctionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

761

82/160

Universidad de Deusto
Biblioteca